



2 400 40  
GALIA  
MADE IN SPAIN





MVNISSA  
DE  
ESSENTIA;  
ET  
ATTRIBVTIS DEI



*In Collegio de la Compañia de N. S. de la Inmaculada B. de*

R. P.

THOMÆ MVNISSA

ALACONENSIS

È SOCIETATE IESV

IN ARAGONIÆ PROVINCIA

COLLEGII BARCINONENSIS PRIMARI THEOLOGIAE

Professoris: dein Rectoris, & Studiorum Praefecti: Sanctae Inquisitionis

Hispanae Qualificatoris: Examinatoris

Synodalis, &c:

DISPUTATIONES SCHOLASTICAE

DE ESSENTIA, ET ATTRIBVTIS DEI

in communi, & in particulari:

ET

DE ENTE SVPERNATVRALI IN GENERE:

Cum Appendice morali

DE PERSONATIBVS PROVINCIAE TARRACONENSIS;


ANNO




1687.



BARCINOÆ:



Ex Typogr. IOSEPHI LLOPIS, in vico Sancti Dominici.



**EXCELLENTISSIMO PRINCIPI**  
**D. D. DIEGO FELIPEZ DE GVZMAN,**  
 HISPANIÆ MAGNATI, MARCHIONI DE LEGANES,  
 Mayrena, & Morata: Duci de San Lucar: Toparchæ de Valverde, Villar  
 Regis, Villar Aquilæ, & Vacia Matriti: Equestris Ordinis Iacobæi  
 Commendatario maiori Legionensi: Regio Cubiculario: Regiæ nato  
 Domophylaci: Matritensis Regiminis Prætori hæreditatio: Veterum  
 Legionum Castellæ Tutelarium Hecatontarcho perpetuo: Proregi, &  
 Capitaneo Generali Principatûs, & Comitatum Catalonia: ibique  
 Regij Exercitûs Archistratego, summoque  
 Armorum Administro, &c.

N V N C V P A T I O.

*EXCELLENTISSIME PRINCEPS.*

**E**, Princeps Excellentissime, dum adbqui exordior, qui  
 re & Martis ardore Alexandrum; Nomine verò, & Sacræ  
 Militiæ Thefferâ, illum refers, quæ Boanergen, seu Fulmẽ  
 Veritas ipsa cognominavit; vel ipsum mihi Alexandri  
 nomen ex voto adsonat. Meminisse iuvat, inter honoraria  
 Romæ monumenta legisse me in Capitolio sacram  
 Alexandro Pontifici Statuæ sibi honorem interdicens Epigraphen:

*Ale-*

Alexandro VII. P. M. cum Statuam sibi decretam erigi vetuisset S. P. Q. R. quod  
sui erga Principem optimum grati animi monumentum aliquod extaret, posuit.  
Posuit pro Statua Epigraphicam, & in epigrapha simplici duplicem Statuam:  
alteram, quâ testatur, Alexandrum Statuam meruisse; alteram, quâ testatur,  
Statuam recusasse.

Iussu modestiæ tuæ, Excellentissime Princeps, districtè prohibeor,  
contra quod moris est Scriptoribus erga Mæcenates suos, in Tui, Tuorumque  
laudes effundi. Obsequar. An quia quidquid honoris expetere posset meus  
Liber tuum satis præfert Nomen? an ut impar agnoscam, rerum tuarum  
magnitudinem multum supereminere eloquij mei facultatem? an quod  
tuis potius factis, quam aliorum verbis nactus Nominis immortalitatem,  
eam non est cur exambias ex hominum ore, vel calamo perennitatem gloriae,  
quâ dignum laude virum Musa vetat mori? nevé omnino volumè imple ret  
vltima iustum iusta panegyris? Quocumque lex illa tua vertatur ab alijs; eâ  
quidem ego singulari, quâ mecum perhumaniter uteris, dignatione fietus,  
ausim ingenuè dicere, laudam esse irrito conatu: quas enim eo consilio laudes  
avertere satagebas, duplices effecisti: quasi Statutum idem tuum Statuam  
interdicens, Statuas geminasset, hisce Opellæ meæ monumentis, à tui  
Nominis perennitate marmore, atque ære perennioribus, posteritati  
commendatum.

Estò namque per Te liceret de Te loqui: loquerer equidem quæ nemo  
nescit. Loquerer longævæ Prosapiae Claritudinem per Avos, & Proavos,  
tam Paternos Guzmanico, quam Maternos Cordubensi sanguine, ad stirpem  
vsque Regiam iugi sæculorum serie provectâ, in varias hinc inde Magnatû  
Familias in immensum ferè splendorem longè latèque diffusam. Nec esset  
opus utriusque chartophilacia Gentis perscrutari, quâdo Hispania, Europa,  
Orbisque totus vno veluti ore, vnoque calamo univèrsim ebuccinant.  
Loquerer Nutuos; Rodericos, Alvaros, Ruizios, Gonzalos, Alphonfos,  
& strenuos alios id genus Dynastas, bello, pace, Regum gratiâ, ac iteratâ  
etiam affinitate potentissimos. Quibus, ut propiora nostro sæculo memorè,  
iure merito adnumerarem Excellentissimos Avum, & Proavum, inclitum  
Heroum Par, *Duo fulmina belli, Scipiadas*, Marchiones duos: Leganensium  
vnum Tibi cognominem, Excellentissimû Dominum D. Diegum Felipez  
de Guzman, recensibus prælijs, ac triumphis in Belgio, Italia, & Catalonia  
Maioribus supparem: Belvacensium alterum, Excellentissimum Dominum  
D. Ambrosium Spinulam, Belgij pro Catholico Rege Governatorem,  
militari prudentia, fortitudine, & gloriâ conspicuum, immortale sibi nomè  
victorijs, & expugnationibus adeptum: à quo si ad affinia versus stemmata  
circumspicerem, celsissimas advsque Romanæ gloriæ metas, Columnas,  
inquam, Herculei nobiliores, pertingere deberem, in quibus legere fas  
esset: *non plus ultra* Loquerer honorum fastigia, Regnorum, Exercituumque

Præ-

Præfecturas: quibus, si fuisset vnquam se ipsâ minor, evecta dici potuisset  
Tuorum sublimitas: detriumphatos idem Mauros in Hispania, &  
alios alibi contritos Hispani neminis hostes: propugnatas, & expugnatas  
Arces: subiugata in solidum Regna, belli Ducibus Guzmanicis, &  
Cordubensibus: id quod appensa vndique Gentilitio stemmati vexilla  
facundius, & gloriosius eloquuntur.

Loquerer tandem Te, *Mecenas Atanis edite Regibus*, natu dumtaxat  
illis minorem: dignum sanè, in quem tot Maiorum ornamenta certatim  
confluxisse videantur, dum *quæ divisa beatos efficiunt, collecta tenes*. In Africæ  
oris, dum Excellentissimus Parens Orannum gubernaret, ac defenderet,  
*repta sti per scuta, Puer*. Valentia, vix Adolescens, Regni regimen à Philippo  
Quarto, Patre Prorege virâ functo, sustinuit: eo prudentiæ, & æquitatis  
omine, & plausu, ut superstites in Filio, aut redivas Patris optimi, ideoque  
deploratissimi virtutes, cunctis admirantibus, exhiberes. Litteris subinde,  
& armis æmulâ contentione Iuvenis incubuisti: foedere ut amico acrioris  
Bellonæ Lauris mitiores Musarum Oleas adnecteres: illo, haud dubium,  
pro egregiâ boni Principis indole, perculsus altè nobilissimo lemmate: *ex  
utroque Casar*. Ut verum in Te vno feceris quod fabula fuerat in Pallade, &  
Minerva: vna quidem, hastatâ tamen simul, & togatâ: inimicas vltimum  
animorum dotes eoque complexâ, ut nomine tantum duplex, mutatis  
vicissim agnominibus, *fortis Minerva, Pallasque sapiens*, Numen idem audire  
posset. Te namque qui viderit in locuplete, quam politissime stroxisti,  
Bibliothecâ, subæffivis horis Matheseos, ac Philologiæ libros *nocturnâ  
versare manu, versare diurnâ*; Palladem sapientem appeller: dignum utique,  
quem Carolus Secundus Principatui Cataloniae Proregem suffecerit: Te  
qui in Castris strenuè dimicantem, acies instruentem, ingruentibus periculis  
impavidum, in hostium cuneos imperterritè præcipitem, ad Cataloniae,  
ditionisque Gallicæ confinia primò Chiliarcham, dein summû Equitatus  
Ductorem agnoverit; fortem, & cataphractam Minervam eloquatur:  
dignum, qui Capitaneus Generalis Exercitus Regij communi Militis,  
Indigenæque plausu renuntiatus, belli, pacisque dexteritate pari sedulus  
Administer effulgeas, ad vltiora factus.

Hæc, inquam, Tua, Tuorumque eximia decora, Heros inclytè,  
quod sileam, si quispiam mihi vitio vertat; aut vno Harpocratis digito  
ad compressa labia, aut vno melius verbo facio satis: *ita iubeor*. Quo  
tamen, tuâ id saltem pace dixerim, mihi certè visus es, eadem illâ iniunctâ  
sistens lege, quæ laudatores Tuos facit elingues, maior effectus omni laude,  
quam è Magnitudinis Tuæ fastigio despicias, ipsam vicisse Magnitudinem  
Tuam.

Ad hunc ergo celsitudinis, & gloriæ apicem, quod magniloquis encomijs  
præcluditur aditus; aditum sibi facit Liber iste meus exiguitate suâ: inde,

vii

Horat.  
lib. 4.  
Ode. 8.

Virgil.  
Æneid.  
6.

Horat.  
lib. 1.  
Ode. 11.

Claud.

Claud.

Horat.  
Art.  
Poetic.

ut teor, Magnitudini Tuæ placiturus, quod excelsus cum sis, humilia respicis, dum habes despectui grandia: indidemq; minùs anxie à me Tibi commendandus, quàm Scriptoris alij plerumque consueverunt, ut loculus illi aliquis in sermij elegantis Tui Mutæ, aut saltem inter aliorum clientù supplices libellos, futurus sit. Eò rectà contendit, vbi feracis librorum sæculi fastidium ausus provocare, tutior esse possit ab ictibus invidorum, qui Nomen saltem Excellentiæ Tuæ verebuntur: eòque naturæ veluti ductu, nutuque se fert, quò à me mitteretur, si arbiter esse possem: cum innumera Excellentiæ Tuæ in me beneficia locù præriperint electioni, & fecerint esse necesse quod volupe est.

Nihil tamen minùs, ut finem faciam, quoniam ingenuæ, gratæque indolis esse dicitur, si cui multa debemus, plura debere studeamus; Tibi, cui plurima debeo, debere præterea volui huius Operis tutelam, quod licet quàm meum nullius prærij sit; quàm Tibi, si annuis, magnum erit: ea saltem lege, qua munera tanti sunt, quanti vult esse qui accipit.

Nec Tibi sistitur tunc demùm destinatù, cum ad finem est, umbilicùve perductum; sed eo inchoatù fine, ut Tibi consecraretur, veluti acrothinia, & nostræ specimen Theologiæ: ea dignatione Tuis manibus, & oculis excipiendum, quàm solitus es Authorè supra modum ac meritum honorare: eaque potissimum spe, suæ vix memor exiguitatis, quòd parvum videri haud poterit quod sub magno Excellentiæ Tuæ Nomine lucem videt. Fausta demùm adprecor omnia Excellentiæ Tuæ ad meæ vorù gratitudinis, & observantiæ. E Barcinonensi Collegio Societatis IESV 1. Ianuarij exordientis anni 1687.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

EXCELLENTIÆ TVÆ

Obsequentissimus in Christo servus,

Thomas Muniesca Societatis Iesu.

CARO-


# CAROLUS DE NOYELLE

PRÆPOSITVS GENERALIS SOCIETATIS IESV.



VM Librum, cui titulus: *Dè Essentia, & Attributis Dei*, à Patre Thoma Muniesca nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si ijs ad quos pertinet, ita videbitur: cuius rei gratia has Litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 3. Martij 1686.

Carolus de Noyelle.



IVDICIVM, ET APPROBATIO R. P. FRANCISCI  
Garau Societatis Iesu, olim in Collegio Barcinonen. Primarij  
Theologiæ Professoris, Rectoris Cordellen Collegij,  
S. Officij Qualificatoris, &c.

**L**EGI ex commissione Perillustris Domini Doct. Josephi Romaguera, pro Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. Fr. Benedicto Ignatio de Salazar Episcopo Barcinonen. Vic. Gen. & Offic. &c. censenda, quæ olim addiscenda Discipulus adscribèbam. Is namque Auctor Magister exitit, ut vel Discipulos doceret in Censores. Nec vllus fortassis, quàm Discipulus, aptior tanti censor Magistris; quippe qui sic scribit, ut vel sui Censores, dum legitur, in Discipulos sensim adducat. Equidem, ut verum fatear, Judiciù qualequale acui, quantum potui (neque enim hanc indulgentiæ rem esse credidi, sed Judicij) & dum in libro evolvendo procedo, mutato officio, dum plura edisco, plura dum miror, in Discipulum rursus me arreptum sensi, & laudator. Unde qui Libri censor accesseram, Libri & Auctoris Discipulus, & laudator nò tam recessi, quàm perstiti. Etenim quidni venerer, quidni celebrem Virum, quem publicè utilitatis negotia sic tenent, ut cum vix illis plures sufficere crederes, sic totus ipse illis superest, ut eorum se litteris possit impendere. Denique sic illa agit, & peragit, quasi nunquàm studeret, aut scriberet; & ita studet, & scribit, quasi præterea ageret nihil. Is vir est, cuius planè non est timere sudorem, Senec. lib. 4. Epist. 33. Is planè qui alteri, imò cunctis vivere oportere credit, ut sibi vivat. Idem lib. 6. Epist. 48. quique omnibus insudare putet necesse, non vivere, ut aiebat Pompeius in Plutarco: ad eius scilicet normam, cuius est professione, & labore, qui cum sui vnus esset, factus est omnium. Ad hanc amicum Te composuisti, ut debitorem omnibus Te putares, na-

tus omnibus, imò ad omnia. In Urbe hac atque adèd, & in Provincia Consultor egregius: in Exedra, Orator perfectus; in Cathedra, Magister eximius; de scamno denique utriusque paginae Scriptor clarissimus. O quantus in cunctis, qui tantus in singulis! Vere de Te Seneca 3. Ep. 21. *Studia Te Tua clarum, & nobilem effecerunt.* Adhuc tamen (quod mirabile) assidua Tuum alii lectio Ingenium: & studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit, ut ipse lib. 2. Ep. 45. Quidni iam, quod à tot limpidissimis fontibus selectissima discussione hausisti cunctis diffundas, quod etiã post Te possit esse perpetuò Tuum: namque ut bene ille 3. Ep. 21. *in dies Ingeniorum crescit dignatio: Nec ipsis tantum habetur; sed quidquid illorum memoria adhaesit, excipitur.* Trade facem posteris, quam lucidissimam accendisti; & tradis sanè, maxime in hoc opere Theologico, quod, & post plures Concionarios, & ante plures ex Scholastico pulvere profers: cui par laus ab uno poterat Tuo ingenio, ab vna tua oratione venire: cuius gloria in vno sui Auctoris Ingenio parè habet. *Quorundam scripta, inquit Ingeniorum Cenfor optimus Seneca 8. Ep. 65. clarum tantum habent nomen, cætera exanguia sunt. Instituunt, disputant, cavillantur; non faciunt animum, quia non habent.* At Te qui legerit, dicit: *Vivit, viget, liber est, supra hominem est.* Te spirat, Teque toto plenus, Tuus est totus, & Tu videris in illo. Materia digna Tui est, divina est, imò Deus; nam *viro captare flosculos turpe est.* Sen. 4. Ep. 33. Stylus vividus, fulgens, torosus. Dispositio concinna, dilucida, naturalis. Argumenta in subtilitate clara; in claritate profunda: quæque capiant, quia capiuntur. Placita, non violenta, non coacta; sed libera, spontanea, & quæ vel antiquis placuerint, vel quæ placuissent, si occurrissent. Ais cum Senec. 6. Ep. 45. *Non enim me cuiquam mancipavi: Nullius nomen fero. Multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid credo & meo; nam illi quoque non inventa, sed quaerenda nobis reliquerunt;* & 8. Ep. 65. *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt; sed non peregerunt. Suspiciendi tamen sunt, & ritu Deorum colendi.* Tu ex ipsius monito 6. Ep. 45. *Sic eos legis, sic evolvis, tanquam verum quarens, adhuc, & contumaciter quarens* Quidni enim Inventioni insudetur, cum hoc debeat præstare, vel *omnis Scriba doctus in regno Cælorum* ut proferat *de thesauro suo nova, & vetera,* Matth. 13. 52. Plura enim *poma nova, & vetera* servantur adhuc Deo libanda, vel Sponsa teste Cant. 7. 13. Certè nunquam invenietur, si contenti fuerimus inventis: Seneca 4. Ep. 33. Denique omnia Tua sunt, & Liber hic de Deo Tuus est: hoc mihi fati superque. Perge autem, & de Theologia, imò de Deo plura ediffere, plura scribe, & volumina; etiam in tanta librorum copia, plura emitte in lucem pluribus edocendis; *nunquam enim satis dicitur, quod non satis discitur.* Sen. 3. Ep. 27. Hoc ergo meum esto de Libro iudicium: omnia in eo Fidei, bonisque moribus adèd consonant, ut non solum possit dari præli facultas, quæ expetitur; sed & Authorem ad similes edendos partus esse cogendum. Barcinone in Collegio B. Mariæ, & D. Jacobi de Cordelles Societatis IESU, die 6. Maij 1686.

*Franciscus Garau è Societate IESU.*

8. Maij 1686.  
Imprimatur,  
Romaguera Vic. G. & Offic.

APPROBATIO, ET IUDICIUM R. P. GUALDERICI Rio Societatis Iesu, in Barcinonensi Collegio Primarij Theologiae Professoris, Sancti Officij Qualificatoris, &c.



X commissione Illustrissimi Domini D. D. Olegarij de Monserrat, Archidiaconi maioris, & Canonici Metropolitanæ Tarraconensis Ecclesiae, Regij Consiliarij, & in Cathalonæ Senatu Cancellarij, Judicis Delegati Brevis Apostolici, &c. Vidi Tractatum de *Essentiâ, & Attributis Dei*, cum *Opusculis de Ente Supernaturali, & de Personatibus Provinciae Tarraconensis*, Auctore Adm. R. P. Thomâ Muniessa Societ. Jesu, in hoc Collegio Barcinonensi Primario, & emerito Theologiae Professore, & deinceps eiusdem Collegij Rectore; Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, & pro Diocesi Barcinonensi Examinatore Synodali. Ultra pogredi ad examen Operis indignum planè, & otiosum mihi statim visum est, ubi Auctor innotuit, cum nesciat, omnium suffragijs Sapientum, quidquam mediocre cogitare, nec, nisi perfectum vni-dique, efficere. Num generent Aquilæ columbas? Aquilæ partus est? Desine inquirere. Aquilina, & generosa num Proles non sit? crimen foret, vel cura ipsa indagandi. Hinc exploratum mihi est, dignitatem Operis ab eo solo exæquandam, qui illud æstimer tanquam gloriosum specimen eius doctrinæ, ad quam pertingere possint, si in unum egregiè conveniant, ingenij vivacitas, iudicij maturitas, & pertinax, infractusque labor annosæ studiositatis: Autor enim est ingeniosè vivax, maturè iudicans, infractè studiosus. Nec aliter fecisset satis ingenti de se olim conceptæ spei, cum in hoc Collegio primariam publicè Theologiam traderet; bonâ mihi tunc forte contigit eius avidum Auditorem esse (nec diffitebor, etiam tunc mihi fuisse in gloriam, quòd tanti Magistri doctrinam ut præcellentem studiosè in me imprimerem; impressamque pro viribus nervosè defenderim, ipso Auctore patrocinate, & ut moris eius ingenui est, annuente, & applaudente) quo plenior fidem obligare possem, plausuum non vulgarium, quibus Theatra vel ingeniosam arguentis dexteritatem, vel soliditatem respondentis imperturbabilem semper excipiebant. Jam eius tunc manuscripta terebantur manibus doctissimorum hominum: cum non modò Barcinonenses, nec pauci, nec minus celebres; sed ex Cæsaraugustanâ etiam, & Valentinâ, imò & Salmantinâ, alijsque Academijs Cathedratici, & ex multis religiosis Ordinibus præstantissimi Magistri hæc Scripta laudabili aviditate conquirerent, expeterent, legerent, ut summè, licet nunquam satis, commendarent. Quodsi aliquibus non arriserint, fortè non tam doctrinæ tribuendum, quam aliorum applausui meritis: patimur, scilicet, multum humaniz nec mirandum, quòd non rarè in humanissimum æmulationis scopulum incidamus. Qui non gravatis oculis scripta perlustrabant, annuebant ingenuè; siquidem Thesauros, quâ in his Tractatibus aperiri novos, quâ ipsos veteres pretiosiores reddi, non sine avarâ nimis Scientiarum usurâ ediscebant, & ediscere fatebantur, laude non exiguâ; licet iustissimâ: nefas enim est Magistros, per quos profeceris, non laudare. Et quidem Tractatus isti eam sibi fortunam fecerunt, cum illorum singuli stato unius anni curriculo circumscripti, nec fœcundam Autoris mentem sustinere, nec doctrinam plenè capere possent. Nunc verò quem sibi locum ven-

dicabunt in exultatione Sapientum; cum totos triginta annos, in hunc maxime scopum collimaverit Autor, ut hæc scripta poliret, ac novis semper tum Recentium Scriptorum, tum præcipue priorum discursuum accessibus, & locupletaret, & firmissime communiret? Habebit discendi cupidus in hoc Tomo, sicut & in alijs (quos prælo Autoris studium indefessum diligentissime parat) Scholasticas Theologiæ controversias pro dignitate discussas, aptissimâ materiæ distributione; stylo gravi, scholastico, perspicuo, præcipuâ claritatis curâ facile adhibitâ, ubi arcana profundiora versantur. Laudabunt omnes acre iudicium, & ponderosum in opinionum delectu; in illarum fundamentis soliditatem, in rationibus energiam, in omnibus eruditionem plenissimam, ingenium sublime, & Magisterium sceleriter consummatum. Tantum abest, ut in hoc Tomo aliquid, aut Fidei, & bonis moribus dissonum; aut Regijs iuribus absonum reperiatur. Ita censeo. In hoc Collegio Betlehemitico Barcinonensi, die 2. Maij, anno 1686.

Gualdericus Rio.

14. Maij 1686.

Imprimatur,

Monserrat Cancellarius.

RATIO

# RATIO SCRIPTIONIS AD STUDIOSES.



OLVO, Deo Auspice, fidem, quam in vestibulo mearum, quas primò edidi, Concionum Hispanicarum (spòte dedi, aliquas meæ Theologiæ elucubrations evulgandi. Non quòd tenuitatis meæ conscius satis non sim; sed quòd nò omninò diffiderim aliquid me studio haud mediocri annorum circiter quadraginta ex optimis libris, Magistris, Commagistris, etiam & ex Discipulis, in Scholaribus exercitamentis proficere potuisse, illiusq; iuris fieri non omnino exsortem, quo senex arrogabat sibi Seneca: *Est & mihi ius censendi.*

Senec. de vit. bea. cap. 3.

Principiò animus erat excurrere, quòd facilius multò foret, per selectas aliquas disputationes, quibus elaborandis impensius incubueram, intermissis minutioribus, in quibus vix quidquam fit præter rescribere, vel aliter rescribere quæ apud omnes leguntur. Duplici tamen de causa curavi consilium: cum edoctus experimèto, in iis minutioribus, quæ facile dicuntur à multis sub aliorum fide, maiorem sæpè sapius operam, ut ad rationis amussim explorentur, esse per necessariam: tum ut per continuam difficultatum seriem aliquod rectæ methodi specimen exhiberem, ea in Tractatus suos Theologicos ordinatim cōcinnando, quæ, ut evenit non rarò, minus diggestè discipulis tradita, molestiam ad nauseam usque facessere necesse est. Id quòd per dissolutas sparsim eventilationes præstare non possem, cum sit inter partes optimi Magistri minimè postrema. Quod si propterea nonnulla in aliorum scriptis passim obvia recudenda veniunt, præstò sit magnus Augustinus: *Utile est plures libros à pluribus diverso stylo etiam de eisdem questionibus fieri.*

August. de Trin.

Authorem nullum aut vindicandum, aut impugnandum ex professo suscepi. Omnibus debitor sum, omniumque me discipulum venerabundè profiteor: dummodò, pro me Augustinus, non ideò *verum putem quia ipsi senserunt, sed quia mihi, vel per Authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Cum in omnibus non omnia placeant, nollem ex generali proposito aliquem studiosius refutandi, vel defendendi, sensim induci ad offendendam, vel in minimo veritatem, cui semotis hinc inde sinistris affectionibus adstudeo.

August. Epist. 19.



studeo. Quocirca, ut verum ingenue fatear, mihi aliquatenus suspecti sunt, qui in id insudant plus nimio intenti, ut nihil usquam dixerit alienum à veritate suus Author altoquin fallibilis; aut è diverso contrarius in omnibus deviasse videatur. *Non omnia possumus*, aut paulo aliter, non omnia novimus *omnes*.

Virgil.

Horat.  
l. 3. Od. 1.  
Seneca de  
vit. beat.  
cap. 1.

*Odi prophanum vulgus*, & arceo: absit verbis invidia. Ne, quod acriter perstrinxit Seneca, *pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non quæ eundem, sed quæ itur: optima rati, quæ magno assensu recepta sunt*. Arcere cuperem à meis scriptis, & ab omnium mentibus, abusiones terminorum, quibus infici doleo limpidiores doctrinas à non paucis è vulgo scholastico: qui, minus penetrantes probum sensum, quo primores Theologi, ac Philosophi multas voces ad usum scholarum explicationis causâ introductas protulerunt; in sensus sensim abeunt ut plurimum reprobos, eas, ut auribus sonant, usurpantes, prorsus immemores nuclei sub cortice latentis. Pares sunt venatico cani, qui, ut est in fabulis, umbram avidè captaturus prædæ, quam dente premebat, diducto hiatu, dimittens prædam in præterfluentem amnem, utriusque frustratus miserè indoluit: aut certè non absimiles imperitis spectatoribus ludi chartarum, qui audientes acria iurgia ludentium pro fragmentis papiraceis (*Tantos Hispani vocant*) quibus monetas adumbrant; contentione postmodum simili decertarent pro evanidis illis frustulis frustra sibi congerendis, prorsus inscij quid sub illorum significatione delituerit: quasi periti lusores pro vilibus illis frustis, quæ contemptim discernunt absoluto ludo, contendissent; & non potius pro monetâ, vtili conventionem collusoribus significatâ.

Deprehendent forsitan Auditores quondam mei, interdum me quadantenus recessisse vel ex toto, vel ex parte, ab ijs, quæ è suggestu calamis exceperunt: id quod vltro fateri non vereor. Quinimò miserum profecto iudicarem, nihil à diuturno studio, nihil etiam à doctissimis impugnatoribus didicisse. Quippe neque eo sum ingenio, ut pudeat aliqua me per vltiorem indaginem reperisse, quæ vel aliter adstruere, vel aliquo modo moderari, vel etiam retractare oportuerit: neque eorum sum de numero, de quibus Tullius: *primum ante tenentur adstricti, quàm quid esse optimum iudicare potuerunt: & obsequenti amico cuidam, aut alicuius, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicant, & ad quamcumque disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquàm ad saxum adherescunt*. Quippe dictis mordicè adherent, quia semel dixerunt, quasi nescij, aut impotes mutare consilium; & doctiores effecti in ijs quoquo modo defendendis improbo labore persistunt, quæ minus docti immaturius protulerunt. Vnius enim Dei est: *Ego Do-*

mi-

*minus, & non mutor; aliorum verò quorumcumque: audiens sapiens, & sa pientior erit.*

Mat. 23.  
Prover. 1.

Ratione ut plurimum utor, quia rationalis sum: nixâ tamen venerabili autoritate sacrarum Scripturarum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, & sum morum Theologorum; quia Theologû, & cum Theologis ago, & locis Theologicis insistere gaudeo, ipsique rationi valde consentaneum iudico. Liceat in id insignis Iuriconsulti pro re sua animositatem adducere, iusto tamen interiecto discrimine à Theologis: qui dum sacra versamus ambulantes in mirabilibus super nos, arctioris sumus observantiæ principiorum, unde theologizari intra statos Orthodoxiæ, & Orthologiæ cancellos obstringimur. *Nec enim, inquit, sum ego cumulator Interpretum, qui meo iudicio omnium ignobilissimus est labor, sed Interpretes etiam ipse, quantum pro ingenioli mei tenuitate licet: parumque abest, ut malim esse malus Interpretes, quam malorum congestor, & approbator*. Hæc ille: qui pro subiecta sibi materie loqui potuit prælicentiùs. Nobis integrum non est ita liberè aut loqui, aut sentire. Cæterùm non nihil de nostro solidè conari, à Fidei regulis Sanctorumque Patrum vestigijs non exorbitans, veræ non derogat humilitati: quam equidem amo magnanimam, ne in pusillanimitatis extremum vitiosè degeneret, iuxta Siracidis monitum, interprete Rabano apud Cornelium: *Noli esse humilis in sapientiâ tuâ, ne forte humiliatus in stulticiam seducaris*.

Ant. Fab.  
Deca. 48.  
error. 6.

Ecclesi. 11?  
Rab. apud  
Alap. ibi.

Recentiorum acumina, dummodò aërea non sint, nec limites solidæ doctrinæ prætergressa, laudo, magnique facio: cum certum nobis, si sapiamus, esse debeat, antiquiorum ingenia, non sic thesauros infinite sapientiæ penitus exhaustisse, ut nihil vltius scibile posterorum studiositari reliquerint. Nova, siquæ sunt post effatum Sapientis, *nihil sub sole novum*, nec exambio, nec exsibilo. Nec quia nova placent, nec quia nova displicent: tam nova, quam vetera non nisi quia vera placere debent; nec displicere, nisi quia falsa. Vidi non semel severos, qui se iactant novitatum olores, quibus tamen, si leviusculum quidquam affulserit, quod novum ipsis accidat, sibi plaudunt gloriosius, quàm par est. Hi profectò facto suo se satis produnt, non aliunde pertætos nova, nisi quia non sua. Verùm *charitas non emulatur, non agit perperam, non querit quæ sua sunt; congaudet autem veritati*. Verè Veritas ipsa Scriptorem doctû similem voluit homini, *qui profert de thesauro suo nova, & vetera*.

Ecclesi. 1?

1. Cor. 13.  
Matt. 13.

Digressiones crebras, & diffusas ad difficultates philosophicas, vel ad alias etiam theologicas, à constituto disputationis scopo remotiores, fastidire consuevi: quia confusionem pariunt, dum alia alijs ex inordinato pruritu per omnia vndecumque prolixius excurrendi commiscunt. In his præsertim de Divinis Attributis Disputationibus gra-

dum

Cicero  
Acad. 99.  
lib. 2. aliis  
4.



# INDEX DISPUTATIONVM ET SECTIONVM.

dum facere possem minus violentum ad complures alias vniversæ Theologiæ speculativæ: quibus tamen parcere satius iudicavi: cum specialem locum obtinuerint à Theologis in celebrioribus suis Tractatibus, in quorum melle abstinui mittere falcem: illius vtique moniti memor: *Age quod agis, iuxta sacri Sapientis eloquium: Omnia tempus habent: subiungere liceat: & locum.*

*Eccles. 3.*

Impugnatores doctos amo, & cupio: eo præsertim in vectos elucidandæ veritatis studio, quo alios impugnare aggressus sum in ijs, quæ falsa, & impugnatione digna iudicavi: ut mutuò collatis, & excussis vltro citroque rationum momentis, & ingeniorum viribus, veritas elucescat: haud secus, ac *semina flammæ abstrusa in venis silicis* per iteratam ictibus collisionem scintillant, & emicant. Tamen, ne dedocendi avidius quàm docendi cura mihi fuisse videatur, minus de aliorum impugnatione sollicitus, assertivam potius Theologiam tradendam susceperim. De cætero per me *vnusquisque in suo sensu abundet.*

*Virgil. Aen. 6.*

*Roma. 14.*

Notare Theologicis qualitatibus aliorum opiniones meum in præsentem non est. Ad summum refero nonnunquam aliorum me doctiorum censuras: ut à doctrinis, aliquorum iudicio sic notatis, sibi caveat quicumque velit, securitatis cautiùs amans. Me quidem, Scripta quæ mea, ad minimum vsque Iora, non modò Ecclesiæ sanctæ Dei, & Superiorum quacumque Prælatione fulgentium; sed quorumcumque etiam sapientum iudicio libens, lubensque submitto.

Nec plura pro anteloquio ad Lectores, quos totus Liber adloquitur. Pro me tandem appositè Elegiographus:

*Et veniam pro laude peto: laudatus abundè,  
Non fastiditus si tibi, Lector, ero.*

*Ovidius.*

## INDEX

DISPUTATIO I. <i>De Notitia existentia Dei.</i> Pag. 1.	repugnet esse Ens à se. 24.
Sect. I. <b>D</b> EÛ existere certò novimus divinâ Fide. Pag. 2.	DISPUTATIO. <i>De Infinitudine, &amp; Perfectione Dei.</i> 27.
Sect. II. Deum existere evidenter notum est naturali ratione. 4.	Sect. I. Explicantur Dei Infinitudo, & Perfectio excogitabilium maxima. 27.
Sect. III. Demonstrationes de existentia Dei. 5.	Sect. II. An, & quænam Infinitudo sit de conceptu Essentiæ Dei, & singulorum Attributorum. 29.
Sect. IV. An Deum existere sit per se notum. 7.	Sect. III. Adstruitur Infinitudo formalis simpliciter in omni genere singulis Perfectionibus Divinis. 31.
Sect. V. An Deum existere possit invincibiliter ignorari. 9.	Sect. IV. An in Deo non solum Absoluta, & Necessaria; sed etiam Relativa, & Libera, sint speciales Perfectiones? 34.
Sect. VI. An etiam, & quomodo sit nobis notum Deum esse unū. 11.	Sect. V. Obiectiones cõtra speciales Perfectiones Relativorū Dei. 36.
DISPUTATIO II. <i>De Existentia Dei Entis à se, comparatâ ad eius Essentiam.</i> 13.	Sect. VI. Obiectiones contra speciales Perfectiones Liberiorū Dei. 38.
Sect. I. Qualiter Deus à differentiâ creaturarum sit Ens, seu Existens per Essentiam. 13.	Sect. VII. An Dei Perfectiones, prout invicem, ratione, virtualiter, aut realiter condistinctæ, sint formaliter æquales. 40.
Sect. II. An existere per Essentiam, seu esse Ens necessarium sit solius omninò Dei. 16.	Sect. VIII. Trium Authorum trina obiectio contra formalem æqualitatē Divinarū Perfectionū. 42.
Sect. III. Quomodo existentia, seu actualitas essendi, distinguatur, aut includatur à conceptu Essentiæ metaphysicæ Dei. 20.	Sect. IX. Quænam Dei Perfectiones sint infinitè simplices? Quænam simpliciter simplices? 47.
Sect. IV. Qualiter Deo, Enti per essentiam existenti, conveniat, vel	§§§ Sect.

Seçt. X. An, & qua ratione contineat  
Divina Perfectio Perfectiones  
omnes omnes creaturarum. 47.  
Seçt. XI. An complexum ex Deo, &  
creaturâ sit quid magis, aut mi-  
nùs perfectum solo Deo. 49.

DISPVTATIO IV.

*De vita Dei.* 52.

Seçt. I. Quomodo, & quibus Dei Per-  
fectionibus conveniat ratio vitæ,  
& viventis. 52.

Seçt. II. An Deus sit vivens per mo-  
dum actûs primi, & secundi rea-  
lis formalis? 55.

Seçt. III. Vita Divina absoluta intel-  
lectiva, & volitiva non est per  
modum actûs primi, & secundi  
realis formalis. 55.

Seçt. IV. An Deus sit vivens intelle-  
ctivè per modum actûs primi, &  
secundi virtualis? 58.

Seçt. V. Obiectiones pro actû primo  
& secundo virtualibus intelligen-  
di. 60.

Seçt. VI. An Deus sit vivens voliti-  
vè, præsertim liberè per modum  
actûs primi, & secundi virtualiû  
volendi. 64.

Seçt. VII. Obiectiones pro actû pri-  
mo, & secundo virtualibus liberè  
volendi. 65.

Seçt. VIII. An Deus sit vivens intel-  
lectivè, aut volitivè per modum  
actûs primi, & secundi saltem for-  
malis ratione nostrâ. 67.

Seçt. IX. Vivit Deus vitam intel-  
lectivam, & volitivam omnino pu-  
rissimam, omnis actûs primi, &  
secundi unde quaque expertè. 70.

DISPVTATIO V.

*De Essentia, siue Natura Dei.* 13.

Seçt. I. Quibusdam notatis, proponi-  
tur difficultas, & varietas senten-  
tiarum in assignanda Essentia  
Dei. 73.

Seçt. II. An, & in quo sensu concep-  
tus Entis à se, aut Infiniri, aut Ne-  
cessarii, sufficiens sit ad constituē-  
dam Essentiam Metaphysicam  
Dei. 76.

Seçt. III. Intellectivitas, siue Intelle-  
ctio non est potius Essentia me-  
taphysica Deitatis, quàm volun-  
tas, & volitio. 77.

Seçt. IV. Intellectus, seu voluntas nō  
sunt potius de Essentia Dei, quàm  
Omnipotentia, Sanctitas, Æter-  
nitas, & alia Attributa. 82.

Seçt. V. Præmittitur, & defenditur  
sententia communis circa Essen-  
tiam physicam Dei. 85.

Seçt. VI. Statuitur, & assignatur  
conceptus Essentiæ metaphysi-  
cæ Dei per complexum Attribu-  
torum ad mentem P. Suarez. 88.

Seçt. VII. Obiectiones. 92.

Seçt. VIII. Aliæ duæ obiectiones. 97.

DISPVTATIO VI.

*De Subsistentia Dei.* 97.

Seçt. I. Exploratis vocibus, & statutis  
in Deo tribus subsistentijs Rela-  
tivis, instituitur quæstio de Ab-  
soluta. 98.

Seçt. II. Referuntur duæ sententiæ  
extremè oppositæ: & indicatur  
ex principiis Theologicis munus,  
& conceptus Subsistentiæ. 99.  
Seçt.

DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM.

Seçt. III. Non dari in Deo Subsisten-  
tiam Absolutû convincitur Au-  
thoritate, & ratione Theologi-  
ca. 102.

Seçt. IV. Disputatur impensius ex  
consideratione, & examine effe-  
ctûs, & conceptûs formalis subsi-  
stentiæ. 104.

Seçt. V. Urgetur præcedens argumē-  
tatio, dissipatâ multiplici respon-  
sione. 107.

Seçt. VI. Argumenta pro Subsisten-  
tia absoluta cum responsionibus  
nostris. 111.

Seçt. VII. Reliqua argumenta cum  
reliquis responsionibus. 114.

DISPVTATIO VII.

*Generatim de Attributis Dei.* 118.

Seçt. I. Quid sit in Deo Attribu-  
tum, & quotupliciter soleat usur-  
pari. 118.

Seçt. II. De Emanatione Attributo-  
rum. 121.

Seçt. III. De inclusione Attributo-  
rum. 125.

Seçt. IV. De Distinctione Attribu-  
torum. 128.

Seçt. V. Prima conclusio contra Di-  
stinctionem formalem ex natura  
rei. 131.

Seçt. VI. Occurritur novis conatibus  
Magistri Lumbier pro distinctio-  
ne ex natura rei. 133.

Seçt. VII. Secunda conclusio pro Di-  
stinctione virtuali inter Absolu-  
ta, & Relativa Dei. 135.

Seçt. VIII. Obiectiones. 139.

Seçt. IX. Aliæ obiectiones contra  
distinctionem virtualem diluan-  
tur. 141.

Seçt. X. Tertia conclusio circa di-  
stinctionem, seu præcisionem ob-  
iectivam Divinorum virtualiter  
distinctorum. 145.

Seçt. XI. Quomodo distinguantur  
inter se formalitates, seu eminenti-  
tiæ eiusdem Attributi. 148.

Seçt. XII. De Transcendentia Attri-  
butorum, aliorumque prædicato-  
rum Dei. 151.

Seçt. XIII. De Prædicatione Attri-  
butorum. 155.

DISPVTATIO VIII.

*De Scientia, & Voluntate Dei.* 157.

Seçt. I. Quomodo distinguatur invi-  
cem Attributa scientiæ, & Volun-  
tatis Dei, siue intellecto, & voli-  
tio. 157.

Seçt. II. Alia obiectio pro distinctio-  
ne virtuali Intellectionis, & Vo-  
litionis ex ratione verbi, & Filii  
Divini. 158.

Seçt. III. Vera, & solida ratio Divinæ  
Filiationis seorsim omninò à di-  
stinctione virtuali Attributorum  
scientiæ, & voluntatis. 161.

Seçt. IV. Quomodo scientiæ, & vo-  
litionis Dei, liberæ, seu contingē-  
tes, distigantur inter se. 165.

Seçt. V. An prædicata libera Dei, seu  
scientiæ, & voluntatis distinguan-  
tur virtualiter à necessariis. 170.

DISPVTATIO IX.

*De Omnipotentia Dei.* 175.

Seçt. I. Quid sit? Ad quem terminû  
sit? & quam proprium Dei sit  
Attri-  
§§§ 2

Attributū Omnipotentia? 176.  
 Sect. II. An, & quomodo Omnipotentia distinguatur ab aliis Dei Attributis, & Perfectionibus; præsertim ab intellectu, & voluntione. 178.  
 Sect. III. An Omnipotentia intrinsecè, absolutè, & secundum se, sit ad sola possibilìa; an etiã ad impossibilìa, si fieret possibilìa. 180.  
 Sect. IV. An Omnipotentia sit essentialiter connexa cum creaturis possibilibus, seu cum possibilitate creaturarum. 285.  
 Sect. V. Ex reliquarum obiectionum solutione præcedentes doctrinæ solidantur, & elucidantur. 188.  
 Sect. VI. An Omnipotentia Dei possit facere quòd præterita non fuerint? 194.  
 Sect. VII. An ab Omnipotentia Dei minori influxu physico pendeat effectus creati in conservari, quã in primò produci. 196.  
 Sect. VIII. An, & in quo sensu Theologico creare sit ita proprium solius Omnipotentia, ut nulli creaturæ convenire possit. 201.  
 Sect. IX. Quomodo Divina Omnipotentia applicetur præparativè in actu primo ad operationes creatas? 202.  
 Sect. X. Communior nostratum opinio exagitur. 203.  
 Sect. XI. Recens Iuniorum excogitatio discutitur. 208.  
 Sect. XII. Nostri iudicium quatuor conclusionibus expositum. 211.  
 Sect. XIII. Obiectionum solutione iudicium nostrum magis declaratur, & defenditur. 213.

DISPUTATIO X.

*De Iustitia Dei.* 220.

Sect. I. An Deus sit propriè Iustus iustitiã legali, seu Legislativã, Distributivã, & Vindicativã, seu Punitivã. 220.  
 Sect. II. An Deus sit propriè Iustus iustitiã rigorosè commutativã, illam strictè exercens erga creaturas. 222.  
 Sect. III. Illustratur, & fulcitur præcedens doctrina contra limitationem Patris Ripaldæ. 224.  
 Sect. IV. Præcipuæ obiectionis expeditione commutativa Dei Iustitia constabatur. 226.

DISPUTATIO XI.

*De Misericordia, & Benignitate Dei.* 223.

Sect. I. Quid sit specialis Misericordiæ virtus. 233.  
 Sect. II. An in Deo sit propriè, & strictè Misericordia? 235.  
 Sect. III. Quo sensu verum sit, quòd miserationes Dei sunt super omnia opera eius: & quòd omnes viæ Dñi Misericordia, & Veritas. 236.  
 Sect. IV. Cuiusnam mali sublevatio sit scopus Misericordiæ. 237.  
 Sect. V. De Benignitate Dei, eiusque discrimine à Misericordia, Clementia, & Mansuetudine. 238.

DISPUTATIO XII.

*De Immensitate Dei.* 240.

Sect. I. Quid sit Immensitas? Quid addat ad ubiuitatem? & an ritè argua-

arguatur ubiuitas ab operatione? 240.  
 Sect. II. An Deus ratione suæ Immensitatis sit extra cælos in spatiis imaginariis, ab omni, ut aiunt, positivo distinctis. 242.  
 Sect. III. Sedantur aliqui scrupuli contra præcedentes nostras doctrinas suborti. 247.  
 Sect. IV. An Attributum Immensitatis sit prædicatum transcendens? Quomodo ab aliis distinctum? Quam Dei proprium? 248.

DISPUTATIO XIII.

*De Æternitate Dei.* 250.

Sect. I. Statuitur, & constituitur Dei Æternitas, & tempus imaginatum destituitur. 250.  
 Sect. II. Quomodo Dei Æternitas sit tota simul: ideoque creaturæ futuræ sint illi semper realiter, & physicè præsentis. 252.  
 Sect. III. Nostra conclusio contra realem physicam præsentiam futurorum simul in Æternitate Dei, quamvis totã simul. 255.  
 Sect. IV. Fit satis authoritatibus in oppositum: & mens S. Thomæ dilucidatur. 258.  
 Sect. V. Fit satis rationibus, & nonnullis æquivocationibus vulgaribus. 262.  
 Sect. VI. Ultima obiectio: ubi an respectu Dei sint res creatæ præteritæ, & futuræ? 264.  
 Sect. VII. An decreta Dei realiter æterna sint virtualiter futura respectu necessariorum Dei? 266.  
 Sect. VII. Respondetur ad rationes

contrarias. 268.  
 Sect. IX. Quam si solius Dei propriū Attributum Æternitatis: & an possit alicui creaturæ divinitus convenire. 270.  
 Sect. X. Celebris obiectio. 271.

DISPUTATIO XIV.

*De Immutabilitate, & Immortalitate Dei.* 275.

Sect. I. Explicatur quadruplex Dei immutabilitas opposita totuplici mutationi. 275.  
 Sect. II. Specialis difficultas contra immutabilitatem Dei intentionalem, sumpta ex parte Divini intellectus quoad aliquas notitias. 277.  
 Sect. III. Difficultas altera contra Immutabilitatem Dei intentionalem, seu moralem, sumpta ex parte Divinæ voluntatis quoad aliquos affectus. 280.  
 Sect. IV. Respondetur solidius ad difficultatem. 281.  
 Sect. V. Obiectiones. 283.  
 Sect. VI. De Immortalitate Dei. 285.

DISPUTATIO XV.

*De Simplicitate Dei.* 287.

Sect. I. Explicatã multiplici compositione reali, statuitur realis Dei simplicitas, tam passivè, quam activè sumpta. 287.  
 Sect. II. An Divinæ simplicitati repugnat compositio etiam virtualis. 289.  
 Sect. III. An Divinæ simplicitati repugnet compositio rationis ex gene-

INDEX

genere, & differentia? 290.	Seçt. I. De Invisibilitate, & ineffabilitate: vbi de Nominibus Dei. 301.
Seçt. IV. Quâ ratione Dei simplicitas exigit, quòd Deus sit actus purus. 293.	Seçt. II. De Incomprehensibilitate Dei. 304.
DISPVATIO XVI.	Seçt. III. Exponitur ex dictis Attributum Divinæ Incomprehensibilitatis. 306.
<i>De Unitate, Veritate, Bonitate, &amp; Sanctitate Dei.</i> 294.	Seçt. IV. Occasione gravis objectionis, superiores doctrinæ communiuntur, & collustrantur. 309.
Seçt. I. De Unitate Dei. 294.	Seçt. V. Aliæ objectiones cū nostris solutionibus in id ipsum. 313.
Seçt. II. De Veritate Dei. 296.	Seçt. VI. Postrema obiectio: vbi an ex cognitione creatâ omnium possibilium arguatur quidquam contra Dogma divinæ Incomprehensibilitatis. 317.
Seçt. III. De Bonitate Dei. 296.	
Seçt. IV. De Sanctitate Dei: vbi iterum de æqualitate divinarum perfectionum. 297.	
DISPVATIO XVII.	
<i>De Invisibilitate, Ineffabilitate, &amp; Incomprehensibilitate Dei.</i> 301.	

APPENDIX

DE SUPERNATURALITATE ENTIS DIVINI.

DISPVATIO XVIII.	Seçt. VI. Quid sit constitutivè, & ens supernaturale, supra Naturam Theologicè sumptam extollendum. 336.
<i>De Ente Supernaturale in genere.</i> 323.	Seçt. VII. Sententiæ Patris Ripaldæ, & aliorum. 337.
Seçt. I. Quid veniat Theologicè nomine Naturæ, quam entia supernaturalia superare dicuntur. 324.	Seçt. VIII. Nostrum iudicium circa conceptum constitutivum entis supernaturalis in genere. 339.
Seçt. II. Sensus plausibilis Patris Ripaldæ seorsim examinatur, & reicitur. 325.	Seçt. IX. Obiectiones. 341.
Seçt. III. Noster sensus à ratione, ab authoritate SS. Patrum, & à communi Theologorum iudicio cõprobat. 327.	Seçt. X. Quâ ratione, quovè excessu debeat, Ens supernaturale superare naturam. 344.
Seçt. IV. An possibilis sit substantia entitativa creata supernaturalis: cui nempe debira forent Gratia, aut Visionis beatificæ dona. 329.	Seçt. XI. An supernaturalia superent naturam connexion. Vbi de cõnexionem potentię obediens cū effectibus supernaturalibus. 346.
Seçt. V. Obiectiones, pro substantiâ creatâ entitativâ supernaturali institutæ, diluuntur. 333.	Seçt. XII. An supernaturalia debeant superare naturam quoad evidentem cognoscibilitatem. 348.

Seçt.


DISPVATIONVM, ET SECTIONVM.

Seçt. XIII. An, & quomodo Deus sit ens supernaturale: & an secundū omnes eius perfectiones, & Attribute supernaturalis sit. 351.	quæ est dos Personatus, nondum creato ex illa cõsuali, aut alio reddito, constituentur tam Personatus ad effectū permutationis. 370.
Recollectio precatória P. Leonardi Lessij. 353.	Seçt. XI. Altera cõclusio resolutoria circa propositam difficultatē. 372.

DISPVATIO SINGVLARIS.

<i>De Personatibus Provincia Tarraconensis.</i> 357.	Seçt. XII. Quam peccati speciem incurrant qui pecuniam numeratâ depositam in Bancho causâ fundationis redditum pro Personatu dolosè extrahunt, & consumunt. 375.
Seçt. I. Textus Constitutionis Tarraconensis in sex clausulas distributus. 358.	Seçt. XIII. An pactiones anticipatæ de fundando Personatu, ut permuetur cum alio Beneficio, sine licitæ, an simoniacæ? 376.
Seçt. II. Quid sint eiusmodi Personatus? cur sic vocentur? & an laudabiliter promoveatur eorum consuetudo. 358.	Seçt. XIV. Respondetur ad aliquos Textus Iuris Canonici, & concluditur vera resolutio. 379.
Seçt. III. Quid veniat nomine causæ piæ, in quam converti debent, aut possunt Personatus Tarraconenses. 360.	Seçt. XV. An pro Coadiutorijs, si interveniat conventio de Personatu, debeant exponi Pontifici, qualitas huius Beneficij exorbitantis à iure Communi. 380.
Seçt. IV. An opus piū, in quod post aliquot Personatariorum vitas convertitur Personatus, debeat esse perpetuum. 363.	Seçt. XVI. An in fundatione Personatus liceat conditio, quòd eius Dos, seu extingui possit. 381.
Seçt. V. An dicti Personatus Tarraconenses sint propriè, rectèq; appellentur Beneficia Ecclesiastica. 365.	Seçt. XVII. An liceat cõditio, quòd subsequens Possessor Personatus possit illum convertere in opera pia, quæ voluerit, aut deincep variare pro libito. 382.
Seçt. VI. An huiusmodi Personatus importent onus recitandi Horas Canonicas. 367.	Seçt. XVIII. An liceat cõditio, quòd Personatus à primo, vel secundo, vel tertio Possessore convertatur in Beneficium Iuris communis: sive in alium Personatum. 382.
Seçt. VII. An huiusmodi Personatus sint titulus aptus, quo possint Personatarii in Sacris ordinari. 369.	Seçt. XIX. An liceat conditio, quòd Personatus sit ad liberam dispositionem secundi, vel tertij Possessoris, & quomodo? 383.
Seçt. VIII. An eiusmodi Personatus afferant privilegia Fori, & Canonis, & exemptionis à gabellis. 369.	Seçt.
Seçt. IX. An eiusmodi Personatus sint Beneficia sæcularia, an regularia, an mixta? 369.	
Seçt. X. An depositâ tutò pecuniâ,	

Sect. XX. An liceat conditio, quod pro certis casibus in ipsa fundatione conferatur Personatus varijs successoribus? 384.	tuanter? 385.
Sect. XXI. An nominatio ultimi Personatarij facta in duos simul ad medietatem sit nulla, & devolvatur Personatus in causam ipsam. 384.	Sect. XXIII. An opus psum, in quod post aliquot vitas convertitur Personatus, sit materia Simonie. 386.
Sect. XXII. An contractus, quo permutantes privatim paciscuntur, quod vnus solvat expensas Curie, sit Simonia. Et quid de permutationibus, Dote consistente in pecunia numeratâ nondum reddi-	Sect. XXIV. resolutio bipartita. 389
	Sect. XXV. Pœnæ contra prædictas Simonias. 390.
	Sect. XXVI. Methodus curandi Simoniacos animi morbos. 392.
	Sect. XXVII. Paradigma Institutionum, & Permutationum Personatum Provincie Tarraconensis. 394.
	Animadversio obiurgatoria P. Theophili Raynaudi. 399.



*Lapsus Typographicos alicuius momenti præpono Operi potius, quam postpono: ut Lector diligens, eos prius calamo corrigere dignatus, possit postea decurrere inoffenso pede.*

Pag. Col. Lin.	Lapsus.	Scribe.	Pag. Col. Lin.	Lapsus.	Scribe.
11	2 29	Deum esse.	100	2 35	substantias
12	1 7	num. 37.	104	1 10	ex modo
12	2 55	disp. 15.	113	1 38	pendentium
18	2 26	quoq	120	1 14	sec. 10.
19	1 25	17. 52.	122	1 35	quin
20	2 30	non	125	2 9	sec. 11.
29	1 30	disp. 14.	156	1 20	prædicatione
31	1 2	quomodo a do	173	1 22	Natura est comu- Paternitas est Na
		quomodo			nis tribus tura
38	2 24	solus	177	1 22	debilem
40	2 5	disp. 14.	193	1 42	impossibilitatē.
48	2 3	num. 81	196	1 8	ut
49	2 55	90.	206	2 37	effectum
53	1 52	naturalis	211	1 22	num. 172.
54	1 12	sine quo	215	1 47	Dei
55	1 25	virtuali	227	1 54	iniustitiæ
61	2 43	imprimit	239	2 22	si,
72	2 26	num. 84.	279	1 43	verificationade.
72	2 38	accipientis	301	1 22	speciem
85	1 55	sic	318	2 52	articuli
95	1 7	miseri	332	2 55	essent
98	2 39	substantiam	348	1 48	ipsorum
69	1 6	Personalitatē	371	2 32	dotem
		nō personalitatē			nondum

R. P.



R. P.

# THOMÆ MUNIESSA SOCIETATIS JESV,

DISPUTATIONES SCHOLASTICÆ  
DE  
ESSENTIA, ET ATTRIBUTIS DEI IN COMMUNI, ET PARTICVLARI  
ET DE

ENTE SVPERNATVRALI IN GENERE!

CVM

APPENDICE MORALI DE PERSONATIBVS PROVINCIÆ TARRACONENSIS.

## DISPUTATIO I.

DE

NOTITIA EXISTENTIÆ DEI.



*IN* *MNES* Latina lingua scios, cum aures sonus iste vocabuli, Deus, tetigerit, movet ad cogitandum excellentissimam quamdam, immortalēque Naturam, ait magnus Augustinus lib. 1. de Doctr. Christ. August. cap. 6. De hac ergo immortalē, & indefectibili Naturâ, aut potius Supernaturâ, de hac Substantiâ, aut potius SuperSubstantiâ spirituali, undecumque infinitissimâ, & perfectissimâ; de hoc Ente unicè necessario, à se, Optimo, Maximo, Excellentissimo, omni cultu, amore, & adoratione prosequendo, cæterorum visibilium, & invisibilium Authore, causarum Principio, & Causa, Theologiæ obiecto nobilissimo, disputamus, cum de Deo disputamus. Ipso utinam Deo auspice: ad quem nos, uti ad Patrem luminum, docebat ps. Illere David: *in lumine tuo videbimus lumen.* Id quod oportuit ipso in lumine ex Augustino delibare, ut nemini posthac in significatione hac præliminari nominis, *Deus*, hæerere liceat. *Psal. 35.*

Muniessa Disp. Scholast.

A

SE-

SECTIO I.

Deum existere certo novimus divina Fide.

2. **S**upponitur hæc fundamentalis veritas in sacris Litteris, identidem introducentibus Deum creatorem: *in principio creavit Deus: loquentem dixitque Deus: præcipientem, præcepit nobis Deus: & revelatur specialiter, ac directè Exodi 3.* dicente de se Deo: *Ego sum qui sum: hoc est, qui unice necessario existo, & per essentiam suam, per universaliissimam, illimitatam, & infinitam rationem essendi, ut ex varijs Sæctorum Patrum periphrasibus exponit Cornelius à Lapide, super hunc locum. Prostat etiam eadem Fidei veritas in Symbolis Apostolicis & Nicæno: Credo in Deum: credam unum Deum.* Fidei ergo veritas est, Deum existere. Quod dicunt aliqui ex modo loquendi Sancti Thomæ præcipue 2. ad 2. ad 1. Dei existentiam, & similes alias veritates, non esse articulos Fidei, sed præambula, ad articulos intelligendum sanè venit, non quasi neget Dei existentiam esse veritatem, & articulum Fidei; sed quasi dicat, esse veritatem fundamentalem ad alias veritates Fidei, ita ab omnibus præsupponendam, ut in Symbolis necesse non fuerit specialem articulum de illa constituitur seorsim ab alijs Articulis, qui in Symbolo commemorantur; utpotè supponentibus Deum summo, & unice, & I fortiori existentem. Si verò sint qui huic benignè intelligentiæ stare veniant, reiiciendi omninò sunt ex prædicatione Scripturæ, & Symbolis. Certè primi lapides prædicti ad ædificium, sine fundamento negarentur esse partes ædificij, ex eo quòd fundamentum ædificij hoc est Baptismus desinit esse Sacramentum, & eo quòd fundamentum, & ianua Sacramentorum appellatur, & sic.

3. Quidam obijciunt sibi, & nobis, quòd Fides existentiam Dei non debet testimonio Dei: ergo supponit notitiam Dei testificantis, ac proinde existentis: ergo non credit existentiam Dei: quin potius ipsam præcognitam supponit. Dupliciter respondetur. Primò, negando primam consequentiam de notitia assertiva, quidquid sit de aliqua apprehensiva: nã ut multis probat Suarez lib. 1. Summa cap. 1. nu. 5. posset qui non novisset antea assertivè existentiam, & justificationem, seu revelationem Dei, facta sibi, & propositione sufficienti de existentia, & de revelatione Dei, credere Deum existentem, & revelationem, habendo simul primum assensum utraque veritate, scilicet de existentia, & de revelatione Dei, & de existentia propter revelationem. Sic Exodi 3. Moyse testabatur Deus: *Exod. 3. Ego sum qui sum: Christus Samaritanæ Joan. 4. Joan. 4. Ego sum qui loquor tecum. Et Discipulis Marci Mar. 6. 6. Ego sum Et iterum Lu. 24. pax vobis, Ego sum. Luc. 24. Quibus Dei, aut Christi loquutionibus, cum*

magis deferendum sit, quàm visui, iuxta illud Petri: *Habemus firmiorem Propheticum sermonem;* sit liquido, propter testimonium loquentis posse Fidei credi ipsius loquentis existentiam. Respondetur secundo, concedendo, vel permittendo primam consequentiam, & negando secundam: quia quòd Fides præsupponat aliunde præcognitam naturali evidentiã existentiam Dei non tollit, quominus per Fidem etiam credatur eadem existentia propter Dei revelationem.

4. Alij opinantes non posse simul haberi de eodem obiecto evidentiam & Fidem, limitant doctrinam nostram conclusionis, & ultimam responsionis, dicendo, existentiam Dei esse quidem de Fide; non tamen ab omnibus Fidei credendam, sed ab ijs qui evidentiam de illa non habent: quia, inquit, cum Theologica Fides sit essentialiter obscura, & evidentiã, aut scientiã dicat claritatem, repugnant in eodem intellectu scientiã, & Fides actualis de eodem obiecto, sicut in eodem aëre claritas, & obscuritas. Incidimus in Thesin celebrem, an componi possint, necne in intellectu actus scientiæ, & Fidei eiusdem obiecti: de qua suo in loco dùm disputabimus de Fide, eiusque obscuritate. Nunc ex ibi dicendis fateor in primis, Fidem Theologicam dicere quidem essentialiter aliquam obscuritatem, scilicet ex parte saltem obiecti formalis, nempe revelationis, propter quam simul etiam creditam, ac minime evidentem, creditur veritas purè revelata alioquin forsitan evidens; non tamen obscuritatem ex parte obiecti purè materialis: quæ scilicet excludat evidentiam, seu claritatem veritatis purè revelatæ. Nego deinde, obscuritatem Fidei, & claritatem huius evidentiæ, aut scientiæ habere se invicem sicut materialis claritas, & obscuritas, quæ sit omnimoda exclusio claritatis. Stat igitur, quòd habeamus scientiam, & evidentiam de existentia Dei, & simul actualem Fidem de illa; & quidem obscuram, utpotè nixam loquutione Dei obscure revelantis: ut ibi, Deo dante, dilucidabitur, & ab occurrentibus difficultatibus præsertim circa meritum Fidei expeditur. Quo ruit fundamentum limitationis doctrinæ supra traditæ de Fide existentia Dei.

5. Quàm verò falsa sit, & absurda prædicta limitatio, constabit cuicumque dignè expendenti illud Pauli Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit:* Unde interunt Interpretes Sacri, & Theologi necessitatem Fidei de existentia Dei, sicut, & de Deo Remuneratore, ad iustificationem peccatoris. Quæ necessitas, cum generaliter statuatur à Deo ad omnes peccatores accessuros per iustificationem, comprehendit indiscriminatim, tam habentes, quàm

2. Petr. 1.

Hebr. 11.

quàm non habentes evidentiam de existentia Dei: taliter, ut nefas esset aliquem excipere contra generalitatem dictæ Divinæ Legis in re maximè dogmatica: ergo, & Philosophum quemque, quantumvis actu evidentiã naturali cognoscentem existentiam Dei, comprehendit illa lex credendi Fide quòd Deus est: ita ut absque hæc actuali Fide non sit iustificandus: vel ergo quò doctior esset, eo peioris esset conditionis, utpotè naturali suo discursu impeditus iustificari, quòd durissimum est: vel certè cum eiusmodi naturali discursu, ac evidentiã existentia Dei stare potest, ac debet Fides existentia Dei requisita ad iustificationem: sicquæ Dei existentia non quomodocumque est de Fide; verum etiam ab habente dictam evidentiam Fide credenda; & hoc quidem de necessitate mediij ad iustificationem. Obligare autem eiusmodi Philosophum ad deponendam notitiam illam naturalem si vult iustificari, durius est: quia cum sit notitia evidens, non posset in promptu eam à se deponere, nisi desistendo ab actuali consideratione obiecti sibi evidentiis, ut rectè S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 9. ad 2. Quis ergo tantum oneris imponat gratis Philosopho iustificando, ut quò doctior, & acutior foret operosior, & pro eo suo statu incompatibili cù Fide, impossibilis ei futura esset iustificatio?

6. Impulit aliquos hæc vis, ut in prædicto loco Pauli ausi fuerint exponere verbum illud, *credere quia est*, de quocumque assensu certo existentia Dei, quem iam haberet ille Philosophus per scientiam, sicque posset iustificari: non quidem omnino sine Fide, quia ille assensus iam est aliquis Fides, quàm vocant latam; sine Fide tamen strictà nixà testimonio Dei obscure revelantis, utpotè inexercibili in consortio eiusmodi assensus scientifici. Hæc tamen doctrina sustineri nequit: quia turpiter deficit à proprietate Scripturæ: quod enim ait Paulus: *credere oportet, quia est:* sicut, & quod immediate ante dixerat: *sine fide impossibile est placere Deo;* de stricta creditione, & de Fide proprie dicta ex auditu interpretantur Sancti PP. & quòd caput est, Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. Accessit denud decretum Innocentij XI. prohibentis hanc propositionem ordine vigesimam tertiam: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similivè motivo ad iustificationem sufficit:* quòd de Fide existentia Dei necessaria ad iustificationem intelligi maximè debet: undè præclusum iam omninò videtur istud effugium: etiamsi notitia illa scientifica asseratur aliunde supernaturalis, ut voluerunt alij Fidei late promotores.

7. Alios impulit ut dixerint, Fidem à Paulo ibi requisitam esse de existentia Dei ut Authoris supernaturalis; evidentiam verò quam

haberet Philosophus esset de Deo, ut Authore naturæ. Carerem ista responsio, si non dicit, in eiusmodi Philosopho non esse necessariam Fidem strictam existentia Dei, ut Authore naturæ, nihil dicit: Si verò id dicit, nimis dicit. Certè enim Paulus clarè ibi discernit inter Deum esse, & Remuneratorem esse, de utroque requirens Fidem ad salutem: ac proinde Fidem de eo quòd Deus sit, quæ veritas abstrahit à Deo Authore supernaturali: & Fidem de eo quòd Remunerator sit, quæ veritas innuit Deum Authorem supernaturalem, utpotè largitorem gratiæ, & gloriæ: ergo præcissim, aut seorsim etiam à supernaturalitate, Dei existentia, ut Authoris etiam naturalis, est de Fide necessaria ad salutem: ita nimium, ut qui hanc præcissè negaret iuxta illud: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus;* in hoc ipso esset non solù insipiens Philosophus, sed etiã certissimè hæreticus. Insuper in notitia de Deo Authore naturali pares essent doctus, & idiotæ per Fidem supernaturalem; de Deo autè Authore naturali haberet idiotæ Fidè supernaturalem, & Philosophus naturalem evidentiam sine Fide, quæ firmior, & securior est: undè foret sine dubio deterioris conditionis.

8. Nec momenti est quòd frustra moluntur alij, dicentes habitum Fidei in Philosopho Christiano, quamvis non possit per se, & directè se extendere ad illam propositionem: *Deus est;* posse verò indirectè, quatenus virtualiter, & implicite continetur in alijs propositionibus obscure revelatis, & per se pertinentibus ad Fidem, quales sunt: *Deus est Trinus: Deus est Incarnatus:* ex qua certitudine formaliter terminatà ad has propositiones, per accidens refundi potest in assensum scientificum huius propositionis, *Deus est;* certitudo quædam supernaturalis, & maior, quàm scientia nata sit parere. Non, inquam, momenti est: quia in Philosopho illo vel aliqua illarum propositionum esset assensus formalis veritatis obiectivæ existentia unius Dei, vel non? Si non esset; sine actu Fidei, qui esset formalis assensus existentia unius Dei stare deberet dispositio sufficiens ad iustificationem, ad quam utique Philosophus ille obligatur: quòd est contra supradictam ex Apostolo generalem Dei legem, cui certè per hanc subtilitatem, ne dicam, futilitatem, non fit satis. Si esset: ergo aliquis actus supernaturalis Divinæ Fidei est formalis assensus veritatis obiectivæ existentia unius Dei: non obstantè, quòd eiusmodi veritas evidenter naturaliter innotescat: quò semel evictò, cessat omninò ratio repugnantia in eo quòd detur actus Fidei unice assentiens existentia unius Dei in habente evidentiam eiusdem veritatis.

9. Nec tandem satisfaciunt alij, conati dicere, in illo Philosopho iam fore fidem existè-

Psalms 13.

Gonet disp. I. art. 2.

Vega lib. 6. in Trid. cap. 21.

riæ Dei, non quo ad assensum intellectus, sed quo ad piam affectionem voluntatis, seu præparationem animi, utique dispositi ad assentiendum illi veritati revelatæ, casu etiam quo naturali evidentia non innotesceret. Profecto tamen per affectionem, seu actum illum voluntatis tatis velle fieri testimonio Pauli requirentis Fidem ad iustificationem, est latiore Fidem ad id sufficere, quam sit Fides lata, quæ in Propositione illa vigillima tertia, prohibita nuper ab Innocentio, sufficere dicebatur: quo pacto, sensuque laxissimo, & in Beatis quoque facile Fides assereretur. Certè creditio, quam in illo suo credere requirit Apostolus accessuro ad Deum, pro assensu intellectus sumitur à Tridentino sess. 6. cap. 6. cum enim dixisset, disponi homines ad iustitiam credentes, vera esse quæ divinitus revelata sunt; subdit: de hac dispositione scriptum est: accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c. Quis autem audeat extrahere verba Pauli à sensu isto propriissimo, & planissimo, quem illis tribuit Tridentinum?

10. Maneat ergo, existentiam Dei, etiam ut unius & ut Auctoris naturalis, esse de fide stricta, ab omnibus iustificandis necessitate mediæ credendam. Quomodo autem huic strictæ, & obscuræ Fidei non obstet actualis evidentia in homine Philosopho, negotium est in Disputatione prima de Fide peragendum.

SECTIO II.

Deum existere evidenter notum est naturali ratione.

11. Hæc conclusio certa est inter Philosophos, & Theologos, ex discursibus exponendis Sect. sequenti. At quam certè. Ita certam putant multi, ut oppositum censeant alij temerarium, alij errori proximum, vel etiam erroneum, aut hæreticum. Nituntur duplici testimonio. Primum, ex Sap. 13. à magnitudine Dei, ne speciei, & creatura cognoscibiliter poterit creator horum videri. Secundò, ex Apollolo Rom. 1. Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Loquitur alij passim de Gentilibus: quibus tribuere videtur manifestam Dei notitiam ex creaturis: ergo adversaretur Paulo, & erraret à Fide qui negaret, Dei existentiam non posse demonstrari, seu conspici ex consideratione creaturarum.

12. Nihilominus alij cum Vasquez, quos sequitur Franciscus de Lugo lib. 1. de Deo disp. 20. cap. 3. sp. 14. cap. 2. quamvis conclusionem de de-Gillius monstrabilitate Dei ex creaturis certam putet, non tamen ita, ut error esset in Fide, illam negare. Quia verba illa, videri, manifestari, con-

Trident.

Genes. 3. Ioan. 14. Eccli. 8. Gillius.

Quiros.

August.

Suar. à num. 16. Fasolus 1 par. 9. 2. ar. 2. dub.

Cornel. Tolet. Tirin. ad 1. Rom. Lorinus ad 13. sap. Alliac. Suarez, & Godoy ubi supra.

ficat, quod probabiliter iudicetur eadem demonstrabilitatem esse revelatam, & de Fide credibilem ab eo qui citra formidinem id iudicat, sed requiritur ulterius, quod omnibus proponatur sufficienter ab Ecclesia uti revelatæ, & Fide credendæ: quod nondum habemus circa prædictam veritatem: ideoque non censetur hæreticus illam negans. Præterquam quod longè distat à contumacia requisita ad hæresim qui rationes habet probabiles, ut sibi persuadeat, id quod negat non esse revelatæ. Sic Magister meus Lumbier de Attrib. à num. 108. & in Observationibus super Propositiones damnatas à num. 147. Nos de his generalius in Tract. de Fide. Quartam, indubitatum nobis esse debere, existentiam Dei posse naturali discursu demonstrari saltem à posteriori ex consideratione creaturarum.

Lumbier

Gonet. d. sp. art. 1. Scot. Nomin. Suar.

15. Dubium est, an etiam à priori? Negant Thomistæ communiter. Affirmant Scotus, & aliqui Nominales ex præsupposita iam notitia quidditativa Dei. Alij cum Suar. disp. 29. Metaph. partim affirmant, partim negant cum aliqua distinctione. Ut certum omnibus suppono indemonstrabilem esse à priori existentiam Dei, imò, & quamlibet aliam Dei perfectionem, sumptâ demonstratione à priori pro cognitione per causam physicam propriè dictam, cum Deus ens à se, & incausatum nullam habeat propriè causam. Iudico tamen, demonstrationem, quam dicimus à priori non stringi ad hanc causæ proprietatem; sed sumi non solum pro cognitione per causam physicam propriè dictam; verum etiam per quodlibet principium, sive productivum, sive constitutivum physicè, metaphisicè, vel logicè. Sic in hac demonstratione: Animal rationale est homo; Petrus est animal rationale: ergo homo; demonstramus definitum per definitionem, quæ quidem non est causa, sed constitutivum metaphisicum definiti. Eiusmodi autem demonstratio à priori est, & vocatur, saltem negativè, ut quidam loquuntur, hoc est, non à posteriori: nisi, statuendo medium, quoddam generis demonstrationem inter demonstrationem à priori, & à posteriori, materis cum alijs illam vocare demonstrationem à pari: in quo vocale dumtaxat erit diffidium. Ad rem intentus affirmo cum Scoto, Deum esse quoque à priori demonstrabilem: non solum quo ad aliquas perfectiones ab alijs emanantes intra ipsum Deum; sed quo ad ipsam etiam existentiam Dei absolutam, & essentialem: ut videre erit in discursu; quem ex Anselmo efformabimus num. 17. qui certè non est à posteriori ex creaturis, sed à priori saltem negativè: ad eum nempe modum, quo discursus inferens ex animali rationali hominem in-

Petro. Sic etiam celebris Provinciæ nostræ Magister, & nunc Moderator P. Mathias Borrull disp. 2. de Attrib. sect. 4.

Borrull.

16. Tria observo. Primum, Pauli verba relata num. 12. non utcumque probare notitiam naturalem de Deo, sed notitiam de Deo ex creaturis: unde non salvant satis eius auctoritatem qui, reiectis demonstrationibus à posteriori ex creaturis, alias tantum approbant aliunde petitas, & non à posteriori ex creaturis. Secundum, non solum doceri à Paulo, Deum esse manifestabilem, quædam & manifestatum Gentibus: unde nec satisfaciunt qui veterum Philosophorum demonstrationes de Deo, non approbant: cum verisimile sit loquutum Paulum de notitia Dei, quam ipsi habebant per rationes, quas verbo, vel scripto posteris tradiderunt. Tertium, sic etiam præcludi evasionem, quam alij, his demonstrationibus diffidentes, meditantur; constare scilicet ex Scripturis, Dei existentiam esse demonstrabilem; non verò hæcenus demonstratam, vel intentum suum non convincit contra irreligionem eorum, quos ibi redarguebat.

SECTIO III.

Demonstrationes de existentia Dei.

17. Prima ex Anselmo disponitur sic: Ens à se necessarium est possibile: sed eo ipso quod sit possibile est existens: ergo est existens. Maior ostenditur: quia evidens est ens à se necessarium esse summè perfectum: ac proinde non esse impossibile, nec chimeram: nam esse chimeram imperfectio est: ergo evidens est, tale ens esse possibile. Aliter id disponit mirabilis Antonius Perez sic: nullum bonum est, esse chimeram: sed carens omni defectu est bonum: ergo carens omni defectu non est chimera. Maior patet: quia chimera non est volibilis ex iudicio vero, seu volitione, quæ frustra non sit. Minor etiam patet: nam carere omni defectu est optimum: evidens autem est optimum esse bonum: ergo patet etiam consequentia, quod carens omni defectu non est chimera: quod est idem ac non esse impossibile: ergo est possibile: quia quod non est impossibile non repugnat: atque adeo possibile est: ergo est existens. Probatur: quia non existere, & posse non existere sunt defectus: cum è contra magna sit perfectio non posse esse nihil: ergo ens illud perfectissimum, eo ipso quod possibile sit, est evidenter existens: imò & necessario existens. Eiusmodi autem ens est Deus. Gersonius, & alij hanc rationationem reputant sophisticam: adstruitur tamen mirabiliter ab

Ansel.

Ant. Perez. tom. 1. disp. 1.

Gerson.

ab



Perez.

ab Antonio Perez ex inclinatione naturali, quā experimur amandi, & colendi Ens hoc optimum carens omni defectu: cum evidens sit ingenitam hanc naturis rationalibus inclinationem non esse versū chimeram.

S. Tho.

18 Secunda sic ex S. Thoma. Evidens est dari in mundo multa contingentia: ergo datur aliquod ens necessarium, à quo determinantur ut existant. Patet: quia si cuncta essent contingentia, aliquando nihil fuisset, vel saltem potuit nihil fuisse: quod si accideret, impossibile foret quidquam esse: nam in eo casu nihil esset, cuius virtute quidquam inciperet habere esse: sed impossibile est omnia esse impossibilia, & quod omnia fuerint impossibilia: ergo & quod omnia sint contingentia: necesse igitur est dari aliquod ens necessarium, quod est Deus. Eandem rationem Ant. Perez disponit sic: aliqua existunt contingenter: ergo existit eorum contingentia, hoc est, possibilitas existendi, vel non existendi, cum neutrum horum repugnet sed hæc possibilitas, seu contingentia non est quid contingens, cum in utroque casu existentia, sive non existentia contingentium existeret: ergo est quid necessarium: ergo est necessarium, ac proinde existens aliquod ens necessarium, quod sit contingentia semper existens contingentium non semper existentium. Hoc autem ens necessarium est Deus, à quo sit determinatio contingentium extitutorum. Sic etiam fermè Arriaga, & Borrull.

Perez.

Arriaga  
to. I. disp.  
2. sect. 4  
Borrull.  
sect. 2.

19 Tertia sumitur ex ordine Universi, demonstrante quidem Mentem infinitam, quæ mirabilem pulchritudinem, varietatem, & constitutionem rerum temperet, ac moderetur. Cui rationi usqueadè deferunt SS. PP. ut ex Universi contemplatione veniri dicant in cognitionem summi Moderatoris, sicut inspectis radijs in cognitione Solis, sicut audità cytharà in cognitione Cytharædi, sicut viso augustissimo Palatio in cognitionem peritissimi Artificis. Quis enim ita desipiat, ut cuncta, quæ tam ordinatè in tanta, tamque continuà rerum vicissitudine fiunt, aut necessitati det, aut casui?

Lyncæus.

Id venustè prosequitur Richardus Lyncæus lib. 10. Metaph. Tract. ult. Unde ratiocinor sic: evidens est, Gubernatorem mundi esse substantiam intellectualem, quia in mundo supremus substantiarum gradus est intellectivus: esse liberam: quia cum homines liberi simus, nefas esset id summo provisorio hominum denegare: esse supra reliqua omnia, & nulli subiectum; alioquin determinatè coli, & adorari ab inferioribus non posset: sed hæc substantia intellectiva, libera, & summa, Deus est: evidens ergo est dari Deum. Sic Chrysostomus, & Aquinas.

Chrysost.  
S. Tho.

20 Quarta ex Aristotele sic. Quidquid movetur ab aliò movetur: veniendum ergo est ad unum primum Motorem: aliàs in infinitum. Hunc discursum adstruxit, S. Thoma. varijs in locis, & prosequuntur, Antonius Perez, cit. Illustrissimus Godoy tom. 1. in 1. par. disp. 3 §. 6. & P. Quiros videndus in Indice Questionum Sancti Tho. q. 2. art. 3. Sunt tamen qui parvi faciant, dubitantes de veritate antecedentis: quia, inquit, aqua movet se ipsam ad frigus, anima, ad suos actus vitales; & fortè Cæli sese circumferunt innatà vi. Cæterum quod apertius hæc faciunt contra receptissimum Philosophorū effatum, eò rationabilius debemus suspicari, aliquem illi fuisse sensum, qui labefactari non possit ita facilè, ut prudenter adnotat Fasolus, & Ioseph Augustinus. Qui propterea studiosius rirantes sensum dignum eà ratione, quam tanti fecit Aristoteles, quæque vocatur à S. Thoma manifestior via demonstrandi Deum; ponunt eius vim in imperfectionibus rerum mobilium de potentia ad actum perfectivum sui, quas necesse est compleri ad motum virtute alicuius Motoris superioris, præcontinentis & minenter eiusmodi perfectiones, pro casu etiam, quo omnia mobilia, utpotè contingentia, deficerent: sicque venietur ad unam causam necessariam, quæ sit primus Motor. Sic ergo introspecta hæc quarta ratio recidit in sequentem,

S. Tho.  
Perez.  
Godoy.  
Quires.

Fasol. cit  
Gillius.  
Ioseph.  
August.

Fasol  
Ioseph.  
Aug.

21 Quinta ex S. Thoma nititur in illo assumpto: Quidquid fit, ab aliò fit. P. Suarez efformat sic. Quidquid est, vel est factum, vel non factum: sed non possunt esse omnia facta: ergo aliquid est non factum, nempe Deus. Maior est evidens. Minor probatur: omne factum est ab aliò factum: ergo vel si illud aliud est factum, vel non: si non ergo est aliquid non factum: si est factum; ergo ab aliò: de quo idem quæram: sicque, aut ibitur in infinitum, aut in circulum mutæ duorum causalitatis effectivæ, aut evidenter sistendum est in Ente increato omniafactivo, & non factio, quod est Deus omnipotentissimus.

S. Tho.  
Suar.

22 Hanc evidentiam obscurare aggredietur aliquis tripliciter. Primò, ex doctrina dicentium, posse rem fieri, seu causari à se ipsa, & esse causam sui ipsius: sic enim nõ ita manet evidens, quod quidquid fit, ab aliò fit. Secundò, ex doctrina dicentium, posse duo se invicè causare: sic enim sine processu in infinitum erunt omnia facta, quin veniat ad ens non factum. Tertiò, ex doctrina dicentium, non implicare infinitum processum in generationibus successivis, quod Aristoteles concessit de facto per errorem: sic enim salvabit Atheista, quod quidquid fit, ab aliò fit, sicut dici solet, quodlibet instans æternitatis supponere aliud,

Suar. cit.

aliud, quin perinde compellamur sistere in ente aliquo non factio ab aliò.

23 Propter hæc aliqui desperant, aliqui subitant de evidentia quintæ ratiocinationis: in qua tamen defendenda laborant enixè Fasolus citatus, Gillius cap. 3. & Iosephus Augustinus difficut. 2. Vix tamen in eis invenies quidquam, quod stando purè rationi eludere non posset Atheista ex doctrinis currentibus in materia de infinito, in quam nos immergit ea ratiocinatio.

24 Cæterum, ne plus iusto derogari videatur evidentia quinti discursus per eiusmodi doctrinas, advertendum est circa primam de causa sui ipsius, eius Assertores, aut loqui in secunda rei productione; aut, si loquuntur in prima, supponere, quod ea res, quæ se ipsam efficeret, efficeretur pro priori naturæ à causa superiori eam elevante pro posteriori ad sui productionem: aut saltem id non concedunt nisi de absolutâ supremæ Causæ causarum potestate: sicque prima illarum doctrinarum, quæ fortè videbitur alicui probabilis, nõ tollit evidentiam prædicti discursus. Circa secundam, advertendum similiter est, quod quamvis mutuum causalitatem in diverso genere causæ concedat nonnulli, præsertim Thomistas non tamen in eodem genere causæ: nec est qui in causis efficientibus eam concedat nisi de absoluta supremæ causæ potentia: sicque quod probabiliter hæc opinantur aliqui, non officit evidentia quintæ demonstrationis de repugnantia mutæ causalitatis duorum sese mutuo ex æquo producentium in primo sui esse, seclusâ supremâ Causæ causarum potestate. Addiderim, prædictas doctrinas adhuc sic temperatas improbari meritißimè à probis Philosophis, vel ex eo solùm, quod rem alioquin dilucidam, Fidei principijs & Sanctorum Patrum sensui mirificè coherentem, interturbant. Circa tertiam, fatebor, eas doctrinas de infinito, & de æternitate generationum cogere nos ad corroborandam aliundè eam ratiocinationem.

Suar. cit.

25 Dicendo videlicet cum Eximio Suarez, eam quidem esse manifestam viam demonstrandi primam Causam, & primum Motorem, quod crediderim esse intentum Aristotelis, & S. Thomæ. Non ex eo præcisè, quod in causis utcumque subordinatis implicet infinitus processus; sed ex eo simul, quod implicet, summam illam Mentem Universi moderatoricam, quàm aliæ rationes demonstrant, non esse primam aliarum causarum Causam, per quam fiant cuncta, quæ fiunt: nam in hoc esset manifestè absurdus processus in infinitum. Quandoquidem non posset assignari causa non debeas alteri suum esse, nulla non

dependens, & defectibilis: ergo nulla determinatè summa omnium Moderatorix, penes quàm sit naturale, & morale regimen Universi, & cuius supremam excellentiam respiciat innatus creaturis intellectualibus appetitus eam colendi, & adorandi: & à qua boni præmium sperare, & mali supplicium sibi timere naturæ instinctu didicerunt: ut eloquitur mirifice. S. Chrysostomus varijs in locis.

Chrysost.

26 Plura Suarez disp. 28. & 29. Metaph. Lessius lib. 1. de Provid. Numin. Theoph. Raynaudus in Theol. natural. dist. 5. Boverius to. 1. demonstr. 1. Illustrissimus Godoy disp. 3. à §. 6. & ex præclara quoque Prædicatorum Familia Hiacynthus Calverius tom. 1. Theologi Ecclesiasticis: & Adamus Contcen. lib. 1. Polit. diluens præsertim, cap. 13. Sophismata Atheistarum: Quorum summa est delicti; inquit Tertulianus, nolentium recognoscere quæ ignorare non possunt: nec veriti, ut aiebat Augustinus, vesanam insipientiam ore proferre, quæ dixit inspiens in corde suo, non est Deus. Psalm. 13.

Suarez.  
Less.  
Rayn.  
Bover.  
Godoy.  
Calvet.  
Contc.

Tertul.  
Apolog.  
cap. 12.  
August.  
Psalm. 13.

SECTIO IV.

An Deum existere sit per se notum.

27 Negat Scotus cum multis. Affirmant Abulensis, & Aegidius. Distinguit S. Thomas, affirmans, Deum existere, esse veritatem per se notam in se; negans verò, esse per se notam quo ad nos. Propositio per se nota in se vocatur à Fasolo illa, cuius prædicatum est de ratione subiecti: à Gillio, cuius prædicatum immediatè dicitur de subiecto, sive sit de ratione subiecti, sive non: à Vasquez, quæ ita est ex terminis clara, ut non egeat, alio medio probati. Per se nota quo ad nos dicitur, quæ respectivè ad nostrum etiam intellectum est talis. Huic divisioni, explicationi, & doctrinæ Sancti Tho. suffragantur alij communiter, Suarez, Vasquez, Valentia, & latè Godoy disp. 2.

Scotus.  
Abulen.  
Aegid.  
S. Tho.  
art. 1.  
Fasol.  
Gillius,

Vasq.  
Suar.  
Vasq.  
Valent.  
Godoy.

28 Refragatur Scotus. Quia ab omnibus supponitur, inter veritates evidentes alias esse, alias non esse per se notas: admittit autè eà divisione, & explicatione per se noti in se, & quo ad nos, nulla esset veritas evidens non per se nota in se, cum nulla sit evidens, quæ immediatè, & ex penetratione terminorum non sit cognoscibilis à perfectissimo intellectu. Si dicas cum Fasolo, non omnem esse per se notam, quia non semper prædicatum est de ratione, seu de essentia subiecti; sequitur primò, quod nec, parietem esse album, vel non esse album, sit veritas per se nota: quod, quamvis



vis concedat Fasolus, absonum est: cui enim notum non sit, hanc propositionem: *Paries est albus. vel non est albus*: esse per se notorem, quàm ista: *Paries est substantia*? Sequitur secundo, hanc propositionem: *Paries est quantus*: esse per se notam, si quantitas est substantia, & non esse per se notam, si quantitas est accidens: quæ quidem opinionum diversitas nihil profectò præstat ad rationem magis, vel minus noti. Sequitur tertio, hanc propositionem: *Deus non est iniustus*: non esse per se notam: quia prædicatum non est de ratione, sed contra rationem subiecti. Si verò dicas cum Gillio, non omnem veritatem evidentem esse per se notam, quia non omnis est immediata, hoc est indemonstrabilis à priori; sequitur, hanc veritatem: *Deus est intellectivus*, esse per se notam, si intellectivum est constitutum essentielle Dei nihil supponens pro priori in Deo; secus, si est proprietas, iuxta varias opiniones: cum tamen æquè sit, vel non sit notum, Deum esse intellectivum, modò constitutur per intellectivum, modò non. Hæc pro Scoto, quem in re componere cum S. Thoma facile est, quidquid sit de modo loquendi.

29 Conclusio tripartita sit. Deum existere, est per se notum in se; non verò quo ad nos: & absolute loquendo non est per se notum. Prima pars probatur: quia existere est prædicatum essentielle Dei, & de primaria ratione Dei, quod negat Scotus: hoc autem est apud S. Tho. eam propositionem: *Deus existit*: esse per se notam in se. Ad sequelas illas, quæ contra hoc faciunt ex *num.* præcedenti, dici potest, hoc non tollere quin etiam illæ quoque veritates sint per se notæ in se: quia S. Thomas cum ait esse per se notam in se propositionem, cuius prædicatum est de ratione subiecti; non perinde negat, alias quoque dari propositiones aliter per se notas in se. Sic exponunt Capreolus, Cayetanus, Zymel, & Gillius apud Fasolum *art. 1. dub. 2.* & videri potest Granadus *disp. 1. sect. 2.*

30 Probatum secunda pars, in qua conveniunt Scotus, & S. Tho. quia per se notum, quoad nos est id, quod ita clarè se nobis præsentat ex terminis, ut intellectus non omninò hebes, & mediocriter excultus non egeat discursu ad iudicandum de eorum connexione, vel repugnantia: V. G. *Totum est maius sua parte*: sed talis non est ea propositio: *Deus existit*: ergo non est per se nota quo ad nos. Minor probatur ex P. Valentia: quia quamvis intellectui perspicacissimo, vel divinitus illustratissimo facillimè innotescat Deum existere; id tamen non est ita clarum, ut intellectus mediocri non egeat regulariter aliquo

discursu ad id sibi vel alijs persuadendum: ut videre est examinatis rationibus propositis, *sect. 3.* ad id demonstrandum, quæ non sunt ita ex terminis perspicuæ, quin aliæ alijs Authoribus, aliæ alijs non omninò placeant.

31 Tertia denique pars, quæ magis adhæret Scoto, quo ad modum loquendi veritati conformiorem, probari solet ab aliquibus: quia veritas per se nota debet esse indemonstrabilis: sed existentia Dei est demonstrabilis, ut vidimus, *sect. 3.* ergo non est per se nota. Negatur tamen maior: nam veritas dicitur per se nota à claritate, & facilitate, qua innotescit: id autem non amittit ex eo quod per alias veritates cum aliqua etiam difficultate, valeat demonstrari: sicut finis, si hoc medio potest facillimè comparari, non definit esse facilis comparatu ex eo quod comparari quoque possit alio medio difficili. Probari solet ab alijs: quia per se notum debet à nemine posse negari, sed multi Atheistæ negant existentiam Dei: ergo non est per se nota. Negatur etiam maior: quia, *totum esse maius sua parte*, per se notum est: & tamen id negant aliqui in materia de infinito, ut legere est in Alphonso, & Lynceo: digni propterea alijs adnumerari, quorum ipse meminit Lynceus, dicentium, cadavera sentire, idem posse simul esse, & non esse; nivem esse nigram, & non albam.

32 Eam ego probo sic. Per se notum non aliter dicitur, nisi respectivè ad intellectum: quod enim notum est, alicui notum est. Undè quod respectivè ad intellectum non est per se notum, absolute non est per se notum, ut bene Arriaga pro Scoto *tom. 1. tract. 1. disp. 1. disp. 2. sect. 4.* Cuncta autem, quæ per se nota sunt, per se nota sunt quoad Deum, cui utique nota sunt omnia: & quidem per se nota, iuxta ampliationem explicationis S. Thomæ positam, *num. 29.* ex Capreolo, & Cayetano. Undè divisio illa veritatis evidenter in unam per se notam, & aliam non per se notam, ut aliquid rei contineat, intelligenda est quo ad nos viatores, naturali lumine procedentes, quibus aliqua veritates evidentes, sunt per se notæ ex suis terminis, ut: *Totum est maius sua parte. Quodlibet est, vel non est*; & aliæ huiusmodi: multæ verò non sic ex suis terminis per se notæ, sed operosius per discursus naturales non ita pervios. Quod autem veritas existentia Dei sit ex ijs veritatibus, & non ex illis primorum principiorum, constat ex *num. 31.* Absolute ergo dicendum est cum Scoto, non esse per se notam. Nec plura in lite de vocibus.

33 Quod si interdum Sancti PP. dicunt, notitiam existentia Dei esse à natura ipsa omnium

notitiam animis impressam, non perinde volunt, esse omninò per se notam; sed solum, quod facile habeatur ab omnibus aliqua Dei notitia; vel ex facili discursu, quamvis non omninò evidenti; vel ex instructione Parentum; vel ex generali quodam lumine indito desuper ab Authore, non patiente, à suis creaturis rationalibus penitus ignorari.

SECTIO V.

An Deum existere possit invincibiliter ignorari.

34 Inclinant in partem affirmativam Molina, Zumel, Trigofus, & Medina apud Granad. & Arr. *sect. 3.* Primò, quia multi negant Deum existere. Secundò, quia Brasilius nullum, ut fertur, Deum agnoscebant. Tertio, quia Dei existentia est res supra sensum: & aliunde sunt homines adeo hebetes, qui res persciles, clatis etiam exemplis propositis, vix vel mediocriter percipiunt: quomodo ergo isti ullam formabunt ex illis ratiocinationibus, quibus demonstrari solet existentia Dei? ergo, citra Fidem, ignorare poterunt Deum invincibiliter.

35 Sed contra est, quod dicitur de Deo *Iob 35. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.* Undè Gregorius: *Omnis homo eo ipso quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui se condidit, Deum esse*: Ergo Dei existentiam invincibiliter ignorare nemo potest. Sic latè Granadus, Albelda, Curiel, & Vasquez, apud Eminentissimum Delugo *disp. 5. de Incarn. sect. 5.* In re gravi & practicabili, ad iustificationis initium pertinente, conciliare oportet, quoad possumus, Authorum iudicia.

36 Dicendum videtur. Primò: Dei existentiam non posse invincibiliter ignorari à cunctis hominibus, aut ab integra Natione. Secundò: nec ab homine ratione utente, per totam vitam, aut per longum tempus, saltem ex lege Dei. Tertio: bene verò per breve tempus ab aliquo homine ratione utente. Ab hac doctrina sic temperatà, Divinæ Providentiæ, & humanæ conditioni conformissimà, non omninò, ut puto, discedent Authores utriusque sententiæ, ut insinuat Magister Lumbier *num. 124.* & videre est apud Quirós *disp. 13. sect. 3.* & Borrull *disp. 2. sect. 8.*

37 Probatum prima pars, in qua omnes conveniunt. Quia impossibile est, non esse in quavis Natione aliquos alijs ingentiores, & doctiores: his autem nequit non suboriri saltem dubium aliquod de existentia Supremi Conditoris, aut Gubernatoris mundi, quem

malè agentes timeant, & à quo boni præmium sperent, cum scrupulo saltem obligationis eum ulterius inquirendi, & colendi: ignorantia autem subsequens ad eiusmodi dubium, & scrupulum, iam non est invincibilis. Hinc Tullius *lib. 1. de Natura Deorum*, nullam ait esse Gentem tam barbaram, in qua aliqua de Deo cognitio non invenitur: de Deo, inquam, saltem sub ratione præcipui Boni ab omnibus amandi, & colendi. Et tertio alter Tullius Tertullianus *lib. de Test. anim. cap. 2. & 5.* id infert ex naturali ad Superiorem aliquam Mentem recursum familiarissimum, & præsentissimo cunctis Gentibus, inelamantibus passim ore, vel corde in adversitatibus: *Bone Deus! Adsit mihi Deus: est qui videt omnia: Deus erit iudex, &c.* Quas vocat: *eruptiones animæ: doctrinam naturæ contingentem: & testimonia existentia Dei, quando vera tantò simplicia; quando simplicia, tantò vulgaria; quando vulgaria, tantò communia; quando communia, tantò naturalia; quando naturalia, tantò divina: à Deo Authore indita Naturæ & à Natura quasi Magistra, Animæ quasi Discipulæ: Magistra, inquit, Natura; Anima, discipula: quidquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit, à Deo traditum est, Magistro scilicet ipsius Magistra.* Plura Vivien in suo Tertulliano Prædicante *tom. 2. verbo: Deus.*

38 Probatum hinc facile secunda pars. Quia, ut ignoretur Deus invincibiliter, requiritur, nec notitiam, nec dubium, nec scrupulum Dei adesse: eò enim ipso, quod dubium, vel scrupulus conscientiam hominis pulset circa Dei existentiam, vel circa obligationem inquirendi ulteriorem notitiam, iam non ignoratur invincibiliter, sed ex culpa. Impossibile autem est, quod per longum tempus nihil de hoc homo rationis et impositus intelligat, nec ab alio audiat, nec dubio aliquo, vel scrupulo pungatur: cum præsertim ad Dei providentiam spectet minimè pati, creaturam suam rationalem aut mori, aut diu vivere cum omnimodà, & inculpabili sui ignorantia. Ideò dixi in conclusione: *Saltem ex lege Dei*: quia ex natura rei impossibile mihi non est, Sylvicolam valde rudem, & à nemine instructum, invincibiliter Deum diutius ignorare: quod nec negari crediderim à P. Granado.

39 Faciunt adversus hæc tres illæ rationes oppositæ, *num. 34.* Ad quarum primam dico, eos qui Dei existentiam negaverunt, id fecisse, vel ex malitia, volentes intelligere, ut bene agerent; vel ex ignorantia trasi, & culpabili, cupiditibus abstractos, & illucos. Undè David memorans insipientes, qui dixerunt in corde: *non est Deus*; subiungit: *Corrupti sunt*

Gillius.

Capreol. Cayet. Zumel. Gillius. Fasolus. Granad.

Valentia.

Arimin. Maior. Mayo.

Alpho. Lynceus. libr. 7. Met. in 6. cap. 2.

Arriaga.

Molina. Zumel. Trigof. Medin. Gran. Arriaga.

Iob. 39. S. Gregor.

Gran. Albel. Curiel. Vasq. Delugo.

Lumb. Quir. Borrull.

Tullius.

Tertull.

Vivien.

Psalm.

13.

B

sunt

Granad

sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, &c. Ad secundam ait Granadus, illud de Braliljs posse credi quoad iudicium firmum, quod de Deo nondum fecissent; non verò de dubio etiam aliquo, quod saltem de Deo, sub aliquo conceptu, aut Summi Boni, aut Conditoris & Receptoris mundi, aut Iudicis universorum, non habuissent, simul cum scrupulo de obligatione illum ultimus inquirendi, eique placendi, operando bene iuxta lumen rationis naturalis. Ad tertiam dico, ex difficultatibus ratiocinationum, quibus Philoſophi Deum demonstrans, probari, non fieri facile à singulis iudicium firmum, & evidens de Deo: ceterum, vel ex consideratione mundi ordinatissimi, vel ex colloquijs cum sapientioribus, vel ex stimulis propriæ conscientiæ in malè actis, suboriri aliquam noticiam infra evidentem, vel saltem dubium aliquod sufficiens, ut non ignoretur Deus invincibiliter, facillimum est cuique rationis com poti.

40 Probatur denique tertia pars. Quia quod per breve tempus, ne tenuis quidem illa notitia de Deo alicui affulgeret, aut dubium, aut scrupulus; nec est incredibile de humana conditione, nec dedecere videtur divinam providentiam: de cuius munere non est, adesse cōtinuò humanis mētibus per suas illas speciales pulsationes; sed pro certis occasionibus sibi bene visis: quantum videlicet expediat, ne per ipsum stare dici possit, sed per hominem, quod homo ratione utens à bono deficiat, & sceleritatem, ad quam creatus est, non consequatur.

41 Dices: quid si talis homo pro illo brevi tempore, quo ignoraret invincibiliter Deum, malè ageret, putà, furando gravi ter, conscius gravis malitiæ furti contra rationem naturalem? Nam ex una parte graviter peccaret, siquidem malè ageret contra rationem: ex alia parte non graviter peccaret, quia non offenderet Deum, utpotè invincibiliter ignoratum. Respondet Delugo *disp. 5. de Incarn. sect. 5.* peccaturum graviter contra rationem; non formaliter contra Deum: haberet itaque peccatum illud, ut terminis utamur S. Thomæ, 1. 2. q. 71. art. 6. ad 5. malitiam Philosophicam, non verò Theologicam: undè nec absolutè foret offensa Dei. Aliter Salas, & alij. Sed hæc aliò spectant. Quid autem de tali homine, casu quo cum eo solo peccato moreretur? Non enim admitteretur in Cœlum, ubi nihil conuictum, habens maculam, aut rugam: non in Purgatorium; qui locus temporarius est pro venialibus, vel mortalibus remissis quo ad culpam: non mitteretur ad Infernum, siquidem non commisit personalem Dei offensam, cui ignis æternus pa-

ratus est: non ad Limbum parvulorū; quia vel fortè iam non haberet peccatum originale, si nempe parvulus baptizatus fuisset; vel præter originale haberet personale grave contra rationem. Respondetur, præsentis Dei legis, & providentiæ esse, sic res disponere, ut homo in eo statu non moriatur: in aliâ verò providentia Deo possibili, possibilem, & facilem quoque fore Deo locum, & modum, ut iustè puniretur homo sic decedens. Ita Delugo: Aliter Alij.

42 Dices rursus. Dei Providentia circa illum hominem, cum respiciat ad salutem æternam, de illâ notitiâ existentiae Dei debet intelligi, quæ conducatur ad salutem: ac proinde de notitiâ per Fidem strictam, mixtam revelatione divinâ, utpotè requisitam necessitate medijs. De hæc autem nequit intelligi sine absurdo incredibile pro præxi: quod sic expono. Ponamus, illum hominem adultum post invincibilem ignorantiam existentiae Dei incipere iam dubitare. Deinde ab statu sui dubij, audiendo, interrogando, vel discurrendo hinc, & inde, transire ad statum, in quo formare posset ex aliquibus rationibus iudicium de existentia Dei; eiusque revelatione, tantummodò probabile, aut magis probabile, utpotè adhuc cum formidine de opposito. Hic status non solum esset possibilis, sed, inspecto humano modo procedendi, videtur etiam valde verisimilis.

43 Nunc sic. Homo sic in hoc secundo statu constitutus, vel teneretur Fide credere existentiam Dei, vel non teneretur. Dicere, quod teneretur, videtur esse contra prohibitionem Propositionis vigesimæ primæ damnatæ ab Innocentio XI. quæ legitur sic: *Affensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem statim cum notitiâ solam probabili revelationis; inò cum formidine, quæ quis formidet, ne non sit loquutus Deus.* Si enim homo in prædicto statu constitutus crederet, aut conaretur credere Fide supernaturali, crederet, aut conaretur credere supernaturaliter, & utiliter, habens noticiam solum probabilem revelationis, inò, & formidinem, *ne non sit loquutus Deus*: cum tamen sic credere pro illo suo statu sit ipsi impossibile: & dicere, quod est possibile, sit contra prohibitionem dictæ Propositionis: nemo autem ad impossibile tenetur. Dicere verò, quod non teneretur, videtur esse contra prohibitionem Propositionis quartæ, damnatæ similiter in eodem Decreto ab Innocentio, quæ legitur sic: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Si enim homo sic constitutus in statu probabilitatis, quo ad se, de existentia Dei, eiusque

revelatione, & minoris probabilitatis de non existentia Dei, & revelationis, non teneretur credere; excusaretur à credendo, ac proinde, à sua infidelitate pro eo suo statu. Atqui non aliud excusaretur, nisi ductus opinione minus, pro tunc, sibi probabili de non existentia Dei, & revelationis: ergo excusaretur pro tunc, non credens ab infidelitate sua, *ductus opinione minus probabili*: quod est contra prohibitionem quartæ Propositionis. Quo igitur pacto evadat homo ille sic constitutus utramque prohibitionem, latam tamen æquè prudentissimè, ac sanctissimè?

Lumbier

44 Hanc difficultatem opposui Magistro Lumbier, dum incumberet editioni suarum doctissimarum Observationum: & quidem negotium ipsi facessivit, ut mihi testatus est, & videri potest apud ipsum *Observat. 6. à num. 140.* ubi per hanc occasionem, pro sui ingenij, & iudicij præstantiâ, multa addidit satis operosè, & acutè, quibus equidem acquiescere, non satis potui. An difficultati fecerit satis, doctorum iudicio relinquo, dum aliter ipse pro mea tenuitate respondeo.

45 Intelligendo scilicet, id sine absurdo ullo pro præxi, de notitiâ per Fidem: & admittendo casum inde expositum: & secundam partem dilematis subiuncti: scilicet, quod homo ille in eo statu constitutus, nondum actu teneretur pro tunc credere: nam pro tunc deesset ipsi iudicium evidens credibilitatis requisitum ad prudenter credendum, & conandum credere firmiter super omnia, & usque ad sanguinem, prout opus est ad Fidem Theologicam, & salutarem, ut supponimus ex *Traët. de Fide.* Ad impugnationem huius partis, nego, hoc opponi prohibitioni quartæ Propositionis. Quocirca certum mihi est, aliud esse habere iudicium existimativè probabile de non existentia Dei, aut de non revelatione; aliud, non habere iudicium evidens de existentia, & revelatione Dei, aut de credibilitate existentiae revelationis, aut saltem moraliter evidens de veritate utriusque. Patet, nam qui esset in puro dubio, nec haberet illud, nec istud. Unde discernibilia valde sunt, in evidentiâ de uno extremo, & probabilitas de opposito: cum sine probabilitate, inò cum dubio, aut ignorantia de opposito, possit esse mihi in evidens aliud extremum.

46 Hinc dico, hominem in prædicto statu constitutum, non teneri pro tunc credere, nec conari credere Fide salutari super omnia, coniungendâ simul cum illo statu: ac proinde, excusari pro eo statu ab infidelitate peccaminosa, dum invincibiliter sic laborat, & pro viribus inquirat. Nec tamen perinde quidquam dicimus oppositum prohibitioni

Propositionis quartæ. Quippe non dicimus quod excusetur ab infidelitate, seu à non credendo pro tunc, *ductus opinione minus probabili*, seu à probabilitate adhuc sibi existimata partis oppositæ; sed ex eo quod sibi nondum sit satis evidens credibilitas existentiae Dei, & revelationis, prout requiritur ad prudenter credendum Fide firmâ super omnia. Quæ duo, ut vidimus, diversissima sunt: & in prohibitionem iustissima illarum duarum propositionum sedulo discernenda. Quibus sic explicatis, & distinctis, nihil resultat contra nos.

## SECTIO VI.

*An etiam, & quomodo sit nobis notum, Deum esse unum.*

47 Venimus ab Atheistis, qui nulum, ad Polytheistas, qui multiplicem Deum agnoscunt: contra quos stat Fides Deuter 39. *Videte, quod ego sum solus, & non sit alius Deus præter me.* & Fidei Articulus in Symbolo: *Credo in unum Deum, Quomodo sit Unitas Dei cum Trinitate Personarum, specialiter occupat locum in Traët. de Trinitate contra Tritheistas, veteres, alioque noviores apud Bellarminum tom. 1. contr. lib. 1. de Christo cap. 2.*

48 Constare quoque nobis evidentiâ naturali, Deum esse tenet contra Nominales aliquos communissima sententia cum S. Tho. Scot. & Suarez: apud quem *disp. 29. Met. & apud Izquierdum tom. 1. disp. 12. q. 2.* Lessium *de Provid. Num. & Recapitulum lib. 5. de Deo uno,* legi possunt variae huius veritatis demonstrationes. Unam, vel alteram resumo.

49 Unam ex Athanasio in Oratione contra Idola sic. Si duo, ut volebant Manichei, unus rerum bonarum, alius malarum; vel plures, ut Ethnici fabulabantur, essent dii; alter esset ab altero independens: unde alter, altero etiam invito, ageret & necessariò existeret: alioquin neuter esset Deus, cum eiusmodi independentiâ in esse, & in operari sit ex ipsis terminis de ratione Dei. Hinc, prosequitur Athanasius, par esset in utroque potestas, cum alter alterius voluntatem vinceret: par etiam imbecillitas, cum, alterò nolente, id quoque, quod nollet, eveniret: undè infert, quod ponere multos Deos esset omninò nullum ponere. Putet aliquis, cessare hoc inconveniens, si voluntates eorum Deorum ita essent in volendo conformes, ut mutuo sese conderminerent ad volendum, quod alteruter velle. Ceterum sic, alter esset necessitatus ad nihil volendum, nisi quod alter velle: quod nequit

Deuter.

Symbol.

Bellarm.

Gabr.

Occum.

S. Tho.

Scot.

Suar.

Lassius.

Izquier.

Recup.

Athanas.

non esse defectuositas, & indigentia alienae voluntatis. Præterea sic, neciter operaretur liberé, quia operaretur ab alio determinatus ad agendum, & volendum: ut fusè prosequitur

Arriaga  
Ant.  
Perez.

Arriaga tom. 1. d. sp. 42. sect. 3. subsect. 4.  
50 Alteram ex Auton. Perez, ubi supra num. 37. sic. Deus est carens omni defectu: sed carens omni defectu est unicum: ergo Deus est unicus. Maior patet ex communi modo concipiendi Deum, utique summum Ens. Minor ostenditur: quia carens omni defectu est sibi sufficiens: eo enim ipso, quod non sibi sufficeret, esset defectuosum: sed ens sibi sufficiens est unicum: ergo carens omni defectu est unicum. Patet minor: eo enim ipso, quod non esset unicum, daretur etiam aliud ens sibi sufficiens: sed implicat duo sibi sufficientia: ergo ens sibi sufficiens est unicum. Patet etiam hæc minor: nam eo ipso neutrum illorum sibi sufficientium esset sibi sufficiens, cum non posset esse, aut quidquam agere sine alio ente sibi necessario. Præterea, utrumque esset ens necessarium, simulquè superfluum: necessarium videlicet, quia utrumque, ut supponitur, esset Deus; superfluum verò, quia alterum sine altero esset sibi sufficiens ad omnia: quæ quidem evidenter implicatissima sunt.

51 Obijciuntur duo. Primum, quod multæ Gentes, & inter illas multi Philosophi, atque sapientes, colunt multos Deos: ergo nõ est evidens, esse unicum. Secundum, quod rationes demonstrantes, non esse plures Personas Divinas: quod est falsum: ergo non evidenter probant, esse verum, non esse plures Deos, sed unicum. Respondetur tamen ad primum, negando consequentiam: cunctarum enim Gentium sapientes unicum Deum agnoverunt, quamvis multi multos externè colerent, ut hominibus placerent: solum ergo contra hoc censuerunt imperitum vulgus, & qui affectatâ ignorantia Principibus assentabantur, ut luculenter expendit Recupitus lib. 2. q. 12. Ad secundum, negatur antecedens: trium enim Personarum, quas in uno Deo confitemur, una

Recupit

est, & eadem voluntas, una omnipotentia, una sibi sufficientia, una ratio summi boni, sicut est una Natura. Unde absolute non sunt tria summe bona, nec tres sibi sufficientes, sicut nec tres Dij Videatur Anton. Perez. num. 40.


Perez.

52 Ut autem constet, in quo unitatis sensu sit, & dicatur Deus specialiter Unus; notare oportet, quod liber ens, sicut est verum, & bonum, hoc est attingibile ab intellectu, & voluntate; ita etiam esse essentium, aliquid, sive aliud quid, hoc est, repugnans esse aliud ab eo quod est: & similiter esse unum, hoc est, repugnans esse id quod est, & simul aliud præter id quod est: hæc enim quatuor, scilicet, Unum, Verum, Bonum, & Distinctum, sunt generales passionis omnis entis, ut explicui in libris Metaphysicorum, quos, si vita superfit, & etiam, luci quoque parare studeo. Itaque Unitas specialis Dei, quam hic de Deo unice prædicamus & extollimus, non est hæc unitas generalis transcendens per omnia entia; sed est Unitas specialissima, quæ alij vocant Unicitatem, alij Unitatem scilicet Unitatis, quæ à nempe Deus ita est unice unus, ut ex sua ipsius necessitate essendi excludat essentialiter, non solum à sui identitate, verum etiam à sui consortio, coexistentia, & coexistibilitate, imò & à possibilitate rerum, alium Deum. In hoc, inquam, sensu esse unum, est proprium solius Dei: quia nulli alteri enti repugnat coexistentia, vel saltem possibilitas alterius entis eiusdem speciei cum assignari nequeat creatura, ex suis prædicatis, & necessitate essendi reddens impossibilem aliam eiusdem rationis. Latè de his Izquierdus q. 6. apud quem, q. 6. discutitur lis de nomine: an Dei Unitas vocanda sit numerica, ut vult Sanctus Tho. contra S. Bonaventuram.


Izquier.  
S. Tho.  
S. Bonav.

53 Superest, in quo consistat formaliter, hæc Unitas, seu Unicitas Dei? an in ipsa perfectione positivâ Dei? an in aliquo negativo realiter subsequuto? Sed de hoc, si quid est disputatione dignum, redibit Sermo inferrius, disp. 15. ubi iterum de Unitate Dei inter alia Dei Attributa in particulari.

Infra d. f.  
15. sect. 1.



DISPU



# DISPUTATIO II.

## DE EXISTENTIA DEI ENTIS A SE, comparatâ ad eius Essentiam.

S. Tho.  
Vazq.



È hoc S. Tho. q. 3. ar. 4. ubi per *Essentiam*, intelligit quidditatem; & per *Essè*, intelligit existentiam Dei. Ibi P. Vasquez remissivè ad disp. 116. eiusdem primæ Partis, ubi agit de Essentia; & Existentia Dei; & ad *quest. 17.* tertiæ Partis, ubi de Essentia, & Existentia creaturarum.

### SECTIO I.

*Qualiter Deus à differentia creaturarum sit Ens seu Existens per Essentiam.*

1 AD intelligentiam, & resolutionè difficultatis præmittenda sunt varia, in quibus conveniunt, & varia, in quibus differunt invicem Essentia, & Existentia Dei, & Creatura: quibus aptè distinctis, dilucidum cuique facile fiet, quod in hoc est proprium, & speciale Dei Entis increati, & superexcedens limitationem Entis creati, & creabilis.

2 Conveniunt ergo primò in eo, quod tam existentia Dei, quàm creatura, est id quod uniuscuiusque essentia est, & denominatur formaliter existens, & actualis, sive ens in actu: contrapositè ad impossibilia, purè possibilis, aut quoquo modo non actu existens.

3 Conveniunt secundò in eo, quod existentia Dei, est realiter ipsa Essentia Dei: quod evidens, & de Fide censent hic Pessantius, & Valentia: & existentia creaturarum est etiam realiter ipsa essentia creaturarum, quidquid sit de distinctione rationis: quod, quamvis non sit ita certum, ut verissimum tamen suppono ex Metaphysicis, ubi id disputant Authores nostri contra Thomistas; & nobiscum sentit novissimè Deo. Etissimus Emanuel de Conceptione in suo *Cursu Philosophico Trinitario. par. 2. disp. 1. quest. 6.* & celebris Magister Carmelitanus Dionisius Blasco p. 1. sui *Cursus Philosophici lib. 4. dist. 12. num. 92.*

Trinitat.  
Dionis.  
Blasco.

4 Sed occurrit subtilis obiectio. Si Deus, & creatura convenirent in hoc, quod uterque existeret per existentiam indistinctam à sua essenti; creatura existens, non minùs, ac Deus, necessariò existeret: hoc nequit dici: ergo neque id, in quo diximus convenire Deum, & creaturam, Maior probatur. Primò: quia etiam

creatura existens formaliter per suam existentiam, existeret per essentiam, siquidem essentia, & existentia creaturæ idem sunt: ergo necessariò existeret. Secundò subtiliùs: quia, si creatura non existens haberet per se ipsam, & per suam essentiam non existere, necessariò non existeret: ergo si creatura existens haberet per suam essentiam existere, necessariò existit. Antecedens probatur: id necessariò non existit, ex cuius existentia sequitur contradictio, nempe existere, & non existere: sed id sequeretur ex existentia creaturæ non existentis, habentis per suam essentiam non existere: ergo necessariò non existeret. Probatur minor: quia existeret, ut supponitur; & non existeret, quia eius essentia esset suum non existere.

5 Respondetur negando maiorem. Ad primam probationem distingo antecedens: existeret per essentiam suam formaliter, quando dependenter effectivè à libito à Dei existeret, concedo: semper, & independenter effectivè à libito Dei, nego: hoc autem sonat absolute, *existere per essentiam*: quod non convenit creaturæ: quamvis in aliquo sensu, iuxta partè distinctionis concessam, posset id concedi. Id quod ob eandem rationem concedere debent Thomistæ de Modo suo creaturæ existentia indistincto ab ipsius Modi essentia. Ad secundam, concedo antecedens ob eius claram probationem: & nego consequentiam. Ratio disparitatis est manifesta, & notanda: quia creatura, quæ per suam essentiam haberet non existere, non existeret quando non existeret, ut ex terminis patet: & non existeret, quando existeret: nam quando existeret, haberet suam essentiam, quæ esset suum non existere: cum ergo necesse sit, aut existere, aut non existere, & ex alterutro sequatur, talem creaturam non existeret, inde est, quod, si per suam essentiam haberet non existere, necessariò non existeret. At ex eo, quod creatura per suam essentiam existat,

stat quando existit, id non sequitur: verum enim est, quod existit quando existit, & quod non existit quando non existit: nam quando non existit, nec eius Existentia, nec eius Essentia existit. Si huic evidenti solutioni non acquiescunt Thomistæ, aliam meditentur ad idem argumentum, quod potest illis obijci in illo suo Modo existentia, per se, & non per alium modum formaliter existentia: & caveant, consulo, ne, sicut superaddunt modum, quo res contingenter existens, formaliter existat; cogantur admittere alium modulum, quo res contingenter non existens, formaliter non existat: verumque enim istud, sive existere, sive non existere, est rei cuiuscumque creaturae pariter logicè contingens.

7 Conveniunt tertio in eo, quod essentia semper suam existentiam comitatur, & existentia Essentiam: sive distinguantur, sive non, sive in Deo, sive in creaturis. Sic nimirum, ut nullius rei essentia fuerit unquam sine existentia, aut existentia sine essentia.

8 Huic doctrinae, cuius evidentiam monstrat Hurtadus *disp. 8. Met.* obstat aliquid per se, quod rerum essentia fuerit ab aeterno; in tempore autem non producantur res quoad essentias, sed quoad existentias. Eos deludit duplex Axioma vulgatissimum: unum; quod, *Essentia rerum sunt ingenerabiles, & incorruptibiles*: aliud; quod propositiones, enuntiantes de rebus suas essentias, dicuntur, *Aeterna veritatis, seu, necessaria veritatis*.

9 Respondetur tamen, eiusmodi persuasionem esse aperte falsam, & omnino corrigendam. Primum Axioma non est interpretandum, sed negandum; imò, & detestandum: utpotè derivatum ab Aristotelis errore de aeternitate Mundie iuxta quem errorem dicebat, rerum mundialium species, quas ipse vocat essentias, esse aeternas in esse, & in existere, quamvis varia deinceps individua specierum in tempore generentur, & corrumpantur. Stet ergo contra praedictum errorem, essentias rerum non esse magis ab aeterno, quam existentias: & contra praedictum Axioma, essentias rerum: creaturarum esse eodem modo generabiles, & corruptibiles, quo existentia.

10 Secundum Axioma intelligendum est, cum multiplici grano salis: non quidem de aeternitate, & necessitate absolutâ veritatis obiectivæ talium propositionum, versantium circa essentias creaturarum: in quibus nihil est absolutè aeternum, & absolutè necessarium; imò absolutè contingens, & temporaneum, potens utique pro libito Dei Entis unice absolutè necessarij, esse, vel non esse à parte rei: sed de aeternitate, & necessitate respectiva ta-

lium praedicatorum, sive essentiarum, ad res, quarum sunt essentia: quatenus nempe res in nullo tempore, nec in aeternitate possunt, nec potuerunt esse sine illis praedicatis, & essentijs suis. Unde est, quod si res existunt, existunt cum illis praedicatis; si existerent, existerent cum illis; si exiterunt etiam ab aeterno, etiam ab aeterno exiterunt cum illis praedicatis sibi respectivè necessarijs, & essentialibus: absolutè tamen contingentibus, & potentibus non esse, sicut ipsae res. Eiusmodi autem necessitatem respectivam significant illae propositiones, propterea dictae, *aeterna, & necessaria veritatis*: & ideo exponibiles exempli causa per has conditionales: *si homo est, est rationalis; si erit, erit rationalis; si fuit etiam ab aeterno, etiam ab aeterno fuit rationalis*. Huiusmodi autem propositiones non requirunt, quod homo, aut rationalis, aut eorum essentia, aut quidquam aliud creatum, fuerit ab aeterno; imò nec, quod unquam fuerit: ut est luce clarius.

11 Differunt autem primò Essentia, & Existentia Dei, ac creaturae, in omni eo, quo differunt Deus, & creatura: quia existentia Dei est realiter Deus; & existentia creaturae est realiter creatura. Unde quidquid realiter facit differre Deum à creatura, facit quoque realiter differre eorum existentias: quatenus nempe existentia Dei, est quid infinitum, aeternum, immensum, independens; existentia verò creaturae, quid finitum, limitatum, temporarium, & dependens.

12 Differunt secundo in eo quod existentia creaturae, vel est ipsa actio, seu causalitas, ut volunt aliqui; vel, ut communius alij, est terminus actionis ponentis creaturam extra causas defectibiliter; non verò sic existentia Dei, cum sit incausata, & incausabilis, & ens à se, sicut ipse Deus.

13 Differunt tertio in eo quod de Deo essentialiter, seu necessariò praedicatur, *existere*: haec enim propositio: *Deus est existens*, est in materia necessaria; de creaturis verò praedicatur contingenter: haec enim praedicatio: *homo est existens*: est in materia contingenti. Cuius ratio est, quia Deus est ens necessarium. Id quod Ipse significavit, dicens: *Ego sum, qui sum*: hoc est, qui necessariò, & indefectibiliter existo: creaturae verò sunt entia defectibilia, quibus existere contingens est, cum potuerint non existere.

14 Hoc ergo est, ut Titulo Quaestionis respondeam, Deum esse ens per essentiam: scilicet, essentialiter, necessariò, & indefectibiliter existens: à differentia creaturarum, quae sunt ens per participationem, & existunt per accidens, & contingenter pro libito Dei Creatoris

ris, ad cuius nutum potuerunt nunquam extitisse. Hoc, quamvis in se sit verissimum, patitur implicatissimam difficultatem, ortam ex varijs modis loquendi, non satis ab omnibus, ut puto, dilucidatis.

15 Obijcitur autem sic. Essentia, & existentia Dei, ac creaturae conveniunt in eo, quod & Deus, & creatura, habent suam existentiam realiter identificantem cum sua essentia: id quod de aliqua saltem creatura, scilicet de modulo illo creato existentia, qui à multis ponitur distinctus ab essentijs creaturarum, necesse est dicere: ergo non differunt in eo, quod de Deo dicatur essentialiter, seu necessariò sua existentia; de creatura verò contingenter nec subsistit, quod Deus à differentia creaturarum sit ens, seu existens per essentiam; cum creatura existat per existentiam, quae etiam est eius essentia. Probatur consequentia: quia creatura est essentialis, & non contingens, sua essentia, atque adeò, & sua existentia, siquidem ipsa sibi met est eiusdem essentia, & existentia: ergo non differt, à Deo in eo quod existentia dicatur de creatura contingenter: nec erit accidentalis, & de contingenti, sed essentialis, & de necesse praedicatio: *homo est existens*. Confirmatur: quia in praedicatione accidentali praedicatum potest adesse, & deesse subiecto: sed cum existentia hominis, sit essentia hominis, praedicatum illius praedicationis nequit deesse subiecto: ergo, &c. Patet minor, quia sic, existentia hominis est ipse homo, qui sibi met ipsi deesse non potest. Confirmatur secundo: quia homo est subiectum indifferens ad existere, vel non existere; non verò ad esse, vel non esse rationale: ergo existentia est quid distinctum ab esse rationalis. Nec evitant hanc difficultatem qui distinguunt in creatis essentias rerum ab essentijs: quippe eam subire coguntur in modulis illis existentiarum: qui quidem non necessariò, nec per essentiam existunt; & tamen cum eorum essentijs identificantur, ne per alios modos accidentales dicantur existere, & isti per alios cum infinito proeessu.

16 Respondetur, concessio antecedente, negando consequentiam. Ad probationem, distingo antecedens: creatura est essentialis, & non contingens sua existentia, physice loquendo, seu accidentalitate physica, concedo; logicè, nego antecedens: & absolutè consequentiam. Nam, logicè loquendo, est homini contingens, & accidentalis sua existentia, & similiter sua essentia: quamvis enim homini essentialiter sit esse hominem conditionaliter, nempe, si sit absolutè tamen contingens illi est esse hominem, sicut illi contingens est esse: quia potest non esse: sicque nec esset homo, nec esset rationalis, nec esset existens, nec absolutè esset: cum potius non esset.

17 Ad confirmationem, distingo minore me praedictum illius praedicationis nequit deesse subiecto manenti; concedo; deficienti quoque, nego: quia homini deficienti deest sua existentia, deest essentia, deestque sibi met ipsi ipse homo.

18 Ad secundam confirmationem, distingo antecedens: est subiectum physicum accidentaliter receptivum suae existentiae, vel non existentiae, nego: quia nec recipit existentiam, quam secum identificantem cum existit; nec recipit non existentiam, quae tale subiectum definit esse dum non existit: est subiectum Logicum praedicationis, de quo nempe iam contingenter affirmamus; iam negamus existere, concedo. At hoc modo, etiam de eodem subiecto Logico iam affirmamus, iam negamus contingenter, actu esse rationale. Unde falsa est consequentia.

19 Claret itaque discrimen Dei à creaturis, quod Deo, nec essentia, nec existentia contingit, quia Deum esse necesse est absolutissime; creaturae verò totum id absolutè contingit: nam casu possibili, quod ipsa desit, totum id deest: unde nihil horum est ipsi absolutè necessarium; sed ex suppositione contingenti, quod ipsa sit in qua suppositione similiter est ipsi necessaria existentia; quia nequit sine existentia existere, sicut neque sine essentia. Hinc, uno verbo, tam existentia, quam essentia Dei, ita est absolutè ens necessarium, ut nullatenus sit defectibiliter contingens; at tam essentia, quam existentia creaturae est ens absolutissime contingens, ac defectibile; & solum conditionaliter sibi necessaria, scilicet sub conditione quod existat, vel respectivè, scilicet, ad hoc ut existat.

20 Insistes. Semper dicimus verè de homine: *homo est rationalis*; non verò: *homo est existens*: ergo quia rationalitas est essentia hominis, & existentia non est essentia hominis: alioquin non possemus concipere hominem per rationale, quin conciperemus eius existentiam; & dicere: *homo est rationalis*; sicut dicere: *homo est existens*. Respondetur, concessio antecedente, negando consequentiam, eiusque causalitatem; non enim ea est vera ratio, veri discriminis: sed quia ea praedicatio: *homo est rationalis*; ex institutione eorum terminorum vocalium abstrahit absolutè à tempore, & significat praecise identitatem hominis cum rationali; si aliquando ponatur: ut exposuimus *num. 10*. Alia verò praedicatio: *homo est existens*: ex suorum terminorum institutione significat absolutè, & determinatè tempus praesens. De quo, si petas rationem, dicam esse arbitrariam vocum significationem. Itaque, cum concipimus hominem per conceptum rationalis, concipimus etiam ex parte obiecti eius

Hurt.

Arist.

Exod. 3.

ius actualitatem, & existentiam, abstrahendo similiter ex parte talis modi concipiendi ab eo quod existat, vel non existat: quo pacto concipio tunc etiam rationalitatem. Nec propterea dicere: homo est rationalis: est dicere: homo est existens: hoc enim dicere, seu hæc dictio, aut modus dicendi, est dictio, modus dicendi, seu est dicere realiter distinctum ab illo alio dicere: illud enim prius, est quoddam dicere conditionale abstrahens absolute à tempore ex modo suo dicendi; istud verò posterius, est quoddam dicere absolutum, & de tempore præsentis determinato ex modo suo dicendi: qui sunt modi dicendi, vel concipiendi diversi.

21 Urgebis. Quamvis homo sit idem cum eius existentia, dicitur contingenter: homo est existens: ergo, quamvis sit idem cum sua rationalitate, dicitur contingenter: homo est rationalis. Negatur consequentia: & est ratio notanda: quia hoc prædicatum rationalis: non afficit verbum, est, ut significet absolute, & determinate hoc tempus; & ideo facit propositionem æternæ veritatis in sensu conditionali exposito, num. 10. secus verò illud prædicatum: existens: utpotè ex institutione suæ significationis consignificans determinate tempus præsentis. Rem demonstro: quia si prædicato rationalis adderès notulam significantem absolute, & determinate hoc tempus, dicendo scilicet: homo est nunc rationalis: homo est actualiter rationalis; iam fieret prædicatio de contingenti: quia contingens est absolute, & minime necessarium, quod homo sit nunc, & actualiter rationalis: sicut, & quod heri fuerit substantia, & quod cras futurus sit sensitivus: cum absolute potuerit nunquam omnino esse: eiusmodi autem notulam, quæ alias quodque prædicationes terminorum essentialium faceret absolutas, idè quæ logicè accidentales; secum importat, & involvit ex suæ significationis institutione prædicatum illud, existens, absolute usurpatum. Quid ergo mirum, si prædicationem faciat contingentem, & logicè accidentalem?

22 Dices: ergo si voces istæ: existens: actualis, &c. adiunctæ verbo, est, non facerent eius significationem absolutam, nec illam determinate contraherent ad hoc tempus; sicut verè dicitur semper: homo est rationalis; similiter verè diceretur: homo est existens. Respondeo, pro ea suppositione concedendo consequentiam sine vestigio absurdum: sicut si vox, Leo, significaret quod modò vox, rationalis; verè diceretur, homo est Leo: si vox, existens, significaret quod modò vox, impossibilis; non verè diceretur: homo est existens: Deus est existens. Quid inde? Standum est ergo vo-

cum significationibus, aut minime disputandum. Accipient hæc mutuam Lucem ex dicendis, disp. 12. sect. 5. contra actum creaturæ essentialiter æternum.

Infra di. sp. 12.

SECTIO II.

An existere per essentiam, seu esse Ens necessarium, sit solius omnino Dei.

23 Affirmo: & iudico, id ita certò colligi ex Scripturis, & Patribus, absolute conclamantibus, Deum existere necessariò; & alia cuncta esse desestibilia; ut qui id sub his terminis negaret, Philosophicam quin etiam, & Theologicam censuram mereretur. Maneat ergo inconcussum discrimen istud Dei à creaturis, & ab omni non Deo, quod Deus est unicè Ens per essentiam, & Ens necessarium; nihil verò extra Deum est ens necessarium absolute; sed solum conditionaliter, respectivè, seu ex aliqua suppositione contingenti, ac minime necessaria.

24 Hanc certitudinem, & evidentiam perturbare solent obstacula duo, quæ nihil negotij facerent, si aliqua rectè sententiarum loquutiones per aliorum æquivocationem à vero sensu non alienarentur.

25 Primum obstaculum est, possibilitas intrinseca creaturarum: quæ, cum Deus non sit, actuale quid fuit ab æterno, ut male loquitur Albertinus tom. 2. in 1. princ. Philosoph. disp. 1. quæst. 1. & 2. imò indefestibilis est, & necessaria, ut peius multi loquuntur apud Hæmelman volum. 1. tit. 10. disp. 2. cap. 1. & Izquierdum: disp. 4. num. 19. aliquid enim, aium, necessarium in rebus creatis est, Petrum esse possibilem, quamvis esse existentem non sit necesse. Mihi verò invisæ est ea loquutio, prout à multis usurpati audio: idè quæ nego absolutissimè antecedens: cum enim ea possibilitas intrinseca sit ipsa essentia cuiuscumque creaturæ identificata cum ipsius existentia, deficit quotiescumque, & quomodolibet deficit existentia creaturæ: atque adè ea intrinseca creaturæ possibilitas non est magis ens necessarium, quam essentia, & existentia eiusdem creaturæ.

26 Nec obest loquutio, quæ dicitur: nunc est possibilitas secundi mundi. Ea enim loquutio intellecta de possibilitate extrinseca mundi, quæ est ipsa Dei Omnipotentia necessarissima, verà est; intellecta verò de possibilitate intrinseca identificata cum essentia secundi mundi, ita ut significet, aliquid nunc esse, quod sit ea possibilitas, falsà est, & rotundè neganda. Solum igitur est vera, & permixibilis sic exposita: nunc est possibilis secundus mundus.

Albertinus.

He nelm Izquierd.

Marini.

Suartz.

us: hoc est: nulla sequitur contradictio, si secundus mundus nunc ponatur: ex qua veritate nihil secundi mundi infertur à parte rei existens, necdum necessarium; sed solum, quod nihil esset contradictionis, si alter mundus esset existens.

27 Similiter, nec infertur necessitas impossibilitatis intrinsece alterius Dei ex eo, quod verum sit: alter Deus est impossibilis: quia verum solum dicitur, quod sequeretur contradictio, si alter Deus existeret: ex qua veritate nihil actuale arguitur, nec alter Deus, nec eius existentia, nec eius actualis impossibilitas intrinseca, utpotè identificata cum ipso altero Deo, nec necessitas intrinseca absoluta talis impossibilitatis; sed solum respectiva: quæ nempe ea impossibilitas necessaria est alteri Deo, si sit: ipsa autem non est ens absolute necessarium, sicut neque alter Deus; cuius essentia est ea intrinseca impossibilitas Plura de hoc, disp. 9. à sect. 3.

Infra di. sp. 9.

28 Nec item, obest, quod dicimus, necesse esse Petrum esse possibilem, aut, secutum mundum necessariò esse intrinsece possibilem: ergo quod secundus mundus sit intrinsece possibilis, ac proinde intrinseca eius possibilitas, est ens aliquid necessarium distinctum à Deo. Negatur enim consequentia: nam antecedens, ut falsum non sit, debet taliter exponi, ut necesse sit, non sequi contradictionem, si secundus mundus existat: ex qua veritate, & necessitate logicè conditionali non arguitur alicuius entis distincti à Deo absoluta necessitas, imò nec existentia; ut significat modus loquendi consequentiæ, propterea omnino falsus, & incautè introductus ab alienantibus terminos antecedentis à sincerà suâ significatione: ut dilucidè, & mature explicat doctissimus, & amicissimus; heu! quondam meus, Pater Nicolatus Martinez, è Provincia Bætica ad primariam Collegij Romani Cathedralam dignissimè assumptus controvers. 2. de Deo scientè, disp. 1. benigne exponens quorundam Veterum loquutiones oppositum sonantes: à quibus ea crassa deceptio in vulgus Scholasticum sensum irrepsisse videtur. Legatur insuper Eximius Doctor disp. 32. Metaph. sect. 2.

29 Dices. Si ens possibile non adum, existens nullum omnino intrinsecum, & quidditativum haberet esse nunc, & ab æterno; esset omnino nihil: sed non est omnino nihil: ergo aliquid esse nunc habet, & quidem necessarium, cum necessariò, & non contingentè sit possibile. Minor probatur. Primò: quia, si ens possibile esset omnino nihil, esset tam nihil; quam ens impossibile;

Annissa Disp. Scolast.

quod est omnino nihil: implicat enim in terminis, unum omnino nihil esse magis omnino nihil, quam aliud omnino nihil. Secundò: quia, si ens possibile esset omnino nihil, esset per se sua ipsius nihilitas: sed hoc est falsum: ergo. Minor probatur: quia, si esset sua ipsius nihilitas, quando per creationem transiret de nihilo ad aliquid; ipsa nihilitas transiret in aliquid: hoc autem implicat; sicut, & quod pura nihilitas sic aliquid. Tertio: quia, ut fiat transitus de uno extremo ad aliud, debet dari aliquid utriusque commune, quod fuerit prius sub uno, & nunc sit sub alio: ergo, ut ens possibile transeat de non existere ad existere, debet assignari aliquid his extremis commune, quod prius fuerit sub non existentia, & postea sit sub existentia: id autem commune nequit esse, nisi aliquid esse entis possibile, quod esse præcessit ab æterno atqueam possibile fieret existens: ergo ens possibile non erat omnino nihil: imò aliquid intrinsecum quidditativè ab æterno. Quarto: quia creatura purè possibilis est ens: ergo non est omnino nihil. Antecedens probatur: non est non ens: ergo est ens. Probatur hoc antecedens: sicut se habet ens ad non ens, ita possibile ad impossibile: ergo permixtatis terminis, sicut se habet ens ad possibile, ita non ens ad impossibile: sed ens ita se habet ad possibile, ut ens per necessariam illationem debeat esse possibile: ergo non ens ita se habet ad impossibile; ut non ens per necessariam illationem debeat esse impossibile: ergo, si creatura possibilis esset non ens, esset impossibile: quod in terminis implicat: ergo est ens; ac proinde aliquid esse habet intrinsecum, & hoc quidem ab æterno, & necessarium, distinctum ab existentia, & actualitate contingenti eiusdem creaturæ.

30 Difficilia sũt hæc propter æquivocationes, & alienationes terminorum, quibus scatur: sed inter has spinas vigere debet solida veritas. Respondetur: concessa maiori negando minorem: advertendo, illam præpositionem; ens possibile est nihil: esse negativam, quamvis in copula non exprimat negationem: sicut ista: nullus homo currit: ac proinde istam: ens possibile non est nihil: esse affirmativam, quamvis in copula præferat negationem: sicut ista: nullus homo non currit: ut est principium summativæ circæ æquipollentes. In hoc autem sensu plano, & solido concessa est maior: quasi negativè dicitur: ens possibile non est aliquid. Quod si quispiam per illas voces velit ineptissime intelligere affirmativè; ens possibile esse nihil, afirmando scilicet de tali ente, esse ali-

quid;

quid, quod est nihil; id non solum esset negandum, sed etiam deridendum: haud secus, ac si per has voces: *nullus homo currit*, velles affirmare, currere aliquem hominem, qui est nullus. Certè, quod in una facit vox, *nullus*, ex parte subiecti, facit in alia vox, *nihil*, ex parte prædicati, scilicet propositionem negativam æquipollentem huic: *ens possibile non est aliquid*: sicut ibi negativam æquipollentem huic: *non est aliquis homo, qui currat*. Et in cōtraposito plano, & solido sensu negata est minor, scilicet: *ens possibile non est omnino nihil*: quasi affirmativè dicat: *ens possibile est aliquid*. Hinc.

31. Ad primam minoris probationem dico, voculam illam, *omnino*, esse æquivocam; aut enim significat omninitatem rei, aut omninitatem etiam modi. Explico in hac propositione: *homo est omnino ens*: quæ quidem vera est, significando omninitatem rei: quia nihil est in homine, quod non sit ens: falsa tamen, si significet omninitatem etiam modi: quia homo non est omnibus modis ens: non enim est ens à se, quo modo Deus est ens; nec est ens in alio, quo modo sunt ens accidentia. Undè ad maiorem, concedo, ens possibile esse omnino nihil, & tam omnino nihil, ac ens impossibile, significando omninitatem rei, quia nihil intrinsecum entis possibile est, & nihil intrinsecum entis impossibile est; non verò significando omninitatem modi: quia ens impossibile taliter est omnino nihil, ut repugnet esse aliquid: quo modo ens possibile non est omnino nihil: quia, quamvis non sit aliquid, non repugnat esse aliquid. Et in hac omninitatis significatione falsa est minor: non enim implicat, unum omnino nihil esse magis omnino nihil, quam aliud omnino nihil, variatè scilicet significatione vocis, *omnino*: ita nempe, ut omninitate rei duo sint pariter omnino nihil, quatenus nihil eorum est aliquid; & omninitate modi, unum sit magis omnino nihil, quam aliud, quatenus unum, nec est, nec potest esse aliquid, quale est ens impossibile; aliud verò non est aliquid, & potest esse aliquid, quale est ens possibile, ex quo nempe, si esset, non sequeretur contradictio.

32. Ad secundam, nego maiorem. Aliud enim est, quod ens possibile non existat aliquid, quod per se ipsum non existat: primum verum est; secundum, falsum, ut patet ex ijs, quæ subiunguntur in probatione minoris: & ex ijs quæ diximus sect. 1. num. 6. ad secundam probationem alterius similis maioris: ubi habes rationem, quæ posset hic desiderari.

Supra  
sect. 1.

33. Ad tertiam, distingo antecedens: ut sit transitus physicus conversivus, seu per modum physice mutationis, concedo: ut aliter quoquo modo fiat transitus entitativus, seu logicus, nego antecedens, & consequentiam: ad hoc enim sufficit, quod successive incipiat esse, quod antea non erat: & sic dicitur transire de non existente ad existentem, aut de non esse ad esse, quando in tempore producit, quin aliquid intrinsecum rei actu præcesserit. Dices: res, quæ antea non erat, modo est: ergo quidditas eiusdem rei est subiectum commune præcedens ad existentiam, & manens postea sub existentia: cui antea conveniebat, non existeret; & postea, existeret. En falsam imaginationem, & confusionem subiecti logici prædicationis cum subiecto physico receptionis. Concesso igitur antecedente, nego consequentiam. Est quidditas rei subiectum commune logicum earum prædicationum, quarum una affirmat, altera negat existentiam de eadem re: non verò subiectum physicum formatum, quarum una sit existentia, & altera sit non existentia rei. Undè nego, quod quidditas rei quæ subiectum præcedens ad existentiam rei. Nam subiectum logicum non est necesse quod in re præcedat ad prædicatum: cum de re non existenti nec exiturâ, imò & de re impossibili, negemus sæpe, & affirmemus multa prædicata existentia, & non existentia. Itaque propositio illa: *res non erat*: nõ ponit, aut supponit à parte rei quidditatem rei, quasi subiectum substratum suæ existentie, ut falsò imaginatur arguens; sed tangit quidditatem rei, ut subiectum logicum, cui negatur actualiter, esse exclusum à rerum natura, & sic illi verè id negatur per eiusmodi propositionem. Alioquin, iuxta arguentes, ea propositio verissima: *res qua non erat, est*, inferret hanc falsissimam: *ergo res, que non erat, erat*. At in qua Dialecticâ?

34. Ad quartam, distingo antecedens, æquivocum etiam propter variam usurpationem vocis, *ens*, modò substantivè, non inferente contradictionem si existat; modò adiectivè, seu participialiter, pro eodè, ac *existens*. In hoc secundo sensu, falsum est antecedens: quia creatura, antequam sit, non est existens. In illo primo sensu substantivo, & nominali, verum est antecedens: at per illud nihil absolute affirmatur de re, sed conditionaliter: cum sit sensus: *creatura possibilis nullam inferet contradictionem, si existat*. Undè nego consequentiam: nam ex veritate antecedentis in hoc sensu non inferetur, aliquid rei esse; sed quod si esset, nul-

la

la contradictio esset. Ad probationem antecedentis, distingo similiter antecedens: creatura purè possibilis non est non ens substantivè, concedo: quia nõ est talis, ut si sit, inferat contradictionem: adiectivè, seu participialiter, nego: quia re vera non est talis, ut sit existens: & in hoc sensu est non ens, id est, non existens. In quo eodem sensu nego consequentiam, quod nempe sit ens, id est, existens: quamvis verum sit, quod est ens substantivè, id est, quod si existat, non inferet contradictionem. Ad probationem antecedentis, quæ videtur formari ad normam demonstrationis Euclidis lib. 6. prop. 16. dico id habere locum in aliquibus proportionibus quantitativis iuxta materiã Mathematicis subiectam; in alijs universim minimè tenet, ut notat ibi Clavius; & patet in hoc argumento: *Sicut se habet currere ad non currere, ita posse currere ad non posse currere: ergo permutatis terminis, sicut se habet currere ad posse, ita non currere ad non posse: sed omne currens potest currere: ergo omne non currens non potest currere*: de quo iterum disp. 17. num. 52. Itaque, generaliter, & in omnibus loquendo, falsa est maior: & concessa minori, nego consequentiam, loquendo de esse adiectivè, & participialiter; in quo sensu procedit argumentum: nam si procederet in alio, scilicet de ente in sensu nominali, totus syllogismus esset verus. Negamus tamen, creaturam possibilem in hoc sensu esse non ens: cum non sit talis, quæ, si esset, inferret contradictionem. Ex quo non deducitur subillatio, quod scilicet creatura nondum existens habeat nunc, & ab æterno aliquod esse intrinsecum; sed quod, si illud haberet, non inferret contradictionem.

Euclid.

Clavius.

Infra  
d. sp. 17.  
Sect. 5.

35. Secundum obstaculum contra certitudinem nostræ conclusionis est aliquarum, uti aiunt, carentiarum à Deo distinctarum extrema necessitas: quæ loquutio alios quoque caligare fecit in re clarissima. Quocirca audire lubet carentiarum amassios inter se digladiantes. Quidam enim rerum, ut aiunt, carentias à Deo, & ab omni positivo realiter distinctas, quas ore pleno, & serenâ frõte realia entia vocat, esse putat entia necessario existentia, quando earum termini negati impossibiles sunt: ita nempe, ut sicut est impossibilis secundus Deus, & sicut est necessarium, hunc Deum esse unicum, sit pariter necessaria prædicta carentia alterius Dei, & aliarum chimærarum, à Deo realiter distincta: ergo ultra Deum est aliquod ens necessario, & per essentiam existens. Egregiè. Alij verò circûspiciunt cum P. Borrull disp. 10. num. 16. recu-

Borrull.

lant huiusmodi carentias necessarias: quia, inquit, quamvis necesse sit, Deum esse unicum, & non dari alterum Deum, ac promerè dari carentiam alterius Dei, non tamen dari, hanc numero carentiam: quia loco istius potuit dari alia, quæ posita, licet hæc deficeret, non daretur alter Deus: sicque de nullâ dici valet, quod sit ens necessarium. Ingeniosè. Priores illi mirantur facilitatè, quæ isti variant pro libito carentias; posteriores verò, animositatem, quæ illi admittunt ens multiplex necessarium ultra Deum. Ego quidem neutrum demitor, admittis semel eiusmodi carentias. Quid enim parant, nisi monstra in Philologia, & Theologia? Sicut Augustinus: *Hoc tu non sentis; sed sequitur illa, quæ sentis: muta ergo antecedentia, si vis cavere sequentia*.

August.  
lib. 2. ad  
Pollentio  
cap. 4.

36. Priores ergo sic insequor. Quia Sancti PP. & Interpretes ex divino illo effato: *Ego sum, qui sum*; absolutissime intelligunt, & eloquuntur, nihil distinctum à Deo esse ens necessarium. Quidam igitur monstri est, ens aliud admittere ita necessarium, quo Deus egeat, aut non egeat æquè, ac illud Deo? Dices, eiusmodi carentias non esse ens absolute, sed secundum quid, aut entitatus quasdam diminutas; non simpliciter res, sed reclusas, ut loquitur Lynceus 4. *Metaph. Tract. 2.* Contra tamen: quia multi Recentes eas plenis buccis, & absolute vocant entia, & quidem univocè cum entibus positivis: hi ergo admittentes hæc entia necessaria, manifestissime contradicunt sensui, & loquutioni Sanctorum PP. ex Scripturis. Insuper: necessitas existendi ex hoc ipso conceptu est magna perfectio; neganda per omnes entia positive creato, quantumvis perfectos ergo negada potiori iure caritunculis imperfectissimis, absolute indignis nomine entis: aut certè simili phrasi, vel antiphrasi, vocentur, si Superis placet, entia à se, infinita, essentialiter immensa, æterna, &c. Quidquod simili vocum ludibrio posset quis suscitare modulorum positivorum grægem, supparem multitudini eiusmodi caritunculis, & vocando illos diminutas entitatus, modulos, reclusas, aut ens secundum quid; asserere, esse entia necessaria, immensa, æterna, &c.: non sine patentissima veritatis iacturâ. Iterum Augustinus: *Dicant ista qui ausi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint*.

Exod. 31

Lynceus

August.  
lib. 1. de  
pecc. mor.  
cap. 26.

37. Posteriores verò sic. Primò, quia non evitant necessitatem vagam alicuius entis à Deo distincti: neque quod Deus indigeat alio ente ultra se, quamvis distinctum, hæc, vel illo: undè nec omnino erit sibi sufficiens.

Ca

ficiens

ficiens: quæ similiter absonant ab Scripturis, & Sanctis PP. Secundo: quia, contra quod iidem Authores idemdem docent, fieri, rei carentiam non esse præcisè eam non esse: siquidem, re non effente, adhuc non datur ea carentia, sed alia: unde, nec omnino contradictorie opponerentur res, & hæc rei carentia, siquidem, data aliâ rei carentiæ nec daretur res, neque hæc rei carentia. Tertio: quod Dei esset arbitrium, quod poneretur à parte rei hæc potius, quam alia carentia secundum Dei, sicut quod iste potius quam alter mundus. Quid igitur deesset, quominus eiusmodi carentia sit ens positivum? siquidem iam non est præcisè non esse alterum Deum: & haberet in se intrinsece esse ens, esse verum, bonum, & unum, & alia pleraque prædicata de se affirmabilia. Quisnam autem esset conceptus entis positivi non adaptabilis tali carentiæ? Pu let in his ulterius immorari. S. t. lusimus; redeamus ad scria.

38 Mibi quidem expeditissima manet veritas, quod solus omnino Deus Optimus Maximus, sibi sufficientissimus, nulliusquæ boni extra se, nec per umbram, egens; est ens necessarium, & per essentiam: Quippe eiusmodi carentias reales ab omni positivo distinctas à mea Philosophia, & Theologia, longius amandavi: quas tamen, dum loquebar ut parvulus, in e usus ebiberim. Audiat Ambrosius: lib. 1. de Fide ad Gratianum: est horum aliquid, quo egeat Deus? impium est dicere.

SECTIO III.

Quomodo existentia, seu actualitas essendi, distinguitur, aut includatur, à conceptu Essentiæ metaphysicæ Dei.

39 **C**onstat ex dictis, Essentiam, & Existentiam Dei non distinguï, nec invicem includi, aut excludi, realiter: quia realiter sunt idem: & constabit ex dicendis præsertim disp. 7. nec distinguï ex natura rei, aut virtualiter, quia nulla de illis, aliàs contradictoria, verificantur. Manet itaque difficultas de inclusione, vel distinctione rationis. Et in limine noto, quod multi ex Authoribus, negantibus essentiam, & existentiam ratione distinguï, non perinde negant, distinguï ratione ex modo nostro concipiendi; sed ratione obiectivè iuxta sua principia. Unde in re fortè nobis non advertabatur, quamvis voce videantur contradicere. Id quod in Gillio, & Fasolo faciliè animadvertes: & in

Patre Suarez colligo ex eo quod hic lib. 1. c. 2. negat, ratione distinguï in Deo essentiam, & existentiam: cum tamen disp. 29 metaph. scilicet. 3. approbet hæc doctrinam in Deo existentiæ, quia est ens nec substantia, & non est contrarium: quod sine distinctione rationis, saltem ex modo concipiendi, approbare non potuit: cum quo fit, quod postea docuit, non distinguï ratione, scilicet obiectivè.

40 Conclusio nostra bipartita sit. Aequalitas existendi est de essentiâ formalissimæ Dei; distincta tamè per rationem ab essentiâ Dei. Prior pars traditur à Suarez cap. 2. Fasolo disp. 7. art. 4. Gillio tract. 2. c. 5. Martino Perez disp. 11. de Trin. Magistro Lambier qu. 5. art. 5. P. Barull disp. 5. scilicet. 7. Granado, & alijs, ex 5. Tho. varijs in locis, contra Mayronem, Ariagam, Salas Godoy disp. 4. §. 10. & in eos alios. Posterior pars traditur à P. Valquez, Gran. Ariaga, & sapientissimo Montoya disp. 25. de Trinit. contra P. Suarez, Gillium, ex Fasolum, quos à fortiori sequitur Huetad. quatenus docuit in Metaph. disput. 8. neque in creatis distinguï ratione essentias, & existentias.

41 Prior conclusionis pars iuxta constitutionem essentiæ metaphysicæ Dei, quam adstruimus disp. 5. ex omnibus perfectionibus necessarijs absolutis Dei, est indubitata: nam existentia perfectio necessaria, non absoluta Dei est. Seorsim tamen ab eâ nostrâ doctrinâ, probatur: quia, quamvis habeat Deus prædicata infinitatis, afeitatis, independentiæ, & alijs, per quæ differt à creaturis; at nullum istorum est prius prædicato actualitatis: sicut enim, ut rectè Gillius, in creatura, quod sit dependens, & finita reducitur ad eius potentialitatem, & contingentiam essendi; sic in Deo, quod sit à se, infinitus & independens, reducitur ad summam actualitatem sui esse, & ad summam necessitatem essendi, per quam ex æquo contraponitur creaturæ, tanquam actus purus in genere entitativo enti potenciali: ergo hæc essentialis actualitas, & summa necessitas existendi, est de conceptu primario constitutivo Dei, non minùs, quam quodlibet aliud prædicatum afeitatis, infinitatis, independentiæ, spiritualitatis, intellectivitatis, &c.

42 Posterior autem conclusionis pars probatur, & explicatur. Quia, quamvis existentia, sive actualitas, sit prædicatum essentialiale Dei; alia tamen dicit quoquæ Deus metaphysicè constitutus prædicata, non minùs essentialia, ut prædicatum entis, substantiæ, spiritûs, intellectivi, infiniti, à se, &c. quæ a prædicato existentia, sive actualitatis, ratione nos-

nostrâ distinguantur: concipimus enim rationem substantiæ, per ens per se; rationem spiritûs, per eos independens à materiâ, & sic de alijs, præcendendo ex talibus modis concipiendi à ratione existentis, vel non existentis. Ergo ab eius modi prædicatis seorsim sumptis distinguitur existentia per rationem exclusivè, sicut à sensitivo discursivum in homine; à totâ verò Essentiâ Dei adæquatè sumpta, distinguitur includivè, hoc est, ut includum ab includente, sicut ab homine discursivum: ergo ab essentiâ Dei, sive adæquatè, sive in adæquatè sumpta, distinguitur existentia, sive actualitas per rationem: sive velis obiectivè sive ex parte solius modi concipiendi per conceptus eorum eandem definitivos, iuxta varia variorum principia Philosophica.

43 Contra priorem conclusionis partem obijcies primò. Eo ipso, quod intelligatur ens necessitatum ad sui existentiam, intelligitur intra lineam essendi diversum à creaturis per prædicatum præcedens ad prædicatum existentia: ergo prædicatum existentia est consequens ad illud, & non pertinet ad primariam differentiam Dei intra lineam essendi. Antecedens probatur: quia necessitas ad existentiam, & est intra lineam essendi, ut patet; & est quid diversum ab existentia, quam scilicet habet pro termino; & est prius existentia. Confirmatur: quia valet causalis. Deus est existens, quia est ens necessarium: non è conversò: ergo quia prædicatum entis necessarii præcedit in Deo ad existentiam, & actualitatem, quæ ex illo sequitur, habetque se propterea de secundario. Respondetur primò ex dicendis disp. 5. dato antecedente, negando secundam partem, consequentiæ: scilicet enim essentia metaphysica primaria adæquatur ex prædicatis prioribus, & posterioribus, & quorum unum sequitur ex aliò, ut ibi explanabimus.

44 Respondetur secundò seorsim à prædictâ doctrinâ, negando antecedens: nam prædicatum necessitati ad sui existentiam nõ est in Deo quid præcedens ad Dei existentiam magis quam in homine prædicatum necessitati ad essendum rationale præcedat rationale: aut in ipsa Deitate necessitas essendi Deitatem præcedat Deitatem: aut in ipsa necessitate essendi, necessitas ad talem necessitatem præcedat ipsam necessitatem: necessitas enim, & determinatio ad existendum, nihil est aliud, quam ipsa existentia, sicut determinatio seu necessitas ad essendum animal rationale est formaliter ipsum animal rationale,

Hinc ad probationem nego, quod necessitas summa ad existentiam sit in Deo prædicatum prius ad existentiam, habensque pro termino existentiam: est enim formaliter ipsa existentia, sive actualitas: sicut necessitas essendi Deum est formaliter ipse Deus, & non habet pro termino Deum, nisi secundum dici. Quomodo necessitas ad existentiam, ut ad terminum, quem respicit, non est prædicatum existens in Deo, nec talis respectus est secundum esse Dei, sed secundum dici potest. Unde frustra contenditur, esse prædicatum prius: sicut frustra contenditur, necessitatem essendi Deum habere pro termino Deum, esse prædicatum prius Deo. cum tale prædicatum non sit in Deo. Quod si nos aliquando illud in Deo concipimus, idè est, quia non semper Deum concipimus, ut est sed ad instar aliquarum determinationum creaturæ respicientium pro termino aliquid distinctum. Ad confirmationem, nego consequentiam: non enim idè valet ea causalis, quia ea necessitas in Deo præcedat existentiam; sed quia existentia est prædicatum universalius: quod propter similitudinem valet: Petrus est substantia, quia est homo, & non è conversò: non quia homo præcedat substantiam in Petro; sed quia substantia est prædicatum universalius: quatenus omnis homo est substantia, sicut omne necessarium est existens: non verò omnis substantia est homo, sicut nec omne existens est necessarium.

45 Obijcies 2. cum disputamus: an essentia adæquata Dei claudat existentiam; concipimus ex una parte essentiam adæquatam Dei, & ex alia existentiam: quippe, si ex parte essentiæ exprimeremus iam existentiam, vana esset questio: quæreretur enim, an essentia Dei cum sua existentia claudat existentiam: ergo concipimus seorsim ab existentia essentiam adæquatam Dei.

46 Militat hæc obiectio contra omnes. Primò, quia fieri similiter posset in essentia physica Dei, quæ apud omnes involvit existentiam. Secundò quia assignato quocumque prædicato pro essentia Dei, ( assignemus pro nunc, si vultis, intellectum à se ); certum est, essentia metaphysicâ adæquatâ Dei, esse constitutivum Dei & nõ est certum intellectivum Dei esse essentia metaphysicâ adæquatâ Dei, nec esse adæquatâ Dei constitutivum: & tamè disputâtes quærimus, an essentia metaphysica Dei sit intellectivum à se. Insuper: quamvis admittas, intellectivum à se esse essentiam adæquatam Dei, dicit intellectivum à se non negari probabiliter in se formaliter de intellectu à se: enim est probabile, quod intellectivum à se

Suar.  
Fasol.  
Gill.  
Perez-Lumbier.  
Barull.  
Granad.  
S. Tho.  
Mayron.  
Ariaga.  
Salas.  
Godoy.  
Huet.

intra  
disp. 5.

Ambros.

infr.  
disp. 7.

Gill.  
Fasol.  
Suar.



à se nō sit formaliter intellectivū à se; essentia vero metaphysica Dei negatur probabiliter in sensu formali de intellectivo à se: quia probabile est, intellectivam à se non esse formaliter essentiam Dei: ergo de intellectivo à se, (idem erit de quolibet predicato, in quo essentiam Dei situs) & de essentia Dei sunt prælicationes sufficientes, ut inter essentiam Dei, & intellectivam à se, ponatur distinctio rationis: sive obiectiva, sive ex modo tantum concipiendi, sive virtualis, iuxta varia principia Philosophica, quæ nunc non curo.

47 Respondetur ergo ad objectionem, advertendo, quod in intellectivo à se (idem de quolibet alio predicato assignabili pro essentia metaphysica Dei) datur esse intellectivum à se, & datur esse essentiam metaphysicam Dei: sicut in rationali datur esse rationale, & datur esse essentiam hominis: hæ autem formalitates sunt ratione distinctæ: quia distinctus conceptus est, esse intellectivum à se sub his terminis, & esse essentiam metaphysicam Dei sub his terminis: sicut in rationali, esse rationale, & esse essentiam hominis: ut bene probat obiectio. Ad quam inde in forma, concedo antecedens, & distinguo consequens: præcindimus ab existentia essentia adæquata Dei, prout his terminis concepta, concedo: concepta per terminos nominatim, qui sūt essentia adæquata Dei, nego: quia unus ex his terminis est necessitas existendi imbibens in conceptu suo definitivo summam actualitatem existendi. Dixi: *in conceptu definitivo*: nam hic conceptus attendendus est ad dignoscendam inclusionem, vel exclusionem, formalem. Sic animal imbibitur eundem in homine, & dicimus in sensu essentiali & formali: *homo est animal*: non quia non possint formari multi conceptus de homine, excludentes formaliter animal; sed quia formato conceptu definitivo hominis, ibi formaliter exprimitur animal. Ad hunc ergo modum, existentia est de conceptu essentiali formali essentia Dei: nō quia non possint formari multi conceptus essentia Dei, non exprimentes existentiam: nam conceptus præcisè correspondens his vocibus, *essentia Dei*, non exprimit existentiam, ut probat obiectio, sicut nec exprimit intellectivum à se, ut nos etiam intulimus; sed quia essentia Dei, hoc est illa prædicata nominatim assignata pro essentia Dei, quorum unum est prædicatum entis necessarij, imbibunt summam actualitatem existendi in conceptu suo definitivo, ut patebit definiendo ens à se necessarium.

48 Atque hinc solvitur alia obiectio,

quæ sic instruitur. De essentia Dei quærimus, an existat; non verò de essentia, prout actu existente: ergo, dum id quærimus, concipimus ex parte subiecti essentiam Dei, & non existentiam Dei: ergo essentiam Dei sine existentia. Cæterum instatur similiter: nam de essentia Dei quærimus, an sit intellectivum à se, & non id quærimus de intellectivo à se: ergo ratione præcindimus hæc prædicata: sicque nec intellectivum, (& idem erit de quocumque alio predicato) erit formaliter essentia Dei. Similem objectionem opponit sibi S. Thomàs sic: scimus Deum existere, & non sic scimus, quæ sit essentia Dei: ergo esse Dei non imbibit existentiam. Similiter etiam posset instari: scimus Deum esse intellectivum à se, & non scimus, quæ sit essentia Dei: ergo esse Dei non imbibit intellectivum.

S. Tho.

49 Respondendum ergo pro omnibus est, distinguendo antecedens: de essentia Dei concepta ex parte subiecti conceptu respondente præcisè his vocibus: *Essentia Dei*; concedo: in hoc autem conceptu iam diximus, non exprimi, aut non imbibere per eum modum concipiendi existentiam: de essentia Dei sumptâ nominatim pro prædicatis illis, ex quibus ipsa constituitur; nego antecedens: nam unum ex illis prædicatis est necessitas, seu summa actualitas existendi: vanum autem esset querere: an ens existens sit existens. Unde distingo similiter consequens: dum id quærimus, concipimus ex parte subiecti essentiam Dei, conceptu correspondente his vocibus, *Essentia Dei*, præcisim ab hoc vel illo predicato, in quo stat essentia Dei, concedo consequentiam: aliter nego: & similiter distingo, & concedo subillationem: ex quo nihil contra nos: quia cum hoc stat optimè, quod existetia, sicut & intellectivum, sit unum ex prædicatis, per quæ nominatim constituitur essentia metaphysica Dei. Ad similem objectionem S. Thomæ, concedo antecedens, & distingo similiter consequens: essentia Dei sic præcisè concepta, concedo: concepta per prædicata nominatim, quæ sunt essentia Dei, nego consequentiam: nam ex antecedente solum infertur, posse nos scire, Deum existere, iudicio ita imperfectè concipiente Deum, eiusque existentiam, & essentiam, ut non sufficiat ad dijudicandum ita certò, quodnam nominatim Dei prædicatum sit præ alio essentia Dei.

50 Contra posteriorem partem nostræ conclusionis obijcitur tertio. Ut aliqua prædicata ratione distinguantur, habere debent connotata realiter diversa: sed existentia Dei,

Dei, & quodlibet aliud prædicatum, quod sit essentia Dei, non habeat connotata realiter diversa: ergo existentia, & essentia Dei, ne ratione quidem distinguuntur. Multi, concessâ maiori, laborant circa minorem in investigandis connotatis realiter diversis ubi non sunt. Ipse negavi maiorem in Philosophia: nam distinctio rationis fundatur, sive in connotatis realiter diversis, ut cum in unico modulo distinguimus formalitates actionis, & passionis versus connotata agentis, & termini: sive in connotatis ratione diversis, ut cum in unico ente distinguimus formalitates veri, & boni in ordine ad intellectum, & voluntatem, quæ ratione tantum distinguuntur: sive in convenientiâ, & inconvenientiâ cum alijs, ut cum in homine distinguimus rationalitatem ab existentia; quia convenit cum lapide in existentia, & non in rationalitate: sicut in æquivalentia distinctorum, ut cum in Deo ratione distinguimus intellectivum ab intellectu, quia æquivalent nostris intellectui, & intellectio- ni realiter distinctis. Falsum ergo est, recurri semper debere ad connotata realiter diversa, pro distinctione rationis.

51 Obijcitur 4. Prædicata essentia Dei non concipiuntur esse Dei, nisi concipiantur, ut existentia: ergo imbibunt formaliter existentiam, ita ut existentia, nec ratione distinguatur exclusivè ab ullo predicato essentia Dei. Respondetur, distinguendo antecedens: non concipiuntur esse Dei per differentiam adæquatam, qua contrahuntur ad Deum, concedo: per inadæquatam, nego antecedens, & duas consequentias: nam eo ipso: quod prædicata entis; substantia, intellectivi, &c. concipiuntur cum aëritate, vel infinitate, aut independentiâ, iam concipiuntur esse Dei, quamvis non per differentiam adæquatam; sed vel per inadæquatam, vel per conceptum aliquem attributalem. Sic eo ipso, quod concipiam animal iudicativum, vel risibile, iam concipio animal, ut hominis: non quidem contractum ad hominem per differentiam adæquatam; sed vel per inadæquatam, vel per proprietatem.

Suar.

52 Obijcitur tandem ex P. Suar. lib. 1. cap. 2. num. 7. Si aliquod prædicatum essentia Dei concipi possit absque existentia, conciperetur ut indifferens, & in potentia ad non existendum, imò, & ut non existens: sed nequit sic concipi: ergo nullum prædicatum, dum concipitur esse Dei, potest concipi sine existentia. Probatur minor: quia sic concipi, esset concipi, ut quid potentiale

vel merè possibile, quod est proprium entis creati: ergo nequit sic concipi, si concipitur, esse Dei. Confirmatur. Eo ipso, quod concipiam hominem, quatenus, si desubtiliter existat, non infert contradictoria, concipio illum, ut ens creatum: ergo eo ipso quod concipiam aliquod prædicatum, quatenus, si existat non infert contradictoria, indifferenter tamen, ut existat, vel non existat, concipio etiam illud, ut ens creatum: ea enim indifferentia est ipsa desubtilitas: ergo eo ipso, quod concipiam aliquid, ut est prædicatum Dei increatum, non possum id concipere cum ea indifferentia, ut existat, vel non existat: ergo debeo concipere, ut existens: ac proinde impræcindibiliter ab existentia.

53 Respondetur ex P. Granada d. sp. 2. Granada num. 7. negando maiorem. Nam, ut prædicatum concipiatur sine existentia, hoc est, non concepta existentia ex parte modi, quod est idem, ac non cognosci quod existat; non est necesse concipi, ut non existens, seu cognosci, quod non existat: neque est necesse cognosci, ut determinatum, neque ut indifferens ad existentiam; sed potest præcindi ab omnibus his: hoc est, potest cuiusmodi cognitio taliter versari circa tale obiectum, nempe Deum, ac si Deus, nec esset, nec peteret esse existens: quia ipsa neutrum horum dicit ex modo suo cognoscendi, quamvis, Deum alterutrum ex parte obiecti dicere, necesse sit. Sic, quamvis necesse sit, Deum esse Omnipotentem; aliqua tamen est cognitio nostra de Deo, dicens esse sapientem, ita versans circa Deum, ac si Deus non esset Omnipotens.

54 Aliter, si mavis, responderi potest, distinguendo maiorem: præcisivè, concedo; negativè, nego. Explico. Concipi prædicatum Dei, ut non existens præcisivè, non est concipi negando illi existentiam; sed nō concedendo illi existentiam: quod nec repugnat Deo, nec veræ cognitioni de Deo: nam ut dixit S. Thom. *abstrahendum non est mendacium*. Concipi, ut non existens, negativè, est concipi negando illi existentiam: quod repugnat veræ cognitioni de Deo. Sic autem dicimus, non posse verè concipi esse Dei per cognitionem negantem illi existentiam. Hinc cape, & est tota solutio, pro hac, & alijs materijs: quod aliud est concipi prædicatum, ut non existens; aliud, non concipi, ut existens: illud prius, repugnat veræ cognitioni de prædicato divino; non verò istud posterius: quia non esse existentem convenit creaturæ, & repugnat Deo; at non con-

concipi à nobis, vt existentem, nec Deo, nec creaturæ repugnat; nec est defectus Dei sic cogniti; sed intellectus nostri sic cognoscentis.

55 Ad confirmationem, concedo antecedens, & distinguo consequens: si concipio tale prædicatum indifferenter ad existendum, vel non existendum, tribuendo illi prædicato eam indifferenciam, concipio illud, vt ens creatum, concedo: si concipio indifferenter, non tribuendo illi prædicato eam indifferenciam, sed indifferenciam se tenente ex parte cognitionis meæ, relinquens me indifferenciam, vt mox eiusmodi conceptum contraham per aliam cognitionem ad ens creatum in se indifferens, seu per aliam cognitionem ad ens increatum in se determinatum ad existendum, nego consequentiam. Hoc enim non est dari eiusmodi indifferenciam in re cognita, sed in cognitione nostra præcisiva, indifferenter ex parte modi cognoscente: vt in simili tetigit S. Thom. quæst. 12. art. 2. ad 3. exemplificans in eo qui probabiliter iudicat aliquam propositionem esse demonstrabilem: quippe de illa iudicat probabiliter ex parte modi, quia probabiliter, & non demonstrativè iudicat; quamvis non iulicet probabilitatem, sed demonstrabilitatem talis propositionis. Hinc distinguo secundum consequens: eò ipso quòd concipiam aliquid, vt est prædicatum Dei increatum, non possum id concipere cum ea indifferencia, vt existat, vel non existat, tribuendo tali prædicato eam indifferenciam, concedo: cum ea indifferencia se tenente ex parte meæ cognitionis non determinantis ex parte sui modi cognoscendi intellectum ad iudicandum tale prædicatum existere, aut non existere, nego consequentiam: & deinde totam subillationem. Aliud enim est, vt dixi, concipere prædicatum Dei esse ex parte sui indifferenter ab existendum; aliud est concipere illud ex parte nostri modi cognoscendi indifferenter, seu præcisim ab eo quòd existat, vel non existat. Prius illud repugnat veræ cognitioni de Deo; non istud posterius.

SECTIO III. QUALITER DEO, ENTI PER essentiam existenti, conveniat, vel repugnet esse Ens à se.

56 ENS à se dicitur dupliciter. Primò, à se positivè: hoc est, habens suum esse à se ipso acceptum, seu productum. Secundò, à se negativè: hoc est, habens suum esse à nullo acceptum, nec productum.

57 Putarunt aliqui, Deum esse ens à se positivè: hoc est, à se, vt à causa sui ipsius,

dante, vel producente sibimetipsi suum esse: aut se ipsam fecisse, vt loquitur Seneca: aut se creavisse, vt aiebant alij Ethnici: aut ante omnia ex se ipso fuisse procreatum, vt loquitur Lactantius apud Gillium lib. 2. tract. 1. cap. 3. vbi refert hæc verba Sancti Hieronymi: Deus sui origo est, sueque causa substantiæ: quibus similia legi fertur in Operibus Augustini. Cæterum Theologi verba Hieronymi, & si quæ leguntur similia in Augustino, exponunt benignè, non de causa propria effectiva; sed de ratione formali positiua per se, & à se essendi; quasi dicant, Deum, vtpotè ens necessarium, esse sibi rationem formalem suæ à se existentia. Quod etiam voluit fortè Richardus, cum dixisse dicitur, Deum esse à se, vt à causa formali. Lactantius non ita facile excusatur.

58 Certum de fide sit, Deum non esse ens à se positivè modo explicato. Primò: quia in Symbolo Athanasij absolutissimè dicitur Deus: Vnus increatus: & similiter Pater: à nullo factus, nec creatus, nec genitus. Si autem Deus esset factus, seu productus; Pater factus etiam, & productus esset, & diceretur. Secundò: quia inter producentem, & productum dari debet realis distinctio, vt patet ex terminis Philosophicis, & ex distinctione divinarum Personarum, exinde notà, quòd vna Persona producat aliam, vt ex doctrinis Sanctorum Patrum arguunt Theologi. Tertiò: quia Deus non est prior se ipso, vt est perspicuum: esset autem se ipso prior, si produceret se ipsum: cum productio sit ratio prioritatis, naturæ, vel originis in producente ad productum. Vt videntur qui in Philosophia non satis respiciunt, idem posse se ipsum producere, quantum derogent rationibus ad suadendum, aut Personas distinguere in Deo titulo suarum productionum, aut Naturam titulo suæ identitatis non esse à se ipsa productam.

59 Certum est etiam de fide, Deum esse ens à se negativè: scilicet, ens non ab alio. Quoniam verò dupliciter potest ens esse ab alio, nempe vel ab alio, vt à causa, vel ab alio, vt à principio; duo quoque sunt modi essendi à se: vnus, contrapositus modo essendi ab alio, vt à causa dicitur; alter contrapositus modo essendi ab alio, etiam vt à principio. Loquimur in sensu reali formali, vt pro nunc abstraham à modo, quo in Deo aliqua perfectiones posteriores dicuntur esse ab alijs prioribus virtualiter, vel ratione nostra: id quod etiam impugnabimus contra multos Virtualistas disp. 7. sect. 2.

60 Dicendum primò. Aliquæ Dei perfectiones sunt ens à se negativè vtroque modo, hoc est, neg ab alio, vt à causa, nec

Seneca. Lactan. Gillius. Hieron.

Richardus

Symbol.

ab alio, vt à principio; non tamen omnes. Probat, & explicatur prima pars: quia Deitas, & Paternitas non sunt ab alio, vt à causa, in quo conveniunt cum alijs perfectionibus divinis: nec sunt ab alio, vt à principio, quia non habent, sicut aliqua alia perfectiones, intra ipsum Deum principium à quo procedant: ergo sunt ens à se contrapositè ad vtrumque modum supradictum essendi ab alio. Secunda pars probatur, & explicatur: quia Personæ productæ in Deo, quamvis non sint ab alio, vt à causa; sunt tamen aequaliter ab alio, vt à principio; nempe à Personis producentibus ex quibus procedunt: ergo non sunt ens à se vtroque illo modo negativè: hoc est, omnino negando utrumque illum modum essendi ab alio. Id quod diversis terminis dici solet, Filium, & Spiritum Sanctum non esse ab alio neutraliter; sed masculinè: quia sunt à Patre, qui quamvis sit alius, non tamen est aliud ab illis: nam, aliud, neutraliter significat alicuius in natura. Ideò cave, ne absolutè dixeris, Personas productas esse ab alio, non adhibitâ aliquâ ex prædictis limitationibus.

61 Dicendum secundò. Omnes divinæ perfectiones sunt primo, & præcipuo illo modo ens à se negativè: hoc est, non ab alio, ut à causa. Ratio est; quia nulla Dei perfectio causatur: ergo nulla est ab alio ut à causa: ac proinde omnis est ens à se in hoc præcipuo sensu, iuxta quem absolutè loquendum est. Antecedens patet: quia Personæ productæ, quamvis sint à producentibus, sunt ab illis, ut à principio, prorsus indefectibiliter, & necessariò; non ut à causa, quia non sunt defectibiliter: ergo non causantur. Quod si PP. aliqui apud Montoyam disp. 40. de Trinit. utuntur in illis nomine causæ, loquuntur improprie iuxta explicationem Besarionis in Florentino Oratione pro Unione sic dicentis: Notandum, quòd Sancti PP. Orientales. etiam in divinis, utuntur nomine causa, & causati, largo modo: non quidem ut limitationem, & dependentiam importat. Nimirum causa dicit defectibilitatem in causato, repugnantem enti necessario, ac indefectibili.

62 Obijciat aliqui. Si Relationes divinæ, prout ab essentia condistinctæ, essent ens à se, ut tales essent increatæ: ergo essent in Deo realiter tres increati: contra illud Symboli: Non tres increati; sed vnus increatus, & vnus immensus. Respondetur: negando absolutè consequentiam: nam absolutè in sensu SS. Patrum, ut loquitur Symbolum,

Munissa Disput. Scolast.

increatus, supponit pro increato absoluto: & esset dicere, dari tres Deos increatos. Ceterum cum addito, & nunquam aliter, dici possunt tres Personæ tres Relationes increatæ, tria Relativa increata, sicut & incausata: ut permittunt iam multi Theologi, & videre est apud Arriagam d. sp. 49. de Trinit. sect. 4. contra Zuñigam disp. 14. de Trinit. dub. 1. membr. 2. conclus. 4. & Borrull. disput. 12. de Attrib. sect. 5. num. 43. quibus favet Suar. lib. 3. de Trinit. cap. 12. Equidem non satis video, cur Pater, & Spiritus Sanctus dicantur duo ingeni, & tres Personæ non dicantur tres increati relativi: salvo semper modo loquendi absoluto Athanasij, & aliorum PP. de quo disp. 7. sect. 9.

63 Minoris est momenti aliorum obiectiuncula, quòd nempe volitiones liberæ Dei, nec sunt necessariæ, nec indefectibiles: & sunt propter finem, atque adeò ab alio, ut à causa finali: ergo non omnes perfectiones Dei sunt ens à se, necessarium, & omnino incausatum. Tangitur hic divinæ libertatis mysteriù. Quo supposito, respondetur pro nunc ex dicendis disp. 8. sect. 5. distinguendo primam partem antecedentis, non sunt necessariæ, nec indefectibiles quoad esse, nego: quoad denominare concedo: & de hac ipsa denominatione dicam cum eadem semper distinctione, esse necessariam, & indefectibilem quoad esse, sive quoad entitatem, non verò quoad denominare, sive quoad denominationem: quod non est contra rationem entis necessarij, & absolutissimè indefectibilis: cum nihil intrinsecum Dei possit realiter deficere, aut non esse, nec ipsa quidem libera denominatio, quamvis possit realiter non denominare, propter eminentiam infinitissimam, & abstrusissimam libertatis divinæ. Circa secundam partem antecedentis ait P. Esparza lib. 10. q. 1. & 2. cum dicitur Deus velle aliquid propter finem; non tam esse, quia finis causat suum velle increatum, quam quia causat res creatas volitas propter talem finem. Præterea, causalitas finalis, utpotè intentionalis, & metaphorica, non obstat rationi entis à se superius explicatæ. Unde nego consequentiam.

64 Dicendum est tertio. Ratio entis à se ita competit Deo, Enti necessario, ut imbibatur formaliter in conceptu necessitatis essendi. Probat, quia ratio entis à se est repugnantia entis essendi ab alio, ut à causa; sed hoc imbibitur formaliter in conceptu necessitatis essendi ergo. Probat, minor: quia repugnantia non essendi, seu repugnantia

Arriag. Zuñiga. Borrull. Suarez.

infra disput. 7.

infra disput. 8.

Esparza

S. Tho.

Montoy.

Besarion in Flor.

Smb. y Athan.

defiendi imbibitur formaliter in necessitate effendi: sed repugnantia deficiendi est repugnantia effendi ab alio, ut à causa: ergo repugnantia effendi ab alio, ut à causa, imbibitur in conceptu necessitatis effendi, ut potè opposito contingentia effendi, quæ est defectibilitas. Maior patet ex terminis. Minor probatur: quia causari est habere esse dependenter ab alio, hoc est defectibiliter: ergo indefectibilitas, seu repugnantia deficiendi est repugnantia ipsa effendi ab alio, ut à causa. Unde est discrimen rerum causarum à divinis Personis procedentibus à principio & non à causa, nec causaliter: quia nempe non procedunt defectibiliter, hoc est dependenter ab arbitrio potentis negare ipsis tale esse. Hanc autem esse solidam rationem strictæ causalitatis, constat, ex verbis Belarionis in Florentino relatis *num. 61.* ubi dicitur, (sumi causam, & causatum non strictè, sed *largo modo*, quando non intercedit limitatio, & dependentia, quæ quidem per eiusmodi defectibilitatem, & contingentiam effendi aptissimè exponitur, ut rectè adstruit Oviedus in Physicis: Ergo quia stricta causalitas eam importat essentialiter.

supra num. 61.

Ovied.

65 Dices. Ratio entis ab alio, ut à causa, non imbibitur in conceptu entis defectibilis, & contingentis: Ergo neque ratio entis à se in conceptu entis indefectibilis, & necessarij. Consequentia tenet ab opposito. Antecedens probatur: quia ens contingens stat præcisè in eo quod est posse existere, & posse non existere: ens ab alio, ut à causa, stat in posse causari: sed hi sunt diversi conceptus: ergo. Probatur minor: quia contingentia in ente nihil est, nisi potentia ad existendum, & potentia ad non existendum: sed nec potentia ad non existendum dicit causalitatem, ut patet in chymera: nec illam dicit potentia ad existendum, ut patet in Deo: propterea incausabili: ergo conceptus entis ab alio, ut à causa, & conceptus contingentia, seu defectibilitatis conceptus diversi sunt.

66 Respondetur in primis, ex illo antecedente adhuc permisso, non tenere consequentiam, cuius contradictoriam satis ostendimus, *num. 64.* Sicut ex eo, quod ratio entis ab alio, ut à causa, non imbibatur in conceptu entis existentis producti, ut patet

in Personis Divinis procedentibus; non concluditur, quod ratio entis à se non imbibatur in conceptu entis existentis improducti. Respondetur deinde, negando antecedens. Ad probationem distingo minorem: sunt diversi conceptus inadæquatè, permissio: adæquatè, nego: quamvis enim conceptus entis contingentis staret in illa duplici potentia præcisim à causalitate; conceptus tamen causalitatis imbibit contingentiam, & duplicem illam potentiam existendi, & non existendi, in qua stat defectuositas. In probatione minoris vera est maior: & datà minori, (in qua negari forte posset illud, quod dicitur de chymera: cum potius non dicatur potentiam ad existendum, aut dicatur impotentiam ad existendum, quam potentiam ad non existendum:) data, inquam, minori; distingo consequens: inadæquatè, permissio; adæquatè nego: quia conceptus causalitatis, sive entis ab alio, ut à causa, imbibit contingentiam effendi, seu defectibilitatem, ut vidimus, quamvis demus, quod non è contra: sicut conceptus entis necessarij imbibit rationem entis à se negativè, hoc est, entis non ab alio, ut à causa.


67 Infero: Si Deus, ut erravit Aristoteles, ageret ex necessitate naturæ, ita ut necessario condiderit ab æterno mundum non potentem non esse, in eo, inquam, casu impossibili, mundum fore ens necessarium, & à se prædicto modo, scilicet incausatam: quamvis enim, esset à Deo, ut à principio; non tamen ut à causa: quia non esset defectibiliter, nec strictè dependenter, hoc est ad arbitrium Dei potentis tale esse illi denegare. Haberet itaque mundus prædicatum proprium Dei, & repugnans Creaturæ, nempe aseitatem, & necessitatem effendi: ideoque casus est chymæricus, in quo scilicet illud prædicatum esset, & non esset solius Dei: & Creatura esset, & non esset ens ab alio causaliter: Deus esset & non esset Deus; quia esset, & non esset sibi sufficiens. Unde Aseitatis, & necessitatis essendi sunt perfectiones solius Dei per essentiam actualissimam. An, & quomodo prædicatum existentis, & entis à se, ac necessarij, sit in Deo prædicatum transcendens, dicitur *dispnt. 7. sect. 9.*

Arist.

infra dispnt. 7.



DISPV.



# DISPUTATIO III.

## DE INFINITVDINE, ET PERFECTIÖNE

### DE I.



INFINITVDINEM Dei omnimodè perfectam, & Perfectiönem omnimodè infinitam, una coniungit Disputatio, quia difficultates continent ut plurimum affines. Supponit Titulus, Deum esse ens undequaquè infinitum: hoc est, illimitatè essentiali, ac virtutis: & esse Ens absolutissimè perfectum: non quidem rectè factum, ut vocabulum sonat; sed ens Optimum Maximum, cui nihil deest boni. Perfectionem probat S. Tho. *quest. 4.* Infinitudinem *quest. 7.* Vtrumque est certum de Fide. Dicitur enim Iobi 11. *usque ad perfectum Omnipotentem reperies: & Matt. 5. estote perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est.* Ecce Perfectionem. David autem dicit de Deo: *magnitudinis eius non est finis: & Baruch: magnus est, & non habet finem.* Ecce Infinitatem. Nec fas est, intelligere has loquutiones hiperbolice, sicut illud Iosue 22. *adificaverunt altare infinita magnitudinis: & pauld post: Rex Edom cum infinita multitudine.* Obstant enim eiusmodi interpretationi consensus Patrum, & subiecta materia. Leves obiectiones contra hæc habes apud S. Thom. *ubi supra;* rationes verò præcipuas, quibus utrumque id solet demonstrari, apud Suarez *disp. 30. Metaph.*

S. Tho. Iob. 11. Mat. 5. Ps. 144. Baruch. 3. Ios. 22.

S. Tho. Suarez

### SECTIO I.

#### EXPLICANTVR DEI INFINITVDINE, & Perfectio Excogitabilium maxima.

Infinitum, aliud dicitur simpliciter; aliud secundum quid. Variè explicantur à varijs. Istud mihi est, quod in se absolute limitatum est penes entitatem; penes aliquam verò circumstantiam caret termino intrinseco, quo finiatur: quamvis contra eius rationem non sit dari terminum extrinsecum, ad quem non perveniat. Sic linea sine termino ultimo, esset infinita penes longitudinem; numerus ultimo carens, penes multitudinem; & pœna damnatorum, penes durationem: quodlibet enim istorum caret termino, in quo finiatur; quamvis possit dari terminus, ad quem non perveniat, cum unum istorum infinitorum possit esse maius alio: de quo in Physicis,

Infinitum autem simpliciter est, quod absolute in esse suo entitativo caret termino, tam intrinseco, in quo finiatur, quam extrinseco, ad quem non pertingat: quia nempe sic absorbet omnem magnitudinem, ut nihil se maius patiatur. Hoc autem est duplex: aliud in uno genere, seu penes certam aliquam rationem entis: sic dicitur infinita simpliciter Omnipotentia, ut pote sine termino absorbens omnem perfectionem operandi ad extra. Aliud est in omni genere, vel, ut loquitur Lessius *lib. 1. de Perfect. Divinis*, in genere entis: quod nempe penes omnem lineam perfectionis infinitum est, quia totam entis amplitudinem continet, ita ut nulla sit omnino perfectio in eo non relucens. Sic etiam explicat Theophylus Raynaudus *disp. 1. Theologiae naturalis, quest. 3.*

Lessius

Raynaudus

4 Hanc igitur absolutissimam Infinitudinem simpliciter in omni genere, significat à Davide nomine Magnitudinis, cui non est finis; habet sine dubio Deus, ut ex-

Ps. 144

D2

pen.

Lesius. pendit doctissimus, ac piissimus Lesius, cap. 5. quæ quidem, nec in omni, nec in aliquo genere convenire valet creator: quia ex conceptu entis creati intrinsecè limitata est, exclu lens à se in quolibet genere multas perfectiones in Deo repertas, ad quas ipsa pertingere nequit. Sic exemplum pro cunctis in homine qui in genere entis, caret necessitate existendi; in genere præsentis, caret exigentia indistandi ab omni loco; in genere durantis, caret exigentia coexistendi omni tempore; in genere cognoscentis, caret simplicitate, actualitate sibi essentiali, & claritate summa; & in genera productivi, caret virtute non indiga concursu superioris: & sic de cæteris.

Arriag. 5. Hinc formatur Infinitatis divinæ difficultus, quem alijs præfert Arriaga disput. 2. num. 60. Deus est ens, omnem perfectionem continens sine imperfectione, à se necessitatus ad essendum, ubique, & sæper. Hic autem conceptus, neque alicui creaturæ, neque illarum cumulo convenit: quia, quamvis demus, quod in illarum cumulo sint perfectiones numeraliter infinitæ; hæc tamen ipsæ perfectiones plenæ sunt imperfectionibus, à quibus essentialiter limitantur: ergo non sunt ens simpliciter infinitum; Deus verò exclu lens à se omnem omnino imperfectionem, infinitas est essentialiter, & simpliciter.

Vasquez Alex. 6. Huc facit Vasquez disput. 25. cap. 5. sic sapienter ratiocinans ex Alexandro. Res finitur, & limitatur, vel à loco, vel à cognitione, vel à tempore, vel à causa, vel ab imperfectione positiva; at Deus non limitatur à loco, quia omnem transcendit locum: non à cognitione, quia solum à se ipso infinite cognoscente comprehenditur: non à tempore, quia nulla duratione terminatur: non à causa, quia omnino necessario est à se: nec ab ulla alia imperfectione, quia illam essentialissime excludit: ergo infinitus est simpliciter, & essentialiter. Hinc S. Dionysius post longam divinæ perfectionum enumerationem vocat Deum, Fontem omnium munerum: & Nazianzenus, interminatam essentia pelagus. Alias divinæ infinitatis probationes refert Izquierd. disp. 14.

S. Dion. Nazian. Izquierd. Arist. 6. Perfectione in genere ex Aristotele est integritas prædicatorum rei, cui nihil deest ad suam connaturalitatem. Contractus tamen est, integritas prædicatorum afferentium suo constituto rationem boni, & amabilitatem, & excludentium rationem mali, sic ferme Izquierdus ex communi acceptione vocum disput. 13. q. 2. Hoc autem pacto Deum

esse perfectissimum, evidens est. Quippè ex intrinsecis suis constat omni bono & à se excludit omne malum: estque super omnia amabilissimus. Celebris est divisio perfectionis in unam, quæ vocatur perfectio simplex, & in aliam, quæ vocatur, perfectio simpliciter simplex. Quæ, quid sint, & quibus Dei perfectionibus conveniant, aut non conveniant; videbimus sect. 8. Multa de perfectione in genere, & specialiter de Dei Perfectionibus, Theologorum decus, eruditissimus Ruiz de Montoya disput. 29. & 30. de Trinitate ex plurimis Sanctorum PP. locutionibus, studio ferè incredibili conquisitis, & expensis.

7. Speciosam movit difficultatem P. Granadus hic: an perfectio infinita Dei ita sit omnium excogitabilium maxima, & excellentissima, ut ne mente quidem cogitari possit maior. Respondet autem ex Scripturis affirmativè. Et quidem merito, dicente Bernardo lib. 5. de Consid. Quis est Deus? quo nihil melius cogitari potest. Et similia refert ex Dionysio, Nazianzeno, Augustino, Chrysostomo, Aristotele, Tullio, & Seneca. Ratio mihi est: quia res Deo perfectior est impossibilis, & non identificata cum aliquo possibili: sed nequit intellectus cognoscere rem impossibilem non identificatam cum aliquo possibili: ergo nec rem Deo perfectiorem: atque adeò res Deo perfectior cogitari nequit, estque Deus omnium excogitabilium perfectissimus. Probatur minor: quia nequit intellectus cognoscere rem non identificatam cum aliquo cognoscibili, ut ex terminis patet: esset enim implicatissime cognoscere rem non cognoscibilem: Ergo nequit cognoscere rem non identificatam cum aliquo possibili: nam ut dixit S. Thom. 1. part. quest. 16. art. 3. ens, & verum convertuntur: quod est idem ac dicere, possibile, & cognoscibile mutuo converti: ergo sicut nequit intellectus cognoscere rem non cognoscibilem; ita nec rem non possibilem, qualis est res Deo excellentior. Quem in scopum dixi plura in Metaphysicis.

8. Obijcies primò. Politheistæ non concedebant uni Deo omnem perfectionem; sed vni unâ & alteri alteram: & qui Deum improvidum, aut Authorem peccati mentiebantur, concipiebant Deum sine aliqua perfectione, imò cum aliqua imperfectione. Secundò. Deus continens non solum eminenter, verum etiam formaliter perfectiones quoque creaturarum, cogitaretur, essetque perfectior hoc Deo, qui solum eminenter eas continet. Tertiò. Aggregatum ex Deo,

& cetera-

infra sect. 8. Montoya

Granad.

Bernard

Dionys. Nazian. August. Chrysost. Arist. Tull. Seneca.

S. Tho.

infra sect. 11.

infra d. p. 14.

& creaturæ verè apprehenditur, & est perfectior solo Deo. Quartò. Deitas identificata etiam virtualiter cum omni perfectione infinita, etiam relativa, esset quid perfectius, quia esset quid simplicius: ergo non est Deus noster omni ente excogitabili perfectior. Respondeo.

9. Ad primùm ex illis erroribus solum sequi, cogitari, & dari aliquid melius illi re, cui Politheistæ falso tribuebant nomen Dei; Deumque nostrum esse meliorem, quam ut alijs, illum improvidum, & Authorem peccati effingentes, cogitabant; non verò, cognosci ab illis, nec à nobis quidquam melius, & perfectius Deo. Ad secundum: nego antecedens: quia si Deus contineret formaliter perfectiones creaturarum; sicut est formaliter Spiritus, esset Homo, brutum, & lapis cum suis imperfectionibus, sicque monstrum, horrendū ingens, potius quam Deus. Ad tertium: nego antecedens ex dicendis infra sect. 11. Ad quartum: nego et à antecedens: quia eiusmodi simplicitas esset chymica, & repugnans perfectioni Trinitatis. Adde, quod nec indistinctio illa virtualis esset reverea maior simplicitas: quia distinctio virtualis inter absoluta, & relativa, sicut nec realis inter Personas divinas, cum nihil afferat de conceptu compositionis, nihil detrahit de conceptu simplicitatis, ut exponemus, d. p. 14.

10. Obijcies aliter. Fingere possumus chymicam, & illam cognoscere, seu cogitare Deo perfectiorem. Quinimo, negantes ens perfectius Deo, concipimus ens perfectius Deo: aliàs nescimus quod negamus: ergo excogitabile, saltem per fictionem, est ens Deo perfectius. Respondes: quoad primam partem antecedentis, concedo, fingi à nobis posse rem, scilicet lapidem, Deo perfectiorem, sicut & Verbum Divinum esse creaturam; nego, tamen posteriorem partem, quod nempe tunc, sicut nec cum negamus ens Deo perfectius, concipimus rem Deo perfectiorem: concipimus namque rem Deo imperfectiorem, de qua dicimus, esse Deo perfectiorem; alioquin non falleremur. Sic cum fingendo dicimus, Verbum esse creaturam; non concipimus Verbum, quod sit creatura, alioquin verè id diceremus; sed concipimus Verbum, quod non est creatura, de quo falso dicimus esse creaturam. Unde nego absolute consequentiam, nihil enim, quod cogitamus, est Deo perfectius, quamvis cogitamus Deum, & quid perfectius: quia id perfectius, quod tunc cogitamus, non est perfectius Deo; sed perfectius aliquo alio, & id per errorem Deo at-

tribuentes, rem utriusque perfectiorem, quæ non est perfectior Deo, dicimus, vel apprehendimus perfectiorem Deo ac proinde nihil concipimus, quod sit Deo perfectius.

11. Sic dixi in Philosophia, nos, sive negantes, sive affirmantes, dari alterum Deum; nequaquam concipere alterum Deum; sed Deum, & rem alteram à Deo, cui rei attribuimus esse alterum Deum, componendo eos terminos sibi repugnantes per modum illum nostrum imperfectum cognoscendi, sive iudicativum, sive etiam apprehensivum.

12. Nec perinde nescimus, quod negamus, quando negamus alterum Deum, aut rem Deo perfectiorem. Quippè scimus, negari tunc à nobis rem alteram à Deo esse Deum, & rem quavis aliam re perfectiorem esse perfectiorem Deo. Sic certe non nescitis quod negat, qui negat dari obiectum incognoscibile, quamvis nemo cognoscat obiectum incognoscibile, ut ex terminis est patentissimum. In quo appositissimo, & evidentissimo exemplo insinuet omnes vires, qui contendat oppositum huic doctrinæ; quam ex sapientissimo Vasquez didici, & tradidi in Metaphysicis quò nunquam longius hinc digredi importunum esset. Eam illustrat egregie Doct. Thyrtu Gonzalez. Universitatis Salamantini Primarius Antecessor Theologus, noviter, & ingenio è, ex his principijs edisserens multa tom. 1. d. p. 9. post gravissimum P. Vasquez tom. 2. in 1. part. disput. 118. cap. 4.

Tyrsus.

Vasquez

SECTIO II.

AN. ET QUENAM INFINITUDO SIT DE CONCEPTU ESSENTIA DEI, & SINGULORUM ATTRIBUTORUM.

13. Certum est, Deum adæquate sumptum, ut complectitur Essentiam, Attribute, & Relationes, claudere infinitatem simplicitet in omni genere. Certum etiam est, ratione nostra præcindibile esse unum genus infinitatis ab alio, sicut unum attributum ab alio. Dubium procedit in præsentia de Essentia metaphysica Dei: an claudat formaliter infinitatem? & minus dubium; an infinitatem in omni genere? Et idem queritur de singulis Attributis, atque etiam de Relationibus.

14. Communis Recentiorum sententia est, Essentiam metaphysicam Dei claudere formaliter infinitatem in aliquo genere; nam

Ribas. non in omni: idemque dicitur à fortiori de singulis Attributis. Sic in terminis Ribas tract. 2. disput. 1. cap. 14. Borruil. disput. 6. num. 38. Illustrissimus Godoy disp. 5. num. 138 & Reverendissimus incus Lumbier 7. 5. de Essentia Dei, num. 127.

Gonet.

15 Prima, & communis conclusio. Aliqua saltem infinitudo est de conceptu formali Essentia metaphysica Dei, & singulorum Attributorum: saltem in speciali cuiuscumque genere. Est contra Gonetum disp. 2. §. 3. Probatur: quia Deo convenit realiter, esse infinite essentem, infinite intellectivum, infinite potentem, infinite durantem, infinite bonum, & sic de alijs. Ergo ratione alicuius perfectionis, cui id conveniat formaliter: sed esse infinite essentem nulli formaliter convenire potest, quam essentia à se existenti; infinite intellectivum, intellectioni substantiali omnium comprehensivæ; infinite potentem, Omnipotentia; infinite durantem æternitati; infinite bonum, bonitati summæ, & sic de alijs: Ergo quælibet istarum Perfectionum dicit formaliter sui saltem generis infinitudinem.

16 Insuper. Sapientia, vel Omnipotentia Dei dicit formaliter omnem sui generis, suæve lineæ perfectionem: cur enim diceret potius unâ, quâ aliâ perfectione eiusdem lineæ, seu generis? Ergo dicit formaliter infinitudinem in eo genere. Probatur consequentia: quia omnis perfectio generis intellectivi, seu ad extra productivi, dicit tantâ perfectionem sine imperfectione in eo genere, ut maior esse, aut excogitari nequeat: nam si esse posset alia maior, iam illa non esset omnis: Ergo eo ipso, quod quælibet istarum Dei Perfectionum dicit formaliter omnem perfectionem sui generis, dicit formaliter infinitudinem in eo genere.

Aristot.

17 Obijcies 1. Finirum, & infinitum iuxta Aristotelem est proprietas quantitatis: ergo infinitudo perfectionis est proprietas rei sic perfectæ: ergo non est de conceptu essentiali Essentia, aut aliorum Attributorum Dei, adhuc in suo genere: quemadmodum finitudo non est essentia, sed proprietas creaturæ. Confirmatur: infinitudo dicitur modus rei infinitæ: non enim dicit, quid res sit? sed quanta sit, vel quomodo sit? ergo est proprietas extra conceptum essentialem rei infinitæ, nempe Dei. Sic Gonetus §. 3. Qui deinceps obijcit. Infinitudo est prædicatum transcendens per omnes Dei Relationes, & Attributa: Ergo non est prædicatum de Essentia metaphysica Dei. Probatur consequentia: quia essentia Dei ne-

Gonet.

quit esse prædicatum transcendens, ad Relationes, & Attributa: à quibus utique debet contradistingui. Obijcit 3. Natura divina non est demonstrabilis à priori: sed infinitudo Dei demonstratur à priori per essentiam ex S. Thoma. 1. p. q. 7. art. 1. ergo infinitudo non est essentia Dei. Obijcit 4. Innascibilitas non est de essentia Dei, quoniam privativum nomen est, ut arguit S. Basilius: sed etiam infinitas est nomen privativum, ut potè denotans carentiam finis, ideòque inter Attributa Dei negativa numeratur: ergo.

S. Tho.

S. Basilio

18 Respondetur: Dato antecedente, distinguo consequens: si res est sic perfecta extracessentialiter, excludendo à suo constitutivo physico talem modum perfectionis, concedo: si est perfecta, & taliter perfecta per essentiam, involvens in constitutivo suo physico talem modum perfectionis, nego consequentiam. Talis autem est Deus, cui tam essentialiter esse sic perfectum, & hoc modo infinitudinis perfectum, ac esse simpliciter perfectum: hic enim divinus modus essendi cum tanta perfectione, non est modus superadditus ad esse Dei, sed essentialissimus: sicut modus essendi animal, qui est in homine, scilicet essendo simul rationale, non est hominis proprietas, sed differentia essentialissima, quam vocamus maximè propriam: quo quidem modo licet etiam vocare infinitudinem, sicut etiam in intellectu, & intellectiōnem sui comprehensivam, proprietatem Dei: hæc est, prædicatum maximè proprium, sicut rationale respectu hominis. Hinc nego secundam consequentiam. Nec verum est, finitudinem contrapositam infinitudini Dei esse proprietatem extracessentialem creaturæ: nam esse eius simpliciter finitum, & aliqua ex parte limitatum, est de essentialissimo conceptu creaturæ. A quo nostro sensu longè distat sensus Aristotelis, dicentis finitudinem, & infinitudinem esse proprietatem quantitatis: loquitur enim de finitudine, & infinitudine secundum quid per additionem, vel subtractionem alicuius incrementi ad quantitatem creatam.

19 Ad confirmationem distinguo antecedens: Infinitudo dicitur modus rei infinite extracessentialiter superadditus, nego: si extracessentialiter superadditus, ut conciperet licet in creaturis; si essentialiter differentiativus, ut est in Deo simpliciter infinito, quemadmodum rationale est modus essendi animal essentialissimus homini; concedo antecedens, & nego consequentiam. Per hunc autem modum Essentialissimum rei, cui esse

Supra disp. 1. sect. 2.

Infra disp. 5.

Supra disp. 2.

Infra disp. 7. sect. 1.

SECTIO III. ADSTRUITUR INFINITUDO formalis simpliciter in omni genere Perfectionibus Divinis.

esse, & hoc modo esse, æquè essentialiter respondere ad, quanta res sit? & ad, quomodo sit? esse respondere ad, quid res sit?

20 Ad secundam objectionem, concessio, antecedere nego consequentiam: & distingo eius probationem: Essentia Dei adæquatè sumpta nequit esse prædicatum transcendens, concedo; inadæquatè, nego. Certè prædicatum entis de essentia Dei est: & quidem est, si quod aliud, prædicatum transcendens. Quamvis ergo essentia adæquatè sumpta debeat esse prædicatum non transcendens; non est necesse, singula eius prædicata esse non transcendentia: quemadmodum, quamvis tota rei essentia debeat esse non communis alijs; non est necesse singula eius prædicata esse non communia: nam prædicata generica, ex quibus essentia rei adæquatè, communia sunt.

21 Ad tertiam negari potest maior ex dictis disp. 1. à num. 15. saltem de demonstratione à priori negativè, ut ibi exposui: hoc est, non à posteriori, sive à pari, ut ibi etiam loquuti sumus. Eâ tamen permisa de essentia Dei adæquatè: & concessâ minori, distinguo consequens: infinitudo non est essentia Dei adæquatè, concedo; inadæquatè, nego. Ex eo autem, quod adæquata Dei Essentia nequeat à priori demonstrari; non sequitur quod aliquod essentia Dei prædicatum nequeat à priori demonstrari per aliud eiusdem essentia prædicatum, quod sit prius respectu alterius prædicati eiusdem essentia: nam, ut perspicuum fiet disp. 5. sæpè essentia metaphysica, sicut & physica, adæquatè ex multis prædicatis, alijs prioribus, alijs posterioribus.

22 Ad quartam, nego maiorem: quia Dei innascibilitas est ipsa ratio entis omnino à se, quæ ratio est Naturæ divinæ essentialissima. Nec obstat, quod Filius sit à Patre, qui est alius à Filio: nam hoc non tollit quin Natura ipsa divina communis Filio sit omnino à se, ut explicui disp. 2. sect. 4. Ad rationem illam S. Basilij dico, solum velle, prædicatum innascibilitatis, sicut etiam infinitatis, & multa alia, quæ sunt de essentia metaphysica Dei, non esse prædicata, ex genere suo essentialia: cum quo stat optimè, quod in Deo sint prædicata essentialissima, ut solide sub his ipsis terminis stabilimus disp. 7. sect. 1. Addo, & esse prædicata positiva, quamvis à nobis non nisi per negationes explicentur, ut alicubi sæpè adnoto præter eum disp. 7. num. 10.

23 Secunda conclusio. Essentia metaphysica Dei, imò, & quodlibet Attributum, prout suo modo ab alijs condistinctum, dicit formaliter infinitudinem simpliciter in omni genere. In hoc discedo à communi sententia, præcipuè Recentiorum, relata num. 14. Atque in primis, quoad Essentiam metaphysicam Dei, si hæc claudit formaliter omnia Attributa, ut adstruimus disp. 5. est probatu facile. Sic enim Essentia claudit formaliter infinitatè, omnium & singulorum Attributorum: atque adeò constituitur vndequaque in omni genere formaliter infinita: aut saltem in omni genere Absolutorum Dei. Quoniam verò doctrina extendenda est ad perfectiones usque de genere Relationum excludendarum à conceptu Essentia Dei, & applicanda cuilibet Attributo, in cuius conceptu non clauduntur alia Attributa; ideò probanda nobis est aliter conclusio.

24 Et primò quidem: quia Essentia, & quodlibet Attributum Dei, cum dicat essentialiter, & formaliter rationem entis à se, seu entis divini, dicit formaliter infinitatem simpliciter in genere entis, seu in genere essendi: sed infinitudo in genere entis est in omni genere, quia genus entis complexitur omnem amplitudinem entis: ergo Essentia Dei, in quacumque speciali perfectione constituitur, imò, & quodlibet Attributum Dei, vtpotè imbibens genus entis à se, seu entis divini; dicit formaliter infinitudinem in omni genere.

25 Probatur secundò principaliter conclusio, & substruitur totius doctrinae fundamentum, observando diligenter, quod inter duas Dei perfectiones, sive virtualiter, sive obiectivè, sive ex natura rei invicem condistinctas, ut sunt Sapientia, Omnipotentia, Paternitas, dantur similiter duæ identitates reales, eodem modo in vicem condistinctas: Paternitas enim est identitas realis sui cum Sapientia, & Omnipotentia est similiter identitas realis sui cum Paternitate: identitate nimirum se tenente ex parte Omnipotentia, indistincta virtualiter ab ipsa Omnipotentia (ne fiat in qualibet infinito processus Virtualitatum); & distincta virtualiter à Paternitate: quælibet enim illarum Perfectionum, vè virtualiter condistincta ab alia, quamvis non sit formaliter alia, est formaliter identitas rea.

Infra disp. 5.

realis sui cum alia, utpote intrinsecé, & formaliter repugnans distingui realiter ab illâ. Declaratur exemplo duorum in sese mutuo respicientium transcendentaliter, ut in Deo Paternitas, & Filiatio: ubi sunt duæ Relationes, quarum quælibet se tenet ex parte sui fundamenti ad terminum: & exemplo duorum extremorum, quæ instar modorum in sese invicem per se essentialiter unirent: non quidem unione mediâ, sed duplici unione, unâ se tenente identicé ex parte istius extremi ad alterum, & aliâ ex parte alterius ad istud. Quod si nec per hæc exempla velis concedere, unam illarum Dei perfectionem esse adæquatam sui identitatem realem cum alia, ne vocibus hæreamus, procedet nostra doctrina de identitate illa reali saltem in adæquatâ, imbibita formaliter in quolibet Dei perfectione cum alijs. Quo sic supposito, & exposito.

26 Argumentor ita. Sapientia Dei, sive Voluntas, sive Paternitas, sicut dicit rationem entis, substantiæ, spiritûs, aliâve rationes virtualiter à se indistinctas; sic dicit rationem identitatis realis, saltem in vno tertio, cum omni perfectione Divinâ: sed hoc sufficit, ut quælibet sit infinita in omni genere perfectionis: ergo quælibet, prout virtualiter, aut suo alio modo à cæteris Attributis, ac Perfectionibus condistincta, est infinita in omni genere perfectionis. Consequentia liquida est. Maior constat ex *num.* præcedenti, & ulterius probatur. Quemadmodum enim ratio entis, substantiæ, spiritûs, & aliæ rationes huiusmodi, transcendunt per omnia Dei Attributa; sic etiam ratio entis divini, & ratio identitatis realis cum toto Deo, omnique Perfectione divinâ, transcendit per omnes Perfectiones Dei absolutas: (mox ampliabitur Doctrina ad Relativas:) nulla namque est, quæ non dicat realem identitatem virtualiter à se indistinctam cum omni illo à quo virtualiter distinguitur, imbibitam utique in ipso conceptu virtualis distinctionis. Probatur autem minor: quia Sapientiam v. g. dicere identitatem illam realem cum perfectionibus omnis generis, quantumvis virtualiter à se distinctis, est dicere eminenter perfectionem omnis generis: sed hoc est esse simpliciter, & absolutè infinite perfectam in omni genere: ergo Sapientia Dei, prout sic ab alijs condistincta, est infinite perfecta in omni genere. Idem est de quolibet alio Attribute, & à fortiori de Essentia metaphysica Dei quomodolibet constituatur. Res vertitur in probatione præmissarum huius syllogismi.

27 Probo autem maiorem. Deus physice, & quasi materialiter sumptus, vel quia continet formaliter virtutem productivam perfectionum creaturâ, vel ob similitudinem alium titulum, dicit eminenter perfectiones creaturarum, ut est phrasia Theologis familiarissima, & exponemus *sect. 10.* ergo Sapientiam Dei dicere realem identitatem cum alijs Dei Perfectionibus, sive virtualiter, sive obiectivè, sive ex natura rei condistinctis; est dicere illas alias perfectiones eminenter in se, & eò supereminentiùs, quòd titulus iste realis identitatis Sapientie cum alijs perfectionibus suo modulo ab ipsa condistinctis, aptior est, & sine dubio strictior: talis nempe, ut propter illum Sapientia Divina carere nequeat absolutè in sensu reali perfectione reali aliorum Attributorum: cum tamen, non obstante titulo illo, utpote laxiati, virtutis productivæ perfectionum creaturarum absolutè dicatur Deus carere formaliter perfectionibus formalibus creaturarum. Atque hinc extendo huiusmodi doctrinam ad Perfectiones etiam Relativas Dei. Quippe Paternitas, quamvis realiter distincta à Filiatione, & Spiritatione; prout sic distincta, dicit secum realem identitatem virtualiter à se indistinctam, cum illis in vno tertio, scilicet in Naturâ; quæ quidem identitas realis in tertio est sine dubio fortior, & strictior titulus continendi eminenter perfectiones aliarum Relationum, quam titulus virtutis productivæ, vel quilibet alius assignabilis pro continentia eminentialiter perfectionum creaturarum in Deo. Igitur Sapientia, & quodlibet Dei Attributum, cum dicat virtualiter à se indistinctam realem identitatem cum omnibus, & quælibet Relatio cum alijs in vno tertio; ex hoc titulo, quem formaliter dicit, etiâ prout suo modo ab alijs condistincta, continet supereminentiùs aliorum Attributorum, & Relationum perfectiones.

28 Probo iam minorem illam, quòd nempe sufficiat hoc ad infinitudinem formalem in omni genere perfectionis. Nam continere omnes perfectiones excogitabiles omnium generum, alias formaliter, alias eminenter, sufficit ad infinitudinem formalem in omni genere: sed eas sic continet Sapientia Dei, prout suo modo condistincta à cæteris Attributis: ergo, prout sic condistincta, est formaliter infinite perfecta in omni genere. Minor constat ex dictis. Maior probatur. Tum quia sic, & non aliter consultitur, prout oportet æqualitati Divinarum Personarum, ut videbitur *sect. 5. & 7.* Tum quia Deus adæquatè sumptus est infinite perfectus

Stus in omni genere; sed non dicit omnes omnino perfectiones formaliter; bene verò alias nempe divinas, formaliter; alias nempe creatas, solum eminenter: ergo continere omnes perfectiones, alias formaliter, alias eminenter, sufficit ad infinitudinem formalem in omni genere.

29 Dices: debere continere omnes in creatas formaliter; creatas verò fat est si eminenter. At cur ita? Certè, si nec eminenter contineret Deus perfectiones creatas, non esset omnimodè infinite perfectus, utpote minus perfectus, quam aggregatum ex Deo, & creaturis: ac proinde aliqua ex parte limitatus: sicut, si retinens reliqua Attributa, non esset Omnipotens: cur ergo ad plenitudinem omnigenæ infinitudinis satis est, si Deus dicat perfectiones multas solum eminenter; & ad plenitudinem omnigenæ infinitudinis Divinæ Sapientie, non erit satis, quòd Sapientia contineat aliquas perfectiones formaliter, & alias solum eminenter? Si dicas, quia esset imperfectio Dei continere formaliter perfectiones creatas realiter à se distinctas; dicam etiam, fore imperfectioem Sapientie Dei continere formaliter perfectiones increatas virtualiter à se distinctas: esset enim illas continere modo sibi repugnante: cum ipsi repugnet non distingui virtualiter ab illis à quibus, ut aiunt, virtualiter distinguitur, non minus ac non distingui realiter à creaturis.

30 Confirmatur paulò aliter tota doctrina. Essentia Dei, in quocumque Dei prædicato constituatur, est perfectio Dei per modum nature, cui reliquæ Perfectiones, sive Absolutæ, sive Relativæ, debentur tanquâ proprietates: proprietates autem contineri eminenter in Essentia, perspicuum est: ergo saltem Essentia Dei; cum formaliter dicat istam continentiam eminentialem omnium aliarum perfectionum; quomodocumque ab alijs perfectionibus condistinguat, dicit formaliter hoc quod est omnes illas eminenter continere: hoc autem, ut exposuimus *num. 28.* sufficit ut dicatur formaliter infinita in omni genere: id quod nobis concedit P. Borrull. *disp. 12. sect. 1. num. 15.* Deinde quælibet alia Dei Perfectio, sive Attributionalis, sive Relativa, eo ipso quod perfectio divina sit, in hoc ipso conceptu Attribute, seu prædicati divini dicit formaliter realem saltem identitatem cum Deitate, quæ est Essentia Dei: hæc autem realis identitas est, ex *num. 28.* eminentissima continentia Deitatis: ac proinde quodlibet Dei Attributum, & quælibet divina Relatio, etiam, ut

condistincta virtualiter, sive ex natura rei ab Essentia, ex conceptu formali prædicati divini imbibit formaliter hoc quod est continere eminenter omnem perfectionem Deitatis, ac per consequens infinitudinem in omni genere perfectionis.

31 Obijcies. Potest concipi infinitudo Sapientie in suo genere omnium comprehensivæ præcisim ab infinitudine Omnipotentie, Paternitatis, & aliorum generum: sed ille esset conceptus adæquatus Divinæ Sapientie, ut talis, prout ab alijs Attributis condistincta: ergo Sapientia, & quodlibet aliud Dei Attributum, non dicit in suo conceptu formali infinitudinem in omni genere, scilicet in genere Essentie, & aliorum Attributorum. Respondetur, concessa maiori, negando minorem: nam ille non esset conceptus adæquatus, sed inadæquatus, quamvis essentialis, & proprius, Sapientie infinite Dei: sicut nec est adæquatus conceptus hominis *animal indicativum* præcisim à discursivo, quamvis sit Essentialis, & proprius. Conceptus ergo adæquatus Divinæ Sapientie, prout condistincta etiam ab alijs Attributis, præter sui generis Infinitudinem dicit formaliter identitatem realem cum tota Essentia Dei, & cum alijs Attributis, formaliter, sive virtualiter ab ipsa exclusis: hoc enim dicit ratio Entis divini transcendens, & inclusa formaliter in quolibet Perfectione Dei, scilicet realem identitatem cum Deitate, quæ Deitas ut videbimus *disp. 5.* est Plenitudo omnigenæ perfectionis. Unde nego consequentiam, loquendo, ut fas est, non de quocumque conceptu formali Sapientie infinite; sed de ipsius conceptu formali adæquato in esse Sapientie Divinæ penes totum id quod dicit, ut condistincta ab alijs Attributis, & Relationibus: quandoquidem, ut sic condistincta ab illis, dicit formaliter realem identitatem cum illis.

32 Obijcies secundo. Data Sapientia Dei, non datur per impossibile alijs Attributis, non daretur Infinitudo perfectionis in omni genere: sed hæc Infinitudo datur, datur simul cum Sapientia alijs Attributis: ergo Sapientia, prout seorsim ab alijs, non dicit formaliter Infinitudinem in omni genere. Probatur maior: nam in eo casu nec daretur Voluntas, nec Omnipotentia, nec Paternitas, &c. sed, his non datis, non daretur Infinitudo in genere volendi, nec in genere producendi ad extra, nec in genere generandi ad intra: ergo non daretur Infinitudo in omni genere. Probatur hæc minor: quia, si

*Infra sect. 10.*

*Infra disp. 5.*

*Borrull.*

*Infra*

*sect. 5. & 7.*

*Aut*

*Munieſa Diſput. Scholaſt.*

*E*

*his*

his non datis, daretur Infinitudo in omni genere, hæc aliq̄ perfectiones nihil boni Deo adferrent: id quid enim desiderarentur?

Montoya

33 Debilitatem huiusmodi obiectionis monstrat luculenter Montoya in similem incidens disp. 29. de Trinit. sect. 5. Respondetur, negando maiorem, probè intellectam de hac Sapientia Dei cum omni prædicato, quod formaliter dicit in esse Divinæ, prout condistincta ab alijs Attributis. Ad probationem maioris, nego minorem: nam in eo casu impossibili daretur Sapientia dicens realem identitatem cum Voluntate, cum Omnipotentia, cum Paternitate, & cum alijs: ac proinde dicens formaliter continentiam eminentialem aliarum divinarum Perfectionum. Ad probationem ultimæ minoris nego, perinde sequi, alias Perfectiones nihil boni Deo allaturas: adferrent enim se ipsas æquæ bonas, ac est Sapientia: & desiderarentur in eo casu ad hoc ut illa identitas Sapientia cum illis non esset sine illis, siue quibus esse non potest, & ut non esset chimæra.

34 Dices. Si non daretur Omnipotentia, nec Paternitas; quomodo dari posset quidquam imbibens identitatem cum illis? Respondeo, à me non dici, dari posse; sed quod admissio illo primo impossibili, hoc quoque sequeretur æquæ impossibile. Itaque in casu impossibili obiectionis, Sapientia Dei esset infinitè perfecta in omni genere, ut potè retinens formaliter realem identitatem cum alijs Dei Perfectionibus: & simul esset mutila, & incompleta: quia deessent ipsi aliæ Perfectiones, quibuscū realiter identificaretur, & quibuscum tunc, si hoc etiam velis, realiter non identificaretur importans se cum realem identitatem cum illis: quod non est magis implicans, quam suppositio chimærica, ex qua id sequitur. Sic, si non dato Filio daretur Pater æternus, esset Pater, ut supponitur, & non esset Pater, quia implicat Pater sine Filio. Quid indè? Alias obiectiones præoccupabunt Sectiones sequentes, consuetariam indè doctrinam ingeminantes.

SECTIO IV.

AN IN DEO NON SOLVM Absoluta, & Necessaria; sed etiam Relativa, & Libera, sint speciales Perfectiones.

35 Totum affirmo. Quoad Absoluta necessaria constat ex dictis, & supponitur citra litem. Quoad Re-

lativa, huius Sententiæ fuere Sapientissimi Nominales, Doctor Eximius lib. 3. de Trinit. cap. 9. Magister Lumbier quest. 8. de Trinit. art. 4. Et communiter nostri Scriptores apud Borrull disp. 12. de Trinit. sect. 6. Quirros disp. 24. de Trinit. Valquez 1. p. disp. 122. Montoya disp. 29. Cum aliquo tamen inter ipsos disidio, quod Valquez, & Montoya cum Zumel, nolunt, Relationes esse plures Perfectiones Relativas, sed unicam; alij verò communiùs, & merito singulis Relationibus singulas Perfectiones Relativas specialiter adscribunt. Negant verò Perfectiones Relativas communiter Scotista, & Thomista apud Illustrissimum Godoy, eos sequentem: & ex nostris Eminentissimus Bellarminus tom. 1. lib. 2. de Christo, cap. 12. & Molina 1. p. q. 28. art. 2. disp. ult. & q. 42. art. 6. disp. 2. dicentes, circumscriptis perfectionibus absolutis, nec perfectionem, nec imperfectionem in Relationibus relucere.

36 Probatur prior pars conclusionis nostræ de Relationibus. Vel sumitur Perfectio pro integritate rei in suo esse: & sic, cum nulli Relationi Divinæ desit specialiter aliquid, ut sit verè Relatio digna Deo, quælibet suam dicit specialiter perfectionem. Vel sumitur pro convenientia ad suum quasi subiectum: & sic quælibet Relatio est Deo convenientissima multò sublimitiùs, quam ut dici solet ex phrasi S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1. Incarnationem fuisse Deo convenientem: siquidem importat Deo, vel Notionalem fecunditatem ad intra, vel saltem rationem formalem Personæ: in qua ratione involui specialem perfectionem supponit S. Thom. dum arguit 1. p. q. 26. art. 3. Deum esse Personam ex eo, quod omnis perfectio sit Deo concedenda: alioquin, quænam esset hæc Angelici Doctoris argumentatio? Id ipsum supposuere antiquiores, quos dat Montoya Deo enim, inquit Nazianenus, quidnã maius, aut præstantius erit, quàm esse Filium? Damascenus: Patrem, & Filium distinguere Perfectionibus Relativis, & conceptissimis verbis S. Cyrillus de Patre ait: Perfectus est non solum, quia Deus, sed etiam, quia Pater: quo nihil dici potuit formalitè. Vel tandem, sumitur Perfectio rei pro nobilitate, & excellentia: & sic, quid nobilius, & excellentius, quàm esse quid plusquam coniunctum, ut potè identificatum, cum Deo Sapientissimo, Omnipotentissimo, Sanctissimo, Optimo, Maximo? quam realem identitatem habent Relationes, prout virtualiter etiam distinctæ à Deitate: & quidem totidem identitates, tenentes se ex parte

Nominales. Suar. Lumbier Borrull. Quirros. Valquez. Montoya. Zumel. Scotist. Thomist. Godoy. Bellarminus. Molin.

Eccles.

Godoy, Anton. Perez.

S. Tho.

S. Tho.

Montoya Nazian Damasc. lib. 1. de Fid. c. 11. Cyrill.

parte Relationum ad Essentiam, quot sunt Relationes: ergo, & totidem Perfectiones. Certè Gratia Sanctificans, certè Beata Visio, certè Hypostatica Unio non modò perfectæ sunt, verum etiam formaliter Perfectiones sunt, & eatenus speciales perfectiones, quatenus sunt speciales coniunctiones cum Deo: quis autem ambigat, Relationes omnes Divinas, & singulas earum, esse infinites maiorem unitatem cum Deo ratione realis identitatis cum Deitate? ergo in hoc ipso conceptu, præcisim etiam à Deitate, dicunt rationem specialissimæ Perfectionis, bonitatis, & excellentiæ, reddentis illas, ut tales specialiter amabiles, & adorabiles iuxta Ecclesiæ Sanctæ Præfationem in Festo SS. Trinitatis, ut in Personis proprietas, (hæc est Relatio) in Essentia unitas, & in Maiestate adoretur aequalitas: ergo non solum in Essentia una, quæ absolutum est, sed etiam in Proprietate trinâ, quæ triplex Relatio est, resplendet ratio specialis bonitatis, & perfectionis, sicut & specialis amabilitatis, & adorabilitatis: & quidem totuplex, quot Relationes sunt.

37 Probatur similiter altera pars de Actibus Liberais divinis cõtra Godoy disp. 48. de Volunt. Dei, & nostrum Antonium Perez disp. 3. cap. 3. alioque satis communiter præfertim Thomistas. Nam Intellectiones, & Volitiones Liberae Dei, prout suo modulo interse, & à necessarijs condistinctæ, involvunt in ipsa ratione entis divini realem cum necessarijs, & cum tota Deitate identitatem: hæc autem realis identitas, ut nuper expendimus, eximia perfectio est, quidquid negare videatur Godoy. Solutio aliquorum est, eam liberorum Dei cū necessarijs identitatem esse tanquam purè perfectibilis cum suo perficiente: sicque libera Dei non esse perfectiones, sed perfectas à perfectione necessariorum: non importare, sed accipere perfectionem. Mysterium solutionis stat in ea Vocula, purè: quæ puriùs enucleatâ, ait in clavis solutio, eiusmodi prædicata libera identificari cum necessarijs tanquam id quod est perfectibile, & nõ perfectio: & hæc est ipsa quæstio pro solutione. Quam sic insequor.

38 Primò, quia eadem verborum collusione posset idem defendi de Omnipotentia. Secundò, quia nõster discurfus probat, illam ipsam rationem realis identitatis cum Deitate inclusam formaliter in quolibet prædicato participante rationem Entis divini, esse formaliter perfectionem, quo præcluditur evasio, dicens, illam identitatem

liberorum cū necessarijs esse tanquã alicuius purè perfectibilis, & non tanquam alicuius perfectionis. Tertio, quia actus liberi divinæ voluntatis, præterquam, quod imbibunt formaliter rationem Entis Divini, & increati; ideoque superant omnem creatam perfectionem; denominant, ut tales, Deum honestissimè volentem, & sese laudabiliter exercentem liberè; suntque, ut tales, prima regula benè operandi in esse moris, & præferunt honestatem virtutum moralium, quæ specialissima est perfectio liberorum, ut talium. Quarto, quia actus nostri liberi creati rectè veritantes circa sua obiecta sunt perinde specialiter boni, & perfecti, imò specialis bonitas, & perfectio: quia sunt honestæ tendentiæ positivæ, vitales, & liberae circa ea obiecta: hoc autem totum habet infinitè meliùs actus Dei liber increatus volens liberè mundum, Christum, aut hominum Redemptionem, ac salutem. Cur, ergo actus illi nostri, & non actus Dei, dicant speciales honestates, & perfectiones formaliter? an fortè, quia actus Dei liber, etiam prout condistinctus à necessarijs, imbibit, præter alia multa eximia prædicata, realem cum Deo identitatem, & consortium, ut sic dicam, Divinæ Naturæ, infinitè intimiùs consortio illo, ratione cuius Gratia, Visio, & Unio Hypostatica sunt maximæ Perfectiones?

39 Perfectò propter hæc auderet nemò dicere, illos Dei actus liberos, ut tales, continere formaliter perfectionem limitatam; & audebimus dicere, habere nullam. Mirum insuper est in entitate liberâ positivâ, quam vocant materiale peccati nostri, reperiri, & agnosci à Thomistis specialem rationem bonitatis, ac physicæ perfectionis, à Deo volibilis, decernibilis, prædeterminabilis, & amabilis; non verò in Relationibus Divinis, prout ab Essentia condistinctis, nec in actibus liberis Dei, positivis, honestissimis, & sanctissimis, prout etiam à necessarijs secernuntur.

40 Denique difficile cuique videri debet quod aiunt, Libera, & Relativa Deo, ut talia, non dicere perfectionem, nec imperfectionem. Vel enim taliter id intelligunt, ut sint indifferentia ex conceptu suo ad essendum, sive cum perfectione, sive cum imperfectione: vel taliter, ut non sint sic indifferentia, sed potius ex conceptu suo excludant formaliter imperfectionem. Si primum, eo ipso dicerent intrinsecam imperfectionem: nam indifferentia ad imperfectionem, seu coniungibilitas ex se cum imperfectione, specialis etiam imperfectio est, quolibet Dei

*Thomist.* prædicatæ indignissimæ: quemadmodum, negantes ipsimet Thomistæ actum nostrum, nec bonum, nec malum moraliter, sed indifferentem in individuo; eo ipso dicunt esse malum. Si secundum, eo ipso diceret ex conceptu suo intrinsecam perfectionem. Nam eo ipso, quod res excludat omnem imperfectionem, excludit omne prædicatum sibi disconveniens; nec paritur carere aliquo convenienti, cuius defectu esset imperfect: sed hoc ipsum est ex conceptu suo dicere perfectionem: ergo eo ipso diceret perfectionem ex conceptu suo. Probat minor: quia perfectio, ut ex communi consensu diximus *num. 6.* est integritas prædicatorum rei appetibilem cum exclusione disconvenientium: sed eo ipso, quod res ex conceptu suo excludat omne prædicatum disconveniens, & non patitur carere aliquo convenienti, dicit ex conceptu suo prædictam integritatem, ut ex terminis patet: ergo dicit eo ipso formalissimam rationem perfectionis. Implicat igitur, Relativa, & Libera Dei ex conceptu suo excludere possit, & formaliter dicant perfectionem. Quod ait *Godoy*, perfectionem non esse quamcumque integritatem; sed integritatem prædicatorum dicentium perfectionem; nimis verum est; sed nimis etiam frivolum, explicans inutiliter idem per idem.

SECTIO V.

OBIECTIONES CONTRA SPECIALES PERFECTIONES RELATIVORUM DEI.

*41* Obijcitur primò. Si Relationes dicerent specialem perfectionem, & tres Relationes Personales, tres Perfectiones realiter distinctas; sequeretur primò, quod tres Relationes simul, essent quid perfectius, quam una seorsim: contra quod ait *Augustinus lib. 8. de Trinitate. Tantius est solus Pater, quantus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Sequeretur secundò, quod essent in Deo tres Perfecti, contra eundem *Augustinum*, aliosque PP. docentes, Magnitudinem Dei, quæ est quasi quantitas suæ Perfectionis, esse ab Essentia, quæ quidem una est. Et hinc est quod notat *Montoya, disp. 28. sect. 1.* Sacram Scripturam semper loqui singulariter, & nunquam pluraliter, de Magnitudine Dei: ut *Baruch. 3. Magnus est, & non habet finem: & Psal. 144.*

Magnitudinis eius non est finis.

*42* Respondetur, negando primam sequelam per ea, quæ iuxta mentem, & verba *Augustini* dicemus *sect. 8.* Ad secundam dico, fuisse hæresim *Macedonij*, & aliorum Trinitarum admittere in Trinitate tres Essentias, tres Deitates, tres Deos, & in hoc sensu tres Perfectos, à triplici ut aiebant, Deitate, seu trinâ Perfectione absolutâ, tenente se ex parte trinæ etiam, seu realiter triplicis Naturæ Divinæ. Contra quos stat *Fides*, unicam credens Perfectionem, ac Magnitudinem Dei absolutam, sicut & unam Naturam, & Essentiam: abhorrens propterea, non solùm ab hæretico sensu Trinitarum; sed etiam à loquutionibus, quæ illum sonare videntur: quia nota malè sonantis cadere potest in multas Propositiones alioquin veras, cautè tamen evitandas, nec, nisi adhibita clarâ explicatione proferendas. Id quod à Theologo cordato attendi oportet in rebus dogmaticis, in quibus utique quæstiones etiam de vocibus propterea sæpè magnificandæ sunt: ut obsequatur *Theologia Fidei*, quæ non solùm *Orthodoxa*, sed *Orthologa* est: nimirum, non solùm rectè credens, sed etiam rectè loquens. Interdum enim, iuxta vulgatum, ac perutile *Sancti Hieronymi* monitum: à *Verbis inordinatis prolatis incurriunt hæresis*: aut saltem cenura alia Theologica infra hæresim.

*43* Hinc, nego, absolutè loquendo, secundam sequelam, quod nempe sint in Deo tres Perfecti: est enim loquutio sonans tres Deos Perfectos: quam hæresim expugnare conabantur *Augustinus*, alique PP. ex illis, & alijs Scripturæ Locis. Longissimè tamen abest à sensu prædicti erroris sensus conclusionis nostræ; quippè constanter asserimus, sicut unicam Deitatem, unicam etiam Perfectionem Dei Absolutam in tribus Personis: cui dogmati non contradicit in re, quod asserimus, in triplici etiam Personalitate Divinâ relucere præterea trinam specialem Perfectionem, & Magnitudinem. In modo autem loquendi non admittimus absolutè tres Perfectos, nec tres Magnos; quamvis, adhibitâ convenienti explicatione, & cum addito dicamus, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse tres Perfectos, & tres Magnos, Magnitudine, scilicet, & perfectione relativâ, & extræssentiali. Sicquè, & in re, & in modo loquendi, cautè discedimus ab erroribus, quos damnabant *Sancti PP.* & à periculo illos adstruendi, & fovendi.

*44* Sed insistes adhuc. Quia unica est Deitas,

Deitas, rectè dicitur unus Deus: & quia tres sunt Personalitates rectè dicuntur tres Personæ: ergo si tres sunt Perfectiones, rectè dicuntur tres Perfecti. Respondetur, negandam esse consequentiam, uti iacet absolutè, & sine addito: quia malè sonat, quamvis habere possit verum sensum; si cum supra expositâ limitatione explicetur: quâ explicatione non indiget antecedens: nam Deitas, à qua unus est Deus, ita est unica Absoluta, ut non detur præterea Deitates relativæ: & Personalitates ita sunt tres Relativæ, ut non detur præterea Personalitas absoluta: ac Perfectiones ita admittuntur à nobis tres Relativæ, ut præterea admittamus unam, & communem Perfectionem Absolutam: & ita admittitur una communis Absoluta, ut præterea admittamus tres Relativas: & inde oritur æquivocus sensus in consequentia, ac propterea sedulo distinguendus: & dum sensus non distinguitur, propositio absolutè neganda ratione periculi: quod periculum non est in antecedente. Id quod sedulo notandum est pro similibus argumentis in re præsertim Theologica.

*45* Obijcitur secundò. Si Relationes dicerent speciales Perfectiones; Relationes, ac proinde Personæ non essent æquæ perfectæ, imò, nec simpliciter infinite perfectæ, contra quod ait *Athanasius in Symbolo: coæterna sibi sunt, & coequalis*: ergo non dicunt speciales Perfectiones. Antecedens probatur: quia cum Relatio Filij non habeat identitatem sibi Paternitatem, careret aliqua perfectione, quam dicit Relatio Paternitatis.

*46* Respondetur, negando totum antecedens, ex dicendis *sect. 7.* & absolutè quoque eius probationem: sicut enim anima habens gratiam, quamvis realiter distinguatur à gratia, non dicitur carere gratiâ, dum habet gratiam sibi unitam; sic, & à fortiori Filiatio habens in Deo, & secum Paternitatem, quamvis realiter distinguatur à Paternitate, non dicitur carere Paternitate, cum illam dicat plusquam sibi unitam, scilicet secum per circuminseffionem identitatem in uno tertio: & similiter dicit Paternitas Perfectionem Filiationis: sicquè mutuo, ac simplicissimè sese perficiunt non obstante reali eorum distinctione: non quidem respicientes se sicut perfectum, & imperfectum, aut minus perfectum; sed sicut infinite perfectum ad infinite perfectum per mutuam, ac mirabilem circuminseffionem. Atque hinc patet infinitissima utriusque Perfectio: quia alteri utra dicit omnem Perfectionem, par-

tim formaliter; partim supereminentiissimè, ut explicavimus *sect. 7.* & perfectissima utriusque coequalitas: quia, quamvis una non dicat formaliter Perfectionem alterius secum identitatem, dicit illam eminenter, & dicit formaliter aliam æquè nobilem.

*47* Urgebis. Quamvis Filiatio dicat formaliter specialem suam Perfectionem Notionalem parem perfectioni Paternitatis; at tamen Paternitas, quam Filiatio dicit identitatem realem cum Relatione Spirationis activæ, quam identitatem non dicit Spiratio passiva: ergo saltem Spiratio passiva, ac proinde Personalitas Spiritus Sancti, non esset tam Perfecta, quam aliz Relationes, si in suis proprijs conceptibus involvitur perfectio. Respondetur, concessio antecedente, nego consequentiam. Quia Spiratio passiva, quamvis non dicat identitatem realem sui cum activa, qualem dicunt Paternitas, & Filiatio, dicit illam circuminseffivè in uno tertio, scilicet in Deitate, quæcum utraque identitatur: qui titulus realis identitatis utriusque in uno tertio sufficientissimus est, ut Spiratio passiva eminentissimè contineat Perfectionem Spirationis activæ, sicquè sit æquè perfectæ, ac Paternitas, & Filiatio. Quod si Spiratio passiva non dicit identitatem sui, id est Spirationis, cum activa; huiusmodi identitatem, utpotè chymericâ, nec Paternitas dicit; sed identitatem sui, id est, Paternitatis: quam identitatem Paternitatis cum Spiratione activa, iam dicit, & habet dicto modo Spiratio passiva.

*48* Dices. Paternitas summa Perfectionem Notionalem dicit formaliter, & perfectionem Spirationis activæ identitè per identitatem inter se, & Spirationem activam; Spiratio verò passiva, nec formaliter dicit eas duas Perfectiones, nec identitè per identitatem inter se, & ipsas; sed solùm per identitatem in tertio: qui titulus in linea identitatis latior est; alter verò strictior, & intimior: ergo saltem penes modum dicendi eadem Perfectiones esset inferior, ac proinde minus perfectæ Spiratio passiva, quam Paternitas.

*49* Respondetur: concessio antecedente, negando consequentiam: quia tam perfectus est iste modus dicendi eam perfectionem in Spiratione passiva, quam in Paternitate ille alius. Imò perfectio summa Spirationis passivæ hæc est, scilicet dicere istum suum modum formaliter, & quod Paternitas dicat formaliter suam illum alium modum strictioris identitatis, quem ipsa dicit solùm eminenter; sic enim dicit

Supra sect. 4.

infra sect. 8.

Hierony.

Symbol.

August.

Infra sect. 7.

Spi.



Spiratio passiva eminenter illam ipsam perfectionem Paternitatis, & illum etiam ipsam modum, quo Paternitas dicit alias perfectiones; quamvis non id dicat eo ipso modo, sed alio æque bono. At, inquis, intellectus noster, quamvis eminenter præcontineat intellectiōnem, non est tam perfectus, quam intellectus simul, & intellectio. Fateor: at ista continentia effectuum in causis secundis est infinite deterior, vixque comparabilis cum continentia supereminētissima fundata in identitate reali in vno tertio, aut in virtute productiva à se Causæ primæ, quæ est Causa causarum.

## SECTIO VI.

OBIECTIONES CONTRA  
Speciales Perfectiones Libero-  
rum Dei.

50 **O**bjicitur primò: Si Libera Dei, ut talia, dicerent specialem perfectionem, dicerent simpliciter Infinitam: sed hanc non: ergo. Probatur minor: quia nihil defectibile est simpliciter infinitum: sed libera, ut talia, defectibilia sunt: ergo non sunt, ut talia, perfecta simpliciter infinite. Confirmatur: quod ita subiacer alicui, ut pro eius libito possit non esse, non est simpliciter infinitum in genere essendi: sed talis est actus Dei liber, v.g. volitio creandi mundum, quæ pro Dei libito potuit non esse: ergo. Confirmatur secundò: Defectibilitas est opposita necessitati Essendi, quæ est maxima entis perfectio: ergo actus Dei liber, imbibens, prout talis, defectibilitatem, non dicit, ut talis, perfectionem simpliciter infinitam.

51 Tria hic oportune monuerim. Primum, has & sequentes formulas argumentandi, si valent ad probandum, libera Dei, ut talia, non dicere specialem perfectionem, valere similiter ad probandum, dicere imperfectionem. Secundum, procedere ex suppositione, quod libera Dei, ut talia, constituentur per quid Deo intrinsicum, quam suppositionem vti verissimam libens admitto. Tertium, sæpe me ad hæc respondisse, permissa Obijcientibus defectibilitate reali Libero-rum Dei, ut defenditur à nonnullis cum P. Borrull, *disp. 8. de Vol. Dei*: dicebam enim, neque hanc realem Libero-rum defectibilitatem tollere ab illis intrinsicis Dei realem identitatem cum necessarijs. Nunc verò, ne per transennam quidem dare locum audeo huic opinioni, à qua, vti Deo,

nec necessaria, nec digna, semper abhorreo: Meum sensum insinuabo oportunitus. *disp. 8. sect. 5.*

52 Contentus ergo defectibilitate virtuali Libero-rum Dei, respondeo facilius, & verius ad obiectionem, negando minorem. Ad probationem, distingo maiorem: nihil realiter defectibile, concedo: nihil virtualiter tantum defectibile, & realiter semper identitatum cum necessitate Essendi, est simpliciter infinitum, nego maiorem: & distingo minorem: Libera, ut talia, defectibilia sunt realiter, nego; virtualiter tantum, semperque identitatum cum necessitate essendi, concedo minorem: & nego consequentiam. Hanc virtuales defectibilitatem Libero-rum Dei explico loco citato: quod non est aliud, nisi posse deficere quoad denominationem, seu posse non denominare Deum realiter sic volentem, aut scientem: & rogatus de hac ipsa denominatione Deo intrinsicè; respondeo similiter, hanc ipsam denominationem non posse deficere quoad entitatem; sed solus: quoad denominationem, quod est posse deficere tantum virtualiter; neququam verò realiter: quamvis pro libito libertatis divinæ supereminētissimæ possit realiter, non sic sed aliter Deum denominare.

53 Ad primam confirmationem, distingo maiorem: si id possit realiter non esse, concedo; si tantum virtualiter modo dicto, nego maiorem: & distinctè similiter minori, solumque concessa de potentia non essendi virtualiter, identitatum cum necessitate realiter essendi; nego consequentiam. Ad secundam, distingo antecedens: defectibilitas realis est opposita necessitati essendi, concedo; dumtaxat virtualis, nego: imò super necessitatem essendi addit perfectionem infinitam exercitij mirabilissimæ libertatis. Tandem, nego ultimam consequentiam.

54 Objicitur secundò. Nulla sua perfectio potuit Deo deesse: sed actus liber, ut talis potuit Deo deesse: ergo, ut talis, non est Dei perfectio. Probatur maior: nam alioquin, posset Deus non esse summè perfectus, cum potuerit non esse tam perfectus, ac est. Confirmatur, sicut est necessarium, Deum esse Deum, ita & esse summè, ac omnimodè perfectum: ergo necessaria Deo est omnimoda perfectio: sed libera, ut libera, non sunt Deo necessaria: ergo, ut libera, non sunt Deo perfectio.

55 Respondetur: distinguendo maiorem; realiter, concedo: virtualiter, & cum necessitate essendi semper realiter in Deo, nego: & hoc secundo modo tantum, concedo.

do, posse deesse Deo sua libera, ut talia. Itaque, nego consequentiam. Ad probationem maioris, nego totum. Neque enim Deus posset non esse summè perfectus: quandoquidem non posset non esse realiter identitatum cum omni sua perfectione, utpotè realiter indefectibili, quamvis virtualiter defectibili: & defectibili quidè non quoad perficiendum Deum, sed quoad denominandum Deum pro libito suo sic volentem, aut nolentem. Id quod de ea ipsa denominatione liberà, ut tali, similiter dico, posse nimirum non denominare Deum sic volentem: & hoc est posse deesse Deo virtualiter, quoad hoc munus sic Deum denominandi, nam quoad hoc munus esset quasi non esset, si Deo aliter libuisset: non tamen posse non denominare Deum perfectum, quia numquam deesset realiter in Deo; nec quoad hoc munus perficiendi deesset virtualiter. Neque posset non esse Deus tam perfectus, ac est. Tum quia non deesset illi realiter aliqua sua perfectio, ut dictum est. Tum quia, nec adhuc virtualiter, quoad denominationem perficiendi Deum, posset illi deesse ea denominatio volendi, ut libera, quin eo ipso æque perfectè denominaretur positivè liberè nolens sic denominari volentem: atque adeò semper esset vndequeque summè, & æque perfectus.

56 Ad confirmationem, concedo antecedens, quoad ly, *summè*: quia omnino necesse est, nihil esse, nec esse posse Deo perfectius: nec extra ipsum Deum Deo æque perfectum: & nego quoad ly, *omnimodè*: quia non est necesse, Deum tali modo esse perfectum, ut sit perfectus denominando se volentem mundum; nec est possibile tali modo esse perfectum, ut sit perfectus denominando se volentem simul, & nolentem mundum. Sic non est necesse, nec Deo possibile, tali modo esse perfectum, ut sit perfectus dicens formaliter perfectiones increatas, & creatas, sicut illas dicit formaliter complexum ex Deo, & creaturis: sed tali modo, ut creatas dicat solum eminenter: & increatas, quibus pro suo libito caret virtualiter quoad taliter denominari, dicat realiter quoad esse, & supereminētissimè per realem identitatem cum illis, adhuc virtualiter deficientibus. Sic, inquam, & non aliter Deus est perfectus: quin deroget quidquam huic perfectioni, quod non sit aliter perfectus: quippè, & illos ipsos modos aliter habendi eas perfectiones dicit supereminētissimè. Distinguo autem consequens: necessaria est Deo omnimoda perfectio, cum om-

ni modo eam habendi, nego cum summo, & perfectissimo, concedo consequentiam: & distingo minorem subiectam: libera Dei, ut libera, non sunt Deo necessaria realiter, quoad entitatem, nego: quoad denominationem, & virtualiter, concedo. Et similiter distinguam millies de ipsa denominatione, utpotè realiter semper identitatum cum Deo, & cum necessitate essendi. Vnde, nego ultimam consequentiam.

57 Objicitur tertio. Non est Dei perfectio prædicatum, quod tantum boni aufert, quantum affert: sed volitio libera tantum boni aufert, quantum affert: impedit enim nolitionem æque divinam, ac promovet æque bonam, ac est volitio: ergo. Confirmatur. Perfectio respectivè ad suum perfectibile præponderare debet suo contradictorio: sed volitio mundi respectivè ad Deum non præponderat suo contradictorio, nempe nolitioni, quacum videlicet æque bene staret Deus: ergo. Maiorem probat Antonius Perez, quia quod non præponderat suo contradictorio, tale est, ut eius præsentia non sit estimabilior, nec eligibilior, præ absentia: sed perfectio debet esse talis, cuius præsentia sit estimabilior, & eligibilior præ absentia: ergo debet præponderare suo contradictorio.

58 Ne quidquam, aut claritatis, aut roboris obiectioni detrahatur, intactos eius terminos relinquo: hoc dumtaxat consequenter ad præcedentes responsiones notato, quod ablatio, seu absentia perfectionis, intelligi oportet iuxta subiectam materiam cum grano salis, de ablatione, & absentia virtuali, in eo sensu, quo diximus, libera Dei esse virtualiter defectibilia; non realiter.

59 Respondeo nunc; negando maiorem: quia quod prædicatum aliquod tantum boni auferat, quantum adfert, arguit non esse Deo perfectius istud, quam esset aliud, quod, isto non impediendo, haberetur: non verò arguit, istud non esse perfectum, & optimum. Unde, data minori, nego consequentiam. Dixi, *data minori*: quia non est omnino verum, quod in ea dicitur, volitionem liberam Dei tantum boni auferre, quantum adfert: adfert enim formaliter realem cum necessarijs Dei identitatem; quam tamen nullatenus aufert: nam cum volitione denominante Deum volentem mundum stat identitas nolitionis cum Deo, quamvis non denominans Deum nolentem, quia nempe non vult sic denominari: quod reducitur abstrusissimum divinæ Libertatis Mysterium.

60 Ad confirmationem, nego maiorem generaliter sumptam de omni contra-

dicto.

dictorio. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem, quando absentia talis perfectionis est aliquid positivum æque bonum, ac esset absentia volitionis divinæ; hæc enim absentia esset volitio æque divina, & æque bona, cuius præsentia compensaret adæquatissimè Perfectionem volitionis tunc, modo iam dicto, deficientis. Hinc quælibet illarum esset eligibilis præ alia, hoc est, omissa alia; quamvis non sit eligibilior: nam alia æque æstimabilis est, & eligibilis præ ista: utraque enim bona est, & simpliciter infinitè perfecta; neutra verò melior, aut perfectior, ut dicemus *sect. seq.*

*Infra sect. 8.*

61 Objicitur quartò. Si libera Dei essent speciales Perfectiones, accedentes Essentiæ Dei perficerent Essentiam: hoc autem dissonat: tum quia iam supponunt Essentiam summè perfectam, ac proinde non ulterius perfectibilem: tum quia ea perfectibilitas Essentiæ per liberas Perfectiones redolet potentialitatem, repugnantem rationi actus puri. Hæc obiectio æque militat adversus Perfectiones Relativorum, imò, & Attributorum absolutorum, si extraessentialia sunt. Respondeo ergo cum distinctione: perficerent Essentiam extrinsecus, & informativè, nego: intrinsecus, & identicè, concedo: non, inquam, reddendo Essentiam magis perfectam, quam per se est; sed magis, quam esset, si absque illis esset realiter identificatis cum ipsa: esset enim inanis chimæra. Nego autem, id, quod concedimus, vllatenus dissonare. Neque enim, quòd Essentia supponatur summè perfecta, quidquam arguit, nisi quòd extrinsecus, & ab alieno, & quasi emendicatò ulterius non perficiatur: ac Perfectiones illæ Dei, sive Liberae, sive Relativæ, sive Attributales, non sunt alienæ Deo, aut extrinsecus emendicatæ, sed suæ, ac secum identificatæ: sicque benè stat, Essentiam esse per se summè perfectam, utpotè per se identificatam cum omnibus istis perfectionibus, & vnde quaque summè perfici per istas, sine quibus non esset per se summè perfecta, sed chimæra imperfectissima.

62 Neque huiusmodi perfectibilitas per identitatem, qua Perfectiones divinæ sese mutuò summè perficiunt, redolet potentialitatem derogantem perfectioni actus puri: cum nihil derogat perfectissimæ simplicitati. Quemadmodum, nec Personabilitas Essentiæ per Relationes, nec iuxta Adversarios, perfectibilitas Relativorum, & Liberorum Dei per absolutam, ac necessariam Perfectionem Essentiæ, arguit istorum imperfectionem, nec derogat quidquam ratio-

ni actus puri: alioquin dicerent imperfectionem oppositam actui puro. Quid importet ratio actus puri divini, & quas excludat imperfectiones oppositas divinæ simplicitati explico *disp. 14. sect. ultim.*

*Infra disp. 14.*

63 Illud pro coronide satis mirari non possum, motiva harum obiectio- num negotium fecisse suis Authoribus, quominus admittant in Liberis, & Relativis Dei formaliter rationem perfectionis: cum certè negotium facessere potius debuisset, admittere in illis rationem Entis Divini, circumscriptà præcisim ratione perfectionis.

SECTIO VII.

AN DEI PERFECTIOES,  
prout invicem, ratione, virtualiter,  
aut realiter distinctæ, sint  
formaliter aqua-  
les.

*Supra sect. 3.*

64 **N**egant acriter Herice, & Arriga cum communiori Neothericorum sententia, quam sequuntur Ripalda, Bernal, Ribas, & latè Borrull eos citans *disp. 12. de Trinit. sect. 8.* Itemque Izquierdus *disp. 19. q. 5. Alòs in Selectis, disput. 2. Godoy disput. 5. à num. 130. & Didacus de Avendaño tom. 1. sect. 2. probl. 2. s. 2.* Affirmant vterque Lugus; vnius *disp. 2. de Incarn. sect. 5. alter, disput. 35. de Deo, cap. 2. Granad. tract. 2. disp. 9. citans Scotum, Ochamum, Suarez, Gillium, & alios: quos sequuntur Quiros *disp. 18. sect. 4. Ribadeneira *disp. 14. de Volunt. cap. 2. Anton. Perez *disp. 6. de Volunt. Prudentius tract. 1. de Incarn. disp. 3. dub. 1. sect. 6. & Aldrete *disp. 48. de Incarn. sect. 5. & tom. 2. in 1. p. disp. 2. sect. 7.* Quo Authorum censu depulsa manet nota singularitatis, quam Sapientissimo Cardinali de Lugo inurebat Herice.****

*Herice. Ariag Ripalda. Bernal. Ribas. Borrull. Izquierd. Alòs. Godoy. Avend. Lug. Granad. Scot. Ocham. Suarez. Gill. Ribad. Quiros. Aldrete. Anton. Perez. Prudent. August. Nazian. Fulgent. Bernard.*

66 Mitto autoritates vtrinque allegari solitas. Nam quæ ex Augustino, Nazianzeno, Fulgentio, & Bernardo allegantur apud Granadum pro secunda sententia, exponuntur à prima in sensu materiali, & identico, in quo certum est, cuncta divina esse æqualia, quia singula sunt realiter Deus. Quæ vero allegantur pro prima sententia, exponuntur æque facilè à secunda de inæqualitate quadam apparenti ex modo nostro imperfecto concipiendi Deum eiusque Perfectiones minutatim ad instar creaturarum, in quibus eorundem generum perfectiunculæ inveniuntur cum inæqualitate repertà inter alias, & alias creaturas: de quo modo concipien-

piendi non procedit difficultas: cum similiter concipiamus Dei Perfectiones ad instar creaturarum limitatarum; quia perindè liceat dicere, esse limitatas: sicquè nec inæquales, ex eo quòd concipiantur à nobis ad instar inæqualium. Itaque ad Rationes vtrinque veniendum est.

67 Probatur ergo secunda sententia mihi verissima. Primò ratione à priori. Quælibet Dei perfectio, prout ab alijs, sive ratione, sive virtualiter, sive formaliter ex natura rei, sive realiter condistincta; involuit realem cum alijs identitatem, saltem in vno tertio: hoc autem est dicere eminenter omnes alias perfectiones, & formaliter huiusmodi eminentiam, ac proinde infinitudinem perfectionis in omni genere, ut monstravimus *sect. 3.* ergo sunt omnes formaliter æquales. Probo consequentiam: sic enim quælibet illarum v.g. Sapientia Dei, ut virtualiter distincta à Paternitate, dicit formaliter esse realiter Paternitatem: & Paternitas, ut virtualiter distincta à Sapientia, dicit formaliter, esse realiter Sapientiam, & sic de alijs: sed tam bonum est esse Paternitatem, quæ realiter est Sapientia, ac esse Sapientiam, quæ realiter est Paternitas: ergo hæc perfectiones sunt formaliter æquales: sicque omnes aliæ divinæ Minor præterquam quòd videtur clara ex apprehensione terminorum, probatur ad homines contra Adversarios. Quippè modò, quo dicunt Sapientiam ex conceptu suo esse formaliter perfectiorem Paternitate; dicere debent, identitatem cum Sapientia formaliter ex conceptu suo esse perfectiorem identitate cum Paternitate: ergo eo ipso dicere debent, tam bonam esse Paternitatem, quæ realiter est Sapientia, ac Sapientia, quæ realiter est Paternitas: si enim aliquis est excessus Sapientia ad Paternitatem, compensatur per similem excessum identitatis cum Essentia ad identitatem cum Paternitate ex proprijs etiam conceptibus. Confirmatur. De conceptu formali Entis Divini est saltem realis identitas cum Essentia Dei, quæ ut videbimus *disp. 5.* est plenitudo perfectionis: cum ergo quælibet Dei perfectio participet formaliter rationem Entis Divini, participat formaliter rationem entis dicentis identitatem cum plenitudine perfectionis: ergo eo ipso dicit formaliter, esse realiter plenitudinem: ergo eo ipso dicit formaliter esse perfectionem summam, ac proinde nulli inferiorum. Eleganter Ambrosius *lib. 3. de Fide ad Gratian. cap. 6. Cum omnem plenitudinè Divinitatis Filius habeat, quid est, quòd Patri æstimant amplius adscribere.* Anniesse *Disp. Scholast.*

*Infra disp. 5.*

*Ambros.*

*dim, cum amplius non sit plenitudine?*

68 Probatur secundo à posteriori. Amabilitas, adoratio, & cultus, sequitur obiecti bonitatem, excellentiam, & perfectionem: sed cuncta divina sunt formaliter summè, atque adeò æque amabilia, adorabilia, & colenda: ergo sunt formaliter summè atque adeò æque perfecta. Probatur minor: alioquin Dei Omnipotentia, Sanctitas, imò, & ipsa Bonitas formaliter sumpta, nec deberet amari, nec amaretur à Deo amore summo, nec esset digna summo amore, & cultu: si quidem maior deberet ut Divinæ Sapientiæ, formaliter per vos perfectiori, & excellentiori. Qua propter, si tres Divinæ Relationes Personales, vti plures ex Adversarijs concedunt cum P. Borrull, essent quoquè formaliter inæquales in perfectione, Pater non tam amaret Relationem Filij, quam suam; aut quam Filius Relationem Patris: nec Beati, nec nos summum cuiuslibet Divinæ Personalitati, & consequenter, nec Personæ, ut tali, amorem, cultumque deberemus: cum amor, & cultus sequantur excellentiam, & dignitatem obiecti. Nec satisfacit Borrull, dicens nulli plusquam alteri deberi: quia cuiuslibet etiam formaliter inferiori, debetur omnis cultus, & adoratio possibilis. Contra. Tum quia, quamvis ex parte nostri cultus id esset fortè verum, eo quòd omnis cultus non poterit possibilis sit simpliciter finitus; verum tamen non est ex parte divini amoris commensuratisimè ad bonitatem obiecti. Quid autem inordinarius, quam ipsum Attributum Divinæ Bonitatis à multis ex Adversarijs exclusum formaliter ab Essentia, esse formaliter minus amabile? Tum quia, & hic etiam noster ipse cultus qualis qualis, qui possibilis est, magis deberetur maiori Dei Perfectioni, quam minori, Paternitati magis, quam Filiationi: illa namque magis esset digna, quæ formaliter esset excellentior, & bona magis: quod est æque falsum, ac dissonum, sicut & quòd vni illarum deberetur maior cultus, si possibilis nobis esset, supra id quod possumus. Igitur omninò dicendum est, singulas Dei Perfectiones esse formaliter æquales, sicquè æque amabiles, adorandas, & colendas. Expressit hanc nostram mentem conceptissimis verbis Nazianzenus cognomento Theologus *Orat. 35. quæ est 3. de Theologia: vbi loquens post medium de passiva Filij generatione, ait: Accedit etiam generationis decus, res tanta, tamque veneranda: quanta, scilicet, sit Patri Paternitas, ut patet ex contextu.*

*Borrull.*

*Nazian.*

69 Probatur tertio ab inconvenienti. **Q**uia

Quia si Dei Attributa essent formaliter alia alijs minus perfecta, non essent formaliter perfecta simpliciter infinite: ut dicam, fore eo ipso imperfecta: cum ipsa forte minoritas sit defectus, ac proinde imperfectio: sed sunt per vos simpliciter infinite perfecta: ergo alia alijs non minus perfecta. Probatur maiore: quia infinitum simpliciter ab infinito secundum quid in eo discriminetur, quod careat termino intrinseco, & extrinseco, ut exposui, *sect. 1. n. 3.* vel assignetur, quælo, aliud discrimen: sed, si Attributa essent alia alijs minus perfecta, hæc minora formaliter non carerent termino extrinseco: non enim formaliter pertingerent ad summitatem, seu gradum perfectionis aliorum formaliter perfectiorum, sicque gradus iste assignaretur ipsis pro termino extrinseco formaliter, quo non pertingunt: ergo eo ipso non essent formaliter perfecta simpliciter infinite. Dices, quodlibet esse summum, sicque simpliciter infinite perfectum in sua linea. Contra tamen: quia, vel linea unius est formaliter æque perfecta, ac linea alterius; vel non. Si primum, evadunt formaliter æque perfecta. Si secundum, redit argumentum in ipsa linea, scilicet hanc lineam non esse formaliter infinite perfectam, cum sit alia perfectior: ergo Attributum esse summum perfectum formaliter in hac linea, hoc ipsum est non esse simpliciter perfectum, sicut nec ipsa linea cui commensuratur: quemadmodum, hominem esse perfectum in esse hominis, & Angelum, in esse Angeli, & Deum in esse Dei, hoc ipsum est hominem esse minus perfectum Angelo, & Angelum Deo, iuxta maiorem, & minorem perfectionem linearum.

70 Probatur quartò à pari. Nam apud alios ex Adversarijs cum Arriaga *disp. 49. num. 17.* Divinæ Relationes sunt æque perfecta, alioquin Personalitates, ac proinde Personæ non essent coæquales, contra Symbolum Athanasij: *coæterna sibi sunt, & coæquales*: ergo etiam Attributa. Probo consequentiam: ideò Paternitas, & Filiatio, quamvis illa sit de genere entis improducti, & ista de genere entis producti, ex se, ut aiunt, minus perfecta; sunt formaliter æquales, quia inæqualitas illa generum compensatur à perfectione cuiuslibet Relationis ex differentia Divinæ: unde eximie Doctor Eximius *lib. 3. de Trinit. cap. 10.* cum retulisset Clitoveum dicentem, Paternitatem secundum propriam perfectionem Relativam dicere maiorem perfectionem, quam formaliter dicat Filiatio; repudiat talem modum loquendi, uti derogantem æqualitati Perso-

narum: quia, inquit, in Deo non est melius, nec beatius, dare, quam recipere. Puerum Nazianzenus ubi supra: *Si magnum Patri Nativum est à nullo profectum esse, non minus illustre Filio est ex tali Patre prodijisse.* Sic ergo, quamvis Attributum Sapientiae ex genere suo videretur nobis excedere Voluntatem, Omnipotentiam, aut Paternitatem; tamen dum omnes hæc perfectiones contrahuntur formaliter per differentiam Entis Divini, evadunt formaliter æquales: alioquin similitet non evaderent coæquales Relationes; nec Personalitates, ac proinde, nec Personæ: & hoc quidem adhuc realiter, cum inter se realiter distinguantur. Non enim unitas Naturæ obest reali ipsarum inæqualitati, sicut nec obest distinctioni, aut sicut nec obest æqualitati, non minus requirenti distinctionem inter æquales, quam eam requirat inter inæquales inæqualitas. Non item obest continentia eminentialis unius in alia per circuminseffionem, stans cum reali eorundem distinctione; sicut per vos non obest formali inæqualitati Attributorum continentia eminentialis unius in alio per realem identitatem, stans cum virtuali, aut formali ipsorum distinctione. Videndus solidissimus Montoya, *disp. 30. sect. 2.*

SECTIO VIII.  
TRIVM AVTHORVM TRINA  
*obiectio contra formalem æqualitatem Divinarum Perfectionum.*

71 **O**bjicies primò, ex Herize, quòd Theologi supponunt in Deo rationes primarias, & secundarias; sed primariæ sunt perfectiores formaliter, quam secundariæ: non ergo sunt æque perfecta. Confirmatur: nam alioquin Paternitas, quæ proprietates est, pariter esset perfectior, ac tota Divinitas, totaque Trinitas: quod est à nemine dictum, & aperte falsum: quia Paternitas, ut talis, non continet formaliter Deitatem, & totam Trinitatem: at qui, nec eminenter, aut æquivalenter: ergo. Probatur hæc minor: quia Paternitas, nec est formaliter Natura Dei, nec est Omnipotentia, nec Sapientia, nec Voluntas, nec est istarum principium, aut radix: ergo nec illas continet formaliter, nec eminenter.

72 Respondetur distinguendo maiorem: primarias primatu constitutionis, aut originis, concedo: primatu perfectionis, aut dignitatis, nego in rem, & minorem, cum consequentia. Quæ nostra distinctio notissima

ma Theologis esse debet: quippe disputantes de Essentia Dei, variant in eo quòd Sapientia sit, aut non sit de ratione primariâ Deitatis, & non perinde variant circa gradum perfectionis eiusdem Sapientiae. Quòd si aliqui intelligunt Maiorem Propositionem de primatu perfectionis, & dignitatis formaliter, aut corrigere debent finitatem eam intelligentiam, aut sic interpretandi, ut solum loquantur iuxta modum aliquem nostrum concipiendi Divinas Perfectiones ad instar creaturarum non mutuo identificatarum, maiorum, & minorum.

73 Ad confirmationem, amplector verà hoc manu sequela cum Mayrono, & Card. Delugo, iuxta Augustinianum, illud laudatum supra num. 41. *Tantus est solus Pater, quantus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*: cuius rationem dant Suarez, & Lugus, quia quælibet Persona, vel etiam Relatio, ut ab alijs distincta, dicit formaliter realem identitatem cum Essentia, cum qua omnes identificantur: tanti autem est esse formaliter Paternitatem identificatam cum Essentia, quæ est totus Deus; quanti formaliter est esse totum Deum. Falsum itaque est, hoc esse falsum, & à nemine dictum: sicut etiam quod in probatione subiungitur, Paternitatem Divinam, ut talem, non continere eminenter Deitatem, omnesque perfectiones divinas: quia quamvis non sit formaliter omnes, est formaliter identitas realis cum omnibus, saltem in vno tertio: qui titulus apertissimus est, non minus quam titulus principij, seu radicis, ad continentiam eminentialem, ut adstruximus *sect. 3.* quidquid noviter id negat Ferrerius *lib. 1. de Deo, disp. 2. cap. 5.*

74 Objicies secundò, ex P. Borrull. Defectibile non est æque perfectum, ac indefectibile: sed libera Dei, sunt defectibilia, necessaria verò indefectibilia, quantumvis libera habeant realem identitatem cum necessarijs: ergo hac identitate non obstante, libera saltem Dei non sunt æque perfecta, ac necessaria Dei. Confirmatur primò: quia nec Dei necessaria, si defectibilia essent, æque perfecta essent, ac modò sunt. Confirmatur secundò, quia nec libera Dei, nec Paternitas præcisim ab identitate cum Essentia, sunt æque perfecta, ac Essentia: ergo neque ratione illius identitatis. Probatur antecedens: quia si præcisim etiam ab ea identitate essent æque perfecta, cur recurrimus ad titulum identitatis? Consequentia verò probatur: quia identitas illa Paternitatis cum Essentia non est perfectior

ipsâ Paternitate: ergo si Paternitas ratione sui non est æque perfecta, ac Essentia; nec ratione talis identitatis erit æque perfecta.

75 Respondetur, simili arguendi forma contendere posse, libera Dei formaliter non esse perfecta; quin etiam, & esse imperfecta, ut iam superius animadvertimus. Ex ibi dictis distingo maiorem: defectibile realiter, & identificatum cum indefectibile necessitate essendi, concedo: defectibile tantum virtualiter, & identificatum realiter cum necessitate essendi, nego maiorem: & applicatis his terminis accomodè ad minorem, aio, libera Dei non esse realiter defectibilia; sed tantum virtualiter, & identificata realiter cum necessitate essendi. Est dicere, totam perfectionem liberorum Dei esse necessariam in Deo, quavis non necessariò Deum denominet sic volentem, aut scientem, sed contingenter pro mirabili Dei libito que ad denominationem, non quo ad esse, ut ibidem exposui. Quilibet ergo actus Dei liber, ut talis formaliter, æque perfectus est, ac totus Deus, ut mirari desinat Arriaga, cognitionem Dei de formica æque perfectam esse, ac est cognitio Dei de Deo: id quod mihi æque facile est, ac quòd alterutra sit realiter totus Deus: alioquin Deus habens pro libito hunc actum præ alio minus bono, posset esse pro libito magis, vel minus bonus: quod in genere moris specialiter absolat: redolet enim imperfectionem moralem ex dicendis *Tract de Incarnatione dum de Impeccabilitate Christi.*

76 Ad primam confirmationem dico, quòd Dei necessaria, si defectibilia essent chymæra essent, ac proinde à Deo realiter ableganda, non solum uti minus perfecta, verum etiam, uti non perfecta: quod dici nequit de liberis eo modo, quo virtualiter defectibilia sunt: salva semper in ipsis formaliter identitate reali cum necessitate essendi. Ad secundam confirmationem, concessio antecedente, nego consequentiam: in cuius probatione distingo maiorem: identitas illa Paternitatis (idem de identitate liberorum) cum Essentia, non est perfectior Paternitate Divinâ, concedo: Paternitate abstractâ à Ratione Divinæ, nego: nam sic abstracta præcindit etiam à ratione infinitæ perfectionis; sub ratione verò divinæ, dicit formaliter realem illam identitatem cum Deitate, eo-que titulo infinitam perfectionem Deitatis eminenter; & formaliter perfectionem paternam perfectioni Deitatis.

77 Objicies tertio ex Arriaga. Sapientia ex genere suo est perfectior, quam potentia

Sapient. 6

tia productiva iuxta illud Salomonis: melior est Sapientia, quam vires: ergo etiam Sapientia Divina melior, quam Omnipotentia Divina. Probatur consequentia quia si inæqualibus addantur æqualia; inæqualia semper evadunt, ut patet si numeris binario, & centenario addatur par numerus, v.g. millenarius, sive etiam infinitus, v.g. reliquæ omnes unitates possibiles, ut citra dubium videtur demonstrabile, ergo si Sapientia, & Potentia factiva sunt secundum se, & ex genere suo inæquales, additâ pariter utriusque seorsim ratione divinæ, seu identitatis cum toto Deo, evadunt semper inæquales: est enim conceptibus formaliter inæqualibus superaddi conceptum æqualem.

Arriag.

78 Hoc argumentum evidens contra nos putat Arriaga, immemor quod in simili forma militat contra se, defendentem æqualitatem trium Personarum, quamvis illarum Relationibus ex genere suo inæqualibus, accedat eadem summa vnius Naturæ perfectior & fundens, potius, quam fundans evidentiâ, ut ludit Avendañus tom. 2. sect. 17. problem 8. num. 166. Vidit utique evidentiâ ubi non est, & non vidit inconsequentiam ubi est. Nihilominus Noviores alij fidunt incauti huic argumento à se similiter solvendo in Relationibus, & Personis, ut expendimus num 70.

Avend.

Supra sect. 7.

79 Respondeo pro omnibus, & quod caput est, pro solidâ veritate, permittendo absolutè antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens si illud, quod additur, non est summum, concedo: si est summum, ideòque supereminenter continens omnem perfectionem illorum inæqualium; nego antecedens: talis autem est ratio, sive conceptus Entis Divini, & realiter identitatis cum toto Deo, superadditus formaliter Sapientiæ, & Potentiæ factivæ, dum per conceptum formalem divinæ contrahuntur ad esse Dei. Unde nego consequentiam: quia superadditâ formaliter alterutri illarum suâ ratione Entis Divini, utriusque illi generi superadditur formaliter hoc quod est esse realiter Deum: quo nec realiter nec formaliter est quid melius, aut perfectius, cum sit summum, in ratione perfectionis, & dignitatis.

80 Permissi antecedens: quod tamen propter utilitatem doctrinæ examinare iuvat. Vel enim est dicere, formalitatem genericam Sapientiæ universaliter præcisam ab hac, & illa Sapientia, indivisibilitè obiectivè vnam, esse perfectiorem formalitè genericâ Potentiæ factivæ similiter præcisâ, & obiectivè

vnificatâ: & hoc non: nos etenim, & ipsemet Arriaga cum Hurtado, ubique negamus in Universalibus huiusmodi præcisiones, & unitates obiectivas. Vel est dicere, aggregatum obiectivum omnis Sapientiæ esse formaliter perfectius aggregato omnis Potentiæ: & hoc est quod in quæstione præenti negamus contra Arriagam, cum in utroque sit aliquid, quod realiter est Deus, quo nihil perfectius esse potest. Vel est dicere, quamlibet Sapientiam esse perfectiorem quamlibet Potentiâ factivâ: & hoc non: quia Sapientiâ creata perfectior non est potentiâ factivâ increatâ. Vel est dicere, quamlibet Sapientiam, cæteris paribus, esse perfectiorem potentiâ factivâ, eo ipso præcisè quod illa sit Sapientia, & ista sit potentia: & hoc quoque negamus; ubi potentia factiva dicit formaliter realitè identitatem cum Sapientia, ut in Deo, ob rationes datas pro nostra conclusione. Vel tandem est dicere, Sapientiam, si poneretur nihil habens, præter esse Sapientiam, fore perfectiorem potentiâ factivâ, si poneretur hæc nihil habens, præter esse potentiam factivam: & hoc non est ad rem: loquimur enim de Sapientia, quæ præter esse Sapientiam, est potentia, & de potentia, quæ præter esse Potentiam, est Sapientia. Addo, quod in hoc postremo sensu, sicut abstrahitur à differentiis creatæ, vel increatæ; sic etiam à ratione maioris, vel minoris perfectionis, imò, & imperfectionis: cum tamen versetur nostra quæstio de Sapientia Divina, & de Potentiâ Divina. Eligat sibi P. Arriaga ex his sensum sui antecedentis, & ex his applicet etiam sibi responsionem.

Arriag. Hurtad.

SECTIO IX.

QUÆNAM DEI PERFECTIO- nes sint infinitè Simpliciter Quænam, Simpliciter simplices.

81 Hic dubitationi, & distinctio ni dedit ansam Anselmus in Monologio, cap. 14: appellans perfectionem simplicem, perfectionem sine imperfectione, quæ scilicet nullam habet imperfectionem sibi admixtam: & perfectionem simpliciter simplicem illam, quæ præterea in quolibet, melior est ipsa, quam non ipsa.

Anselm

82 Hoc ultimum variè varij sibi explicant. Ex qua diversa nominum explicatione orta est diversitas opinandi, magna ex parte de voce circa Perfectiones Divinas.

83 Conveniunt omnes primò in eo, quod

quod nulla perfectio creata sit perfectio simplex, & à fortiori, nec simpliciter simplex: quia nulla est, quæ non habeat sibi admixtas multas imperfectiones. Bene. Conveniunt secundo in eo, quod omnis perfectio divina sit perfectio simplex: quia omnis divina excludit à se omnem imperfectionem. Bei. E. Dissident verò in eo, quod alij omnem Perfectionem Divinam dicunt esse simpliciter simplicem, iuxta quam sibi accomodant horum terminorum explicationem.

Vasquez. Montoya. Arriaga. Suarez. Lugo. Lumbier

Borrull.

Ita Vasquez 1.p. disp. 122, Montoya disp. 30. de Trinit. sect. 9. & Arriaga disput. 29. de Trinit. Alij id dicunt de Perfectionibus Absolutis necessarijs; negant verò de Relativis. Ita Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 10. Franciscus de Lugo lib. 2. disp. 10. cap. 2. Magister Lumbier quæst. 9. de Trinit. num. 158. Alij tandem id dicunt de omnibus necessarijs etiam Relativis; negant verò de liberis. Ita Borrull disp. 12. de Attrib. sect. 1.

84 Mihi sanè genuinior modus sentiendi, & loquendi ille est, qui re, & voce magis adhæreat doctrinæ Anselmi, à quo hæc voces, & iuxta illas præsens dubium, originem habuerunt.

85 Dico ergo, Perfectionem simpliciter simplicem illam esse, quæ, cum infinita simpliciter sit, in quolibet est melior ipsa, quam non ipsa. Verba sunt Anselmi: quorum planus, & expeditus sensus est, quod in quolibet, in quo ipsa est, est melior, quam non ipsa: hoc est, quam quælibet alia, quæ sit realiter distincta ab ipsa: esse enim distinctam ab ipsa est esse non ipsam. Itaque de ratione perfectionis simpliciter simplicis est, talem esse, ut minimè patiat, non ipsam, seu aliam distinctam realiter ab ipsa, esse æquè perfectam, ac est ipsa: quia eo ipso non esset ipsa melior, quam non ipsa: siquidem daretur alia non ipsa, æquè bona, ac ipsa. Hæc est, ni fallor, plana, & plena Verborum Anselmi explicatio.

Suarez. Scotus. Aureol.

Anselm.

86 Quæ posita, sensus meus est cum eodem Anselmo, Perfectiones Dei Relativas nõ esse simpliciter simplices. In hoc consentio cum Suarez, cui præluxerunt Scotus, & Aureolus, & quod caput est, Anselmus ipse. Quippè post suam explicationem Perfectionis simpliciter simplicis subiungit: multa Relativa esse, quæ nequaquam hæc continentur divisione: vtrum autem aliqua continentur, inquirere supersedeo. Unde patet, eos, qui sic eam Anselmi divisionem explicuerunt, ut omnia Relativa Dei asserant esse Perfectiones simpliciter simplices, à vera Anselmi explicatione, & intelligentia

aberrasse, illique è diametro contradixisse.

87 Ratio nunc nostra in promptu est. Quia omnis Perfectio Dei Relativa talis est, ut non ipsa, id est alia distincta realiter ab ipsa sit æquè bona, & perfecta ac ipsa: æquè enim perfecta est Filiatio, ac Paternitas: Spiritatio passiva, ac Activa, & è contra, ut stabilitum est sect. 7. ergo nulla ipsorum talis est, ut ipsa sit melior quam non ipsa: siquidem non ipsa, hoc est alia distincta realiter ab ipsa, æquè, ac ipsa, bona, & perfecta est: nulla ergo Relativa Perfectio est simpliciter simplex.

Supra sect. 7.

88 Atque hinc est certum, quod nulla perfectio creata est simpliciter simplex: non solum, quia non est perfectio sine imperfectione; verum etiam, quia talis non est, ut sit melior ipsa, quam non ipsa, cum nulla sit talis, quæ non patiat, non ipsam, seu aliam à se distinctam, sibi parem, imò, & se meliorem.

89 Fit etiam liquidò, Dei Essentiam, & Attributa necessaria, esse Perfectiones simpliciter simplices: quia nihil ab ipsis realiter distinctum esse potest æquè bonum, & perfectum.

90 Dices: ergo Relationes non sunt æquè perfectæ, ac Essentia: quia Perfectio simpliciter simplex, qualis est Essentia, maior est, quam Perfectio non simpliciter simplex, quales dicimus esse Relationes. Respondeo, negando consequentiam, eiusque rationem: non enim perfectio simpliciter simplex, est melior Perfectione simpliciter infinita non simpliciter simplici: quia non differunt in eo, quod vna, sit melior aliâ; sed in eo, quod vna, & non alia, patiat aliam à se distinctam esse æquè bonam. Itaque Relatio Paternitatis non deficit à ratione Perfectionis simpliciter simplicis, nisi quia Filiatio realiter ab ipsa distincta est æquè perfecta ac ipsa: quod non facit ipsam esse minus perfectam; imò hoc ipsum, est Perfectio Paternitatis. Unde tanta Perfectio est in Paternitate simpliciter infinitè perfecta, non esse formaliter Perfectionem simpliciter simplicem; quanta in Essentia, esse Perfectionem simpliciter simplicem: sicut tanta perfectio est in Paternitate, distinguatur realiter, quanta in Essentia non distinguatur realiter à Filiatione.

91 Dices iterum: saltem ratio Perfectionis Relative abstracta à Divinis Perfectionibus Relativis: sicut & ratio Personalitatis Divinæ abstracta à tribus Personis; est ratio Perfectionis simpliciter simplicis: quia nihil est ab ipsa realiter distinctum æquè

æque perfectum: sed illa ratio universaliter, & logicè communis participatur à singulis Perfectionibus Relativis, vt per se patet, sicut ab inferioribus ratio universalis, in qua conveniunt: ergo singulæ Perfectiones Relativæ sunt simpliciter simplices. Captiosus, & fallax syllogismus, sicut iste: *Ratio prædicati Relativi ad intra, abstracta à prædicatis Divinis Relativis, est prædicatum absolutum: quia & est commune Relationibus, nec refertur ad aliquod realiter à se distinctum intra Deum: sed illa ratio participatur à singulis prædicatis Relativis: ergo prædicata singula Relativa sunt Absoluta.*

92 Respondeo ergo, negando maiorem, eiusque probationem: nam quælibet Divina Perfectio Relativa est æque perfecta, ac ratio illa communis abstracta à tribus realiter distinctis: & distinguitur realiter ab illa ratione abstracta, quæ Ratio logicè, & universaliter communis, est complexum ex illis tribus singularibus, à quo complexo quælibet illarum distinguitur realiter. Videndus P. Ribadeneyra *disp. 3. de Volunt. num. 70.* bene perinde negans, rationem Personæ abstractam à tribus, esse Perfectionem simpliciter simplicem. Quo pacto illa ratio logicè communis, hac doctrina non obstante, prædicetur verè de singulis, negotium est Dialecticorum in Tractatu de Universalibus. Pro Theologis observo, communitatem logicam illius rationis universalis, sic abstractæ à Relationibus, longissimè diversam esse à communitate physica vnius Essentiæ individuæ ad ipsas. Quo discrimine harum communitatum utemur oportune, *disp. 6. sect. ult.*

93 Quid tandem de Perfectionibus Liberis Divinis? Dicendum iudico contra P. Borrull, esse simpliciter simplices. Ratio est plana: quia cum Perfectiones Libere sint Perfectiones Absolutæ, & realiter identificate inter se, & cum toto Deo; nihil est realiter ab aliqua ipsarum realiter distinctum, æque bonum, & perfectum ac sint ipsæ: nam quodlibet realiter distinctum ab ipsis & à qualibet ipsarum, est ens creatum. Scio, doctissimum Patrem Borrull *disp. 8. de Volunt. num. 88.* attentasse concedere, volitionem liberam Deo intrinsecam distingui realiter à volitione etiam Deo intrinseca, quæ potuit esse in Deo. Sed hoc non modo falsum; sed nimis etiam animosum mihi semper visum est.

94 Dices. Deus nunc realiter volens mundum, potuit realiter esse non volens, seu

nolens mundum: & tam perfectus esset nolens, ac est nunc volens: ergo esse realiter volentem est denominari Deum perfectione aliqua, qua non denominaretur realiter volens, si realiter nolisset mundum: atqui tunc non denominatus realiter volens, sed nolens, esset æque perfectus: ergo perfectio denominationis realiter volentis, non est talis, vt non possit alia intra Deum esse æque perfecta: ergo non est perfectio simpliciter simplex.

95 Ex hac arguendi forma sequitur contra omnes, multas esse Perfectiones Divinas absolutas necessarias non simpliciter simplices: do exemplum in Perfectione communitatis, seu identitatis Essentiæ ad tres Personas: nam Paternitas, quæ realiter est Essentia, non est realiter communis tribus, nec identificata cum tribus, & est, tam perfecta, ac illa communitas, seu identitas cum tribus: sicque prædicatum illud identificati cum tribus, seu communis tribus, tenens se ex parte Absolutorum, adiectivè, & denominativè significatum, prout in illa propositione: *Paternitas non est realiter identificata, seu communis tribus;* negatur in sensu reali de Paternitate, non secus ac de necessarijs Dei denominatio libera volentis alterum mundum in simili propositione adiectivà, & denominativà: *Deus non est realiter volens alterum mundum.*

96 Itaque ad argumentum concedo primum enthymema, & minorem subiunctam, & nego duas ultimas consequentias. Nam quod illæ, & similes propositiones, verificentur in sensu reali denominativo, & quasi adiectivo, non arguit realem distinctionem illarum denominationum, seu perfectionum volentis, & nolentis inter se, nec à necessarijs Dei: sicut nec in exemplo, quod opposuimus, illæ aliæ propositiones in sensu reali denominativo, & quasi adiectivo, arguunt distinctionem realem dictæ communitatis, seu identitatis cum tribus ab Essentia, nec à Paternitate: de quibus aliquantò Fusius *Infra disp. 8. sect. 5.* Vnde perfectio Divina Libera volentis mundum non est alia realiter à perfectione nolentis mundum: sicque non patitur aliam realiter non ipsam æque perfectam ac ipsa: atque adeo servat ritè conceptum Perfectionis Smpliciter simplicis.

SECTIO

SECTIO X.

AN, ET QUA RATIONE  
continetur Divina Perfectio, perfectiones omnes creaturarum.

Pf. 49. 97 **P**robritudo agri mecum est: ca-  
nit Deus per Davidem Psal.  
Augst. 49. vbi Augustinus: *Quid enim cum illo non est: cum illo ager, cum illo species terræ, cum illo species Cæli, cum illo omnia volatilia: quia ipse omnia.* Sicque Deus apud veteres etiam Philosophos cum Trismegisto, *rerum omnium Universitas*, appellabatur.

Trisme- 98  
gistus

S. Tho. Vnde Theologi cum S. Thom. . 1. p. q. 4. art. 2. & 1. contra Gen. cap. 28. & 38. & lib. 2. cap. 12. conveniunt in eo, quod omnes perfectiones creaturarum sint in Deo. Cum autem non sint in Deo formaliter, quia hoc esset Deum esse creaturas admixtas multis imperfectionibus; superest, quod sint in Deo eminenter, & multò perfectius, utpotè seorsim ab omni imperfectione. Non tamen conveniunt Doctores in stabilienda solida ratione huius eminentialis continentia perfectionum creaturarum in increata Perfectione Dei.

98 Ratio satis communis apud Suarez *disp. 30. Metaph. sect. 1.* est: quia Deus est Virtus supremo dominio potens suam cuilibet rei creatæ dare perfectionem, suamque esse. Quam rationem adstruit S. Thom. & cum ipso Gonetus *disp. 4. de Attrib. in particulari. §. 1. & 2.* & insinuasse videtur Augustinus: apud quem eiusmodi continentialis eminentia vocatur, *ipsa creatrix Essentia Dei.*

99 Duo occurrunt offendicula. Primum, quod hac ratione etiam causæ secundæ præcontinerent in se perfectiones suorum effectuum. Concedi potest: sed non ita eminenter, ac Deus, qui Prima causa est, & Causa causarum, à se, & per se omnia potens. Quod respexit Suarez, cum in sua prædictæ continentia eminentialis explicatione addidit: *supremo dominio:* quod infinite extollit eminentialem istam continentiam Dei supra modulum, quo causæ secundæ dici possunt continere perfectiones suorum effectuum.

100 Secundum offendiculum est, quod hac ratione etiam imperfectiones creaturarum, imò, & quodammodo peccata ipsa dicerentur eminenter contineri in Deo: quippe ipsas creaturarum imperfectiones saltem physicas, vt defectibilitatem, limitationem, & dependentiam cuiuslibet creaturæ produ-

cit, dum creaturam producit. Quod, quamvis nonnulli cum Granada non satis teneant, imò audit apud Quirós in Indice, *quæst. 4. art. 2.* Sequetur enim, quod posset dici Deus eminenter dependens, imperfectus, imò, & quod magis absonat, peccatum, & peccator, cum addito, *eminenter:* nisi recurras ad illorum existimationem, qui Deo negant virtutem, & concursum immediatum ad peccata creaturarum: quo tamen non effugies vim pro imperfectionibus physicis.

101 Quapropter adhuc ni fallor, indiget aliqua explicatione modificativâ prædicta ratio. Videtur dici posse, tam eminentialem continentiam perfectionum creaturarum in Deo stare in ratione supremæ causæ, complectentis, & genus causæ à se effectivæ, & genus causæ exemplaris: posita explicatione causæ exemplaris, quæ refert Suarez *disp. 25. Met. sect. 1.* ex Cayetano Ferrara, Egidio, & Richardo, dicentibus causam exemplarem terè esse ipsam Dei Essentiam perfectissimam cognitam à Deo, vt imitabilem à creaturis per suas perfectiunculas indè emendatas. Sic morales, aut physica etiam, creaturarum imperfectiones, vt tales, non sunt eminenter in Deo: quia, vt tales, quamvis physice sint à Deo; non verò exemplariter, & imitative; imò deviant quoad hoc ab exemplari Perfectionis Divinæ, quod nimitum in ratione imperfectionis non imitantur: cum non reluceant in Deo formaliter prædicata ipsis similia in ea ratione exprimente, & redolente imperfectionem; sicut relucet prædicata ipsis similia in ratione exprimente perfectionem: propter quod creaturarum perfectiones dicuntur hoc nomine, & sub hac ratione eminenter in Deo contineri.

102 Huc facit quod alij dicunt cum Arriaga *disp. 2. sect. 6.* perfectiones creatas contineri eminenter in Deo; non verò sic imperfectiones: quia in Deo sunt perfectiones sine imperfectionibus. Quod tamen non sic intelligere, vt ipsæ numero perfectiones creatæ sint in Deo formaliter; sed sic, vt in Deo sint formaliter prædicata ipsis similia in rationibus exprimentibus perfectionem; non verò in rationibus exprimentibus imperfectionem. Explicant sic: Angeli perfectio est, esse Spiritum, & intelligentem: hoc formaliter habet Deus sine imperfectione Angeli, id habentis ab alio, & per formam accidentalem. Hominis perfectio est, esse substantiam, esse viventem, esse perceptivum coloris, odoris, saporis, &c. hæc habet formaliter Deus; sine imperfectionibus tamen substanti-

acci-

Ribad.

infra  
disp. 6.

Borrull.

Granada  
Quirós.

Suaell.  
Cayetano  
Ferrara  
Egid.  
Richard.

Arriaga.

Infra  
disp. 8.

accidentibus, movendi se physicè per formas vitales materiales, & indigendi concursu obiectorum ad eiusmodi perceptiones. Solum perfectio est, esse pulchrum, esse in Cælo, producere lucem, adesse, & prodesse rerum sublunarium generationibus: hæc etiam habet Deus; tamè sine imperfectionibus materialitatis, non essendi semper, & ubique, & dependendi à concursu causæ universalis, & superioris. Perfectio floris est delectare visum, & odoratum: hoc etiam habet Deus, recreans mirificè cunctos hominum sensus, Angelos, & Bruta iuxta illud: *pulchritudo agri mecum est*; sine caducitate tamen, quæ est floris imperfectio. Sic de alijs.

*Psalm. 49.*

103 Restat duplex scrupulus. Primus, quod perfectiones creaturarum sunt identificatæ cum suis imperfectionibus, ut in Angelo, esse intellectivum, & esse limitatum; in homine, esse substantiam, & esse mortalem: ergo, si sunt eminenter in Deo perfectiones, sunt etiã, & imperfectiones. Secundò, quod, si Deus non contineret eminenter imperfectiones, non esset virtus ipsarum productiva: quomodo enim daret illis esse, quod nec eminenter habet?

104 Discernere oportet formaliter in creaturis triplex prædicatorum genus. Primum, eorum, quæ solum exprimunt perfectionem: ut esse ens, substantiam, Spiritum intellectivum, &c. Secundum, eorum, quæ solum exprimunt imperfectionem: ut esse imperfectum, esse dependens, esse limitatum, esse defectuosum, sive physicè, sive moraliter. Tertium, eorum, quæ mixtim exprimunt perfectionem, & imperfectionem, quam tamen specialiter non exprimunt: ut esse Hominem, esse Angelum, esse Arbores, &c. Prædicata primi generis, habent similia formaliter in Deo. Prædicata secundi generis, non sic habent: Deus enim non est formaliter dependens, nec defectuosus, sicut est formaliter ens, substantia, Spiritus, & intellectivus. Prædicata tertij generis: partim habent, partim non habent: quia sub illis conceptibus involvunt aliqua prædicata primi generis, quorum similia sunt formaliter in Deo: & aliqua secundi generis, quorum similia non sunt formaliter in Deo. Atque hinc desumitur magna ex parte nostra ratio, cur prædicata creata primi, ac tertij generis, potius, quam secundi generis, dicantur eminenter contineri in Deo: quia ex una parte, à Deo Omnipotentissimo per se causantur; & ex alia parte relucet in Deo exemplariter similia prædicata, quæ in illis suis prædicatis imitantur creaturæ; non verò in alijs, quæ

*Muniessa Disput. Scholast.*

potius purè deviant ab exemplari divino, in quo similia non reperiuntur formaliter.

105 Nunc ad primum, *ex nim. 81.* concedo antecedens, & distinguo consequens: Imperfectiones sunt eminenter in Deo sub ratione, & nomine alicuius perfectionis concedo; sub ratione imperfectionis, nego. Hoc autem non est distingui plusquam ratione in creaturis perfectiones ab imperfectionibus; sed dari in Deo realiter prædicata similia prædicatis creaturarum in ratione exprimente perfectionem, & non dari prædicata similia in ratione exprimente imperfectionem. Hoc est, dari in Deo realiter prædicatum intellectivi, & non prædicatum limitati: & in Angelo dati prædicatum intellectivi, & prædicatum limitati: ex quo nec in Deo, nec in Angelo arguitur vlla contradictio: hoc enim in re non est, nisi diversus modus essendi Dei, & Angeli distinctissimorum, quamvis in aliquibus prædicatis convenientium.

106 Ad secundum, nego antecedens: ipsas enim perfectiones identificatas in creaturis cum imperfectionibus, continet Deus: non formaliter ipsas numero, quia hoc esset identificari etiam Deum cum imperfectionibus; sed eminenter: quatenus scilicet continet formaliter prædicata increata, per quæ convenit cum creaturis in aliquibus rationibus præcisè exprimentibus perfectionem; non verò prædicata, per quæ conveniat in alijs rationibus. Ut autem possit Deus dare esse cunctis creaturis sufficit, quod cunctas contineat eminenter nomine, & ratione perfectionum, quamvis non nomine, & ratione imperfectionum. Perfectio sicut necesse non est, quod daturus tres tantum nummos, præhabeat tantum tres; sic nec quod daturus nummos argenteos inferiores totidem aureis, præhabeat inferioritatem argenti ad aurum: sufficit enim, quod præhabeat aurum sine inferioritate argenti.

107 Dices hinc sequi, quod prædicata illa tertij generis, quæ diximus *num. 104. v. 2.* *Homo, Angelus, Arbor*, non contineri in Deo eminenter; quia nec illa, nec similia secundum has rationes expressas sunt formaliter in Deo, qui nimirum, nec Angelus, nec arbor formaliter est. Quod si, ut ea dicantur contineri eminenter in Deo sufficit, quod aliqua prædicata in eis involuta exprimentia præcisè perfectionem, habeant similia formaliter in Deo; ergo & imperfectiones ipsæ, & peccata continentur eminenter in Deo non secus, ac illa prædicata tertij generis: quia aliqua prædicata in eis involuta, ut prædicatum entis, exprimens præci-


per-

perfectionem, habet prædicatum simile formaliter in Deo: qui quidem formaliter est ens: ergo eodem prorsus modo continentur eminenter in Deo perfectiones, & imperfectiones creaturæ; imò, & peccata: omnia hæc scilicet sub ratione, & nomine alicuius perfectionis; nulla verò sub ratione, & nomine imperfectionis.

108 Respondeo, negando sequelam: quia prædicata illa tertij generis à nobis assignata, quamvis involvant imperfectiones, ratione quarum non habent similia prædicata formaliter in Deo; ex una parte per se causantur à Deo, & ex alia parte eas imperfectiones non exprimentur sub illis nominibus, Hominis, Angeli, Arboris: ideòque possunt dici eminenter in Deo contineri ratione perfectionum, quas involvunt: at imperfectiones physicæ his ipsis nominibus, & rationibus exprimentur imperfectionem: ideòque, quamvis involvant aliqua prædicata non exprimentia imperfectionem, nequeant sic sub his nominibus absolutè dici contineri eminenter in Deo: nisi ad summum additæ semper expressione, & modificatione, scilicet, sub ratione perfectionis, quam dicunt.

109 Vndè nunquam dicitur bene, Deum esse eminenter ens ab alio, aut eminenter ens imperfectum, quamvis nomine, & ratione perfectionum, quas dicunt entia ab alio, & imperfecta, possit dici Deus eminenter continere eiusmodi imperfectiones physicæ sub ratione scilicet perfectionum: quas utique, simulque eas imperfectiones Deus per se causat. At quoad peccata non sic intelligendum, nec loquendum puto: quia quamvis peccata involvant aliqua prædicata entis, actualitatis, & vitæ, quorum, quoad hoc, similia resplendent in Deo; nullum ipsorum est per se causatum, nec causabile à Deo, sicut nec volitum, aut volibile à Deo: quippè Deus, nec est per se causa peccati, nec ullius prædicati identificati cum peccato. Et ex hac parte incausabilitatis à Deo deest titulus, quo possit dici peccatum eminenter in Deo contineri: cum propterea non sit in Deo respectu peccatorum ratio causæ effectivæ, & exemplaris

supra explicata.



*Muniessa Disput. Scholast.*

SECTIO XI.  
AN COMPLEXUM EX DEO,  
& creaturâ sit quid magis; aut minus perfectum solo  
DEO.

110 **R**ationes utrò citòquè dubitandi sunt huiusmodi. Primò pro parte maioris perfectionis. Quia ens creatum aliquid boni est: *Genesis 1. Vidit Gen. 1. Deus, quod esset bonum*: ergo creatura addita Deo facit, quod complexum utriusque sit duo bona: duo autè plus sūt quàm unum: & quando ea duo bona sunt, sunt plus boni: ergo complexum ex Deo, & creaturâ, est quid melius, & perfectius solo Deo, saltem extensivè. Ita Durandus, taliter id sentiens, & dicens de melioritate saltem extensivâ, ut dubitare adhuc videatur de intensivâ.

*Durand.*

111 Secundò pro parte minoris perfectionis. Quia Deus solus est perfectio simplex, & simpliciter simplex: sed complexum ex Deo, & creaturâ, nec est perfectio simplex, nec simpliciter simplex: ergo tale complexum est minus perfectum solo Deo. Probatur minor quoad priorem partem: quia perfectio simplex est perfectio sine imperfectione: sed illud complexum non est perfectio sine imperfectione, cum admixtas habeat imperfectiones creaturæ, ex qua coalescit: ergo tale complexum non est perfectio simplex. Probatur quoad posteriorem partem: quia perfectio simpliciter simplex debet esse in quolibet melior ipsa, quàm non ipsa: hoc est, ut supra explicavimus, quæ non patitur rem à se distinctam æquè perfectam: sed tale complexum patitur rem à se distinctam æquè perfectam: complexum enim ex Deo, & ex aliâ creaturâ esset æquè perfectum, & ex meliori creatura, magis perfectum: ergo tale complexum non est perfectio simpliciter simplex.

112 Confirmatur: Vel Deus solus est minus perfectus, vel magis perfectus, vel æquè perfectus, ac illud complexum. Si primum, incidit in sententiam Durandi, & sequitur, Deum non esse perfectionem simpliciter simplicem; quia aliam pateretur perfectiorem. Si secundum, aut tertium: ergo tale complexum patitur aliquid realiter à se distinctum, magis, aut æquè perfectum: ergo non est perfectio simpliciter simplex: ut de ratione communi Perfectionis Divinæ Relativæ, abstractâ à tribus Relationibus Personalibus Divinis, dicebamus *num. 90. Supra*. Est igitur complexum ex Deo, & creaturâ *sect. 9.*

G mi.

*Izquier.* minus perfectum solo Deo. Sic Izquierdus tom. 1. disp. 16. q. 5. num. 78.

113 Inter hæc extrema vitiosa, & falsa, stat media veritas communis Sententiæ, asserentis, Deum esse æquè perfectum, ac complexum ex Deo, & creatura, & hoc complexum æquè perfectum, ac est Deus.

*S. Thom.* 114 Prior pars est S. Thom. multis in locis, præsertim 1. 2. q. 34. art. 3. & quest. 5. de Malo, art. 1. & 3. sent. dist. 6. quest. 2. art. 3. & sequitur expedite, & à fortiori ex dictis. sect. 9.

*Supra* Si enim, quamvis Divinæ Relationes Personales sint tres Perfectiones realiter distinctæ, vna illarum est æquè perfecta, ac complexum ex tribus, iuxta Augustinianum illud: *tantus est solus Pater, quantus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*; à fortiori solus Deus tantus erit, & æquè perfectus, ac Deus simul, & omnes creaturæ: sicque complexum ex Deo, & creatura, non erit perfectius solo Deo, quamvis creatura dicat aliquam perfectionem distinctam à Deo.

115 Quod intelligo adhuc extensivè: ita quod, ne vocabulis contenti mentem nostram subdubiam alicui relinquamus, nec illo genere melioritatis extensivæ, qua complexum ex Angelo, & Homine, est melius, & perfectius solo Angelo; aut complexum ex arbore, & fructibus, sola arbore; aut complexum ex intellectu, & intellectibus, solis intellectibus; aut complexum ex intellectu, luminæ gloriæ, & Visione Dei, solis intellectu, & lumine; possit complexum ex Deo, & creaturis dici perfectius, & melius solo Deo: ne vel extensivè, dicamus, Christum complectentem Naturas Humanam, & Divinam, esse meliorem, perfectiorem, ideòque adorabiliorem, & amabiliorem Patre Æterno, aut solo Deo. Sic etiam præter

*August.* S. Thom. S. August. S. Bonav. Molina, & alij apud Fasolum q. 6. art. 2. dub. 1. Izquierdus disp. 16. q. 4. Ferrerius disp. 2. à num. 26. Gonetus disp. 4. de Attrib. in part. art. 2. s. 3. Magister Lumbier q. 6. de Attribut. art. 2. Quiros in Indice, q. 4. art. 2. & apud ipsum Trigofus, rigidè notans opinionem Durandi, quasi periculosam.

116 Ratio solida, & fundamentalis est: Quia complexum ex Angelo, & Homine eatenus dicitur saltem extensivè perfectius solo Angelo: arbor, & fructus, sola arbore: & sic de cæteris; quatenus vni illorum perfectioni accrescit alia, quæ, quamvis aliquali æquivalentia contineatur in illa, aut nobiliori, aut istius causativæ; non tamen supereminentiſſimè, & perfectiſſimè absque omni omnino imperfectione. Deus autem non so-

lum habet perfectionem infinitis maiorem præ creaturis, & omnino summam; quin etiam has ipsas creaturarum perfectiones præcontinet in sua ipsius perfectione supereminentiſſimè, & absque omni omnino imperfectione, ideòque dicitur absolutiſſimè omne bonum, ut loquitur S. Thom. legendus in 3. dist. 6. q. 2. ergo per accessum cuiuscumque perfectionis creaturæ ad divinam non fit quid melius, aut perfectius solo Deo, adhuc extensivè eo modulo, quo per accessum Hominis ad Angelum fit quid melius solo Angelo; & per accessum fructuum ad arborem, quid melius solâ arbore. Quò reductur ratio non absimilis, qua vñus est Augustinus sibi constans lib. 6. de Trinit. cap. 8. sic effatus: *cum adhaeret equali Patri Filius aequalis, & Spiritus Sanctus Patri, & Filio; non fit maior Deus, quam singuli eorum, quia non est quo crescat illa perfectio.*

117 Posterior asserti pars probatur. Quia neq; est quo summa Dei perfectio deprimatur per quæcûq; creaturæ imperfectionis accessum. Sicque complexum illud ex Deo, & creatura non perinde careret summa perfectione Dei supereminentiſſimè continente omnem perfectionem: ergo complexum illud ex Deo, & creatura non est minus perfectum solo Deo. Alioquin Christus, qui Divinitatem increatam, & Humanitatem creatam complectitur, minus esset perfectus, & bonus, ac proinde minus amabilis, & adorabilis, quam Pater: quod nullatenus auderem dicere. Sic complexum ex anima, & cognitione non est minus perfectum animâ solâ; quamvis involvat imperfectiones accidentis, quibus anima sola careret.

118 Restat respondere ad rationes dubitandi vtrinque oppositas, num. 110. & 111. Ad primam, concessio antecedente, distinguo consequens: facit quod complexum vtriusque sit duo bona, quorum vnum, nempe Deus, continet præter suam perfectionem, quam dicit formaliter, perfectionem etiam alterius supereminentiſſimè, & absque imperfectione; concedo; aliter, nego consequentiam. Ad minorem subiunctam dico, quod duo bona sunt plura, quam vnum, numeraliter dumtaxat: nego verò, quod sint plus boni, quando vnum illorum, veluti Deus, continet supereminenter, & absque imperfectione vlla sui perfectionem alterius. Et nego absolutè ultimam subillationem: quia *plus boni, melius, & perfectius*, sonant excessum plusquam numeralem; imò secundum se, intensivum, ut observat Quiros num. 14. notans propterea, nec

per

per terminum *extensivè*, molliri satis loquutionem Durandi.


119 Ad secundam ex n. 111. concessa maiori, distinguo minorem: complexum ex Deo, & creatura non est perfectio simplex, nec simpliciter simplex tantum concedo: non est perfectio simplex, & simpliciter simplex, & simul perfectio, nec simplex, nec simpliciter simplex, nego minorem: nam re vera complexum illud est duplex perfectio, vna simplex, & simpliciter simplex, nempe Deus; alia, nec simplex, nec simpliciter simplex, nempe creatura suis permixta imperfectionibus. Ad probationem prioris partis, distinguo maiorem: perfectio simplex est perfectio sine imperfectione, secum identificata, & à qua ipsa inficitur, concedo: sine imperfectione secum adnumerata, seu coniuncta, à qua secundum totum suum esse inficitur, aut deprimatur, nego maiorem. Et distinguo minorem: illud complexum non est perfectio sine imperfectione, illud secundum totum suum esse non inficiente, ac deprimente, concedo: illud secundum totum suum esse inficiente, ac deprimente, nego minorem: illa enim imperfectio creaturæ adnumerata, seu coniuncta, non verò identificata cum Deo, nec inficit, aut deprimat Deum, nec illud complexum secundum totum esse talis complexi: nam esse talis complexi partim est ipse Deus, cuius summa perfectio nullatenus inficitur, aut deprimatur à tali modo se adnumerandi, aut coniungendi cum imperfectione creaturæ: ac proinde non inficitur illud complexum secundum totum suum esse: sicut perfectiones creaturarum inficiuntur secundum totum suum esse reale ab imperfectionibus, secum adæquatè realiter identificatis. Vnde nego absolutè consequentiam.


120 Ad probationem posterioris partis, dico, veram esse maiorem de perfectione simpliciter simplici, quæ simul non est formaliter imperfectio: & concessa minori, distinguo consequens, tale complexum non est perfectio simpliciter simplex dumtaxat, concedo: non est perfectio simpliciter simplex, & simul formaliter imperfectio secundum extrema realiter diversa, ex quibus formaliter coalescit, nego consequentiam: cum enim tale complexum sit formaliter Deus, & creatura; quæ Deus est, est perfectio simpli-

citer simplex: & quæ creatura est, est perfectio non simpliciter simplex, imò, & imperfectione: quamvis nullatenus inficiens, aut deprimens perfectionem Dei simpliciter simplicem: nec faciens, quoddam tale complexum non sit perfectio simpliciter simplex, sed quoddam non sic hoc solum; sed insuper perfectio non simpliciter simplex: Hoc autem secundum extrema realiter diversa nulla est contradictorietas.

121 Ad confirmationem ex num. 112. admitto postremam partem trilematis, nempe, Deum solum esse æquè perfectum, ac complexum ex Deo, & creatura: & distinguo consequens inde deductum: tale complexum patitur aliquid à se realiter distinctum æquè perfectum: quæ parte est perfectio non simpliciter simplex, concedo: quæ parte, vel quasi parte, est perfectio simpliciter simplex, nego. Nam complexum, quæ parte, vel quasi parte, est perfectio simpliciter simplex, est Deus: qui nihil patitur à se realiter distinctum æquè perfectum, nisi ipsum complexum, quod non est æquè perfectum, ac Deus, nisi qua parte est ipse Deus. Distinguo autem subillationem: tale complexum non est perfectio simpliciter simplex tantum, concedo: & simul etiam perfectio non simpliciter simplex, nego. Patet autem disparitas ad illud de ratione communi Perfectionis Relativæ abstracta à tribus Relationibus Personalibus: ea enim ratio communis, complectens tres Relationes Personales, patitur, vnam ex illis Relationibus esse æquè perfectam perfectione propria suæ Paternitatis realiter distincta ab alijs, ac est perfecta tota ratio communis: Nego tandem ultimam consequentiam: alioquin Christus esset minus perfectus Deo, quod nefas esse videtur.

122 Noto in calce, quod ad hunc modum Persona Divina, ut Pater, est Perfectio simpliciter simplex, & simul perfectio non simpliciter simplex, scilicet secundum Naturam, & Personalitatem virtualiter diversas; Christus verò secundum realiter etiam diversa. Absolutè tamen loquendo dici potest Christus perfectio simplex, & simpliciter simplex; non verò perfectio secundum quid, aut imperfectio: quia ille modus loquendi non habet inconveniens, sicut iste.





# DISPUTATIO III.

## DE VITA DEI.

**I** **D**EVM esse viventem est de Fide. Apoc. 10. *Intrauit per viventem in sacula saeculorum.* Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Numer. 14. *Vivo ego, ait Dominus.* Matt. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi, & Ioan. 5. Sicut Pater habet vitam in semetipso.* Patet etiam à ratione, qua vtuntur Aristoteles, Augustinus, & Thom. Quia Deus est substantia spiritualis completa perfectissima: ergo gaudet vitâ, & hac quidem perfectissimâ, scilicet intellectivâ, & volitivâ: sine qua, nec posset esse Princeps omnis intellectualis creaturæ, nec prudens Vniuersi Gubernator. De hoc S. Thom. *quest. 16.* & ibi Commentatores: & omnium copiosissimè Hemelman *volumine 1. per totum, Titulum primum.*

### SECTIO I.

#### QUOMODO, ET QUIBVS DEI Perfectionibus conveniat ratio vita, & viventis.

**2** **C**irca constitutum vitæ, & viventis, communis inter Philosophos cum S. Thoma Sententia, demptis illis, qui solam intentionalem propriam vitam agnoscunt, docet, vivens esse, principium semovendi ab intrinseco, seu immanenter. Hanc viventis rationem, vt communem expeditius facerem Deo, & creaturis, & vt gravibus, quas expendi *lib. 1. de Anima*, difficultatibus occurrerem, sic paulò aliter intelligo, vt vivens in genere sit: *quod virtutem habet à propria perfectione determinatam ad sese exercendum immanenter potius quam transeunter.* Unde vitæ erit exercitium immanens correspondens tali virtuti. Alij aliter. Quia tamen dissidium, quod in hoc esse potest, quamvis grave sit, non multum refert ad sequentes difficultates, amplius in hoc non immoror, dum Theologum ago.

**3** Tria sunt certa, & tria dubia. Primum certum est, Deum esse essentialissimè viventem: id enim habent essentialiter Angelus, & Homo: ergo à fortiori Deus ex conceptu suo metaphysico. Secundum, Deum vivere per intellectionem, & volitio-

nem, vt potè vitalissimas. Quidquid dixerint Noviores aliqui, negantes voluntati rationem vitæ, eo quòd non ab intrinseco sui, sed ab intellecta moveatur: indequè meditantem rationem, cur Processio Spiritus Sancti non sit generatio: ob defectum scilicet propriæ vitalitatis, cum per voluntatem sit. Eos merito perstringit Avendañus *tomo 2. sect. 17. problem. 8. à num. 171.* eiusmodi cogitationem post longam impugnationem appellans à *num. 202.* in Philosophia, & Theologia temerariam, à doctrina SS. Patrum alienam, minime consentaneam principijs Fidei, & ad Mysterij declarationem ineptam. A quibus ego censuris libentius abstinco. Tertium certum est, omnes Dei Perfectiones esse realiter vitales, & vitam: quia sunt realiter Deus, & realiter intellectio, & volitio. Primum dubium est: an productiones, seu origines Personarum sint in Deo vitales, vitâ distinctâ ab intellectione, & volitione. Secundum: an omnis Dei Perfectio sit formaliter vivens in suo conceptu. Tertium: an vita Dei sit vita physica, operatio, & motus. Hæc tria decidenda sunt.

**4** Dicendum primò. Productiones, seu origines Diuinarum Personarum, quamvis adæquatè consistant in Relativo, sunt formaliter vitales, vitâ condistinctâ ab intellectione, & volitione, quas supponunt. Ita Suarez, vt colligitur *ex disp. 30. Met. sect. 15.* Zuñiga, & Al-

Albiz.  
Hemel.  
Vasquez  
Montoy  
Hemel.  
Lumbier

& Albiz apud Hemelman. Et favent Vasquez, Alarcon, & Montoya apud eundem *disp. 2. cap. 9. meusque Lumbier quest. 3. de Trinit. num. 231.* Probatur primò ex PP. quos allegant eruditè Montoya, & Hemelman. Secundò à priori: quia productiones illæ sunt exercitium ab intrinseco virtutum generativæ, & spirativæ, ita determinatarum ad se exercendū immanenter, vt nec terminè sic productum, nec alium eiusdem rationis producere possint extra se. Nec obest, quòd terminus producat in supposito distincto: etenim, quamvis sit distinctum, non est extraneum principio à quo egreditur productio, cum sint eiusdem naturæ: ideoquè terminus sic productus dicitur manere propriissimè in suo principio, iuxta illud Christi. Ioan. 10. *Pater in me est, & ego in Patre:* quia nempe dixerat: *ego & Pater unum sumus:* id est vnus Naturæ: quod propriissimam significat immanentiam, vt expendit Montoya *disp. 107. sect. 6.*

Ioan. 10.

Montoy.

Hemel.

**5** Dicendum secundò. Aliæ perfectiones Dei absolutæ, prout condistinctæ ab intellectione, & volitione, non sunt formaliter ex proprijs conceptibus vitales, nec viventes. Sic Hemelman *cap. 3.* existimans, & merito, hanc esse communem Theologorum mentem. Probatur: quia imprimis hi præcisè conceptus potentis, durantis, præsentis, & alij similes, non important secundum se rationem vitæ, cum in emortuo lapide reperiantur. Deindè, nec sunt in Deo vitales eiusmodi perfectiones, quatenus exercentur ad extra, producendo, seu correspondendo temporis, aut loco: hæc enim non sunt exercitia vitæ, vt in multis creaturis intuemur. Denique, nec sunt exercitia vitæ, quatenus ab Essentia Dei immanenter dimanant. Tum quia vera non est eiusmodi emanatio, adhuc virtualis, vel per rationem, vt dicemus *disp. 7. sect. 2.* Tum quia, neque hoc sufficeret ad vitalitatem: sic enim ignis quoque vitaliter exerceretur per similem emanationem suarum proprietatem metaphysicarū ab ipso: virtus enim productiva alterius ignis est proprietas identificata cum igne, sicut Attribute cum Essentia Dei: similiter Anima, & Angelus exercerentur vitaliter, non solum intelligendo, & volendo; quin etiam per emanationem, vt aiunt, potentiarum suarum ab ipsorum naturis, sive realem, sive virtualem: imò, & omne ens viveret per similem passionum suarum emanationem: quod apud omnes falsum est: ergo nec exercitium illud, quo Attribute Dei dicuntur ab aliquibus emanare ab Essentia Dei, im-

Infra  
disp. 7.

portat formaliter rationem vitæ.

**6** Obijcies. Gradus entis vitalis est perfectior non vitali: ergo concedendus omni Divino Attribute: sicque quodlibet erit formaliter vitale. Ita Hurtado *disp. 3. de An. sect. 1.* Alos in *select. disp. 2. num. 112.* doctique RR. quibuscum sentiebam in Libris de Anima. Respondeo nunc, imprimis redarguendo in eadem forma: nam gradus intellectivus perfectior est non intellectivo: ergo concedendus omni Attribute ex conceptu proprio. Deindè concessio antecedente, pro vtroque entymemate, distinguo consequens: realiter, & identicè, concedo: ex cuiuscumque Attribute conceptu formali, si distinguo: concedendus est cuiuscumque Attribute formaliter, nego: eminenter, sicut concessimus *disp. 3. sect. 3.* cuiuslibet Attribute perfectionem omnè, in omni genere, concedo: Quo pacto, & non aliter, quodlibet etiam Dei Attributionem dicit perfectionem gradus intellectivi.

Hurtad.  
Alos.

Supra  
disp. 3.  
sect. 3.

**7** Obijcies secundò. Quodlibet Attributionem est formaliter in Deo non minus intimè, & immanenter, quam intellectio: ergo quodlibet est formaliter vita. Concessio antecedente, nego consequentiam: quia vita dicit rationem exercitij, & actualitatis physicæ, & non solum logicæ, qualem dicit quælibet res existens, semper essens, & in exercitio existendi, seque constituendi. In Deo autem intellectio, volitio, & origines Personarum sunt exercitia intrinseca, & Physicæ actualitates, & operationes; non sic omnipotentia, immensitas, & æternitas, sive existentia. Dices: hæc sunt etiam in Deo instar exercitij intrinseci, quia sunt sui ipsarum emanationes virtuales ab Essentia Dei, vt à radice virtuali: ergo, vt tales, sunt vitaliter in Deo. Falsum est mihi totum antecedens, vt remissivè dixi *num. 5.* Eo tamen dato, nondum probaretur in eiusmodi perfectionibus ratio vitæ; sed ad summum vitæ, vt vocibus etiam aburrar, virtualis: qualem admittere pariter debet in quolibet ente, à cuius essentia dimanant similiter, vt aiunt, proprietates metaphysicæ.

**8** Obijcies tertio. Authoritates Sanctorum apud Hemelman, dicentium, totum Deum esse vitam. Acceditque S. Thom. *quest. 18. art. 4.* dicens omnia esse vitam in Deo. Respondeo, intelligi in sensu reali, & identico: vt quando similiter dicunt, totum Deum esse intelligentiam, quin perindè velint, omnia Attribute esse formaliter intellectionem. Locus Sancti Thom. non est ad rem: Loquitur enim de rebus à Deo distinctis, & de his ait, omnia esse vitam in Deo.

Hemel.  
S. Thom.

Suarez.  
Zuñiga.  
& Al-



**Ioan. I.** Deo, nempe prout intellecta: sumens rationem dubitandi ex illo Ioannis: *quod factum est in ipso, vita erat*: id est: ea, quæ facta sunt, antequam in se fierent, erant vita in Deo, prout erant in Divinis Ideis. Cæterum Maldonatus, & Hieron. Chriſtoſt. Ambrosius, quibus addit Cornelius Theophylactum, Nonnum, Leontium, & Biblia Romæ correctæ; legit locum Ioannis cum alia interpunctione, finiendo clausulam in ly: *factum est*: & aliam inchoando per ly: *In ipso vita erat*: sic: *sine quo factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, &c.* Quo ordine tollitur ratio dabitandi S. Thom. & procedit Textus dilucidè, iuxta Syrum, Arabicum, & Græcum, ipso Alapide hanc lectionem, & interpunctionem, uti planissimam, approbante.

**Arriaga** 9 Dicendum tertio. Vita Dei intellectiva, & volitiva est verè vita physica: quidquid cum Arriaga nolint aliqui has Dei vitas vocare physicas, sed intentionales: quia exercentur in Deo sine productione, & receptione intellectiois in intelligente. Si hoc requiritur ad vitam physicam, benè eam Deo negant. Modus tamen loquendi nostræ conclusionis familiarior est Sanctis Patribus apud Hemelm. *disp. 20. cap. 6.* Et probatur: quia, quamvis in creatis denominatio viventis importet actionem; & passionem; non eas importat in Deo: neque hoc est de ratione vitæ physicae, ut sic: ergo quamvis vita physica eas importet in creatis; sine his tamen dabitur in Deo vera vita physica: neque enim opus est eas esse de ratione vitæ Divinae, ut talis. Certè, si semel solvatur ratio vitæ sine actione; & passione; salvare rationem vitæ physicae facilius est: cum in Deo sine actione, & passione dentur perfectiones physicae; & essentia physica: cur enim non similiter & vita physica? Idem est à fortiori de vita reperta in originibus Personarum vitalissimis: quibus nempe terminus physicè accipit suū esse à principio physico, & physicè illum producente iuxta phrasim à SS. PP. receptissimam. Atque hinc firmo modum loquendi nostræ conclusionis: nam origines, seu productiones Personarum, quamvis non sint distinctæ à principio; & termino, ut communiter in creatis; sunt tamen propriè productiones physicae, non minùs quàm productiones rerum creatarum: ergo, quamvis intelligere, & velle, pertinens ad esse physicum Dei, non importet imperfectiones productionis, & receptionis, quas important intelligere, & velle creatum; cum sint intentionales tendentiæ in obiectum, ut

ré physicae; erunt verè, ac propriè vita physica.

10 Dicendum quarto. Vita Dei etiam absoluta, intellectiva, & volitiva, est propriè operatio, & appellari potest in bono sensu, motus. Sic Hemelman ubi supra, nixus multis Patrum loquutionibus apud ipsum videndis: & optimè Borrull *disp. 4. sect. 3.* contra RR, nescio quos, dicitur ex modo concipiendi nostro concedentes rationem operationis intellectiois, & volitioni divinis. Nec video quidquam momenti in his Recentioribus, acriter, & meritò impugnatis à Borrull, dicentibus intelligere, & velle Dei, esse quidem operationes, non physicas, sed grammaticales. Audiatur Eximius Suarez, qui cum obieciſſet ex S. Thom. vivere dicere imperfectionem Deo indignam, quia est se movere; respondet, potius ex hoc probari à S. Thom. *Deum maxime vivere, quia se maxime movet sine adminiculo alterius moventis. Sed sciendum est, cum dicitur Deus movere se, aut operari intra se, non intelligi cum imperfectionibus creaturarum, quales sunt, vel transitus ab una operatione ad aliam, vel ab otio ad opus, vel cum distinctione inter operationem, & operantem. Dicitur ergo operari intra se vitali modo, quia perfectionem illam actualem, quam habent viventia creata, dum vitaliter in se ipsis operantur cum elicientia ipsius operationis; hanc habet Deus totam sine illa imperfectione per substantiam, & essentiam suam.* Hæc Magnus Suarez *lib. 1. Sum. cap. 13. num. 12.* vitam Dei constanter vocans operationem, & motum. Non quidem in sensu, quo dicitur motus, *actus entis in potentia, prout in potentia*: sic enim est motus actuatio rei imperfectæ; sed prout est purè exercitiū, & actus perfectus infinitè perfecti, ut loquitur S. Thom. sive prout est perfectissimæ, & purissimæ actualitas, ut loquitur Suarez. Quod si recufatur in Deo vocabulum *motus*, imò interdum, & *operationis physicae*; ideo est, quia eam solent Physici usurpare cum imperfectionibus actus; & potentia. Idcirco in definitione vitæ in genere, utor potius nomine exercitij, minùs expolito

equivocationi.



SECTIO

## SECTIO II.

AN DEVS SIT VIVENS PER  
modum actus primi, & secundi  
realis formalis.

11 **P**otentia, vel actus primus dicitur relatè & per habitudinem ad actuacionem, sive ad actum secundum. Undè actui primo reali suus correspondet actus secundus realis: actui primo virtuali, suus actus secundus virtualis: & actui primo per rationem, suus actus secundus per rationem. Actus primus realis est, qui citra mentis considerationem est in rebus: & dicitur duplex: alius, realis formalis, qui non solum verè est in rebus, sed est etiam propriè physica potentia, vel principium sui actus secundi: alius, realis virtualis, qui, quamvis verè sit in rebus; non tamen est vera, & propria potentia physica, seu principium sui actus secundi; sed tantum secundum quid, & in virtute specialium quorundam munerum actus primi ad secundum. Actus primus per rationem est, qui non est in rebus, nisi dependenter à ratione nostrà concipiente aliter, & aliter rerum prædicata virtuali. *sect. 4. ad 7. in præfenti, & sequen. sect. de reali formali. De hoc per rationem sect. 8.*

12 Prima conclusio. Deus est vivens in aliquo genere vitæ, nempe notionalis, per modum actus primi, & secundi realis formalis. Probo, & explico. Quia in Deo datur verum principium physicum alicuius termini vitalis, qui verè est actus secundus: ergo est vivens per modum actus primi, & secundi realis formalis. Antecedens probatur in originibus Personarum vitalissimis: nam in Patre est verum principium Verbi, sive Filiationis; & in Spiratore, Spiracionis passivæ, realiter ab ipso distinctæ, & productæ per verum, & proprium exercitium vitæ ex *num. 4.* ergo in hoc genere vitæ notionalis generativæ, & loquitivæ in Patre, & spirativæ in Spiratore, Pater, & Spirator sunt viventes per modum actus primi, & secundi realis formalis. Undè, sicut Deus generat, & spirat realiter, dicentibus apud Montoy. *disp. 79.* Areopagita de Deo: *qui Deum genuit*: & Athanasio: *Deus Deum genuit*; ita similiter vivit Deus notionaliter pro diversitate Personarum utramque illam vitam per modum veri, ac proprii principij, & actus primi realis formalis in ordine ad realem formalem actum secundum.

13 Refragatur Aureolus, negans Deo

veram, & propriam potentiam physicam, seu actum primum generandi, & spirandi: cui adhærentem legi in Manuscriptis doctissimum è nostris Magistrum contra communem sensum Theologorum, & Patrum apud Montoyam *disp. 99.*

14 Fundamentum est: quia in Patre posse esse Patrem, est posse, non proprium ac physicum, sed purè logicum; sicut in homine posse esse hominem: atqui idem est, posse generare, ac posse esse Patrem: ergo posse generare non est posse proprium, & physicum, sed purè logicum: & idem est in Spiratore posse spirare: ergo neque hoc genus vitæ notionalis est in Deo per modum veri, ac physici actus primi, & secundi realis formalis. Maior patet: quia esse Patrem est ipsissima quidditas Patris: nulla verò res dicit potentiam per modum veri actus primi physici ad suam quidditatem, ut homo ad essendum animal rationale.

15 Respondetur, distinguendo maiorem: posse esse Patrem est posse purè logicum ad ipsam Paternitatem, & generationem activam, quæ est ipsa Paternitas, sive ipsum principium generans, concedo: ad Filium, qui est generatio ipsa passiva, & non est quidditas, sed terminus Patris, nego maiorem. Quemadmodum enim Omnipotentia est posse per modum actus primi physici, non quidem ad esse Omnipotentiam, sed ad producendas creaturas; sic in Patre posse esse Patrem, & posse generare, est verum posse per modum actus primi physici realis formalis respectu Filiationis, quæ est passiva generatio, & est verè actus secundus vitæ notionalis; non verò respectu Paternitatis, seu generationis activæ cum ipso idemificatæ: & hoc solum convincitur ex probatione maioris, ut benè notat Herize *disp. 2. num. 29.*

## SECTIO III.

VITA DIVINA ABSOLUTA  
Intellectiva, & Volitiva non est  
per modum actus primi, &  
secundi realis formalis.

16 **A**ltera conclusio. Non vivit Deus vitam absolutam intellectivam, aut volitivam, per modum actus primi, & secundi realis formalis. Ita sententia communis cum S. Thom. ut est apud S. Thom. Ribadeneiram *disp. 2. de Scientia Dei, contra Doctos Thomistas Salmanticenses, cum Illu.*

Godoy.

Illustrissimo Godoy *disp. 24. §. 3.* Probo, & explico. Nam actus primus, & secundus realiter formalis dicunt realem distinctionem, sicut virtualis virtualem, & actus primus, & secundus per rationem, distinctionem rationis: sed non est in Deo actus intelligendi, aut volendi, seu intellectio, & volitio realiter distincta ab intellectu, seu intellectivo, aut volitivo divino, ut est per se certum: cum inter absoluta Dei non sit realis distinctio, sicut nec Relativa oppositio: ergo in eo genere vitæ absolutæ non est Deus vivens, intelligens, aut volens per modum actus primi realiter formalis; sed per modum actus realiter puri, excludentis rationes primi, & secundi. Maior patet. Tum quia physicus actus primus dicitur relatè ad secundum: vnde nequit realiter dari sine reali relatione ad secundum: atque adeo nec sine reali distinctione à secundo. Tum quia: sicut ubi realiter non sunt primus, & secundus, non sunt realiter actus primus, & secundus; ita ubi sunt realiter actus primus, & secundus debent esse realiter primus, & secundus: quod clarè præfert realem distinctionem. Tum quia, si semel admittitur vera potentia physica ad actum, & verus actus primus physicus realiter ad secundum, sine distinctione reali; debilitatur argumentum probans in Deo distinctionem realem Personarum ex ratione oppositionis relativæ principij ad terminum. Dices id probari ex ratione principij productivi. Verum; at certè, si semel salvatur vera potentia physica realis, quæ sit actus primus realis, ad terminum, qui sit realis actus secundus, sine distinctione; cur non etiam potentia productiva? quo pacto dicebant Sabelliani, Patrem, & Filium vnam esse Personam generantem, & genitam.

*Durand. Alarcon. Granad. Godoy.* 17 Refragantur Durandus, Alarcon, Granadus, & operosè Godoy citatus: non sine diffidio inter se, quod ad ipsos remitto.

*Supra sect. 1.*

18 Obijciunt autem sic. Datur in Deo realiter formaliter principium operandi, seu vivendi intellectivè, & volitivè: ergo & actus primus vitalis realis formalis intelligendi, & volendi. Probatur antecedens: nam in supposito operante eo modo, quo datur operatio, datur ratio principij sic operandi: sed in Deo dantur realiter formaliter intellectio, & volitio, quæ sunt reales formales operationes vitales ex *num. 10.* quia realiter formaliter exercetur, & vivit Deus per ipsas: ergo datur in Deo realiter formaliter ratio principij physici, seu actus primus taliter operandi, ac vivendi. Confirmatur: quia Deus ita

realiter operatur intelligendo, & volendo, ut sit semper in actu secundo sic operandi: ergo habet etiam realiter formaliter rationem actus primi: nam actus primus, & secundus sunt correlati. Confirmatur secundò: nam ea Dei operatio realiter formaliter est Deo immanens, & ab intrinseco: hæc enim est essentialis ratio vitæ: ergo datur in Deo realiter formaliter illud intrinsecū, à quo est illa vitalis operatio, quasi actus secundus à primo reali formali.

19 Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, nego maiorem: nam quando suppositum est actualissimè, & purissimè ipsa operatio, ipsa intellectio, ipsa volitio, & ipsissima vita, omnia hæc sunt in illo omninò à se: ac proinde sine ratione principij talium operationum. Hinc, concessà minori, nego consequentiam.

20 Ad primam confirmationem, distinguo antecedens: ut sit semper in actu secundo, contrapositè ad actum purissimum vivendi, nego: contrapositè ad potentialitatem, & ad otium exclusivum actualis operationis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Nam ut rectè notat Montoya *disp. 3. de Scientia Dei, sect. 4.* cum dicimus, Deum intelligere, & velle, sicut & existere, in actu secundo, solùm significamus hoc modulo nostro loquendi summam actualitatem, seu purum, & actualissimum actum intelligendi, sicut & existendi: purum, inquam, ab omni ratione actus primi, & secundi; æquivalentem verò eminentissimè actibus primis, & secundis creatis: non autem significamus actum secundum physicum in Deo relatè ad actum primum: sicut neque id significamus cum dicimus, Deum existere in actu secundo: perinde namque est, ac si diceremus existere actualissimè.

21 Ad secundam, concedo antecedens, & distinguo consequens: est realiter ab intrinseco positivè, nego; negativè concedo: sicut diximus alibi, Deum esse ens à se negativè; non positivè. Volo dicere, quòd ea vitalis Dei operatio est in Deo ab intrinseco: non quidem quasi egressivè realiter accipiat esse ab intrinsecis Dei, cum sit realiter ipse Deus; sed taliter, ut nò aliunde extrinsecus Deo adveniat, nec advenire possit, nisi à suis prædicatis essentialibus identicè, & constitutivè. Hoc autem sufficit à fortiori ad perfectissimam immanentiam, & intrinsicitatem, quæ est de ratione vitæ. Hinc nego ultimam consequentiam.

Obij.

22 Obijciunt secundò. Deus est realiter capax denominari intelligens, & volens à sua intellectione, & volitione: ergo habet realem capacitatem, & potentiam, ut taliter denominetur: ergo habet realem actum primum respectu suæ intellectione, & volitionis vitalis. Confirmatur. Intellectus est realiter formaliter potentia physica intelligendi per modum actus primi: sed in Deo realiter est intellectus: ergo & realiter actus primus intelligendi, simul cum secundo, qui est intellectio. Respondetur: concessò antecedente, distinguo consequens: habet capacitatem, & potentiam physicam per modum actus primi, nego: Logicam, quæ simul sit actus purissimus, intelligendi, qualem ipse Deus habet, ut existat, & ut sit Deus, concedo consequentiam: & nego subillationem.

23 Ad confirmationem, nego maiorem: nam intellectus, ut sic, abstrahit à ratione physica potentia per modum actus primi respicientis actum secundum physicum, ut est in creatis; & à ratione intelligentis purissimi citra actum primum, & secundum, ut est in Deo. Vnde concessà minori contra aliquos in ea subdubitantes, quos meritò reprehendit Montoya *disp. 3. de Scientia Dei, sect. 4.* nego consequentiam de potentia physica per modum actus primi: concedo verò de Logicà per modum potentis intelligere, & intelligentis purissimi, excludentis actum primum, & secundum physicos, & reales: quia potentia intelligendi divini intellectus est ipsa substantialis intellectio actualissima: quatenus eo ipso, quòd intelligit potest intelligere, sicut eo ipso, quòd existit, potest existere. Nego tandem ultimam consequentiam: pariter enim inferretur in Deo actus primus, & secundus realis existendi, & potentia physica per modum actus primi essendi Deum ex eo, quòd Deus existit, & potest existere, & ex eo, quòd est Deus, & potest esse Deus. Hoc ergo modo, & non alio, est potens intelligere, & velle: ac proinde sine rationibus actus primi, & secundi realium.

24 Obijciunt tertio. Intellectus ad intellectiorem, & intellectio ad obiectum dicunt oppositionem relativam, non minùs, quam actus primus ad secundum: sed sine reali distinctione dantur in Deo realiter formaliter intellectus, & intellectio: & in Deo, ac in nobis intellectio, & obiectum intellectiorem se ipsam cognoscentis: ergo sine reali inter ipsos distinctione dari etiam

poterunt realiter actus primus, & secundus intelligendi, similiterque volendi. Respondetur, negando maiorem, & consequentiam. Ratio petenda est à lumine rationis, à Mysterio Trinitatis, & ab experientijs. Novimus enim in Deo, & in nobis cognitiones se ipsas cognoscentes, ac proinde sine respectu reali ad obiectum; sed solum cum respectu secundum dici. Novimus ex Fide, & Theologià in Patre Divino potentiam generativam, & generationem activam sine oppositione, aut relatione reali inter ipsas. At actus primus, qui simul sit realiter secundus, & esset principium reale sui ipsius, quod lumini rationis, & Fidei Trinitatis adversatur: & esset dari realiter primum, & secundum ubi non sunt realiter duo: quod ex terminis ipsis videtur implicare.

25 Urgebis: dantur actus primus, & secundus physici, ac reales sine distinctione reali: ergo dari poterunt sine contradictione in intellectivo, & intellectione Dei, quamvis realiter non distinguantur. Antecedens probatur. Primò, quia Pater Divinus est physicè potens generare per modum actus primi realis respectu generationis activæ identicæ cum ipso. Secundò: quia intellectio est principium reale filij secum realiter identicæ. Tertio: quia Pater est principium communicativum Essentialis secum identicæ. Quarto: quia Humanitas Christi est in actu primo potens se ipsam producere in Eucharistia.

26 Respondetur, negando antecedens. Prima probatio falsum assumit ex doctrina Aureoli; quam rejici *num. 13.* Ad secundam, nego antecedens de principio formalis: solum est vera de principio radicali: quod non denominatur generans, nec producens, sicut denominatur generans, & producens Pater realiter distinctus à Filio. Ad tertiam concedo antecedens, bene intellectum: quòd nempe in Patre esse principium communicativum Essentialis non est esse principium Essentialis, sed principium filij communicativum Essentialis: vel, ut alij loquuntur, est principium communicativum Essentialis, hoc est, principium Essentialis, ut communicatæ, quatenus est principium communicationis, quæ est identitas Filiationis ad Essentialiam indistincta virtualiter ab ipsa Filiatione, & producta, ac distincta realiter à Patre. Undè nihil pro actu primo reali intellectiorem. Ad quartam: negavi iam antecedens veluti omnimò repugnans in Physicis, & iterum negabo in *Tract. de Ess.*

Montoy

Montoy.

Supra  
sect. 2.Supra  
disp. 2.  
sect. 4.

Vasq.  
Hurt  
Lumbier

*Eucharistia*, cum Vasquez, Hurtado, & alijs.  
27 Notatum velim, quod scite quoque animadvertit Magister Lumbier *quest. 13. de Attrib. art. 3.* nos, dum negamus Deo actum primum realem intelligendi, & volendi; non perinde negare realem in Deo intellectum, & realem voluntatem, realem intellectionem, & realem volitionem, quæ sint veræ, & realiter potentia, & verè operationes vitales, quod solum videtur contendere Godoy. Quod negamus est, id esse in Deo per modum actus primi, & secundi physici realis, ut contendunt Quiros *disp. 35. sect. 3.* & Borrull *disp. 4. de Attrib. sect. 2.* Qui tamen dum admittunt in Deo actum primum realem intelligendi, & volendi; nolunt primum esse realiter productivum secundum, sed esse realiter exercibilem per secundum: & ad hoc aiunt non requiri realem distinctionem inter ipsos. Cæterum aliquæ ex prædictis obiectionibus, quibus utuntur, si quid probant, actum primum productivum probant. Et certè, quamvis de ratione intellectus, seu potentia intellectiva, ut sic, præcissim ab intellectu, qui sit actus primus, & ab intellectu, qui sit actus purissimus intelligendi, non sit producere actum, per quem exercetur, ut vidimus *num. 18.* at de ratione actus primi realis viventis, seu intelligentis, est producere actum secundum: & de ratione actus primi, ac secundi realium est distingui realiter inter se: nam ubi non dantur realiter duo, implicat in terminis, dari realiter primum, & secundum.

Godoy.

Quiros.  
Borrull.

SECTIO IV.

AN DEVS SIT VIVENS INTELLECTIVE PER MODUM ACTUS PRIMI, & SECUNDI VIRTUALIS.

S. Tho.  
Suar.  
Herize.  
Arriag.  
Molin.  
Valent.  
Vasq.  
Arrub.  
Alberti.  
Merat.  
Godoy.  
Borrull.


28 **V**idi super hoc plusquam octo sententias Recentiorum: plures vocibus dumtaxat discrepantes: nec facile possunt unicuique certi sui Authores adscribi. Sanctus Tho. & P. Suarez ab alijs pro affirmativa, ab alijs pro negativa parte allegantur. Patet: Herize, qui apud Recentiores dux est sententia negativa; ait Arriaga *disp. 15. num. 24.* in re non dissidere sibi, qui pro affirmativa citatur à pluribus. Ego quidem de multis, quos legi, iudicare vix audeo, cuius sententia sint.  
29 Pro affirmativa citati communiter solent Molina, Valentia, Vasquez, Arrubal, Albertinus, Meratius, & alij, quos citant, & sequuntur Godoy *disp. 24* & Borrull *disp. 7.*

Aureol.  
Gabr.  
Ocham.  
Heriz.  
Fasol.  
Montoy.  
Hurt.  
Albiz.  
Ioan à S.  
Tho.  
Ribaden.  
Lug.  
Ferrer.  
Lumbier.  
Gonct.

30 Pro negativa verò Aureolus, Gabriel, Ocham, Heriz, Fasol, Montoya, Hurtado, Albiz, Ioan. à S. Tho. quos sequuntur Ribaden. *disp. 2. de Scientia Dei.* Lugus *disp. 27. de Deo.* Ferrer. *lib. 2. disp. 1. cap. 2.* Magister Lumbier ubi supra à *num. 600.* & Gonetus *disp. 2. de Attrib. art. 1. §. 5.* Aliquorum mentes ab argumentis utrinque positis explorare utcumque licebit.  
31 Pro sententia affirmante arguunt quidam sic. In creatis datur actus primus realis intelligendi, scilicet intellectus, cuius munus est percipere obiectum: & datur actus secundus, scilicet intellectio, cuius munus est exprimere obiectum intellectui: Sed Deus intelligens, propriè percipit obiectum, quod est munus nostri actus primi; & propriè exprimit, quod est munus nostri actus secundi: ergo æquivaler in his muneribus actui primo, & secundo realibus: & quidem independentè à consideratione nostra: ergo à parte rei est in Deo aliqua ratio actus primi, & secundi saltem virtualiter intelligendi.  
32 Pro sententia negante sic arguunt alij. Actus primus realis dicit realem distinctionem à secundo: ergo virtualis, virtuale: sed in Deo intellectivum, & intellectio non distinguuntur virtualiter: ergo non se habent per modum actus primi, & secundi virtualium. Probat minor: quia de intellectu, & intellectione Dei, nec ulla prædicata alioquin contradictoria verificantur, ut patet ex impossibilitate ea assignandi: nec quidem in aliquo tertio realiter distinguuntur, ut per se est notum: ergo non est undè distinguantur virtualiter.  
33 Pro sententia alia media Recentiorum, concedentium Deo actum primum virtualem respectu intellectionis, inadæquatè non verò adæquatè sumptæ; arguunt alij sic. Sicut in individuo adæquato sūt multæ rationes virtualiter obiectivè distinctæ, ut in Petro hæc ratio entis, hæc ratio substantiæ, hæc ratio intellectivi, & ratio Petreitatis; sic, inquit, in intellectione Divinâ adæquatè metaphysicè sumptâ, datur hæc ratio vitæ, hæc ratio spiritus, & hæc ratio ultima differentialis, expressionis omnia comprehendens: ergo quanvis respectu intellectionis adæquatè sumptæ non sit in Deo actus primus virtualis; benè verò respectu intellectionis inadæquatè sumptæ: penès illam scilicet ultimam formalitatem differentialem intellectionis: quæ quidem formalitas erit actus secundus virtualis respectu aliarum formalitatum: ab ipsâ virtualiter distinctarum, nempe substantiæ, spiritus, &c. quæ erunt per modum

modum actus primi virtualis.  
34 Qui hæc argumenta consideret, citare deprehendet, unumquemque horum Authorum abundare in suo sentu. Quippe alij sibi supponunt, ad actum primum, & secundum virtuales sufficere qualem. ù. que æquivalentiam actus primi, & secundi realium: quam esse in Deo benè probant. Alij requirunt virtuales distinctionem maximam: quam benè repellunt inter intellectum, & intellectionem Dei. Alij sufficere statuunt distinctionem obiectivam, seu virtualem vulgarem, poni solitam ab ipsis inter prædicata communia, & differentialia, etiam in creatis. Cum ergo singuli iuxta suos sensus aliquid probè inferant: alij quidem, dari; alij non dari actum primum, & secundum virtuales intelligendi in Deo; necesse est, varios sensus sub ijs vocibus discernere antequam iudiciū proferamus. Nam, ut scriberet ad Pyrrhum S. Maximus: *dicere, & non prius distinguere significata verbi, nihil est aliud, quam omnino confundere, & obscura relinquere ea, de quibus est questio: quod alienum est ab homine rationis particeps.*  
35 Atque imprimis postrema illa sententia media, pro qua arguebatur, *nu. 33.* vix est momenti. Primò, quia falsò supponit, formalitates illas individui completi obiectivè distingui: cum non nisi ex modo nostro concipiendi præcindantur. Secundò, quia ab ea distinctione obiectivâ, cui inniti solet distinctio virtualis vulgarior, ad distinctionem virtualem maximam, propriam divinorum, quàm ad actum primum virtualem intelligendi requirit argumentum factum, *num. 32.* magnum chaos interest. Tertio: quia in eo sensu satis inepto, non magis formalitas illa individua intellectionis dici posset actus secundus, quàm primus respectu aliarum. Dices: illa cum sit differentialis ad genera substantiæ, spiritus, &c. Advenire istis instar formæ, sicque cum speciali ratione actus secundi. Contra. Tum quia hæc nequit esse ratio actus primi, & secundi physici virtualis, de quo agimus; sed logici fundati in rationibus generis, & differentia: quod est prorsus extra rem: sic enim, & actum primum, & secundum existendi virtuales reperires in Deo. Tum quia, sicut respectu substantiæ, & spiritus, ut sic, formalitas intellectionis est differentia; sic etiam respectu intellectionis, ut sic, est differentia formalitas substantiæ, infinitudinis, & aseitatis: & sicut respectu huius intellectionis Divinæ, non est differentia contractans, sed æquè contracta, formalitas huius substantiæ, huius spiritualitatis, & huius

infinitudinis; sic pariter istæ formalitates individua non sunt contractantes, sed æquè contractæ respectu formalitatis huius intellectionis: nam individualiter si in prædicatas sunt contractæ ad hoc individuum æquatum: ergo quomodo contractantur, non est cur intellectio foret actus secundus respectu illarum formalitatum potius, quàm è converso. Vel ergo admittendus esset similiter in Deo actus primus, & secundus essendi substantiam, spiritum, infinitum, & à se; vel certè negandum id sufficere, aut esse è re nostra ad rationem actus primi, & secundi virtualis intelligendi.  
36 Similiter est extra rem, & extra questionem actus ille primus, & secundus virtualis per æquivalentiam beati probatum *nu. 31.* Non enim dubitamus, intelligens divinum æquivalere intelligenti creato dicenti actum primum, & secundum reales: Cæterum eiusmodi æquivalentiam non sufficere ad rationem actus primi, & secundi virtualium, de quibus est præterea questio, nemini potest esse dubium. Nam etiam intelligens divinum æquivaler intelligenti creato dicenti multas imperfectiones, nempe subiecti, accidentis, qualitatis, &c. quin perinde dici queat intelligens divinum esse per modum subiecti, accidentis, & qualitatis virtualis, aut esse virtualiter imperfectum. Quod si alicui satis esse videatur, invenisse in Deo eam æquivalentiam ad impingendum Deo actum primum, & secundum virtuales; noverit, quod pariter in eodem sensu laxissimo inveniet in Deo, materiam, formam, & qualitates virtuales, senectutem virtualem, oculos & aures virtuales, & alia huius farina: quippe omnibus his æquivaler Deus quoad aliqua munerera. In hoc autem sensu vix apto existimo loquutos esse aliquos citatos pro sententia affirmativa, sumentes nimium, virtualiter pro, æquivalenter, seu, eminenter, ut moris est. In quo sensu, non procedere præsentem controversiam, citra dubium est, & in limine supponendum, ne aerem verberet pertinax disputatio.  
37 Conclusio iam nostra sit cum Authoribus negativæ sententiæ: in sensu proprio, & pertinente ad præsentem questionem de re, Deum non esse viventem intellectivè per modum actus primi, & secundi virtualium intelligendi.  
38 Probat minor. Inter actum primum, & secundum virtuales dari debet distinctio virtualis, sicut inter reales, realis: nam eo modo, quo dantur primus, & secundus, necesse est dari duo, & consequenter dari distinctio



distinctionem: sed inter intellectum, & intellectionem Dei necessariam non datur virtualis dualitas, seu distinctio: ergo nec ratio actus primi, & secundi virtualium. Probatur minor: quia intellectus, & intellectio Dei necessaria, nec verificantur prædicata alioquin contradictoria, nec distinguuntur realiter in uno tertio, quatenus unum eorum distinguitur ab aliquo, quocum aliud realiter identificetur, ut evenit in Paternitate, & Natura: ergo non est undè inter intellectum, & intellectionem Dei necessariam detur virtualis distinctio. Dixi, necessariam: quia de liberâ, sicut & de volitione liberâ, loquimur, *sect. 6.*

*Infra.*  
*sec. 6. & 7 & 7*

39 Probatur secundò, & maxime à priori. Conceptus, qui dicitur esse in Deo virtualiter, sicut debet in aliquo munere, vel prædicato, realiter formaliter existente in Deo: sed nullum in Deo est realiter formaliter prædicatum, in quo sicut valeat conceptus actus primi, & secundi virtualium intelligendi: ergo non est in Deo virtualiter talis conceptus. Maior probatur, & exponitur. Alioquin, si absque prædicato, vel munere speciali realiter formaliter existente in Deo, liceret impingere Deo actum primum, & secundum, alioquin conceptus virtuales, ad hoc dumtaxat ut tales conceptus sint virtualiter in Deo; quidquid libuerit poteris ponere in Deo virtualiter, ad hoc solum, ut virtualiter illud in Deo sit: scilicet virtuale actum primum existens, & durans; imò, & virtuale aliud actum primum intellectivum, à quo sit virtualiter intellectus Divinus, sicut ponis intellectum, qui sit actus primus, à quo sit virtualiter intellectio. Non est ergo sic colludendum in his quæstionibus à ratione virtuali ad rationem virtualem, ne quæstio per quæstionem inaniter resolvatur; sed veniendum est ad conceptum realiter formaliter in Deo relucens, in quo sistatur ratio conceptus virtualis, qui in Deo utiliter admittitur. Quod autem nullum sit in Deo realiter formaliter prædicatum, cui, aut inservire, aut inniti valeat conceptus actus primi, & secundi virtualis intelligendi, quæ erat minor primi syllogismi, probandum est ab impossibilitate illi assignandi, ut videbitur in Obiectionibus.

40 Confirmatur, & illustratur hæc doctrina generalis, & fundamentalis. Nam, si datur in Deo distinctio virtualis Relationes inter, & Naturam; sistitur in eo, quod formaliter datur in Deo verificari realiter de Natura, quod negatur realiter de Paternitate identificatâ cum Natura. Si datur in Deo contingentia, vel defectibilitas virtualis sui

actus liberi, sistitur in eo, quod actus liber, quamvis nequeat realiter non esse in Deo, potest realiter non denominare Deum sic volentem. Hinc vide, quod ad conceptum virtualem constituendum non sufficit quæcumque æquivalentia: alioquin, cum Deus rebus omnibus aequaliter æquivaleret, quemcumque conceptum possemus Deo virtualiter attribuere. Requiritur ergo æquivalentia specialis, per convenientiam scilicet prædicati, seu muneris formaliter in Deo reperti cum prædicato, seu munere speciali, & proprio conceptus realis, qui cum realiter in Deo non sit, virtualiter Deo attribuitur. Sic pro distinctione virtuali datur in Deo realiter formaliter capacitas verificandi prædicata alioquin contradictoria: quod munus, seu prædicatum est alioquin speciale, & proprium distinctionis realis: pro contingentia, seu defectibilitate virtuali sui actus liberi, datur in Deo formaliter, actum liberum posse denominare, & posse non denominare realiter Deum sic volentem: quod munus est alioquin speciale, & proprium rerum realiter contingentium, & defectibilium. Atqui in Deo non datur realiter formaliter conceptus per quem æquivaleret, seu in quo conveniat cum actu primo, & secundo realibus intelligendi penes aliquod prædicatum, seu munus proprium, & speciale illorum, ut constabit ex solutione Obiectionum, frustra conantibus doctissimis Adversariis id assignare: ergo non datur in Deo actus primus, & secundus virtuales intelligendi.

### SECTIO V.

#### OBIECTIONES PRO ACTU primo, & secundo virtualibus intelligendi.

41 **O**biicitur primò. Intellectus, & intellectio sunt in creatis actus primus, & secundus reales: ergo in Deo virtuales. Probatur consequentia: nam conceptus correspondentes, & æquivalentes in Deo rebus realiter distinctis, sunt eo ipso in Deo virtualiter distincti: ergo correspondentes, & æquivalentes rebus, quæ sunt actus primus, & secundus reales, sunt actus primus, & secundus virtuales. Modus iste discurrendi delusit multos Virtualistas: quo possent similiter inferre: ergo correspondentes, & æquivalentes rebus, quæ realiter sunt accidentia, ut est nostra intellectio, & quæ sunt causa, simulque subiectum receptivum intellectionis, ut est noster intellectus; erunt in Deo virtuali-

scilicet

ter accidens: & virtualiter causa, subiectumque virtuale receptivum intellectionis.

42 Respondetur ergo negando consequentiam. Ad probationem, nego antecedens: nam in nobis distinguuntur realiter principium, & productio activa termini; at in Patre Divino, nec virtualiter: & in cognitione se cognoscente datur sine distinctione virtuali cognoscere, & cognosci, quæ munera competunt alioquin sæpe numero rebus realiter distinctis. Ratio ex dictis constantissima est, quia nec ad distinctionem strictam virtualem sufficit quælibet æquivalentia distinctorum, alioquin vix esset res non involvens multas distinctiones virtuales; cum vix res sit non præstans aliqua munera alioquin præstabilia à duobus, vel pluribus rebus realiter distinctis: nec similiter sufficit ad actum primum, & secundum virtuales quælibet æquivalentia actus primi, & secundi realium; sed requiritur specialis æquivalentia iam à nobis explicata, & nondum reperta, quantumvis à multis studiosè conquesta.

43 Obijecitur secundò. Valet causalis: *Deus potest intelligere, quia intelligit: & non valet è contra: & hoc quidem citra nostram considerationem: ergo intelligere, & posse intelligere sunt in Deo conceptus virtualiter distincti à parte rei: & quidem vnus prior instar actus primi, & alius posterior instar actus secundi: ac proinde habent se per modum actus primi, & secundi virtualium. Confirmatur. In Deo à parte rei datur id quod intelligit, & id quo intelligit: sed illud, quod, est actus primus perceptivus; istud, quo, est actus secundus exprimens: ergo dantur in Deo actus primus, & secundus virtuales intelligendi.*

*Supra*  
*sect. 3.*

44 At certè, reales potius, quam virtuales probarent hæc obiectio, & aliæ similes, si quid probant. Quippè realissimè Deus potest intelligere, quia intelligit: estque, quod intelligit, & quo intelligit, realiter quidem, & non solum virtualiter. Quapropter multò minus mihi displicet sententia impugnata *sect. 3.* de actu primo, & secundo realibus, quam ista de virtualibus, verba dans, & præterea nihil, quod assequi valeam.

45 Respondetur, distinguendo antecedens: ea causalis valet, consequentiâ, & illatione logicâ, concedo; physicâ, nego. Nec enim per Adversarios ad intelligere Dei consequitur physicè, sicut logicè, posse intelligere: alioquin potius intellectio esset actus primus respectu intellectivi, quam è converso. Id ergo dumtaxat valet per illatio-

nem logicam: ex qua non arguitur in Deo actus primus, aut secundus intelligendi sicut certè nec existendi ex eo, quod logicè valeat: *Deus potest existere quia existit: & non è cõtra.* Similiter nec perinde arguitur distinctio virtualis intellectivi divini ab intellectione, sicut nec exitivi divini ab existentia. Solum ergo ex eiusmodi causalibus arguitur, dari in rebus aliquod intellectivum non actu intelligens; nullum verò actu intelligens non intellectivum: quod nec umbram affert contradictionis pro distinctione virtuali; nec physici influxus intellectivi divini in intellectionem, aut exitivi in existentiam pro actu primo virtuali intelligendi, aut existendi, ut est luce pomeridianâ clarius.

46 Ad confirmationem concessa maiori, nego minorem: nam vtrumque illud, quod, & quo, est in Deo purissimus actus intelligendi; sicut, quod, & quo Deus existit, est purissimus actus existendi. Itaque, & intellectio Dei est id quo, & id quod Deus intelligit; & intellectivum Dei est id quod, & id quo Deus intelligit; sicut existentia Dei est id quo, & id quod: & exitivum Dei est id quod, & id quo Deus existit: realiter, formaliter, & virtualiter, & quomodocumque velis obiectivè, cum sola præcisione ex parte nostri modi concipiendi, quæ ad rem præsentem nihil refert.

47 Obijcies tertio. In Deo datur realiter formaliter virtus perceptiva intelligibilium, quæ est intellectus: & datur eorundem expressio formalis, quæ est intellectio: sed hi sunt conceptus actus primi, & secundi virtualium: ergo dantur in Deo formales conceptus, quibus innitatur ratio actus primi, & secundi virtualium intelligendi. Probatur minor. Primò, quia hi conceptus æquivalent nostro intellectui, & intellectioni in muneribus percipiendi, & exprimiendi sibi proprijs. Secundò, quia intellectio, quæ est expressio, alicui imprimitur, nempe intellectui tanquam sui principio, utpotè perceptivo: ac proinde inter eos conceptus est respectus, & distinctio saltem virtualis intellectionis ad suum principium: cum ergo sint de genere intellectivo, habebunt se, ut actus primus, & secundus virtuales intelligendi.

48 Respondetur, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, fateor æquivalentiam quoad illa duo munera: nego tamen ea munera percipiendi, & exprimiendi esse propria, & specialia actus primi, ac secundi realium: quandoquidem quæque propriè, & formaliter conveniunt actui reali substantiali purissimo intelligendi,

ex

excludenti omnino primum, & secundum. Ad secundam fateor etiam, quod expressio alicui exprimit; non vero alicui distincto, nec alicui, quod sit sui principium; sed in Deo sibi ipsi, ubi expressio substantialis non minus est perceptiva, quam expressiva. sic expressio, alicuius est expressio; non vero semper alicuius distincti, sed sæpe sui ipsius: ubi scilicet expressio non minus est expressio, quam expressionis obiectum. Hæc ergo, & alia huiusmodi, non important inter se respectum, nisi secundum dici: sicut cum dicimus, rem identificari secum ipsa: & essentiam alicuius esse essentiam. Unde nego absolute consequentiam.

49 Obijcies quartò. De intellectu, & intellectione Dei verificantur contradictoria: ergo distinguantur virtualiter: quo supposito habebant se, ut actus primus, & secundus virtuales. Antecedens probatur. Primò: quia intellectus est principium Verbi, non vero intellectio. Secundò: quia Filius dicitur procedere per intellectionem, non ita per intellectum. Tertiò: quia Deus dicitur actu intelligens ratione intellectionis ut quo, & non ratione intellectus. Quartò: quia operatio intellectivi, seu perceptivi præbet fundamentum concipiendi Deum, ut convenientem in ea ratione cum intellectu nostro; non vero ratio intellectionis.

50 Respondetur imprimis, adhuc supposito primo enthymematè, non inde inferri actum primum, & secundum: non enim sufficit duo distingui, ut unum sit actus primus alterius, ut expendam sect. sequenti. Deinde nego antecedens, loquendo nunc de intellectione necessaria. Nego deinde primam, & secundam probationem: nam in eodem sensu; quò intellectus, dicitur etiam divina intellectio principium Verbi, scilicet radicale: & in eodem sensu, quo per intellectionem, dicitur etiam procedere Filius per intellectum, ut ex Sanctorum Patrum locutionibus firmat eruditè Montoya *disp. 2. de Trinitate*. Ad tertiam, nego antecedens: suus enim intellectus est Deo ratio possendi intelligere, simulque ratio intelligendi: suaque intellectio est ratio intelligendi, simulque ratio possendi intelligere. Quòd autem ex ratione intellectus, ut sic, non arguatur intelligere, non est quia intellectus Dei non sit Deo ratio formalis intelligendi; sed quia intellectus ut sic continet sub se aliquem intellectum nempe creatum, qui non est ratio formalis intelligendi. Ad quartam, nego similiter antecedens de intellectu, & intellectione Dei: cum enim Dei intellectio sit

substantialis, & intellectiva, ac perceptiva, dat quoque locum fundamentum, ut eam concipiamus convenientem cum intellectu nostro in ratione intellectivi, ac perceptivi: quamvis non convenientem in ratione intellectionis; non quia in Deo intellectio Dei non sit perceptiva, æque verè ac est intellectio; sed quia in nobis intellectus non est intellectio, sicut est perceptivus. Unde nam in ijs contradictionis umbra?

51 Obijcies quintò. Intellectio divina est operatio procedens, ut proprietates à Natura, quæ est intellectivum divinum: sed hoc non est procedens realiter: ergo intellectio distinguitur virtualiter ab intellectu, ut actus secundus ab actu primo virtuali. Maior probatur operosè à P. Borrull. ex *Synodo 6. aliàs, Concilio 3. Constantinopolitano Actio- ne 18.* dicente, quòd in Christo, quemadmodum duas Naturas, & duas Voluntates, & duas naturales Operationes agnoscimus: & has postmodum vocat, proprietates naturarum: & subiungit: duas operationes communiter, & indivisè procedentes predicamus: scilicet in Christo: ergo ex Concilio, volitio, & pariter intellectio Dei sunt operationes, & proprietates procedentes à perfectione aliqua priori, quæ erit actus primus, saltem virtualis, volendi, & intelligendi per ipsas. Huic argumento usque ad eò deulic doctissimus P. Borrull. *disp. 1. de Voluntate Dei ex professo: & d. sp. 4. num. 9. de Attributis*, remissivè, ut propter illud non solum in Deo dixerit virtualiter intellectionem & volitionem à Natura Divinà, à qua procedere ait, tanquam ab actu primo virtuali; sed etiam dixerit realiter in creatis intellectum, & voluntatem inter se, & à substantià Animæ, aut Angeli.

52 Ut verum ingenuè fatear, non tantæ molis est discursus iste, ut visus fuit Patri Borrull, propterea distinguenti in creatis potentias ab Anima contra suam, & nostram Philosophiam; & in divinis virtualiter, intellectum, & voluntatem ab intellectione, & volitione contra limpidiorè Theologiam expendendâ *disp. 8.* indequè nò satis adhuc inferri ratione actus primæ & secundæ virtualis.

53 Respondetur enim negando maiorem, & consequentiam. Est quidem Dei intellectio, sicut, & volitio, non modò virtualiter, verum etiam realiter formaliter operatio, ut vidimus *num. 10.* non tamen est realiter, nec virtualiter procedens ab aliquo, sed est omnino purissimè à se. Nec est de ratione operationis physice esse ab operante, sed illud exercere: in creatis quidem egressivè à prin-

principio operante; in Deo autem constitutivè purissimè sine principio, à quo sit. Pater in Paternitate Divina, quæ, quin procedat à Patre, est generato activa, qua realiter Pater se exercet, & operatur gignendo Filium. Ad probationem maioris dico imprimis, quòd quamvis ibi Concilium solum loquatur de voluntate, & volitione, & fortè non nisi de liberà contra Monothelitas, ut erudite monstrat P. Bernal. *disp. 14. de Incar. sect. 1.* ideòquè possemus remittere argumentum ex verbis Concilij peti ad sectionem sequentem; damus tamen, ut in univèrsum illi satisfaciamus, extendi eius sensum à paritate ad intellectum, & intellectionem.

54 Quo præmissis, & permissis, admitto libenter cum Concilio duas in Christo Naturas, duas Voluntates, (sic etiam, & duos Intellectus) & duas Operationes: Divinam, scilicet, & Humanam inter se realiter distinctas, respectivè nimirum vnaquæque Divina ab vnaquæque Humana. Nego tamen, perindè sequi, quòd omnia illa Divina distinguantur invicem in Deo virtualiter; sicut certè, nec omnia illa Humana distinguuntur in nobis realiter: cum nihil nos cogat ad distinguendas realiter in nobis potentias intellectus, & voluntatis à substantia animæ: ubi tamen verè dicimus reperiri realiter omnia illa, scilicet Naturam, Voluntatem, Intellectum, & operationes, sive distinguantur inter se realiter, sive non: de qua distinctione, sive indistinctione istarum inter se invicem nihil curat Concilium, solum intendens distinctionem istorum à Divinis in Christo: quod erat è re contra Monothelitas.

55 Quando autem Concilium, loquens de operationibus duarum voluntatum in Christo, (vel, si placet, extensivè etiam à paritate, de operationibus duorum intellectuum,) vocat eas Proprietates Naturarum, ac proinde volitiones, & intellectiones Divinas Proprietates Naturæ Divinæ; non est ita intelligendum, ut eas operationes distinguat pluraquam ratione nostrâ à Natura Divinâ; sed vel ita, ut sumat Proprietatem contrapositè ratione nostrâ ad Naturam in eo sensu, quo eiusmodi prædicata vocantur in Deo Attributa, quamvis Deo sint essentialissima, quia non sunt ex genere suo essentialia, ut exponemus *disp. 7. sect. 1.* vel ita, ut sumat Proprietatem etiam univèrsaliùs pro prædicato quomodocumque proprio alicuius Naturæ, ipsi convenienter, modò contingenter, ut Naturæ Humanæ intelligere, & velle, & sic vocat ibi Concilium ipsum Proprietates Naturæ Humanæ suas volitiones: modò, necessariò extra essentialiter, ut ipsi Naturæ Humanæ

esse risibilem, & iuxta distinguentes potentias ab anima, habere intellectum, & voluntatem: modò, necessariò essentialissimè, ut dicitur rationale prædicatum maximè proprium, & vulgatius apud logicos, differentia maximè propria hominis.

56 Iuxta has ergo receptissimas explanationes nullatenus certè adversatur verbis Concilij nostra doctrina, cum dicimus, operationes, tam Intellectionis, quam Volitionis Divinæ, esse purissimos actus virtualiter etiam indistinctos à Natura Divinâ: cum hoc enim bene fiat, quòd ait Concilium, esse Proprietates Naturæ Divinæ, hoc est, perfectiones maximè proprias, quantumvis essentialissimas Naturæ Divinæ, sese constitutivè exercentis, & purissimè operantis per ipsas. Quo sensu diceremus aptissimè, ipsum quoque rationale, quantumvis essentialissimum homini, esse prædicatum proprium hominis, imò, & maximè proprium, & quodammodo magis proprium, quam risibile. Non ergo per hæc destruitur, imò adstruitur intentum Concilij, eò pressius, quò essentialius eiusmodi operationes erunt maximè propriæ Naturæ Divinæ.

57 Denique, quando Concilium prædicat eas operationes, scilicet Volitiones Divinam, & Humanam, communiter, & indivisè procedentes; nisi sensum Concilij ad sensum obijcientis detorquere velimus; non est ita intelligendum, quòd operationes illæ divinæ procedant egressivè, adhuc virtualiter, à Naturâ Divinâ, ad modum quo humanæ à Natura Humanâ, quamvis nos sic ratione nostra possimus eas concipere, ut sæpe solemus propter imperfectionem nostram concipere, & loqui de Divinis ad instar creaturarum: quid enim hoc, precor, ad mentem, & intentum Concilij? Sed sensus clarus est, eas operationes Voluntatum Divinæ, & Humanæ in Christo procedere, id est se gerere ac versari in volendo univèrsimè, ut perfectissimè inter se conformes, quamvis realiter inter se distinctæ. Qua phrasi vilitatissimè dicimus, tres Divinas Personas procedere communiter, & indivisè in intelligendo, & volendo: non sanè, quòd tres Personæ egressivè procedant à principio, sic enim Pater non procedit; sed qui univèrsimè, & individué se gerunt in volendo, & intelligendo: sicut etiam à contrario sensu dicimus, intellectum, & voluntatem, Hominem, & Angelum, Deum, & creaturam, diversimodè procedere in suis operationibus: id est, diverso modo versari, se habere, aut se gerere in attingendo obiecta.

58 Perperam ergo, & prorsus extra scopum

Infra  
sect. 6.

Montoy.

Synod. 9.

Borrull.

Supra  
num. 1.

Infra  
disp. 7.

pum ex illo verbulo, *procedentes*, quo vitur Concilium, arguitur contra nos ratio vlla actus primi, & secundi virtualium, intelligendi, & volendi in Deo, aut processio egressiva virtualis earum operationum divinarum à principio per eas vitaliter operante: cum à se omnino sint purissimè, & actualissimè sine umbra potèntialitatis adhuc virtualis: pro qua, nec de qua virtuali processione egressivâ certissimum mihi est, Concilium nequiquam decertavisse.

SECTION VI.  
AN DEVS SIT VIVENS VOLITIVÉ, PRÆSERVIM LIBERÉ, PER MODUM ACTUS PRIMI, & SECUNDI VIRTUALIUM VOLENDI.

59 **R**atio specialiter dubitandi, quæ sæpius ad homines in disputationibus publicis feliciter usus sum, disponitur sic. Quamvis in Deo intellectus, & intellectio non distinguantur virtualiter; bene verò intellectio, & volitio, ex communiore Recentiorum sensu. Quo posito, intellectio, & intellectus divinus est quidem purissimus actus in linea intelligendi; non autem in linea volendi: ergo in linea volendi divina intellectio, sive intellectus est actus primus virtualis respectu Divinæ Volitionis. Probò consequentiam. Principium à quo emanat volitio, & quod per illam denominatur volens, est actus primus volitivus, ut patet in volutate creatâ, sive distinctâ, sive indistinctâ ab animâ: sed totum id habet virtualiter, iuxta prædictas doctrinas, intellectus, sive intellectio Dei respectu Divinæ volitionis: ergo est actus primus virtualis volitivus respectu volitionis, & hæc actus secundus virtualis volendi.

60 Probatur minor: nam imprimis intellectus, sive intellectio Dei, cum asseratur communiter præ alijs Divinis Perfectionibus, conceptus primarius Essentiæ Divinæ, à quo, ut à radice virtuali, reliqua dicuntur emanare, & subsequi; habet se respectu aliorum, ac proinde respectu volitionis, ut principium, & radix volitionis, sicut & aliarum proprietatum, & Attributorum. Deinde Essentia Dei, quæ dicitur esse intellectus, sive intellectio, sicut denominatur omnipotens per suum Attributum Omnipotentiae, & subsistens per proprietates trium Personalitatum; ita similiter, & volens per Attributum Volitionis: ergo est principium virtuale Volitionis denominabile formaliter volens in actu secundo per volitionem: ergo Essentia sic constituta est actus primus, & volitio est

actus secundus virtualis volendi. Quamvis ergo negetur actus primus, & secundus virtualis in genere vitæ intellectivæ Divinæ, admittendus sanè est in genere vitæ volitivæ. Sicque admittunt Zuñiga, Basil. Legionensis, Hurtadus, & alij apud Hemelman: *Tit. 3. disp. 1. cap. 4.* pro quibus militat ad homines, Anton. Perez *disput. 2. de Voluntate Dei, cap. 2.*

61 Dixi, ad homines: suppositis scilicet prædictis doctrinis, inter Modernos familiaribus: quas tamen cum ipse non admittam, minimè premor hac vi rationis dubitandi. Nego in primis, ex dicendis *disp. 8. sect. 1.* distinctionem virtualement Divinæ intellectiois à volitione, quæ negatâ, corrumpit structura ista virtualis actus primi, & secundi. Deinde, eâ distinctione permittâ, concedo, intellectioem sic distinctam à volitione non esse actum purissimum in linea volendi; nego autem consequentiam, quod perinde debeat esse actus primus volendi: non est enim nisi actus purissimus intelligendi, qui formaliter est intellectus, & intellectio, realiter idemificatus cum actu purissimo volendi, qui formaliter est volitio, & voluntas. Et quidem, admittâ distinctione virtuali intellectiois à volitione, dissentaneum videtur ponere Voluntatem Dei potius ex parte intellectiois, ut constituatur actus primus virtualis; quam ex parte volitionis, ut constituatur actus purissimus volendi. Ad probationem consequentiæ; concessa maiori, nego minorem: nam intellectus, sive intellectio Dei non habet rationem principij volitionis: cum utraq; sit ægens à se etiam, ut aiunt virtualiter. Quod si intellectio denominatur volens à volitione; pariter volitio intelligens ab intellectioe per mutuam idemificationem.

62 Ad probationem minoris, ex *nu. 60.* nego in primis, intellectum, sive intellectioem Dei præ volitione esse Essentiam Dei: de quo *disp. 5.* Deinde, hoc etiam dato, nego, ab intellectu, seu ab intellectioe, ut à radice, emanare virtualiter volitionem necessariam, utpotè essentem in Deo non minùs à se, quam intellectio; & intellectus: de quo *disp. 7. sect. 2.* ubi virtuales istas emanationes disciemus. Quod intellectus, & intellectio Dei denominatur volens à volitione, verum est; at similiter denominatur, ut diximus, volitio etiâ intelligens ab intellectioe. Ex quibus nego duas ultimas consequentias. Quo pacto se expediant à ratione dubitandi iuxta suas doctrinas plerique alij, tam Thomistæ, quam nostri, ipsi viderint.

63 Conclusio nostra prima sit non da-

ri in Deo actum primum, & secundum virtuales volendi: loquendo nunc de volitione necessaria. Sic Hemelman, Herize, Ioan. S. Thom. Ribadeneyra, & alij apud Fuster *disp. 1. de Volunt. cap. 3.* Fundamentum nostrum, & simul enervatio rationis contrariæ est. Primò, quia inter intellectum, voluntatem, intellectioem, & volitionem necessarias Dei non datur distinctio virtualis, ut videbimus *disp. 8. sect. 1.* ergo nec datur actus primus, & secundus virtualis volendi, sicut nec intelligendi. Secundò, quia adhuc, ea distinctione virtuali permittâ; sicut est certum, ad actum primum, & secundum virtuales requiri virtualement distinctionem, est æque certum eam non sufficere: sicut ad actum primum, & secundum reales non sufficit realis duorum distinctio, quamvis requiratur, ut videre est in duobus Angelis, seu lapidibus realiter inter se distinctis citra rationem actus primi, & secundi inter ipsos. Requiritur ergo insuper virtualis prioritas, & posterioritas, virtualis emanatio, influxus, seu productio: quippe actus secundus vitæ eo modo, quo est actus secundus, dicit esse à primo, ut à principio vivente per ipsum.

64 Atqui, adhuc dato, quod distinguantur virtualiter intellectus, sive intellectio, quæ sit Natura metaphysica Dei, à volitione, quæ sit Attributum; non datur inter illas ratio influxus, productionis, emanationis, prioritatis, aut posterioritatis virtualis: ergo, nec ratio actus primi, & secundi virtualium in linea volendi. Minor probatur: tum ex impossibilitate assignandi formale prædicatum cui innitatur conceptus productionis, prioritatis, seu influxus virtualis intellectus, sive intellectiois divinæ in volitionem necessariam, ut contra virtualement emanationem Attributorum ab Essentia expendam *disp. 7. sect. 2.* Tum quia non esset maior ratio, cur potius volitio esset actus secundus respectu intellectus divini, qui per illam denominatur volens, quam intellectio respectu voluntatis divinæ, quæ per ipsam denominatur similiter intelligens: cum pariter se se mutuò denominent, & communicent per realem idemificationem, non obstante distinctione virtuali: sicut non obstante distinctione reali in creatis, volitio, & intellectio dominant intellectum, & voluntatem intelligentem, & volentem. Restat ergo, quod habeant se, ut actus purissimus formaliter intellectivus, & intelligens, ad actum purissimum formaliter volitivum, & volens: uterque omnino à se, & nullatenus, ut actus primus, & secundus,

Munieffa Disput. Scholast.

quorum alter sit virtualiter ab alio.

65 Secunda conclusio. Nec respectu volitionis liberæ (idem de intellectioibus contingentibus) datur in Deo actus primus virtualis. Ita Ribadeneyra *disp. 2. cap. 7.* Herize *disp. 2. cap. 2.* & Recentiores prædicti, cõtra alios non minùs doctos, qui in præcedentibus conclusionibus nobiscum sentiebant. Probatur. Quia, quamvis demus, quod denominatione libera volentis (sicut & contingenter intelligentis) distinguatur virtualiter à necessarijs Dei, possitque Deo deesse virtualiter, seu quoad denominationem, hoc est Deum realiter non denominare volentem; at, cum illa ipsa denominatio, quamvis queat non denominare, nequeat non esse, ut ibidem dicemus; totum suum esse habet à se: ergo non est cur, nec virtualiter sit ab alio, ut ab actu primo volendi. Præmaximè, cum inassignabilis sit conceptus formalis in Deo, cui inniti rationabiliter possit virtualis emanatio liberorum à necessarijs, seu virtualis influxus necessariorum in libera Dei, ut adversus omnes huiusmodi virtuales emanationes expendemus *disp. 7. sect. 2.* Quod autem ea denominatio liberæ volentis, quasi adveniat voluntati Dei necessariæ, illamque denominet sic volentem, non arguit rationem actus primi in Voluntate Divina respectu talis denominationis: nam etiam advenit tribus Personalitatibus eas denominans formaliter sic volentes; quin perinde habeant se singulæ, ut actus primus virtualis respectu talis volitionis: alioquin darentur in Deo tres actus primi virtuales volendi, ac proinde tres voluntates realiter distinctæ.

SECTION VII.

OBIECTIONES PRO ACTU PRIMO, & SECUNDO VIRTUALIBUS LIBERÉ VOLENDI.

66 **O**bjicitur primò. In creatis, quod denominatur formaliter volens per volitionem realiter distinctam, & advenientem, est actus primus realis volendi: ergo in Deo virtualis, quod per volitionem virtualiter distinctam, & advenientem denominatur formaliter volens. Respondetur negando consequentiam. Ratio disparitatis est: quia in creatis, quod denominatur volens, ut quod, est productivum volitionis, quam nisi produceret, non denominaretur volens, nec vivens per ipsam: siquidem emortuo modo illam reciperet: quia. nulla modo haberet operari ab intrinseco: non

inquam, positivè, quia non illam haberet à se ipso productam; non item negativè, quia omnino illam haberet ab altero producente acceptam. At in Deo, quod denominatur volens non est productivum volitionis: nam ipsa volitio, utpotè substantialis, & per se stans, denominatur volens etiam, ut quod, quin se ipsam villo modo producat. Nec Deus, ut denominetur operans ab intrinseco requirit habere operationem ab intrinseco positivè, hoc est, à se ipso productam: cum iam illam habeat ab intrinseco negativè, nempe non ab alio producente acceptam, sed secum identificateam, ut explicui à nu. 17. De quo, si ulteriorem quæris rationem, dicam, naturam volitionis creatam esse, quod sit ens ab alto; & divinam, quod sit ens à se.

67 Obijcies secundò. Voluntas Dei est per volitionem liberam, & non per se ipsam, determinata ad velle mundum: ergo ad volitionem mundi habet se, ut actus primus, & non ut actus purissimus volendi. Probatum consequentia. Primò, quia purissimus actus debet esse per se determinatus, & actualissimus. Secundò, quia voluntas se liberè determinans dat esse suæ determinationi, eam inducendo, & aliquantulum producendo: in Deo autem non nisi virtualiter.

68 Respondetur, concessio antecedente, negando consequentiam. Ad primam probationem dico, actum purissimum debere esse per se determinatum, & actualissimum in sua linea: quod verò non ita fit in altera linea, non est quia sit actus primus alterius; sed quia, ut determinetur, & actuetur in altera, debet coniungi cum altero actu purissimo alterius lineæ, qualis est etiam volitio libera, quæ scilicet est purissimè volens, & volitio, seque, & totum Deum denominat liberè volentem. Ad secundam probationem dico, eius doctrinam procedere in nobis; (& certè, nec in nobis facile procedit iuxta opinionem existimantium voluntatè nostram liberè se determinare per omissiones puras) non autè in Deo: nam generatim loquendo, ut volūtas se liberè determinet, non opus est, producere determinationem; sed vel producere ut in nobis; vel quod ei adsit determinatio ab intrinseco, potens non sic adesse, quamvis improducta, & à se, ut in Deo: quippe non aliter se determinat, nisi volendo se determinare per ipsam volitionem, qua pro libito posset non se sic denominare. Modus autem se sic determinandi est, sic volendo per ipsam, cum posset pro libito non sic velle per ipsam; nullatenus verò producendo ipsam. *Mysterium scilicet est divinæ libertatis, que*

nihil profundius: quodque inani conatu studeat quisquam elucidare per actus primos, & secundos virtuales: quasi Rhodano paleam opponeret pro repagulo.

69 Obijcies tertio. Potentia volendi mundum esset in Deo casu etiam quo, deficiente virtualiter volitione mundi, non denominaretur Deus volens, seu decernens mundum: ergo daretur in eo casu actus primus volendi mundum, & deficeret virtualiter actus secundus: ergo, potente nunc velle, simulque volente Deo mundum, datur simul cum actu secundo volendi, ille ipse actus primus, qui tunc daretur: ac proinde daretur actus primus, & secundus virtuales liberè volendi. Probatum prima consequentia: quia in eo casu posset Deus velle mundum, & non velle: sed posse velle est actus primus volendi, & velle est actus secundus: ergo daretur actus primus, & deficeret secundus. Probatum minor: quia posse velle mundum, nec est virtualiter actus secundus volendi, ut per se patet: nec est actus purissimus volendi, cum non sit virtualiter actualitas volendi mundum: ergo est actus primus volendi mundum, & in eo casu coniunctus cum actu secundo.

70 Respondetur distinguendo antecedens: potentia logica ad essendum volens mundum, concedo; potentia physica ad producendam volitionem mundi; nego antecedens, & duas consequentias. Quamvis enim in nobis potentia contingenter volitiva, seu intellectiva, sit potentia physica, utpote productiva volitionis, ac proinde actus primus physicus respectu actus secundi volendi: at in Deo est potentia dumtaxat logica per modum non repugnantiam essendi id quod realiter est, seu habendi quod habet per identitatem realem cum toto esse operationis, vel denominationis liberæ. Unde in eo casu daretur in Deo potentia logica, quæ tunc posset, & nunc potest esse quod est, nempe, volens mundum. Ad probationem primæ consequentiæ, concedo maiorem, & nego minorem: quia velle, & posse velle conveniunt etiam actu purissimo, si ut existere, & posse existere: ac proinde id præcisè non est actus primus, & secundus. Ad probationem minoris, concedo primam partem antecedentis, & distinguo secundam: in Deo posse velle mundum non est actus purissimus, quando mundum vult nego: quando non vult subdistinguo: non est actus purissimus quo ad totum esse volitionis mundi: nego: nam tunc etiam simul cum potentia volendi datur tota entitas actus purissimi volitionis

nis mundi: non est actus purissimus quoad denominationem tunc volendi mundum, concedo: quia tunc non vult mundum.

71 Dices: ergo est actus primus respectu actualitatis volendi mundum quoad denominationem. Nego consequentiam: quia Deus non est potens se sic denominare producendo ullo modo denominationem; sed purè volendo se sic denominare: proinde non coniungendo se veluti actum primum talis denominationis cum ipsa denominatione tanquam cum actu secundo; sed identificate se denominativè veluti actum purissimum aliarum volitionum, & intellectionum necessariorum, cum denominatione actu volendi mundum, tanquam cum actu etiam purissimo volendi liberè mundum.

72 Obijcies quartò. Ens contingens eo modo, quo est contingens, est ab alio: sed volitio Dei libera aliquomodo est contingens, utpotè virtualiter saltem defectibilis: alioquin non esset libera: ergo aliquomodo, scilicet virtualiter, est ab alio: nimirum ab aliquo necessario Dei, tamquam à principio, & actu primo virtuali. Maior probatur. Primò: quia eo modo, quo est contingens, cum sit eo modo indifferens ad esse, vel non esse, non habet essentialiter, sic actu esse: ergo est ab alio, & non habens à se, seu à suis prædicatis essentialibus actualitatem essendi. Secundò: quia simili ratione ostendimus *disp. sect. 3.* existentiam alicuius entis necessarij, à quo contingencia sint.

73 Respondetur, distinguendo maiorem: si contingens eo modo, quo est contingens, nullam habeat fecundam realiter identificateam necessitatem essendi, concedo: si habeat, nego maiorem: & sic concessa minori, nego consequentiam. Nam huiusmodi contingens, tam à se est, quando eo modo contingenter est, ac est à se quodlibet necessarium, quod semper necessario est. Ad primam probationem, concessio antecedente, distinguo consequens: est ab alio: & non habens à se, & à suis prædicatis essentialibus actualitatem essendi necessario, concedo: essendi contingenter, & liberè, subdistinguo: si prædicata entis contingentis nullam habeant realiter sibi identificateam necessitatem essendi, concedo: si habeant, nego. Volitio autem, seu denominatio illa Dei libera non aliter est contingens, nisi quo ad denominationem, & identificateam sibi realiter absolutam necessitatem essendi: seque à se denominat taliter volens pro libito, quia vult. En iterum mysterium: nec est quod recurramus ulterius, nisi ad *quia vult.* Ad secundam pro-

bationem dico, existentiam alicuius entis necessarij nempe Dei, à quo ut à principio sint entia contingencia, ostendi ex eis; quod ista alia sint contingencia nullam habentia secum realiter identificateam necessitatem essendi: vnde nihil arguitur contra præsentem doctrinam.

74 Tandem obijciat aliquis Apostolum, sic fantem de Deo Ephesior 1. *secundum propositum voluntatis sue*: ubi videtur discernere *propositum*, quod est volitio seu decretum, à *voluntate*, quæ sit veluti potentia, & actus primus respectu volitionis. Respondetur tamen, Apostoli esset salvari relictè, intelligendo per *propositum*, decretum, seu volitionem liberam singularem: & per *voluntatem*, totam lineam volendi divinam, adæquatam, & cunctis Dei volitionibus purissimis modo suo distinctis, sive virtualiter, sive ex modo nostro concipiendi; nullatenus verò per *voluntatem* intelligi debere actum primum volendi respectu *propositi*, quod sit actus secundus.

## SECTIO VIII.

AN DEVS SIT VIVENS INTELLECTIVÈ, AUT VOLITIVÈ PER MODUM ACTUS PRIMI, & SECUNDI SALTEM FORMALIS RATIONE NOSTRÀ.

75 **R**atione, inquam, nosti à non fingente: nam fingendo ad instar imperfectionum, quibus scatent creaturæ, nihil non posset nostra tenuitas impingere Deo; sed ratione nostrà præcendente in vitâ Dei per perfectiones, quarum una cum fundamento in Deo concipiatur, ut actus primus alterius, verè & non fictè: nam perfectionem non esset nisi conceptum, qui in Deo non invenitur, fingendo ipsi imponere, ut inveniat.

76 Supponimus ultrò, ne in hoc probando oleum perdant, & operam Recentiores, esse formaliter in Deo conceptus, perceptivi; intellectus, intellectionis, voluntatis, & actualis volitionis, ratione nostrà distinctos; sive obiectivè, sive ex modo nostro concipiendi. Nam in ratione intellectionis, seu expressionis convenit Deus, qui simul intellectus, & intellectio est, cum nostris cognitionibus, quæ quidem intellectiones, & expressiones sunt: non verò in ratione intellectus, aut perceptivi; quia nostræ cognitiones, nec perceptivæ, nec intellectus sunt: & idem est de voluntate, volitivo, & volitione. Supponimus deinde, posse nos concipere Deum intelligentem, & volentem ad instar

intelligentis, & volentis creati: sicut etiam concipimus Deum ad instar rerum corporearum: Patrem Aeternum ad modum Senis, Spiritum Sanctum ad modum Columbae, &c. sic enim fert nostra tenuitas, dum cognoscimus, ut aiebat Paulus, *per speculum in enigmate*. Quibus suppositis, Arriaga, Martin. & praedicti alij Magistri, qui nobiscum relpuunt in vita absoluta Dei actus primos, & secundos virtuales; admittunt formales ratione nostra, sive ex modo nostro concipiendi, tam in genere intellectivo, quam in volitivo.

1. Corint  
13.  
Arriag.  
Martin.  
RR.

Aureol.  
Herizg.  
Albiz.  
Hemel.  
Ribad.  
Lugus.  
Montoy.  
Thyrsf.

77 Conclusio tamen nostra sit omnino negativa, cum Aureolo, Herize, Albiz, Hemeliman, & Ribadeneira, eos citante *cap. 7.* quibus adherent Franciscus de Lugo *disp. 16. cap. 4.* male citatus pro adversariis a Ribadeneira: itemque sapientissimus Montoya *disp. 5. de Trin. sect. 10.* alibi tamen aliter loquutus iuxta alios: eam tenet ex professo novissimè P. Thyrsus Gonzalez *tom. 1. disp. 3.* Probatur: quia, ut duo praedicata sint ratione nostra actus primus, & secundus, non sufficit fundamentum praecise requisitum ad hoc, ut ratione nostra distinguantur: nam ut saepe monui, & est per se clarum, non est idem, duo distingui, & unum illorum esse actum primum alterius: ergo ad hoc ut unum sit actus primus alterius ratione nostra, requiritur insuper aliud fundamentum. Atqui, quamvis detur fundamentum, ut in Deo praedicata perceptivi, & expressionis; voluntatis, & volitionis, ratione nostra distinguantur; nullum omnino datur, ut ratione nostra sint actus primus, & secundus: ergo sine fundamento tribuitur vitae Dei actus primus, aut secundus intelligendi, aut volendi, adhuc ratione nostra. Minor, in qua vertitur difficultas, probatur ab impossibilitate assignandi fundamentum.

78 Dices primò, fundamentum esse, quia praedicatum perceptivi est in Deo proprio ad expressionem. Contra: quia vel loqueris de prioritate reali, vel rationis: reale, & virtuale negas, dum nobiscum negas ibi actum primum reale, & virtuale: de prioritate verò rationis est nunc quaestio: & contendit nostra probatio, neque hanc esse, nec fundamentum ad ipsam, sicut neque ad actum primum per rationem: ergo responsio, vel supponit contra eius Authores actum primum saltem virtuale, vel manifestò datur per quaestionem. Insuper: formalitatem perceptivi esse ratione nostra sive ex modo nostro concipiendi, priorè expressione, vel est à nobis concipi prius, vel est à nobis concipi esse prius.

Non primum: quia unum concipi prius alio, non est esse ratione prius alio: alioquin prius esset ratione nostra in Deo Omnipotentia quam Scientia, quam Immensitas, quam Essentia Dei: imò, & prius essent volitiones liberae, quam multa praedicata necessaria: quippe saepe ex creaturis prius concipimus Omnipotentiam primi Motoris, quam alia Attributa: & prius aliqua decreta Dei, quam multas perfectiones necessarias, quae per decreta nobis innotescunt; prior esset lux, sol; fumus, ignis; creatura, Creatore: quia prius saepe hos effectus, sive haec signa concipimus: quae quidem absurdissima sunt. Si secundum, urgeo sic. Vel perceptivum respectu expressionis concipitur esse prius prioritate reali, vel virtuali, vel rationis. Si reale, vel virtuali; est fingere: cum ea verè non detur, ut vidimus, & nobiscum fatentur ipsimet, contra quos nunc agimus. Si rationis; est similiter fingere, si neque haec verè detur: an autem haec verè detur, necne; est quod nunc disputamus: nos negamus etiam, hanc dari, ac proinde non nisi falsò concipi eam dari: & petimus fundamentum ad eam adstruendam, nondum assignatum, nisi falsò supponendo, & respondendo per quaestionem.

79 Dices secundò, fundamentum esse: quia perceptivum Dei est intelligens, ut *quod*; expressio autem est intelligens, ut *quo*, & quasi forma adveniens perceptivo. Contra. Perceptivum Dei, realiter, & seorsim à ratione nostra loquendo, est intelligens, ut *quod*, & ut *quo*: & expressio Divina est intelligens, ut *quo*, & ut *quod*: alioquin admitteretur actus primus realis, aut virtualis, seorsim etiam à ratione nostra: sicut ens Divinum est realiter ens, & essens, ut *quod*, & ut *quo*; & entitas, seu existentia Divina est ens, & essens, ut *quo*, & ut *quod*: sed quòd nos concipimus ens, aut essens Divinum ad instar concreti, ut *quod*; & entitatem, seu existentiam, ad instar abstracti, ut *quo*; non facit, quòd ens, aut essens Divinum sit, adhuc ratione nostra, actus primus respectu existentiae, & entitatis Dei: ergo perceptivum Dei concipi quasi concretè tamquam intelligens, ut *quod*; & expressionem quasi abstractè tamquam intelligens, ut *quo*; non facit, aut constituit inter hos conceptus ordinem prioritatis, & posterioritatis, aut actus primi, & secundi, adhuc ratione nostra: cæteròquin ratione nostra esset similiter Deus, substantia, & ens, & Deus per modum actus primi, & secundi essendi substantiam, essendi ens, & essendi Deum: quippe Deus est id *quod* est substantia, ens, & Deus; simulque, id *quo* est substantia, ens, & Deus.

Con.

Confirmatur. Realiter intellectus Dei est intelligens, ut *quod*, & ut *quo*: & expressio Dei, ut potè substantialissima, est etiam realiter intelligens, ut *quo*, & ut *quod*: quia utrumque est realiter id quòd intelligit, & est ratio formalis intelligendi: nec est Deus realiter, & seorsim à nostris considerationibus, magis determinatus ad posse se intelligere, quàm ad actu se intelligere: sic ut nec magis ad posse esse ens, substantiam, & Deum, quàm ad actu esse ens, substantiam, & Deum. Si ergo posse esse ens, substantiam, ac Deum; & actu esse ens, substantiam, ac Deum, ut *quod*, & ut *quo*, non est fundamentum, ut posse esse ens, substantiam, & Deum sit plusquam potentia Logica ad esse ens, substantiam, ac Deum citra rationem ullam actus primi, & secundi physici; ita pariter, nec erit fundamentum, ut intellectus, seu posse intelligere, sit in Deo plusquam posse logicum ad intelligere: atque adeo, nec ratione nostra cum fundamento in re, est in Deo actus primus physicus, seu quasi physicus intelligendi, aut volendi.

80 Dices tertio, fundamentum esse: quia perceptivum praecise sumptum correspondet, & aequivaleret nostro actui primo, qui perceptivus est, & expressio non est; expressio autem, nostro actui secundo, qui expressio est, & perceptivus non est. Hic sese produnt Adversarij, detegentes, ubi reperiant fundamentum ad actum primum, & secundum Dei per rationem: non utique in Deo, sed in nobis: in quibus certè per fundamentum habent, ut concipiant Deum intelligentem instar subiecti, & accidentis: quia nempe perceptivum Dei correspondet, & aequivaleret in percipiendo intellectui nostro, qui subiectum receptivum est; & expressio Dei in exprimendo, intellectui nostro, quae accidens est: quin etiam, & ut concipiant Deum materialiter cognoscens, aut videntem, quia in percipiendo praecise, & exprimendo colores, correspondet, ac aequivaleret visui, & visioni nostris materialibus: ergo ex eo creaturarum fundamento non magis est in Deo ratione nostra actus primus, & secundus intelligendi, aut volendi, quàm ratio subiecti, & forma, receptionis, & informationis, materiae, accidentis, aliarumque sordium, quibus passim creaturae deturpantur.

81 Dices quarto, fundamentum esse: quia perceptivum Dei correspondet nostro actui primo intellectivo in munere specialissimo, quod est percipere spiritualiter intelligibilia. Sed contra: quia hoc munus esse

specialissimum actus primi realis; vel est non reperiri, nisi ubi reperitur actus primus realis formalis: at hoc non, quia per vos reperitur in Deo, ubi non est actus primus realis formalis; vel est, ita esse proprium nostri actus primi realis formalis, ut nostro actui secundo non conveniat: hoc autem, quod verum est, non sufficit ad intentum: quia speciale praedicatum actus primi non solum debet discernere actum primum à secundo; sed etiam ab omni non primo, qualis esset etiam actus purissimus excludens primum, & secundum: à quo tamen non discernitur actus primus per illud munus, ut potè commune quoque actui purissimo, verè perceptivo spiritualiter intelligibili: vel est, quòd extra Deum non reperitur illud munus, nisi ubi est actus primus intelligendi: & neque hoc sufficit ad actum primum per rationem in Deo: alioquin pariter ratione nostra esset in Deo ratio subiecti perceptivi spiritualiter intelligibilium dependentis à causa: quia haec munera non reperuntur extra Deum, nisi in actu primo intelligendi. Hoc autem neutiquam admittitur: ergo nulla perinde arguitur in Deo ratio actus primi, adhuc ratione nostra.

82 Dices tandem, fundamentum esse: quia ratio nostra concipit Deum intelligentem instar intelligentis creati, dicentis actum primum, & secundum reales. Contra tamen: quia etiam concipimus Deum instar entis corporei, Patrem Aeternum instar senis, & Spiritum Sanctum instar columbae. Quis autem perinde dixerit, Deum esse corpus, Patrem senem, aut Spiritum Sanctum columbam ratione nostra? Certè ratio nostra benè sentiens totum hoc negat Deo: & quamvis tenuitas nostra concipiat Patrem ad instar senis; non concipit Patrem esse ad instar senis: illud prius est imperfectio nostri modi concipiendi; istud posterius, esset pura fictio. Sic ergo, concipere Deum intelligentem ad instar actus primi, & secundi nostri, non est esse in Deo ratione nostra actum primum, & secundum: quia, nisi fingat ratio nostra, id non est concipere, Deum esse actum primum, & secundum; imò ratio nostra benè sentiens hoc negat Deo, & eiusmodi imaginationes corrigit, concipiens, sibi statuens, Deum esse intelligentem absque his sordibus actus primi, & secundi: sicut concipit, Deum esse ens spirituale absque omni materialitate corporis, columbae, canitici, & barbae, adhuc virtualiter, aut ratione nostra, ut cursim adnotat etiam in simili. P. Nicolaus Martinez *contro. 1. disp. 4. sect. 2.* Re.



83 Restat scrupulus: cur ratione nostra possunt esse formalitates distinctæ in Deo, aut in alio etiam obiecto realiter, & virtualiter eodem, vel ob connotationem, vel ob æquivalentiam ad res realiter distinctas; non verò sic actus primus, & secundus intelligendi in intelligente realiter, ac virtualiter simplici, ob connotationem, seu æquivalentiam ad res, quæ sunt realiter actus primus, & secundus? Respondeo, id provenire ex natura cognitionum, quarum est intentionaliter componere, dividere, confundere, & discernere. Undè est, quòd distinctio rationis sit denominatio extrinseca exercitæ ab ipsa cognitione præcendente, quæ est intentionalis divisio; sicut veritas rationis est alia denominatio extrinseca à cognitione ex modo suo universaliter tendendi confundente, seu intentionaliter exercitæ adunante plura potius, quàm signatè fingente veritatem obiectivam illorum plurium. Cum autem certum sit dari tales cognitiones; negari nequeunt veritas rationis, & distinctio rationis provenientes formaliter exercitæ à diversis illis modis nostris cognoscendi, seu concipiendi. At cognitio, quæ ex aliquo suo modo tendendi faciat formaliter, & exercitæ actus primos, & secundos nondum est cognita magis, quàm cognitio faciens formaliter soles, cæcos, arbores, & lapides.

84 Similem difficultatem solvant, precor, multi ex Adversariis: cur scilicet intellectus noster concipiens Dei decreta ad instar rerum futurarum, quibuscum in aliquo prædicato conveniunt; non faciat illa decreta Dei esse futura per rationem? Mea responsio est. & erit *disp. 13.* ubi de virtuali futuritione decretorum: quia nullus est in nostris cognitionibus modus tendendi faciens formaliter futura, quæ re ipsa futura non sunt. Quid ipsi respondeant, ipsi viderint. Equidem non video, quomodo contenti his fundamentis à nobis reiectis, ad admittendum hunc actum primum intelligendi per rationem; negare postea nobiscum possint, nisi inconsequentissimè, futuritionem per rationem. Obiectiones, quæ contra nos supersunt, remitto ad sectionem sequentem.



## SECTIO

## SECTIO IX.

VIVIT DEVS VITAM INTEL-  
lectivam, & volitivam omnino purissimam, omnis actus primi,  
& secundi undequaque exper-  
tem.

85 Conclusio hæc resultat liquidè, ac dilucidè ex hæcenus disputatis. Autoritates Patrum pro ea congerit Hemelman citatus. Rationes sunt eadem, quas contra actum primum intelligendi, ac volendi realem, virtuales, & per rationem dedimus sectionibus præcedentibus: ubi etiã multas, & difficiles solvimus obiectiones, huc remissis alijs pro actu primo, ac secundo ratione nostra: quibus solutis, vita Dei absoluta intellectiva, & volitiva, omnis actus primi, ac secundi expers, in summa actualitate perfectissima, & purissima constituta manebit.

86 Obijciunt adhuc nonnulli pro actu primo, & secundo per rationem. Conceptus, qui in creatis est actus primus, reperitur in Deo ratione distinctus ab intellectione: ergo est actus primus intellectivus per rationem: & idem est de volitivo. Sunt qui consequentiam vocent manifestam. Antecedens autem probant: quia vis substantialis intellectiva, ut *quod*, est in creatis actus primus: sed ea vis reperitur in Deo distincta per rationem ab intellectione: ergo conceptus, qui in creatis est actus primus, reperitur in Deo ratione distinctus ab intellectione. Probant hanc minorem. Quia Deus, & Angelus cõveniunt in ratione intellectivi, ut *quod*; & non in ratione intellectionis: cum Angelus, nec realiter sit intellectio. Maiorem vocant claram. Clariorem tamen videre debuissent retorsionem in ipsissima forma: conceptus, qui in creatis est materia prima, reperitur in Deo ratione distinctus ab Omnipotentia: ergo est materia prima per rationem. Consequentia est sicut vestra. Probo antecedens: quia vis substantialis, ut *quod*, constitutiva essentia adæquatæ, est in creatis materia prima: sed ea vis reperitur in Deo distincta per rationem ab Omnipotentia: ergo.

87 Respondetur distinguendo antecedens: conceptus inadæquatus, & quasi genericus, concedo; adæquatus, & specialis, nego antecedens, & consequentiam. Si enim conceptus adæquatus nostri actus primi reperi-

re-

retur in Deo, & noster etiam actus primus reperiretur formaliter in Deo, ut est per se notum. Ad probationem antecedentis, concessis præmissis, distinguo consequens: est in Deo conceptus adæquatus, & specialis, qui in creatis est actus primus, nego: inadæquatus, ac genericus, concedo. Hoc autem solum est reperiri in Deo prædicatum, in quo genericè, aut quasi genericè, conveniat cum actu primo creato, sicut similiter prædicatum in quo conveniat cum materia prima, & lapide: ex quo, eodem consequentiæ filo, inferres Deum esse materiam primam, & lapidem ratione nostra, vel potius tua. Itaque, Deum, & Angelum convenire in ratione intellectivi, sicut etiam in ratione intelligentis, ut sic; non est convenire in ratione actus primi, aut secundi intelligendi: sed in ratione præcisa lente ab intellectivo, & intelligente per actum primum, & secundum: & ab intellectivo, & intelligente purissimo sine actu primo, & secundo: quæ ratio universaliter præcisa contrahitur ad Deum per differentiam includentem, & ad Angelum, per differentiam includentem actum primum, & secundum. Hoc autem non est, intellectivum Dei determinari quasi physicè ad esse intellectivum per actum secundum intelligendi; sed intellectivum, aut intelligens, ut sic, abstractum à divino, & creato, determinari Logicè ad Deum per differentiam intellectivi, & intelligentis, exclusivam omnis actus primi, ac secundi; & ad Angelum per differentiam intellectivi, & intelligentis inclusivam actus primi, ac secundi: quemadmodum ratio communis substantia contrahitur ad Deum per differentiam in creatæ, quin proinde in alieius mentem venerit ratio actus primi, & secundi essendi substantiam in Deo, adhuc per rationem, nisi forte ineptissimè fingentem.

88 Insistes. A Deo, & à nobis præcinditur intelligens, ut sic: sed hæc ratio sic præcisa est ita propria intelligentis creati, ut non conveniat intellectioni creatæ, quæ quidem non intelligit, quamvis sit id, quo intellectus intelligit: ergo datur in Deo ratio intelligentis ita propria actus primi creati, ut non conveniat intellectioni creatæ, quæ est actus secundus. Atqui ea ratio est vis perceptiva contraposta actui secundo: ergo est in Deo vis intelligenti per modum actus primi relatè, & contraposte ad actum secundum, saltem ratione nostrâ minimè fingente. Confirmatur. Deus, ut taliter intelligens, dicit totam perfectionem generis intellectivi: sed actus secundus creatus illam non dicit:

ergo non dicit perfectionem actus primi: atqui Deus non dicit se am illam, quæ reperitur in actu secundo: ergo illam, & aliam, quæ reperitur in actu primo: ergo dicit perfectionem intellectivi per modum actus primi, & intelligentis per modum actus secundi.

89 Respondetur: concessio primo syllogismo, distinguo minorem subiunctam: ea ratio est vis perceptiva contraposta actui secundo creato, concedo; divino, id est, summa actualitati perceptivi divini, nego: quia in Deo non est intellectio, quæ sit actus secundus, quamvis sit in actu secundo intelligendi, sicut & existendi; sed quæ sit actus purissimus actualissimus intelligendi. Et nego absolute consequentiam, quia ea ratio intelligentis, seu perceptivi, ut sic, contraposta intellectioni creatæ, non dicit ratione nostra intellectum per modum actus primi; sed abstrahit ab intellectu per modum actus primi, qualis est creatus, & ab intellectu per modum actus purissimi, qualis est divinus: & habet sub se duas differentias intellectivi, & intelligentis: unam nostri, quod est actus primus distinctus à secundo, à quo redditur intelligens; aliam divini, quod est actus purissimus à se essentialissimè intelligens sine ordine ad actum secundum, à quo reddatur intelligens adhuc ratione nostra, nisi fingere velimus.

90 Ad confirmationem, concedo totum, usque ad ultimam illationem, quam nego. Et noto, actum primum, & secundum dicere quidem perfectiones; at certè cum imperfectionibus: perfectiones actus primi sunt, esse perceptivum intelligibilem, posse intelligere, esse ens, esse viventem, & alia huiusmodi: perfectiones actus secundi sunt, exprimere, & repræsentare, esse vitam actualem, constituere nos intelligentes, & alia huiusmodi: utraque has perfectiones dicit intelligens divinum: quia percipit, exprimit potest intelligere, & intelligit, repræsentat, est ens, vivens, & vita actualis: ac proinde dicit perfectiones illas, quas dicit actus primus, & non secundus; & illas quas dicit actus secundus, & non primus: quæ tamen omnes, cum præcendant à conceptu actus primi, & secundi, non inferunt in Deo actum primum, & secundum, nec dant fundamentum ad illos. Imperfectiones actus primi sunt, esse principium, & subiectum receptivum intellectionis, non intelligere per se ipsum, sed per formam accidentalem superadditam, & alia huiusmodi: imperfectiones actus secundi sunt effici, recipi, informare, & alia

alia huiusmodi: neutras has imperfectiones dicit adhuc ratione nostra non fingente, intelligens divinum, utpoté purissimum ab eiusmodi factibus creaturarum: ac proinde citra conceptum actus primi, & secundi, adhuc ratione nostra.

91 Obijciunt alij. Actus primus intelligendi puré logicus, & per rationem, non est nisi capacitatis percipiendi actus, & denominabilis intelligens ab intellectione per rationem distincta: & correspondens per eas formalitates actui primo, & secundo, sublati imperfectionibus: sed intelligens Dei sic se habet: ergo est intelligens per actum primum, & secundum ratione nostra. Maior probatur: quia in creatis ea capacitas percipiendi, mediâ cognitione realiter distincta, constituit actum primum realem: ergo in Deo ea capacitas percipiendi denominabilis intelligens per intellectionem ratione distinctam constituit actum primum, per rationem, & puré logicum.

92 Promiscuè loquuntur ij obijcientes, pro eadem sensim usurpantes potentiam logicam, & actum primum intelligendi ratione nostra. Illam nos non negamus Deo, sed vtró admittimus, non solum ratione nostra, quin etiam, & realem formalem in Deo, sicut potentiam realem existendi, essendi Deum, & essendi ens. Si hoc dumtaxat vult obiectio, conclusit; sed non video contra quem. Lis est de actu primo physico productivo, vel saltem receptivo per rationem actus secundi: & deflectit subdole obiectio ad potentiam logicam intelligendi, parem profectò potentia, quam habet Deus existendi: ut aliquid proferat à nobis non negandum.

93 Respondetur ergo, negando maiorem de actu primo physico per rationem: ad hunc enim requireretur insuper, quòd ratio nostra, sicut ex aliquo speciali modo concipiendi, habet virtutem præcisivam, & virtutem intentionaliter, & exercitè distinguendi, confundendi, disiungendi, & copulandi; haberet similem virtutem faciendi actus primos: quam tamen, ut dixi num. 83. neutriquam habet magis, quam faciendi arbores, & lapides. Frustra deinde est, tribuere Deo, in quo non sunt, conceptus ullos actus primi, ac secundi, sublati imperfectionibus. Tolle namque imperfectiones omnes ratione nostra, & omnè sustuleris conceptum actus primi, & secundi, etiam ratione nostra, sicut & conceptum materiae primæ ratione nostra. Ad probationem maioris, distinguo antecedens: ea capacitas tantum, nego, ea capacitas iuncta cum productivitate, vel saltem receptivitate for-

ma, quæ sit intellectio actualis, concedo antecedens: & nego consequentiam: quia totum hoc, nec virtualiter, nec per rationem non fingentem est in Deo, ut idemdem diximus. Ea quidem capacitas denominabilis intelligens, præcisim ab alijs sordibus, quibus immixta est in creatis, & quibus competit constituere actum primum, ac secundum intelligendi, aut volendi; realiter formaliter est in Deo, sicut capacitas essendi Deum denominabilis à Deitate essens Deum: sed tamen est in Deo omnino præcisim à conceptibus actus primi, & secundi physici adhuc per rationem, prout est quæstio: sicut à conceptibus actus primi, & secundi physici essendi Deum.

94 Abstini, ut plurimum in hac disputatione ab Authoritatibus, sive pro nobis, sive contra nos: quia facilem habent utrinque intelligentiam, saltem nobis minimè contrariam.

95 Imprimis Concilium Rhemense, concedens in Deo id quod, & id quo intelligit; nulli perindè actui primo, aut secundo intelligendi, aut volendi consensisse visum est num. 84.

96 Deinde S. Augustinus dicens alicubi, Deum esse causam suæ sapientiæ; benigne accipiendus est: quasi dixerit solumque voluerit, Deum esse sibi rationem formalem sciendi omnia, ut in simili exposuimus similia verba, S. Hieronymi. disp. 2. num. 57. sec. 4. supra per errorem iterum 3. num. 57.

97 Similiter S. Chrysostomus dicens de Deo: non est sapientia à substantia; sed à substantia, sapientia; intelligitur, quo ad nos, quando concipimus in Deo sapientiam ad modum accipientis advenientis substantia: sicut necesse est intelligere quoque; S. Cyrilli Alexandrini. lib. 11. Thesauri sic loquentem: non omnia ergo que in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant: reliquum est igitur, ut voce, modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus. Alioquin, & accidentia physica virtualia, aut per rationem admittenda in Deo forent.

98 Denique S. Iustinus, distinguens in Deo voluntatem & velle; nihil dicit, quod per distinctionem rationis earum formalitatum non admittamus, ut monui num. 81. Præterquam quòd Opus, in quo hoc legitur, non est Iustini: cum mentionem faciat Manicheorum Iustino posterorum, ut observat Bellarminus in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 150.

99 Claudat disputationem illustre testimonium S. Thomæ, has nostras doctrinas

Rhemen.

Supra sect. 8.

August.

Supra disp. 2.

Chrysost.

Cyrill.

Iustin.

Supra sect. 8.

Bellar.

S. Tho.

Supra num. 83.


arguté, & punctim comprehendentis 1. par. quest. 41. art. 4. ibi: Respectu illarum actionum, secundum quas aliqua res procedunt distincta à Deo, vel essentialiter, potest Deo attribui potentia secundum propriam rationem principij: & ideo sicut potentiam ponimus creandi in Deo, ita possumus ponere potentiam generandi, vel spirandi. Ecce genus vitæ notionalis, quam sect. 2. posuimus in Deo cum actu primo, & secundo realibus. Pergit ibidem: Sed intelligere; & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicuius rei à Deo distincta, vel essentialiter, vel personaliter: unde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentia in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum. Ecce quo-

Supra sect. 2.

modo omnem negat re ipsa in Deo potentiam respectu intellectionis, & volitionis. Nec pures, quòd in his postremis verbis concedat Deo actum primum, quem adhuc ratione nostra negavimus sect. 8. sed solum ait, nos concipere, & explicare Deum intelligentem ad modum rerum creaturarum intelligentium cum actu primo, & secundo, ut exposuimus num. 76. & 80. & sæpè alibi. Quæ Sancti Doctoris mens magis ad mentem nostram exprimitur. contra Gentes cap. 41. S. Thomæ ubi ait, intellectum Dei ad intelligere habere se, sicut esse ad essentiam. Quo nihil pressius potuit dici ad amandandam à Deo rationem omnem actus primi, & secundi intelligendi, sicut & essendi, adhuc ratione nostra.

Supra sect. 8.

S. Thomæ



# DISPUTATIO V.

## DE ESSENTIA, SIVE NATURA DEI.

**S**IC inscribo Titulum cum disunctione: quia communiter in præsentī pro eodem usurpantur *Natura, & Essentia*. Quòd si interdum Patres, & Doctores diversimodè utuntur his nominibus, non est, quia aliud sit *Natura*, aliud *Essentia Dei*; sed quia nomina tam *Essentiæ*, quam *Naturæ* variâs induunt significationes, ut rectè observavit Herize disp. 3. cap. 2. num. 8. Videndus etiam Montoya disp. 20. de Trinit. sect. 5. & Godoy. disp. 4. s. 2. quem refert Gonetus disp. 2. art. 1. adversus Cornejum, aliosque Thomistas, quos pauci Antithomistæ sequuti sunt.

Herize. Mon. 07. Godoy. Gonet.

### SECTIO I.

**Q**UÆSDAM NOTATIS, proponitur difficultas, & varietas Sententiarum in assignanda Essentia Dei.

2 **Q**uia frequens nobis nuncupatio Essentia necessaria est, cognoscendum est, quid significet Essentia, ne de rebus loquatur, rem verborum nesciamus. Verba sunt opportunissima Hilarij *Munissa Disput. Scholast.*

S. Hilarij.

Picaviensis lib. de Synodis ad præsens institutum. Quapropter. 3. Notandum est primò, quòd *Essentia*, seu *Natura*, multas habere solet significationes. Primò sumitur pro quidditate cuiuslibet rei, seu prædicati sic dicimus, definitionem explicare *Naturam*, & *Essentiam* rei scilicet, quidditatem rei, seu proprietatis, seu formalitatis definitæ: in quo sensu homo tot in se habet *Essentias* metaphysicas, quot habet partes, proprietates, & prædicata; & Deus, quot *Attributa*, & *Perfectiones*: quia quòdlibet istorum est defini-

K

U

nibile per suam quidditatem, distinctam respectivè à quidditate alterius, ea lege, quæ unum ab altero distinguitur, & ut tale definitur. In hoc sensu dicebant interdum SS. PP. tres etiam Dei Personalitates esse tres Essentias, id est, tres quidditates: de quo Montoya *disp. 42.* Monens tamen *sect. 6.* abstinendum esse iam in Deo ab eiusmodi loquutione magis dialectica, quàm Theologica, postquam usus Ecclesiæ restrinxit eas voces, *Natura, & Essentia*, ad significandum Theologicè in Deo, quod est commune Personis. Usqueadè, ut nec cum addito, *Relativas*, fas sit dicere tres Essentias, vel Naturas in Deo: quamvis dicere tres Quidditates *Relativas*, tolerabile sit: ne videamur vilo modo dicere tres Deitates: res enim est magni momenti, de qua periculosissimè fuit in Ecclesia bellum cum Hæreticis. Secundò sumitur *Essentia* valde etiam ampliativè in Deo pro tota esse divino, seu pro tota realitate, quæ Deus est: quo sensu, etiam abusivo, cunctæ Dei Perfectiones tam *Relativas*, quàm *Absolutas*, dicuntur Essentia Dei: quia realiter sunt Deus. Tertio sumitur magis Theologicè *Natura*, sive *Essentia* in Deo pro Deitate: pro Perfectione, in quam, absoluta individue communi tribus Personis, quæ communicata tribus Personalitatibus illas constituit formaliter in ratione vnius Dei: utpotè ratio formalis, & virtus divinarum operationum, & proprietatum. Hanc acceptionem ab alijs distinguit sapienter P. Suárez *lib. 4. de Trin. cap. 6. num. 4.*

4 Notandum secundò: non esse nobis sermonem specialem hic de Essentia, & Natura Dei in primo, aut secundo sensu; sed in tertio. Quam scilicet Dei prædicata, & Perfectiones constituunt essentialiter Deitatem, quæ propriissimè, & Theologicè est Essentia, & Natura Dei: utpotè virtus, & ratio primaria operationum, quæ Deo competunt, ut Deus vnus est, seorsim ab eo, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sit. Ideò dixi potius, *Deitatem* abstractè, quàm *Deum* concretè: quia Deus concretè iam subsistens, dicit formaliter subsistencias relativas ac personales, ut dicimus *disp. sequenti*: Ratio maxima dubitandi est, multiplicado, & varias prædicatos, & Perfectionum Dei, etiam seorsim, in Trinitate Personarum. Quod si hæc non dubitatio

5 Notandum est tertio, varia dignosci prædicata in Deo, Alia, Relativa, quæ sunt ad terminum reales distincti intra Deum, ut Paternitas, Filiatio, Spiritio. Alia, Abso-

luta, idemificata cum tribus Personis sive prorsus intrinseca, ut Omnipotens, & Sapiens; sive partim extrinseca, ut producens gubernans, & loquens ad extra. Alia omnino necessaria, quæ nullatenus potuerunt Deo deesse, ut Omnisciens, Omnipotens, Immensus, Æternus. Alia libera, seu contingencia, quæ virtualiter saltem, & quo ad denominationem, potuerunt non esse in Deo, ut creans decernens Christum, & volens condere mundum. Alia, communia creaturis, ut eas, substantia, spiritus, vivens. Alia specialia solius Dei, ut Ens à se, simpliciter infinitum, essentialiter æternum, immensum, omniscium, omnipotentem. Alia sunt intra Deum vniuersaliora, & vt aiunt, transcendencia, quæ in qualibet Perfectione divina seorsim etiam ab alia refulcent, vt esse ens, esse verum, esse perfectum, & infinitum. Alia non sic transcendencia; quæ scilicet constituunt speciale Attributum, non multiplicatum in singulis pro singulorum multiplicatione, vt esse Omnipotentem, Sapientem, iustum.

6 Notandum quartò ex P. Suar. *lib. 1. de Essentia Dei, cap. 9. num. 6. & 16.* ex Egidio Lusitano *1. 2. tom. 1. lib. 5. quæst. 2. art. 3. num. 6.* & ex nostro Gillio *lib. 2. tr. 1. cap. 6. num. 9.* nos, solitos cognoscere Deum ex creaturis, concipere sapius prædicata Dei ad modum, quo similia reperimus in creaturis. Cum autem in creaturis aliqua prædicata sint semper de illarum substantia, vt in homine esse ens, esse substantiam, esse intellectivum; & in Angelo, esse spiritum, esse Naturam simplicem, esse immortalem; alia verò semper adiaceant accidentaliter substantijs; vt esse sapientem, volentem, sanctum; inde est, quòd nos similia prædicata inuenientes in Deo, illa priora, quæ, quia vbiicumque inveniuntur essentialia sunt, aptè vocat Egidius ex genere suo essentialia; concipimus in Deo quasi de ipsius substantia: ista verò posteriora, quæ, quia non vbiicumque inveniuntur, essentialia sunt, vocat non ex genere suo essentialia; concipimus in Deo, quasi adiacencia substantia, vel Essentia Dei: quamvis specialiter in Deo æque substantia, & essentialia sint.

7 Notandum tamen est quintò ex S. Thom. *1. 2. quæst. 13. art. 3. & 12.* hæc posteriora prædicata, quamvis à nobis concipiuntur ad modum, quo sunt in nobis; at non concipimus esse in Deo eo modo, quo sunt in nobis: illud prius, est imperfectio refusa in modum nostrum concipiendi; istud verò posterior, esset error in concipiendo, refundens

falsò imperfectionem in Deum: quem certò scimus habere ea prædicata, non nostro modo, sed altiori, & eminentiori modo, vt observat idem S. Thom. ad 3. Exempli gratia: afflucti nos concipere in creatis, sapientiam accidere sapienti, concipimus, & dicimus Deum esse sapientem: & hoc dicimus, ac significamus, eodem modo dicendi adiectivo, quo similiter dicimus de homine, esse sapientem: quin tamen perinde dicamus, Deum esse sapientem eo modo, quo homo est sapiens: sicut, ait argutè S. Thom. *In intellectu res materiales intelligit immaterialiter, non quia intelligat, eas esse immateriales.* Itaque aliud est, modos nostros id concipiendi, & significandi de Deo, & de creatura esse similes; aliud est modum, quo Deus, & modum, quo creatura est sapiens, esse similes: illud prius verissimum est; istud posterius, falsum: quia quamvis concipiamus, & dicamus, *Deus, est sapiens*, eo concipiendi, ac dicendi modo, quo concipimus, & dicimus, *homo est sapiens*; Deus tamen non est sapiens eo modo, quo homo est sapiens; sed eo modo, quo homo est substantia, & rationalis, scilicet essentialissimè, substantialissimè, & intimissimè. Sic etiam imperfectissimè cognoscimus, Deum esse sapientem, & volentem, id enim est imperfectio nostra; non verò cognoscimus Deum esse sapientem, & volentem imperfectissimè: id enim esset error falsò affingens Deo imperfectionem. Hæc qui diligenter, ut oportet, animadvertat, ediscet Philosophari cum debita discretionem eorum, quæ se tenent ex parte nostri modi concipiendi, ab ijs, quæ se tenent ex parte obiectorum.

8 His notatis, convenimus primò in eo, quòd Perfectiones ex genere suo essentialia, quæ scilicet in substantijs etiam creatis sunt ipsarum Essentia, & Natura, vt esse ens, substantiam, viventem, spiritum, & alias huiusmodi; in Deo quoque repertæ spectant ad Essentiam Deitatis. Convenimus secundò in eo, quòd eiusmodi prædicata non sint adæquata Essentia Dei: cum enim sint quæque communia multis creaturis, non dicunt formaliter rationem differentialem, qua Deus discernitur à creaturis. Quæritur ergo conceptus adæquatè essentialis, & differentialis Deitatis, in quo stat Essentia, & Natura specialissima Dei, contrapositè ab omni alio, à quo distinguitur Deus. Tres sunt præcipuè circa hoc Authorum Classes, quamvis intra singulas varij deinceps modi subortiantur sententiæ, & loquendi.

9 Prima Classis est eorum, qui pro

Essentia metaphysica Dei assignant differentialiter aliquod ex prædicatis, quibus Deus differt ab omni realiter non Deo; communibus tamen omnibus Perfectionibus increatis intra Deum. Undè, aut constituunt Deum per *Ens à se*, vt Bañez, Alvarez, & Legionensis: aut per, *Ens infinitum*, vt Argentinus, & fortè Scotus: aut per *Ens necessarium*, vt alij: quos omnes recenset Hemelman *Tit. 4. disp. 1.* Et cum illis sentire videtur Gillius, & Iosephus Augustinus *1. p. 9. 14. art. 4. dif. 2.* Ferrerius *disp. 2. cap. 4.* Haunoldus *cap. 1. contr. 3. num. 54.* Loquens de conceptu quidditativo Dei in ratione Essentia, & Franciscus de Lugo *disp. 16.* loquens tamen etiam de Essentia contrapositè ad Naturam cum Cornejo apud Godoy cit. *num. 1.*

10 Secunda Classis est eorum, qui pro ratione adæquatè primariâ differentiali Deitatis assignant specialem aliquam Dei perfectionem in aliqua lineâ, non communem, seu transcendentem per alias Dei Perfectiones. Eam esse *intellectivum*, vt quod, seu per modum actûs primi volunt Albertinus, Arrubal, Curiel, gravesque alij Magistri, quos citant, & sequantur Borrull *disp. 5. sect. 6.* & Godoy *disp. 4. §. 12.* Alij communissimè præsertim RR, volunt esse *æqualissimam, & purissimam inellectionem*, vt Herize *disp. 3. Fasolus quæst. 4. art. 2.* Magister Lumbier *9 5. art. 1.* Platelius *part. 1. cap. 1. num. 22.* Didacus de Avendaño *tom. 1. sect. 2. probl. 1. §. 2.* Haunoldus *num. 66.* loquens de conceptu quidditativo Dei in ratione Naturæ: Alòs in Selectis multos citans ex nostris, & latè Hemelman. *cap. 2.* citans alios: & ex Thomistis Ioan. à S. Thom. Carmelitani Discalzeati, & Gonetus, alios citans, *disp. 2.* Alij volunt esse *intellectivum, & volitivum radicalia* simul: vt Aiosus *disp. 5. de Trinit. sect. 2.* Alij *intellectionem, & volitionem actuales* simul: vt Zuñiga, quem & alios citat, sequiturque Martinus Perez *disp. 11. de Trinit. sect. 6.*

11 Tertia Classis est eorum, qui præter intellectionem, & volitionem assignant eodem iute: pro Essentia etiam metaphysicâ Deitatis, alias quoque Dei Perfectiones absolutas, vt Omnipotentiam Sanctitatem, Immensitatem, Æternitatem, & vno verbo, complexum ex cunctis divinis Perfectionibus Absolutis necessarijs. Ita Molina, Valentia, Becanus, & alij apud Fasolum *dub. 3.* in quibus tamen non ita clarè ac ipse cuperem, legitur hæc sententia. Melius citantur pro ea Eximius Doctor, eam expressissimè, & expresso tenens *lib. 1. de Essentia Dei, cap. 13.*

Montoy.

Suarez.

Infra disp. 6.

Suarez. Egid. Gillius.

S. Tho.

Bañez. Alvar. Legion. Argenta. Scot. Hemel. Gillius. Aug. Ferrer. Haunol. Lug.

Albert. Borrull. Godoy.

Herize. Fasol.

Aios. Hemel. Io. à S. T. Lumbier. Platelin. Discalzo. Gonet. Aiosus. Zuñig. Mart. Perez. Haunol.

Molina. Valent. Becan.

*Sum. Albiz. Coninch Ribad. Perez. Egid. Mont. Amicus Quiros. Bugis Recup. Mart. Rhod.*

& disp. 30. Metaph. sect. 6. Albiz. & Coninch. de Trin. Ribadeneyra disp. 3. de Volunt. Dei. Antonius Perez disp. 2. de Volunt. Dei. cap. 1. Egid. Lufit. lib. 5. q. 3. artic. 3. §. 4. & q. 4. art. 3 & q. 7. art. 1. §. 4. Montoy. disp. 8. de Trinit. à sect. 5. Amicus tom. 1. disp. 3. sect. 3. & 4. Bugis lib. 3. de Deo, cap. 5. & latè Quiros tom. 1. in 1. part. benè citans Recupitum, & Martinon: quibus addo P. Rhodes disp. 1. de Deo, q. 3. & perdoctos nostræ Provincie Magistratos.

SECTIO II.

AN, ET IN QVO SENSU conceptus Entis à se, aut Infiniti, aut Necessarij, sufficiens sit ad constituendam Essentiam Metaphysicam DEI.

12 SVB hoc titulo veniunt examinanda sententia Authorum, quos in prima Classe recensuimus num. 9. Solent impugnari, quia illi conceptus, Entis à se, Entis Infiniti, Entis Necessarij conveniunt quicumque divinæ Relationi formaliter, prout condistinctæ ab Essentia, & Natura absoluta Dei: ergo nullus illorum est conceptus adæquatus Essentiæ Dei. Respondent harum sententiarum Patroni, se loqui de Ente à se etiam virtualiter: hoc est, de ratione illa Entis divini, quæ nec virtualiter præsupponit radicem vnde dimanet: hæc autem ratio non convenit Relationibus, nec Attributis, quæ virtualiter, aut saltem per rationem dimanant ab aliqua Perfectione Dei præsupposita. Ut verum fatear, Authores secundæ Classis, admittentes, Attributa, & Relationes esse virtualiter ab alio, & volentes, Essentiam metaphysicam Deitatis adæquate constituere per conceptum divinum, qui non supponat alium, nunquam impugnant hæc responsoria, nec probant hæc sententias non esse meliores suâ.

13. Triplex mihi sensus occurrat, in quo queri potest, quid sit Deus? Primum, quid dicatur essentialiter, & quidditative, hoc concretum, Deus: In hoc autem, septimum dubio, Deum dicere essentialiter, hoc est, ut securus loquens; quid dicitur, Deitatem; & substantiam, quæ sit non deum. Absoluta, ut videbimus disp. 6. erit aliqua Relativa, ut dicitur monit. Aiolus disp. 10. de Trinitate, sicque, & Relationes etiam ingredientur constitutum Dei. Præsens tamen quæstio non procedit in hoc sensu: solum enim quæ-

rimus prædicatum, quod in eo concreto, Deus, est Essentia, sive Natura Dei individue communis tribus Personis, & contrapositæ ad substantiam, seu Personalitatem: quod est querere Essentiam Deitatis, ex quo, & ex substantia constituitur concretum, Deus.

14. Secundus sensus esse potest: quis sit conceptus, ratione cuius quidquid realiter est Deus constituitur in esse Entis divini, seu increati cum sufficienti, & clariori discrimine ab omni Ente non divino? Et in hoc sensu non negarem, eos conceptus Entis à se, Entis Infiniti, seu Entis Necessarij, esse satis aptos pro constituenda quidditate Dei, hoc est omnis Entis divini, seu omnis perfectionis, quæ realiter est Deus contrapositæ præcisè alijs rebus, quæ nec realiter sunt Deus. Cæterum sub his conceptibus veniunt, non solum singula Attributa, sed etiam Relationes: sunt enim verè Ens divinum, & realiter Deus, ac proinde verè Ens infinitum, necessarium, & à se: imò, & apud multos tot Perfectiones infinitæ, necessariæ, & à se, quot sunt Attributa, & Relationes. Sicquæ omnia Attributa, & Relationes considerantur ad instar individuorum, ut ita dicam, respectu rationis Entis à se ab ipsorum differentijs abstractæ: sicut admirativum, risibile, rationale, & animal respectu rationis entis, seu prædicati humani, quæ potest abstrahi ab illis.

15. Juxta hunc ergo sensum dici potest, conceptum Entis à se, seu substantiæ infinitæ, seu spiritus necessarij, esse metaphysicam Essentiam Dei; scilicet, conceptum quidditativum, quo omnis perfectio, quæ realiter est Deus, contrapositæ ad omne, quod non est Deus, constituitur in esse Entis divini, seu increati. Existimo equidem, hunc sensum esse nobis satis frequentem, dum de Deo loquimur intenti ad discrimen Dei à creaturis; esse tamè sensum magis metaphysicam, quam Theologicum, & prorsus alienum à sensu præsentis quæstionis: in qua potius disputatur de Essentia; & Natura, sive Quidditate Dei: non solum contrapositæ ad creaturas, sed contrapositæ etiam ad alias Dei Perfectiones, quibus ex phrasi SS. Patrum, & communi sensu Theologorum, id non ita competit.

16. Tertius ergo sensus magis Theologicus est: quænam Dei Perfectio sit in Deo conceptus essentialis, & quidditativus Nature, & Essentiæ Deitatis individue unius in tribus Personis, contrapositæ etiam ad alias divinas Perfectiones, quæ aut in individue

communes non sunt, aut à Sanctis PP. & Theologis non veniunt nomine Nature, & Essentiæ absolute Deitatis.

17. In hoc autem sensu Theologico, qui proprius est huius loci, non placent prædicti Authores, assignantes pro Dei Essentia solum conceptum Entis à se, aut Entis infiniti, aut Entis necessarij. Ratio mihi est. Quia vel assignant rationem Entis à se, sumptam ex mente Sanctorum Patrum pro summa necessitate essendi excludente aliud, à quo causetur: vel sumptam ex impositione recentium Scholasticorum pro excludente etiam intra Deum radicem, seu principium, à quo virtualiter, vel per rationem dimanet.

18. Si dicatur primum, competit ea ratio etiam Relationibus divinis: quas, utpotè non individue communes Trinitati, excludendas esse à ratione Nature, & Essentiæ Deitatis non solum metaphysicæ, sed etiam physicæ sumptæ, ostendimus sectione 5. Addo, sic concedendas fore in Deo tres Essentias, tres Naturas, & tres Deitates realiter distinctas, ab omnibus illis, qui eos conceptus ponunt in Deo transcendentem, ac proinde non individue communes tribus Personis; sed communes universaliter tribus, sicut conceptus, & ratio Personæ. Id quod Fidei maximè consonat. Quodsi, Relationibus exclusis, assignatur pro Essentia Dei aliqua specialis Perfectio ex illis, quæ sunt Ens à se; querimus, quænam ista sit specialiter? nam ea ratio Entis à se, seu necessarij, specialis non est, sed omnibus divinis Perfectionibus, etiam Relativis, æque competit.

19. Si dicatur secundum, recedit plane eiusmodi explicatio à sollicitate, quæ Theologi graves, & SS. PP. constituunt Deum per Ens à se, nisi Scripturæ Verbis, Exod. 3. Ego sum qui sum: Qui est, missi me: quibus utique, nec in mentem venit virtualis hæc afeitas supra realem leviter excogitata, per quam solidissimus sensus SS. PP. degenerat in inane subtilitatem. Præterea recidit ea explicatio in difficultatem de Principijs, seu radicibus virtualibus: & ego quidem iam supra telexi disp. 4. & infra quoque rejiciam disp. 7. omnes eiusmodi emanationes, principia, & radices virtuales, imò & per rationem non fingentem. Unde, omnia divina, etiam Relativa, sunt Ens à se: non solum realiter, sed, ut aiunt, etiam virtualiter: hoc est nec virtualiter ab alio causatum; aut, sicut explicui disp. 2. num. 8a. nec virtualiter ab alio neutraliter: quod dico prop-

ter Relationes, Filiationis, & Spiracionis passivæ, quæ salvâ perfectissimâ ratione Entis à se, & omnino incausati; aliquo modo sunt realiter ab alio masculinè, ut ibi explicui; neutiquam verò virtualiter: & Relatio Paternitatis, ac Spiracionis activæ, nullo prorsus modo.

20. Deinde per hanc explicationem diminutè procedunt hi Authores. Quippè, si assignant pro Essentia Metaphysica Dei Perfectionem, quæ sit à se etiam virtualiter; querimus, quænam ista sit inter divinas Perfectiones: an Intellectio? an Intellectivum? an alius conceptus prior? Dum enim id non assignatur, diminutè proceditur. Si verò assignant aliquam ex Absolutis præ alijs, accedunt ad Authores secundæ Classis, statim impugnandos. Si verò, ut mihi de pluribus persuadeo, sub conceptu Entis à se, seu Entis infiniti comprehendunt omnem Dei Perfectionem universalissimè in genere Entis, seu infinitudinem Perfectionis in omni genere, nullâ Dei Perfectione in se formaliter exclusâ; accedunt ad Authores tertiæ Classis, statuentes pro Essentia metaphysica Dei plenitudinem omnis Perfectionis infinitæ: ac proinde omnia Dei Attributa. Sicquæ in re non erunt nobis contrarij: dummodò Perfectiones Relativæ excludant: ut videbimus in sequentibus.

SECTIO III.

INTELLECTIVITAS, SIVE intellectio non est potius Essentia metaphysica Deitatis, quam Voluntas, & Volitio.

21. Conveniunt in hanc conclusionem Authores recensiti pro primâ, & tertiâ Classe: & ex secundâ, Aiolus, Zuñiga, & Mart. Perez. Fundamentum solidum est: quia pro Intellectivo, seu pro intellectione potius, quam pro Voluntate, & volitione, nec stat Autoritas, nec ratio: ergo non est vnde Intellectus, seu intellectio sit Dei Essentia potius, quam Voluntas, seu volitio. Loquimur de Intellectivo; & Volitione necessarijs: né in constitutione liberarum hæreatus, ubi non est opus. Antecedens, quoad priorem Autoritatis partem, probatur comparando inter se Sanctorum loquutiones.

22. S. Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum, cap. 3. ait: Hoc est Deo videre, quod esset, at

Infra sect. 5.

Exod. 3.

Supra disp. 2.

Aiolus Zuñiga Perez.

Fulg.

et similiter respondens alibi ad Arianos ait: *Hoc in Deo, sicut certum est, putatur esse, quod velle.* Si Augustinus sæpe docet, quod in Deo sapere est, idem, ac esse; similiter, *lib. 6. de Trinit. cap. 4.* ait: *Deo hoc est esse, quod est, fortem esse, aut instum esse.* Si S. Anselmus ait, sapientiam esse quidditatem, & ipsum esse Dei: hoc ipsum ait de Iustitiâ, & alijs Attributis, ac proinde de Voluntate, ac Velle, scribens in Monologio, *cap. 4.* de Deo sic: *Summa Natura, summa Essentia, summa Vita, summa Ratio, summa Salus, summa Sapientia, summa Bonitas:* & subiungit, per totum hoc responderi, *quidditativè ad questionem: quid est Deus?* Si Richardus Victorinus *lib. 5. de Trinit. cap. 9.* ait, nihil aliud est ibi sapere, quam esse; similiter *cap. 10.* ait de Personis: *numquid earum alicui aliud est esse, quam diligere?* & *lib. 1. cap. 13.* comparans sapientiam, & Potentiam cum substantia Dei, ait: *neesse est, ut illa omnino non sint aliquid, quam ipsa: ubi ly omnino, & ratio Victorini ex contextu, æquè cadunt in Potentiam, ac proinde in Voluntatem, aliaque Dei Attributa; ac in Sapientiam. E contra verò, si Iuxta Synodus, & Damascenus lib. 9. de Fide, cap. 13.* Voluntates Christi, quorum una, divina est communis tribus Personis, vocant *Proprietates Naturarum;* similiter inter Proprietates numerant Sapientiam, sicut Voluntatem, intelligere, sicut Velle, quæ vocant *Operationes Naturarum.* Præterea, si alij PP. dicunt, Sapientiam, seu intellectionem esse substantiam, & Essentiam Dei, aut Personarum; similiter S. Basilius *lib. de Spirit. S. cap. 9.* ait de Filio: *cui bonitas est ipsa Essentia;* & *lib. 2.* contra Eunom. ait de Spiritu Sancto: *Sanctitas ei Natura est, sicut Patri etiam, & Filio.* & S. Dionysius, apud Montoyam *disp. 8. sect. 5.* ait: *ipsa quoque bonitas, divinam totam Essentiam, quidquid tamen sit, definiens, atque enuntians.* Denique, si S. Thom. ait, quod intelligere Dei est eius substantia, eius Essentia, eius esse; similiter *1. p. q. 19. art. 1.* ait de Deo: *Sicut suum intelligere est suum esse, ita, & suum velle.* & *4. contr. Gentis, cap. 19.* *Voluntas Dei est substantia Dei, sicut intellectus Dei: & velle Dei est eius esse.* Quod si *1. part. q. 19. artic. 2.* ait: *Licet divinum velle sit eius esse secundum rem; tamen differt ratione;* similiter *q. 26. art. 2.* ait: *in Deo non esse aliud esse, & intelligere secundum rem; sed secundum intelligentiam rationem.*

23 Hæc, & alia qui sincere perpenderit, videbit luce clarius, ex loquutionibus

Sanctorum, & Patrum, nihil potius pro Intellectivo, aut intellectione, quam pro Volitivo, & volitione adduci, ut Intellectivum, seu intellectio præ Volitivo, seu volitione, pertineat ad Essentiam Dei, sive physicam, sive metaphysicam. Quidquid enim distinguas, vel interpreteris pro una, quare non applicabitur alteri? Veniendum igitur est ad rationes.

24 Probatur ergo primum illud nostrum antecedens quo ad posteriorem sui partem à ratione, ex armando Adversariorum Achillem, seu evertendo funditus princeps eorum fundamentum à multicipiti ratione petito, quod est huiusmodi. Intellectivo, seu intellectioni Dei potius, quam Volitivo, aut volitioni, aut cuilibet ex alijs divinis Perfectionibus, conveniunt ex omni capite requisita ad formalissimum, & metaphysicum constitutum Deitatis: ergo Intellectivum, seu intellectio à se est potius, quam quilibet alia Perfectio, Essentia metaphysica Dei. Antecedens probant per quinque capita sic. Nam primò, Intellectus, seu intellectio à se est conceptus specialis non transcendens per omnes alias Dei Perfectiones. Secundò, est conceptus adæquatus in aliquo gradu vitæ, scilicet intellectivæ. Tertio, est radix cæterorum. Quarto, est prior alijs conceptibus repertis in Deo. Quintò, est conceptus nobilior volitivo, & alijs. Ergo stant pro Intellectu, seu intellectione, potius quam pro voluntate, & volitione, & requisita, ex omni capite, quæ ad metaphysicum Deitatis constitutum exigi solent.

25 Quiescunt multi pacatissime, ac fidentissime in hoc discursu: cui, & ipse quoque acquiescebam olim; postea verò, re maturius consideratâ, ex omnibus illis ipsis quinque capitibus illum vitiatum, & ruinofum deprehendi: ut mirum sit, ex tot discerniculis conglobatis in vno antecedente, nullum omnino esse, quod aut falsò, aut gratis non assumatur, aut quod intentum medio-criter suadeat: ut ipsimet absque dubio viderent, nisi supponere, quam probare maluissent, quod ad rem maximi intererat.

26 Primò quidem circa primum caput, non mihi negabitur, in eo pares esse Intellectum, & Voluntatem, seu intellectionem, & volitionem Dei: neutra enim est prædicatum transcendens, per omnes alias Dei Perfectiones, ut est prædicatum Entis, substantiæ, perfecti, existentis, & alia huiusmodi: vtraque est conceptus specialis seorsim: nec est imaginabilis sensus aliquis, in quo una illarum transcendat ad omnia divi-

na; quo similimè altera non transcendat: ergo ex hoc capite nihil habet Intellectus Dei præ Voluntate; nec intellectio, præ volitione pro constituendâ Essentiâ Dei.

27 Secundò circa secundum caput, æquè certum est, Voluntatem, & Volitionem suam etiam adæquare gradum vitæ in lineâ volendi; sicut intellectus, & intellectio suam in lineâ intelligendi: ergo ex hoc quoque capite pares omnino sunt. Si dicas, apud aliquos Scriptores nomine vitæ intellectivæ, seu rationalis comprehendi intellectivam, & volitivam; verum est; sed quid inde? inferri potius exinde deberet, quod quando hi Scriptores Deum constituunt per vitam intellectivam, hoc nomine significant æquè volitivam: cum ex vtraque coordinent gradum adæquatum vitæ rationalis, seu intellectivæ. Undè, sive illas comprehendas nomine vitæ intellectivæ, aut rationalis, sive alio quocumque nomine, complexum ex illis duobus lineis est conceptus adæquatus gradus: vitæ intentionalis spiritualis potius, quam alterutra ipsarum: & in sua alterutrius lineâ quilibet ipsorum adæquat suum gradum; una, vitæ intellectivæ; alia, volitivæ: ergo in hoc omnino pares sunt. Addo, multos, qui cum Godoy, nolunt metaphysicam Dei Essentiam esse totam lineam intelligendi divinam, sed specialiozem aliquam intellectionem, nihil ex hoc secundo capite, pro se arguere posse.

28 Tertio circa tertium caput, negari potest imprimis omnis ratio radice in aliquibus Perfectionibus divinis respectu aliarum, non realiter productarum, de quo *disp. 7. sect. 2.* Deinde, data ea ratione radice in intellectu, seu intellectione respectu volitionis: at respectu Volitivi, sicut & respectu Omnipotentia, Immensitatis, aliorumque Attributorum, gratis, & prorsus absque specie fundamenti imponitur, ut expendemus *sect. sequenti.* Insuper: adhuc permilla ea ratione radice in Intellectivo, seu intellectione respectu aliarum Dei Perfectionum, non sit perinde, Volitivum, aliasque Dei Perfectiones non esse de conceptu Essentiæ metaphysicæ Dei. Tum quia multi ex Adversarijs, admittentes in Deo actum primum, & secundum intelligendi, constituunt metaphysicè Deum per vtrumque: cum tamen unus asseratur radix alterius. Alij, negantes actum primum, constituunt Dei Essentiam per adæquatam lineam purissime intelligendi: in qua tamen lineâ sunt multæ intellectiones, quarum aliqua posterior, non solum alijs intellectionibus; sed etiam aliqui-

bus volitionibus, radicatur, ut aiunt, in alijs prioribus. Et quidem omnes illi constituunt metaphysicè Patrem, ex Natura, & Paternitate, ortâ, ut à radici virtuali, iuxta ipsos ab ipsâ Natura. Familiare ergo cum sit, etiam Adversarijs, adæquare conceptum Essentiæ metaphysicæ ex multis prædicatis, quorum aliqua radicantur in alijs; non est certè cur ex hoc capite radice deferant Intellectivo, seu intellectioni totam rationem constituendi metaphysicè Deum seorsim à Volitivo, & volitione. Cur, inquam, non ex vtrisque, quantivis vnum sit radix aliorum? Hoc vrgebitur *num. sequenti.*

29 Quarto circa quartum caput, dico eadem quæ circa tertium. Et addo materiam esse priorem formâ; non solum ratione, aut virtualiter; verum etiam physicè, & realiter: & tamen ex materia priori, & ex formâ posteriori constituitur æquè essentialiter homo. Dices: hoc esse physicè. Contra: si enim non est contra rationem Essentiæ physicæ realiter sumptæ, quod aliquid ipsius supponat aliud ipsius physicè, & realiter: ergo, nec quod vnum prædicatum supponat aliud virtualiter, aut per rationem metaphysicè, erit contra rationem Essentiæ metaphysicè sumptæ: ut potè constitutæ per prædicata priora, & posteriora. Patet etiam in Essentia syllogismi adæquatâ ex præmissis prioribus, & conclusione posteriori, & ut nuper etiam vidimus, in quidditate metaphysicæ Patris Divini ex Deitate priori, & Relatione Paternitatis posteriori. Respondit quidam, esse de Fide, Personas habere eandem essentiam, & sic de Essentia Patris non esse Paternitatem; bene verò, de quidditate Patris: hic autem non esse questionem de Essentia sumptâ pro quidditate. Intactâ relinquit responsio nostram paritatem. Bene distinguit in divinis inter Essentiam, & quidditatem, ut notabamus *sect. 1. num. 3.* Bene ait, Personas habere vnam Essentiam, & in hoc sensu Paternitatem non esse formaliter Essentiam. At bene quoque ait Quidditatem metaphysicam Patris, præter Naturam, dicere Paternitatem. Nunc sic: Quidditas metaphysica Patris dicit Naturam, & Paternitatem, illam per vos nobiliorem, priorem; & radicem; istam, posteriorem, minus nobilem, & virtualiter radicatam in Naturâ: ergo quod intellectio sit nobilior prior, & radix Volitionis, non est bona ratio, quominus vtrique intrer essentialissimè Quidditatem metaphysicam Deitatis: Quidditas autem metaphysica Deitatis est Essentiæ formalissima Dei, ut nemini debet esse dubium.

August.

Ansel.

Richard.

Sexta Synod.

Damasc.

S. Basili.

S. Dion.

Montoy.

S. Thom.

Godoy.

Infra disp. 7.

Supra sect. 1.

bium. Et ratio est plana: quia quoddam unus conceptus sit prior alio, facit, quod posterior non sit de quidditate prioris; non verò, quod ex utroque, vno priori, & alio posteriori, non constituatur aliqua Essentia metaphysica complectens æquæ essentialiter verumque.

30 Quæritò denique circa quintum caput, præterquam quod iam illud confregimus *disp. 3. sect. 7.* vbi defendimus, cunctas Dei Perfectiones esse formaliter æquales, ac proinde Intellectivum Dei non esse perfectius Volitivo; sunt præterea Authores gravissimi plusquam decem apud *Ægid. Lufitanum lib. 4. q. 10. art. 4.* iudicantes, nec ex genere suo Intellectivum esse perfectius Volitivo; imò Voluntatem esse perfectiorem intellectu. Quod si præ oculis habuissent multis non tanquam certum, & sine probatione sibi assumerent, aut alijs dividerent, Intellectivum esse perfectius Volitivo: quo tamen ipsis probabilissimè negato, corrui ista prælatio Intellectivi præ Volitivo ex hoc tertio capite maioris perfectionis ad constituendam Essentiam Dei. Quidquid verò de hoc sit; certum planè omnibus esse debet, Intellectivum Dei non esse prædicatum perfectius, & nobilior complexo ex Intellectivo, & Volitivo: ergo, adhuc dato, quod Intellectivum esset perfectius, Volitivo; at non est perfectius complexo ex Intellectivo, & Volitivo. Itaque, quamvis ex hoc capite Intellectivum deberet esse conceptus Essentiae Dei præ solo Volitivo; non certè præ complexo Intellectivi, & Volitivi: quod utique complexum non est minùs perfectum, ut est per se notum.

31 Dices: quando aliquod complexum differentiale constat ex prædicatis magis, & minùs nobilibus, sola nobiliora adæquant Essentiam metaphysicam, exclusis minùs nobilibus, tanquam proprietatibus, ut videre est in complexo ex rationali, & risibili respectu hominis. Contra in eodem homine. Quamvis virtus evidenter discursiva sit formaliter nobilior, quam probabiliter discursiva; rationale tamen, quod est Essentia metaphysica hominis; ex æquo complectitur utramque; quamvis eminentia productiva Angeli sit; per vos, nobilior eminentiâ productivâ lapidis; utraque tamen æquæ essentialiter clauditur in conceptu metaphysico Omnipotentiae: ergo sæpè adæquata Essentia metaphysica rerum stat in complexo prædicatorum nobiliorum; & minùs nobilium. Quod item videre est in conceptu metaphysico materiæ primæ constitutæ æquæ

essentialiter per ordinem ad formas substantiales, & ad accidentales: & in conceptu differentiali metaphysico hominis, complectente essentialiter iudicativum, apprehensivum, & discursivum inter se formaliter inæqualia, non minùs, quam intellectivum, & volitivum Dei iuxta Adversarios.

32 Duas illas primas meas instantias obiecit sibi doctus Recentior: & ad primam nihil respondit, aut quia illam iudicavit indignam responsione, aut quia non invenit responsionem dignam. Ad secundam respondit per quæstionem, dicens, Omnipotentiam sumi, ut aggregatum quoddam; aggregatum autem suis constat partibus, & per illas definitur; Essentia verò metaphysica, inquit, non est per modum aggregati. Profectò in hac ipsissima quæstione versamur: cur differentia metaphysica Omnipotentiae non sit sola eminentia nobilior exclusis tanquam proprietatibus eminentias minùs nobiles; imò sit complexum, seu aggregatum ex nobilioribus, & minùs nobilibus; & non sic dicere liceat in Essentia metaphysica Deitatis? de qua, quod contendo est, debere esse complexum ex Intellectivo, Volitivo, & alijs multis Perfectionibus, quantumvis, ut nunc permitto, inæqualibus. Agit deinde contra me: si enim, per me, istud complexum ex Intellectivo, Volitivo, & alijs non est perfectius solo Intellectivo; cur ad Essentiam Dei adiungo Volitivum, nisi ut definitio Dei vitiosè degeneret in descriptionem? Respondeo, me non id emeriri ex perfectioritate; sed ex eo, quod non sit potior ratio pro Intellectivo, quam pro volitivo, & alijs. Et doleo, Adversarium iuxta suum dictum, impotem se fecisse definire Omnipotentiam, nisi vitiosè. Quod si illam non vitiosè definit, dum illam definit per complexum omnium eminentiarum; cur similiter sine vitio non poterimus definire Deitatem per prædicatum complectens multas Dei Perfectiones, quantumvis inter se formaliter disparas? Nostram definitionem metaphysicam Dei leget *sect. 6.* & vitium notabit, si potest, & corriget, si quidquam reprehensibile deprehendat.

33 Dicunt alijs, differentiam metaphysicam debere esse adæquatam in suo gradu, quamvis complexo ex formalitatibus inæqualibus: si autem à differentia hominis, quæ est rationale, excludatur apprehensivum, seu probabiliter discursivum, non erit adæquata in suo gradu; sicut neque in suo gradu omnifacitivæ Omnipotentiae, si excluderetur eminentiâ lapidis: idèdè hi quoque concep-

tus minus nobiles admittuntur in illis Essentijs. At intellectio iam est adæquata in suo gradu, seu genere intellectivo, seclusâ volitione: idèdè non est cur volitio intret cum illa Essentiam metaphysicam Dei. Expressimus, ni fallor medullam Opinionis adversæ.

34 Contra tamen. Quamvis sine conceptu probabiliter discursivi non sit adæquatus gradus rationalis, nec sine eminentijs reproductivis lapidum gradus Omnipotentiae productivæ, & reproductivæ; bene verò gradus evidenter discursivi, & gradus Omnipotentiae primo productivæ: at tamen homo non constituitur per solum gradum evidenter discursivi, per quem satis ab omnibus differret, sed per gradum complexum ex evidenter, & probabiliter discursivo: & Omnipotentia per gradum adæquatam complexum ex productivo, & reproductivo spiritali magis nobili, & materialium minùs nobili: ergo quod intellectio sit gradus adæquatus intelligendi, non est sufficiens ratio, quominùs differentia metaphysica essentialis Dei adæquetur ex gradu adæquato Intellectivo, & adæquato Volitivo, per gradum complexum totius vitæ intentionalis divinæ.

35 Insuper. Vel intellectio, quæ sit adæquata Essentia Dei, est omnis divina Intellectio; vel, ut malunt alijs, est sola Intellectio primarij prædicati divini? Si secundum: ergo non constituitur Deitas per adæquatam gradum intelligendi. Si primum: ergo constituitur per complexum ex multis divinis Intellectionibus, perfectione, ut dicitis, formaliter inæqualibus: ergo perfectioritas, seu nobilioritas Intellectionis præ Volitione, & præ alijs, non oberit, quominùs complexum ex illa nobiliori, & alijs minùs nobilibus adæquet Essentiam metaphysicam Deitatis.

36 Nec officit, quod illæ Intellectiones non distinguantur virtualiter, sicut Intellectio, & Volitio. Primò: quia multi ex Adversarijs non magis distinguunt Intellectionem, & Volitionem, quam Intellectiones inter se. Secundò: quia ea maior distinctio, adhuc permessa, non est ad rem: maior enim vel minor distinctio duorum conceptuum nihil præstat ad hoc, ut alter, neuter, vel uterque, constituat unam Essentiam metaphysicam. Certè Essentia physica hominis involvit partes, & unionem, sive realiter, sive modaliter distinctas: quidditas Patris divini, Naturam, & Relationem, sive virtualiter, sive aliter distinctas: Rationale, quod est

*Mnieffa Disp. Scholast.*

differentia metaphysica hominis, iudicativum, apprehensivum, & evidenter, ac probabiliter discursivum, sive isti conceptus distinguantur ex natura rei, sive virtualiter, sive obiectivè, sive ex modo tantum concipiendi, iuxta varias Sententias, in hoc tamen concordet, quod ex illis conceptibus quomodolibet invicem distinctis adæquatur differentia metaphysica: ergo, quia omnibus indubium est, eam maiorem, aut minorem distinctionem impertinere prorsus ad hoc, ut potius ex formalitatibus plurium Intellectionum, quam ex formalitatibus Intellectionis, & Volitionis adæquetur Essentia metaphysica Dei. Undè minus placet perdoctus P. *Borrull* Borrull, ratus *Disp. 5. de Attributis, sect. 7. num. 91.* existentiam esse de Essentia metaphysica Dei, si virtualiter indistinguitur; non verò si virtualiter distinguitur à conceptu substantiæ Intellectivæ divinæ. Certè ad id, nec distinctio realis existentiae à substantiâ esset è re.

37 Obijcit Gonetus *s. 3. in fine.* Si intelligere, & velle æque constituerent divinam Naturam, Spiritus S. ex vi suæ processionis acciperet divinam Naturam: ergo eius processio esset generatio, sicut processio Verbi, quod est contra Fidem. Confirmant id Recentiores nostri: quia, assignatâ Intellectione præ Volitione pro Natura Dei; est in promptu discrimen, cur secunda Persona sit Filius: quia nempe accipiens ex vi formalis processionis intellectionem, acciperet ex vi formalis processionis divinam Naturam; potius quam tertia Persona, accipiens ex vi formalis processionis Volitionem, quæ non est ita Natura Dei: atqui, si utraque, scilicet Intellectio, & Volitio, est æquæ Natura Divina, nequit stare hoc discrimen: ergo nullum. Et pro hoc discrimine allegant P. Suar. *lib. 11. de Trin. cap. 5. Sect. 1. in fine.* queretur deinde, utramque processionem esse per Naturam, quæ fuit temeritas Durandi, reiecti propterea à reliquis Theologis in Tractatu de Trinitate. Confirmant secundò: quia S. Tho. *1. part. q. 27. art. 2. sect. 1.* arguit, Verbum procedens per intellectionem procedere in similitudinem Naturæ; & esse Filium, quia intelligere Dei est esse Dei: atqui hæc ratio non valeret, si intelligere non esset potius esse Dei, quam velle: ergo est potius Essentia, quam Volitio. Confirmabis tertio: quia nomen, *Deus*, ethimologiam ducit potius à Sapientia, quam à Voluntate, ex S. Thom. *q. 13. art. 8.* ergo, quia Essentia Dei est potius Sapientia, seu Intellectio, quam Voluntas, Amor, seu Volitio.

L

Ref:

38 Responderetur, concessio antecedente, negando consequentiam: nam quod processio Verbi, & non Spiritus Sancti, sit generatio, non sumitur ex eo, quod per illam, & non per istam accipiatur Natura: per utramque enim accipitur Natura Divina ex vi processionis: cum ex vi processionis utraque Persona sit Deus. Sumitur ergo ab speciali modo accipiendi Naturam: vel potius ab eo, quod Verbum procedat propagativum Naturæ Paternæ in aliud suppositum; non verò Spiritus Sanctus: de quo incidenter *disp. 8. sect. 3.*

*Infra disp. 8.*

*Suar.*

39 Ad primam confirmationem factor nullum fore tale discrimen, inde videlicet peritum, quod Intellectio præ Volitione sit Natura Dei. Pater Suar. illud refert loco citato *num. 19.* ut iam etiam retulerat *d. sp. 30. Met. sect. 16. num. 12.* tanquam ex aliorum Sententia: postquam ibidem aliud approbaverat *num. 15.* & in loco citato *Met. num. 13.* istud reiecerat, ex eo præsertim, quod non minus velle Dei, quam intelligere Dei, sit de Essentia Dei, clarè loquens de Essentia metaphysica. Legatur, precor, solito diligentius in dictis locis. Aliud ergo, quam ex hac prælatione Intellectionis præ Volitione in constituendâ Essentia metaphysica Dei, pendendum est discrimen, cur processio Verbi potius, quam processio Spiritus Sancti, sit generatio. Ubi duo notata velim. Primum, quod discrimen tantum ponderis in Fide, & Theologiâ non debuit fundari in doctrinâ aded infirmâ, & labili. Secundum: insufficienter Theologizare satis multos, qui cum in Materia de Trinitate totam rationem illius sui discriminis fundent in hac doctrinâ de Essentia Dei constitutâ potius per intellectionem; huius tamen doctrinæ, ut aliquam dent rationem congruentiæ, recurrunt, hinc inde circumveando, ad illud discrimen, quod solidum esse negamus. Nostrum insinuabo *disp. 8. sect. 3.* occasione distinctionis Intellectionis divinæ à Volitione, ut sine prælatione, & distinctione virtuali illius ad istam, pedem solidè figamus in assignanda ratione firmâ, cur potius processio Verbi sit generatio: aut cur tertia Persona, non sit Filius, cum tamen procedat similis in Natura Principio suo Vienti, non minus, quam secunda.

*Infra disp. 8.*

*S. Thom.*

40 Ad secundam confirmationem dico, discursum S. Th. non esse ex eo, quod intelligere Dei præ velle Dei, sit esse Dei: cum *q. 19. art. 1.* in corpore dicat: *Sicut sumum intelligere est sumum esse, ita & sumum velle: sed ex eo, quod intelligere, potius quam velle, sit assimilativum; & cum in Deo in-*

telligere sit substantiale, utpotè ipsum esse Dei, est perfectissimè assimilativum, ideòque Verbum procedens per Intellectionem dicit specialiter rationem aliquam similitudinis, seu assimilationis Naturæ Paternæ potius, quam Spiritus Sanctus procedens per Volitionem: non quidem ex eo, quod volitio non sit æquè de Natura Patris, ac intellectio; sed ex eo, quod ex proprio conceptu non sit assimilativa, sicut intellectio. Hic est discursus S. Thomæ, ut videre est etiam apud ipsius Interpretes. Quid habeat veri ad solidum discrimen divinæ Generationis, hic non decido, eo contentus, quod perinde non arguatur, intelligere potius, quam velle, esse de Essentia metaphysica Dei. Undè neganda est minor secundæ confirmationis.

41 Ad tertiam, dato antecedente, nego consequentiam. Nam undecumque sumat ethymologiam nomen *Deus*, de quo multa ex Damasceno, & alijs S. Thomas dicta *q. 13. art. 8. non est semper idem, ait S. Doctor, id, à quo imponitur nomen ad significandum, & id, ad quod significandum imponitur: nomen, lapis, derivatur à ledendo pede, & significat substantiam lapidis, distinctam à latione pedis.* Undè, quamvis nomen, *Deus*, ethymologicè derivetur ab aliqua Dei Perfectione speciali, significat iam Essentiam Dei secundum eas Perfectiones, ex quibus coalescit, ut ex Augustino præsumimus *disp. 1. num. 1.* Obiectiones aliæ, quæ hic desiderantur, ponentur *sect. 7.* cum solutionibus ad fatietatem.

*S. Thom.*

*August. supra disp. 1.*

SECTIO IV.

**INTELLECTVS, SEV VOLUNTAS non sunt potius de Essentia Dei, quam Omnipotentia, Sanctitas, Æternitas, & alia Attributa.**

42 Conclusio hæc est etiam Authorum primæ, & tertiæ Classis, quos recensuimus *num. 9 & 11.* contra recensitos pro secunda Classe *num. 10.* Probatur: quia quæ diximus de Intellectivo, & Volitione faciunt æquè pro Omnipotentia, Immensitate, Æternitate, & alijs Attributis Dei. Imprimis enim sunt æquè perfecta, ut vidimus *disp. 3. sect. 7.* Deinde, quamvis demus, singula sigillatim non esse æquè perfecta: at cõplexum ex cunctis non est certè minus perfectum Intellectione, & Volitione, aut alio quocumque sigillatim, ut ostendimus

*Supra disp. 3.*

mus à *num. 29.* Et, quamvis demus, aliqua illorum distingui virtualiter ab intellectione, & volitione, eamque præsupponere, non perinde fit, ex intellectione priori, & ex illis posterioribus, & virtualiter distinctis, non constitui æquè essentialiter gradum adæquatam differentiæ metaphysicæ Dei, ut evicimus *num. 28.*

*Supra sect. 3.*

*& 34.*

43 Nec obstat, si supponas, quod alibi disputabimus, Immensitatem, & Æternitatem esse perfectiones transcendentem ad omnia divina etiam Relativa. Nam, si istæ sunt transcendentem, quod tamen negabimus *d. sp. 7. sect. ult.* à fortiori transcendentem sunt rationes Entis, substantiæ, Spiritus, existentia, aeternitatis, & perfectionis: quæ tamen involvuntur in Essentia metaphysica Dei. Respondebis, has rationes non supponere Essentiam Dei constitutam; Omnipotentia verò, Æternitas, & Immensitas eam supponunt, Essentiam constitutam per intellectivum, seu intellectionem. Supponit etiam responsio, intellectivum, seu intellectionem esse totam Essentiam metaphysicam Dei, de qua: est quæstio, & de quo non datur solida ratio. Undè, quamvis græcis demus, hæc Attributa præsupponere intellectivum, & intellectionem, contendimus, non perinde præsupponere totam Essentiam metaphysicam Dei, sed aliquid Essentiæ, ex quo & alijs, quantumvis subsequenteribus, adæquatur conceptus totius Essentiæ metaphysicæ, sæpè coalescens ex multis conceptibus in adæquatis prioribus, & posterioribus, nobilioribus, ac minùs nobilibus, ut ex manifestis instantijs vidimus *sect. 3.*

*Infra disp. 7.*

*Supra sect. 3.*

44 Insuper poto nunc specialiter rationem, cur intellectivum, & intellectio præsupponi debeant ad Omnipotentiam, Immensitatem, Æternitatem, & Sanctitatem physicam Dei. Dices: quia Deus Sapientiæ, & Voluntate suâ dirigit Omnipotentiam. Contra: nam imprimis non valet hæc ratio in Æternitate, Immensitate, & Sanctitate: quæ quidem æquè se habent independenter, seu dependenter ad intellectum, seu Voluntatem Dei, sicut è converso: nec certè conceptus intellectivi, seu intelligentis, est ratio illativa Immensitatis, Æternitatis, aut physicæ sancti, potius quam è contra. Deinde nec valet ea ratio in Omnipotentia: nam licet Sapientiæ, & Voluntatis dirigant Deum ad exercitium Omnipotentia; non tamen ad esse Omnipotentia; quippe Deus, quamvis operetur ad extra, quia novit, & vult operari; non tamen est potens operari, seu Omnipotens, quia novit, & vult esse potentem, aut Omnipotentem: ergo ex directione, & imperio Sapientiæ, & Voluntatis res-

pectu operationum Omnipotentia; quamvis inferretur prioritas illarum ad operationes Omnipotentia; non verò ad ipsam Omnipotentiam: non, inquam, ad Omnipotentiam in esse, sed in operari.

45 Nec ex eo, quod operationes Omnipotentia; præsupponant operationes intellectus, & Voluntas, arguitur benè, Omnipotentiam præsupponere Intellectum, & Voluntatem. Quandoquidem in ipso Deo multas Volitiones divinæ præsupponuntur ad multas Intellectiones: ut patet in decretis præcedentibus Scientiam Visionis; quin perinde Voluntas Dei liberè volitiva præsupponatur ad intellectum potentem habere Scientiam Visionis. Et in Voluntate nostrâ prius esse solet intendere finem, quam eligere mediu; in intellectu prius est iudicare, quam discurre; quin perinde, aut in Voluntate prius sit posse intendere, quam posse eligere; aut in intellectu prius sit posse iudicare, quam posse discurre. Similiter in materia primâ, prius est recipere dispositiones, quam formam substantialem; quin perinde prius sit conceptus receptivæ dispositionum, quam conceptus receptivæ formarum substantialium. Igitur ex prioritate inter actus non benè arguitur idem ordo prioritatis inter potentias, ut ex ipsis Adversarijs benè norunt Borrull, & Alòs: ergo ex eo, quod Intellectio, & Volitio præcedant operationes Omnipotentia; non inferatur intellectionem & Volitionem, aut intellectivum, & volitivum Dei præcedere Omnipotentiam. Ratio pro cunctis est plana: quia sæpè operationes multa dicunt, multa requirant & à multis pendent, à quibus earum potentia; in essendo non pendent. Nulla igitur elucet ratio, cur intellectionem, seu intellectivum titulo vltio prioritatis sit potius de Essentia metaphysica Dei, quam Omnipotentia, Immensitas, Æternitas, Sanctitas, aut aliæ huiusmodi Perfectiones Dei.

*Borrull. Alòs.*

46 Aliam argumentandi formam pro nostrâ conclusione sumo ex P. Suar. Egido, & Gillio citatis. Essentia metaphysica Dei est formaliter ens necessarium simpliciter infinitum: quippe Deus necessarius, & simpliciter infinitus, est: ergo dicit formaliter omne genus perfectionis necessariæ simpliciter infinitæ; ergo dicit æquè formaliter omnia Attributa, quatenus necessarius, & simpliciter infinitus sunt. Illustrissimus Godoy, Gonetus, Lumbier, Arriaga, Borrull, & Alòs, satique communiter Moderni, negant contra Suarez metaphysicam Dei Essentiam dicere formaliter infinitatem in omni genere. Id tamen probò. Primò ex dictis *disp. 3. sect. 3.* de per-

*Suar. Egid. Gillius.*

*Godoy. Gonet. Lumbier. Arriaga. Borrull.*

*Supra d. sp. 3. sect. 3.*

fectione in omni genere, non solum Essentia, sed etiam singulorum Attributorum Dei. Secundò: quia alioquin Essentia metaphysica Dei esset, iuxta Adversantium principia, minus perfecta formaliter, quam Deus, seu quam Essentia physica Dei: quod non aulim dicere, nec puto dici posse, nisi per insignem errorem in concipiendo: sicut neque quod homo, aut corpus, & anima unitim, quæ sunt Essentia physica hominis, sint quid formaliter perfectius animali rationali, quod est Essentia metaphysica. Tertiò: quia infinitudo omnis generis est formaliter conceptus nobilior, quam infinitudo unius generis: sed Deus, iuxta decantatissimum Adversariorum principium, debet metaphysicè constitui per conceptum nobiliorem: ergo per infinitudinem perfectionis formaliter, non solum in vno, sed in omni genere. Nec dubium saltem his Authoribus esse potest, se constituentes Deum per infinitudinem unius generis, non constituere metaphysicè Deum per prædicatum nobilius, quam nos, qui per infinitudinem in omni genere perfectionis simpliciter simplicis complectentem omnia Attributa, Deum formaliter metaphysicè constituimus.

47 Respondit. Quidam, sic non constitui perfecte Deum: quia tollitur ab ipso perfectio fecunditatis, cum tollatur virtualis distinctio intellectiois à Volitione. Nescio equidem à quo doctrinæ nostræ dicto potuit hoc, vel leviter inferri. Imprimis enim, optimè defendi divinam fecunditatem absque virtuali distinctione intellectiois, & Volitionis Dei expendimus *disp. 8.* Deinde sententia, quam adstruimus, solum contendit nunc, Essentiam Dei metaphysicam esse conceptum æquè dicentem Intellectum, Voluntatem, Intellectioem, Volitionem, Omnipotentiam, Immensitatem, Aternitatem, Sanctitatem, & alia Attributa, suo, prout alioquin expedit, modo invicem condistincta: sive ex natura rei iuxta Scotum, sive virtualiter iuxta Thomistas, sive obiective iuxta multos ex nostris, sive ex modo tantum concipiendi iuxta Nominales: quas distinctiunculas nemquam ad præsens punctum prodesse, nec obesse, vel exinde patet, quod multi ex Adversarijs constituunt Deum metaphysicè per gradum intellectiois adæquatum ex varijs intellectioibus Dei, sive etiam modulo iuxta varias Sententias invicem condistinctis. Quid, precor, ad id facti distinctio hæc, vel illa talium conceptuum inæquæquorum? Quinimo, addiderim, quod quantum ad hoc, nec realis ipsorum distinctio obesse, sicut nec i obest distinctio realis Personarum, quoniam Quidam Trinitatis constituantur

physicè per conceptum involuentem Relationes realiter distinctas: nec obest distinctio realis intellectus creati ab intellectioe, quominus intelligens creatum metaphysicè constituitur per conceptum involuentem intellectum, & intellectioem.

48 Responderi verosimilius posset, concedendo, Essentiam Dei metaphysicam debere dicere formaliter infinitudinem perfectionis in omni genere, & negando debere propterea dicere formaliter omnia Attributa: quia ad eam omnis generis infinitatem laeis est dicere Intellectivum, seu intellectioem, quæ, ut suo etiam modo condistincta à reliquis Attributis, est formaliter infinita in omni genere, eo quod formaliter dicat realem identitatem cum reliquis, etiam ut condistinctis virtualiter, quamvis formaliter non dicat reliqua Attributa, ut latè prosequuti sumus *disp. 3. sect. 3.* Hoc mihi placere incipiebat olim: quippè mihi videbar sic componere, Intellectioem, pro qua tunc specialius militabam, esse adæquatam Essentiam metaphysicam Dei, quod alitè infederat ment; & Essentiam metaphysicam Dei dicere formaliter infinitudinem perfectionis in omni genere. Verùm enim verò, postquam vidi, hanc prælationem Intellectiois præ alijs Attributis in munere constituendi Essentiam, & Naturam metaphysicam Dei, ex nullo capite solidè fulciri; & omnigenam illam infinitudinem Volitioni, Omnipotentia, Immensitati, & singulis alijs Attributis æquè ac Intellectioi, competere; vixta mihi fuit insufficiens Intellectio, etiam cum eo omnium illarum identitatum adminiculo adstructa, & considerata, ad constituendum Deum adæquatè metaphysicè: præmaximè cum non magis faciat illa ratio pro Intellectioe, quam pro singulis alijs: ac proinde non excludi debere à constitutivo metaphysico Essentia Dei formaliter alia.

49 Quomodo cum hoc stet in Deo ratio Essentia, & ratio Attributorum, explicabitur hæc *sect. ult. & disp. 7. sect. 1.* ubi solventur obiectiones, quæ huic doctrinæ obstare videntur.



SECTIO

SECTIO V.

PRÆMITTITUR, ET DEFENDITUR Sententia communis circa, Essentiam Physicam DEI.

50 Quamvis Authores communissimè laborent impensius in constituenda Essentia metaphysica Dei; mihi tamen multò difficilius est, constituere Essentiam Dei physicam; quàm, ista semel constituta, metaphysicam. Ab illa ergo physica, velut à fundamento incipiens, duas invenio Theologorum Sententias.

51 Prima docet, Essentiam physicam Dei dicere formaliter prædicata omnia absoluta, & etiam Relativa Dei: vno verbo: quidquid realiter est in Deo. Sic Aureolus, Cayet. Bañez, Valentia, Albi, & alijs apud Montoyam, & Aioium, quibus favere videtur Godoy *d. sp. 4.*

52 Secunda excludit Relationes à ratione Essentia physica Dei. Ita Suarez *lib. 4. de Trin. cap. 5. & 7.* Molin. *q. 28. art. 2.* Montoya *disp. 14:* citans Scotum, Vasquez, & alios: itemque Aiosus *sect. 3. num. 7.* citans S. Tho. & addens, Relationes à parte rei ita non esse de Essentia divina Essentia, sicut non essent, si ab ipsa distinguerentur à parte rei: in quem modum loquendi videtur consentire P. Borrull. *d. sp. 12. de Trin. nu. 125.*

53 Cum hac ergo secunda Sententia, quæ, teste Alòs *disp. 2. cap. 8. & 9.* communis iam est inter Theologos, sit omnino nostra conclusio: omnes Dei perfectiones absolutas necessarias esse de Essentia physica Dei; non verò perfectiones Relativas. Utamque conclusionis partem probant Authores citati multis testimonijs Sanctorum PP. Ex quibus; & ex Fidei dogmatibus formo quatuor rationes Theologicas.

54 Prima ratio. Essentia physica Dei debet esse realiter idem cum omni illo, quod realiter, & physicè est Deus: sed perfectiones divinae absolutæ id habent; non verò Relationes: ergo illæ, & non istæ sunt de Essentia physica Dei. Maior est citra dubium. Minor patet: quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, physicè, & realiter sunt Deus, non solum simul; sed sigillatim quilibet illorum. Quilibet autem illorum habet secum realiter identificatas omnes Perfectiones absolutas Dei; non verò omnes Relativas: cum de Fide sic, nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum, esse realiter tres Personas. Aliquo-

rum evasiones refutat Alòs, falsus, nisi ego fallor, in eo quod pro eis citat Montoyam.

55 Secunda ratio. Si Relationes essent de Essentia physica Dei, nulla Persona esset physicè Deus: ergo non sunt. Probatur antecedens: quia nulla Persona potest esse physicè Deus, nisi sit totū id quod physicè Deus est: sed nulla Persona est omnes Relationes: ergo si Relationes constituerent physicè Deitatem, nulla Persona esset physicè Deus; sed, ut ita dicam, esset Semi-Deus, & non nisi omnes simul, essent Deus. Confirmatur. Pater prioris originis ad Filium est p'ene constitutus physicè in esse Dei: alioquin Filius non esset Deus de Deo, plenus de pleno, ut loquuntur absolute SS. PP. & Symbolum Fidei: ergo pro illo priori est cum omni constitutivo physico Deitatis: sed pro illo priori non sunt Relationes Filiationis, & Spirationis: ergo istæ saltem non sunt de Essentia physica Deitatis.

56 Tertia ratio. Quilibet Persona divina est integrè, & plenè Deus: ergo habet sibi physicè identificatam Deitatem plenè, & integrè constitutam: sed nulla Persona habet sibi identificatas omnes Relationes: ergo non omnes istæ constituunt physicè Deitatem. Antecedens probatur ex eo quod apud Nazianzenum proficitur Nicæna Fides: *Filium esse Deum de Deo, perfectum de perfecto, plenum de pleno.* Consonant Concilium Toletanum, Ambrosius, Ephiphanius, & Damasceus: quibus præiit Apostolus scribens de Filio ad Colossenses: *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis.* Ubi non significatur omnia divina esse in Filio circuminsensivè; sed, ut ait Athanasius, *Filium esse plenitudinem divinitatis:* sed Filius, cum nec sit Pater, nec Spiritus Sanctus, non est omnes Relationes: ergo non per istas, sed per absoluta constituitur plenè divinitas, quæ est Essentia Dei.

57 Quarta ratio. Essentia, si-ve Natura physica Dei est physicè, ac individué communis tribu: sed nec vlla Personalitas, nec Personalitas, ut sic, est physicè, & individué communis tribu: ergo nulla illam physicè constituit. Maior continet Fidem Mysterij Trinitatis: & traditur ab Athanasio *Dial. de Trin.* loquuto sic: *Essentia declarat communitatem: & si quid est Essentia proprium, id commune est Hypostasibus.* Unde sancti PP. pro eodem sumunt in Deo prædicata *Essentialia*, prædicata *Absoluta*, & prædicata *Communia*. Minor patet: quia nulla ex divinis Personalitatibus singulariter sumpta est communis tribu: nec Personalitas ut sic est phy-

Infra disp. 8.

Scotus Thomist. Nomin.

Supra disp. 3.

Aureol.  
Cayet.  
Bañez.  
Valent.  
Albi.  
Godoy.  
Suar.  
Molin.  
Montoy.  
Scot.  
Vasquez.  
Aios.  
S. Thom.  
Borrull.  
Alòs.

Symbol.

Nazianz.

Concil. Tolet.

Ambros. Epiph.

Colos. 2.

Athanas.

Athanas.



physicè, ac individué communis tribus; sed logicè, & communitate univèrsalitatís: sicut ratio univèrsalis hominis ad multos homines.

Albert. Aios. 58 Quo præcluditur effugium Albertini, & aliorum apud Aristotem, opinantium, constitui physicè Deitatem per Absoluta, & per rationem Relationis, aut Personalitatis, ut sic, abstractam à Tribus: sicquè iam communem tribus. Certè huiusmodi communitas competit etiam rationi Personalitatis humanæ ut sic abstractæ à tribus, aut à pluribus Personalitatibus humanis, illisquè logicè communi. Communitas autem divinæ Naturæ tribus Personis divinis, in qua stat Fides, & Mysterium Trinitatis, est perquam longe diversa: quâ scilicet Natura, & Essentia physica Dei est physicè, numericè, ac individué communis singulis Personis: quod non statet, si Relationes essent de Essentia physica Deitatis, seu divinæ Naturæ.

59 Obijcies primò contra primam partem conclusionis. Tota Essentia physica Dei est physicè communis tribus: sed non omnia absoluta necessaria Dei sunt physicè communia tribus: ergo non omnia absoluta necessaria Dei sunt de Essentia physica Dei: per eandem scilicet rationem, qua excludimus Relationes. Probatur minor: in Deitate esse realiter idem cum tribus, esse communem tribus, esse trinè personabilem, sunt prædicata absoluta necessaria Dei: utpotè, quæ conveniunt Deitati, prout virtualiter à Relationibus condistinctæ: sed ea prædicata non sunt communia tribus Personis; imò nulli: ergo non omnia prædicata absoluta necessaria Dei sunt communia tribus Personis. Minor probatur: quia nec Pater, nec alia Personalitas, est realiter idem cum tribus, nec est physicè communis tribus, nec est trinè Personabilis. Hæc difficultas momenti est; sed ab omnibus solvenda: nam sive ea prædicata sint de Essentia physica Dei, sive non; certum est, esse prædicata Absoluta, & non Relativa: quia se tenent ex parte Deitatis, prout virtualiter condistinctæ à Trinitate Personalitatum. Quomodo ergo non sunt communia Personis, sicut cætera absoluta? Tangitur à Suarez cap. 8. & à Montoya disp. 13. sect. 8.

Suarez. Montoya.

60 Respondetur, concessa maiori, negando minorem. Ad probationem concessa, quoque maiori, nego minorem: cuius probationem distinguo: Pater non est realiter idem cum tribus, nec physicè communis tribus, nec est trinè Personabilis, in sensu substantivo, significatè præcisè identitatem realem Patris cum communi tribus, & cum

trinè Personabili, & cum eodem cum tribus; nego: nam verè diceretur: Pater est realiter idem cum communi tribus, cum trinè Personabili, & cum eodem cum tribus: cum sit idem realiter cum Essentia identificata cum tribus Personalitatibus: in sensu adiectivo, & denominativo, consignificante adiacentiam, sicquè appropriate Patri munus, & denominationem identificandi se cum tribus, communicandi se tribus, & essendi trinè Personabilis; concedo. Hæc enim munera sunt Absolutorum, prout virtualiter distinctiorum à Relativis. Hæc autem est vis distinctivæ virtualis, quod cum nihil detrahat identitatis virtualitatum, ideòquè semper relinquat veras propositiones purè affirmantes eam identitatem; facit tamen, quod minus competens vni virtualitati, nec realiter attribuitur alteri, prout modo illo adiectivo consignificatur: ideòquè propositiones, id adiectivè, & denominativè consignificantes, sunt falsæ.

61 Itaque tria illa prædicata: de quibus processit obiectio, absoluta sunt, & realiter communia; ideòquè, ut loquitur Suarez, essentialia sunt: quia mutuo identificantur cum qualibet Relatione, cum qua aliæ Relationes non identificantur. Quod verò Relatio, Paternitas, sive Pater, non dicatur idem cum tribus, nec communis tribus, nec trinè Personabilis; non est ex defectu communitatis, seu identitatis cuiuslibet illorum trium prædicatorum cum qualibet Relatione, cum Paternitate, & cum Patre; sed quia modus ille adiectivus, & denominativus prædicandi consignificat adiacentiam, approprians Relationi, Paternitati, aut Patri munera illa, & denominationes se communicandi tribus, se identificandi cum tribus, & essendi trinè Personabilis: quæ tamen munera, seu denominationes sic competunt Absolutis Dei, prout virtualiter condistinctis à Relativis, ut nec in sensu reali approprientur Relativis, virtualiter distinctis ab omni Absoluto.

Suarez.

62 Obijcies secundò contra secundam partem conclusionis. Deitas essentialiter est vna suo speciali modo unitatis: hoc est, taliter, ut simul sit trina: sed hoc habet à Relationibus: ergo hæc sunt de Essentia Deitatis. Respondetur, distinguendo antecedens: taliter, ut simul sit trina summè necessariò, concedo: essentialiter, & constitutivè in esse Deitatis, & vnius Deitatis, nego. Quamvis enim Deitas essentialiter exigit esse trinam; non tamen exigit esse trinam essentialiter, sed necessariò extraessentialiter. Ad probationem dico, ly, *essentiale*, esse æquivocum: si

so-

solum significet necessitatem, ut sepè solet, concedo; nego verò, si significet, quod esse trinum sit Deo de Essentia, sive de Natura, Theologicè loquendo, sicut in homine sunt Corpus, & Anima. Videatur Montoy. disp. 14. sect. 6. notans, Athanasium, dicentem: *Consistit in Trinitate Deitas*: sumere Græcorum more, *consistit*, pro, *subsistit*.

Montoy. Athan.

Infra disp. 6.

S. Thom.

Lycæus.

63 Obijcies tertio. Deus ex conceptu suo est essentialiter subsistens: sed non per subsistentiam absolutam, ut dicemus *disp. sequenti*: ergo per Relativas: ergo Relationes Personales sunt essentialiter. Respondetur: sumpto ly *essentialiter* in sensu Theologico, prout in præsentibus falsam esse maiore. Quippe Deus non habet pro Essentia, sive pro Natura subsistere; sed necessariò pro proprietate. Dices: Si Deus esset vnica Persona, Personalitas esse de Essentia, & de Natura Dei; sicut nunc est in Angelo, ut ex S. Th. tenui cum Lyneo, & alijs in Philosophia: ergo similiter, quamvis sit triplex Persona. Concesso antecedente, negatur consequentia: quia in eo casu impossibili nihil esset realiter, & physicè Deus, quod realiter, & physicè non esset illa Persona; nunc verò aliquid est realiter, & physicè Deus, quod non est realiter, & physicè triplex Persona: docente Fide, nec Patrem esse Filium, nec Filium, nec Spiritum Sanctum esse Patrem, nec triplicem Personam: cum tamen quilibet sit Deus, & identificetur cum tota Essentia Deitatis.

Montoy.

64 Obijcies quartò. Relationes sunt de formali, & essentiali integritate Essentia: ergo Dei Essentia, ut sit integra, & perfecta, constitui etiam debet per Relationes. Antecedens est doctrina SS. PP. conclamantium, imperfectum fore Deum sine Relationibus, apud Montoy. disp. 29. sect. 4. Respondetur, negando consequentiam: nam, ut Deitas esset imperfecta sine Relationibus, factum est, quod sint eius proprietates necessariae, & complementum in esse Dei concretè; non autem ad id requiritur, quod sint de Essentiali constitutivo Deitatis. Sic, ut Angelus, vel Homo esset imperfectus sine subsistentia, aut sine alijs proprietatibus, non requiritur, quod istæ sint de Essentia, & de Natura ipsorum. Et instatur etiam obiectio in ipsa Trinitate: vbi certè Pater esset imperfectus sine Filio, quin tamen Filius sit Essentia Paternitati.

65 Obijcies quintò. Pater non habet aliam Essentiam nisi Dei: sed Paternitas est de Essentia Patris: ergo & Dei. Et idem argumentum sit in Filio, & in Spiritu Sancto. Respondetur, quod in eo fit ingens transitus, & transeundo ab vno sensu in alium,

æquivocantur termini. Maior est vera, sumpta *Essentia Dei* in sensu Theologico, in quo nunc disputamus de Essentia Dei: in hoc autem eodem sensu, negantur minor, & consequentia: quamvis in alio sensu minor esset vera: sumpta videlicet in sensu Metaphysico *Essentia Patris* pro *Quidditate* Relativa Patris. Hos sensus iam distinximus, & explicuimus *sect. 1. & 2.* præsertim *num. 3. Supra sect. 1. & 2.* Obijcies sextò Sanctos PP. asserentes, Deitatem esse Trinitatem: Deum essentialiter esse trinum: esse essentialiter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Respondetur, his loquutionibus solum significari necessariam identitatem Dei, & Deitatis, cum tribus Personis, & Personalitatibus, quas exigit, ut subsistat; non verò, ut per illas Theologicè constituatur: vel, si mavis, non ut per illas constituatur in ratione Deitatis; sed, ut Deitas constituatur per illas subsistens, & in esse Dei concretè.

Supra sect. 1. & 2.

67 Obijcies septimò, quod in phrasi aliorum Patrum, Pater dicitur *fontis*, & *principium Divinitatis*: ergo Divinitas dicit essentialiter Relationes: in Deo enim aliqua dumtaxat Relationes sunt à Patre, ut à principio, & fonte. Respondetur, solum dici Patrem, fontem, & principium Divinitatis, ut communicatæ; seu principium communicativum Divinitatis: quâ solus Filio, & cum Filio communicat Spiritui Sancto. Undè nego consequentiã: ad cuius probationem dico, aliquas dumtaxat Relationes esse à Patre productas; Essentiã verò à Patre, non productã, sed communicatam.

68 Obijcies octavò. Relationes sunt realiter, & physicè idè cū Essentia Dei: ergo sunt Essentia constitutiva Dei. Confirmatur: de Essentia constitutiva Deitatis, ut à Relationibus virtualiter distincta, essentialiter est, esse realiter idè cū Relationibus: ergo & esse Relationes: nã eo ipso, quod verum sit esse de essentia hominis esse idem cum rationali; est quoque verum, esse de essentia hominis rationale. Respondetur concessò antecedente, negando consequentiam, nisi explicetur: sicut in simili forma ex hoc antecedente vero: *Relationes sunt realiter, & physicè idem cum prædicatis Absolutis*: negaremus absolutè hanc consequentiã: ergo *Relationes sunt prædicata Absoluta*.

69 Et ratio vtriusque est: quia in eiusmodi antecedentibus exprimitur sensus purè idemticus; in consequentijs autem ex vltu terminorum apud Scholasticos fit sensus quasi adiectivus, denominativus, & formalis, attri-

attribuendo Relationibus munus essendi prælicata Absoluta, & constituendi Naturam, & Essentiam Dei communem Tribus Personis: quæ munera sunt Absolutorum, prout virtualiter distinctorum à Relativis. Sic diximus super respondendo ad primam objectionem, Paternitatem esse idem cum communi tribus, & cum identificate cum tribus; quamvis nec sit communis tribus; nec denominetur identificata cum tribus. Hinc dixit Aiosus, Relationes tam non esse de Essentia Deitatis, ac si nec realiter identificarentur cum Essentia Deitatis: signato scilicet per ly, de Essentia, sensu formali, & denominativo. Quod etiam facit quod paulò aliter dixit P. Suar. disp. 30. Metaph. sect. 6. à num. 4. distinguens inter esse Essentiam, & de Essentia: & per hoc posterius potius, quam per illud prius intelligens sensum formalem, & denominativum.

Aiosus ubi supra

Suar.

70 Hinc ad confirmationem, concessio antecedente, nego similiter consequentiam ob eandem rationem: quia identitas illa cum Relationibus, quæ est essentialis Deitatis, est virtualiter distincta à Relationibus, sicut ipsa Deitas. Ac identitas hominis cum rationali, non est virtualiter distincta à rationali, sicut nec ipse homo.

71 Obijcies tandè. Relationes sunt realiter Sapiètia, Omnipotètia, Voluntas, & alia Attributa: sed Sapiètia, Omnipotètia, Voluntas, & alia Attributa sunt Essentia, & de Essentia constitutiva Dei: ergo Relationes sunt Essentia, & de Essentia constitutiva Dei: Hac arguendi forma æquè probari posset Relationes esse de Essentia metaphysica, ac de physica constitutiva Dei. Notanda venit in his, & similibus sillogismis variatio suppositionis terminorum contra regulas Dialecticæ, sicut in isto: *Homo est species: sed Petrus est homo: ergo Petrus est species: vbi in vna præmissa terminus, homo, supponit primò intentionaliter, & in alia, secundò intentionaliter: propter quod vitium falsa, & nulla est consequentia.*

72 Respondetur ergo, concessis præmissis, vnaquaque in suo sensu, variata scilicet suppositione terminorum; negando consequentiam. Vitium est, quòd in maiori, Sapiètia, Omnipotentia, &c. supponit, ut ita dicam, penès intentionem realem: hoc est secundum id, quòd dicunt seorsim à distinctione virtuali ipsarum à Relativis: in minori autem supponunt secundum intentionem virtualem: hoc est, secundum munus illis competens beneficio distinctionis virtualis ibi intercedentis ad salvandam communitatem

tem Essentiæ individue vnius in Trinitate Personarum. Cum autem munus competentis, & appropriatus vni virtualitati, prout condistincta ab aliâ, nequeat alteri adhuc in sensu reali, (salva reali eorum identitate,) denominativè appropriari; inde est, quòd absolutè falsa sit ea conclusio, attribuens, & approprians denominativè Relationibus munus illud essendi Theologicè de Essentia Dei, seu constituendi essentialiter Deitatem, competens Sapiètiæ, & alijs Absolutis, prout virtualiter condistinctis à Relationibus: non obstante, quòd in maiori verè fuerit affirmata in sensu purè identico realis identitas Relationum cum Sapiètia, & alijs: quia nempe in minori de Sapiètia, & de alijs affirmatur in sensu denominativo munus constituendi Essentiam Dei, illis competens beneficio distinctionis virtualis à Relativis: qui sensus non verificatur in consequentia.

SECTIO VI.  
STATUITUR, ET ASSIGNATUR  
conceptus Essentia Metaphysica  
Dei per complexum Attributorum ad mentem  
Patris Suarez.

73 Conclusio iam nostra definitiva sit. Essentia metaphysica Dei, sive Deitatis, Theologicè, & adæquatè sumpta, est: *Plenitudo omnis perfectionis infinita necessaria simpliciter simplicis.* Seu, quod in re idem est: *Ens substantiale à se plenissimè omni perfectione infinita necessaria simpliciter simplicis.* Addidi necessaria: ut excluderem perfectiones liberas, quoad denominationem Deo contingentes: quibus scilicet aliter, & aliter potentibus habere se in Deo quoad denominationem; Essentia metaphysica Dei semper necesse est, quod sit eadem constitutivè metaphysica, & physica. Quid veniat per conceptum perfectionis simpliciter simplicis vidimus disput. 3. supra sect. 9. Undè, per illum excluduntur Relationes à constitutivo Essentiæ Dei metaphysicosimò & à physico. Pro hac conclusione stant Authores gravissimi, citati pro tertia Classe sect. 1. & omnium expressissimè Doctor Eximius, in locis ibi citatis studiosè legendus: & disp. 30. Met. sect. 6.

Supra d. sp. 3.

Supra sect. 1.

74 Claritatis gratiâ, quoniam sub iisdem vocibus varij sunt sæpè sensus hominum; ut tota mens nostræ conclusionis comperta maneat; loquar quinq; verba in sensu meo. Primò, conceptum Essentiæ Dei excludere forma-

1. Co. 14.

maliter, metaphysicè, & Theologicè Perfectiones Relativas, & contingentes, prout suo modo defectibiles. Secundò, includere formaliter cunctas alias Dei perfectiones. Tertiò, includere eas omnes, & solas, quas includit Essentia physica Dei Theologicè sumpta. Quarto, æquè dicere, Intellectum, & Intellectionem, Voluntatem, & Volitionem, Omnipotentiam, Sanctitatem, Infinitatem, Aseitatem, Immenfitatem, Aternitatem, & alia Attributa: omnia enim hæc sunt Perfectiones Simpliciter simplicis: nõ solum in ratione perfectionis; sed etiam in ratione talis perfectionis: scilicet Sapiètiæ, Voluntatis, Omnipotentia, Immenfitatis, &c.

Ribad.

75 Dissentire videtur in hoc postremo Pater Ribadeneyra: à quo tamen perdocto Magistro vellem in re non dissentire. Si vult non esse necesse, quòd in conceptu nostro metaphysicè definitivo Dei, exprimantur sigillatim Attributa Sapiètiæ, Voluntatis, Omnipotentia, &c. verum est: sicut in conceptu nostro metaphysicè definitivo hominis non est necesse exprimi sigillatim visivum, auditivum, olfactivum involuta sub conceptu animalis; nec iudicativum, apprehensivum, & discursivum involuta sub conceptu rationalis: nec in conceptu nostro metaphysicè definitivo Omnipotentia est necesse, quòd exprimantur sigillatim eminentia productiva Angeli, eminentia hominis, eminentia lapidis, & eminentia muscæ. Si verò vult, quòd Attributa illa maneat extra Essentiam metaphysicam Dei, consistentem vtiq; in conceptu præciso perfectionis necessaria simpliciter simplicis, exclusis ab ipso eiusmodi Attributis, Sapiètiæ, Voluntatis, Omnipotentia, &c. non est mihi verum: sicut neque, quòd visivum, auditivum, iudicativum, & similia, maneat extra conceptum hominis: aut quòd eminentia productiva Angeli, hominis, & lapidis non involvantur in conceptu metaphysicè definitivo Omnipotentia: quamvis sigillatim in eo non exprimantur. Id quod observavit eximie P. Suar. disput. 30.

Suar.

Met. sect. 6. num. 19.

76 Occurrit illicò dubitatio: in quo ergo differet Essentia physica, & Metaphysica Dei? Quippè videtur nos inter illas minimè discernere, cum Essentia physica, & metaphysica, quas assignavimus, eadem Dei prædicata, eademque perfectiones, scilicet necessarias complectantur. Quocirca noto, Essentiam rei præcisim à physica, & metaphysica, esse conceptum, quo posito, reliquis per possibile, vel impossibile non positis, ponatur res; & quo non posito, quibusvis alijs positis, res non poneretur. Undè fit primò, Essentiam, tam physicam, quam metaphysicam, esse realiter idem cum re, cuius est Essentia. Secundò, has Essentias non distinguere realiter inter se: siquidem sunt idem cum vno tertio, scilicet cum suo essentiatò. Tertiò, implicare quòd Essentia metaphysica non complectatur omnem Essentiam physicam, quidquid aliter imaginentur Recentiores. Sequeretur enim, quòd si poneretur tota Essentia metaphysica rei, non posita tota physica, poneretur eo ipso res, sine sua Essentia physica: cum tamen de ratione Essentiæ, tam physica, quam metaphysica sit, quòd ea non posita, reliquis per impossibile positis, non poneretur res. Aut dicatur, precor, quid sit Essentia, ut sic, præcisim à physica, & metaphysica? Quarto, Essentiam metaphysicam solum ratione differre posse ab Essentia, seu quidditate physica eiusdem rei, sicut & ab ipsa re: sic animal rationale, sicut ratione solum differt ab homine, ratione solum differt à corpore, & anima unitis, quæ sunt Essentia physica hominis.

77 Ex his ad occurrentem dubitationem dico, Essentiam physicam, & metaphysicam Dei non nisi ratione, & ex modo nostro concipiendi differre: & in eo tantum discerni posse, ac debere, quòd Essentia metaphysica Dei sit ipsa Essentia physica Dei, prout subest conceptui definitivo per genus, & differentiam adæquatam. Quapropter non est contra, sed valdè iuxta rationem Essentiæ metaphysicæ Dei, quòd complectatur omnes illas Dei perfectiones, quas dicit sigillatim Essentia physica, redactas ad conceptum definitivum per genus, seu quasi genus, & differentiam adæquatam: qualem conceptum diximus esse: *Ens substantiale à se plenissimè omni perfectione necessaria simpliciter simplicis.* Sic Essentia metaphysica hominis dicitur esse *animal rationale*: ad quem conceptum definitivum reducitur tota Essentia physica hominis, nempe corpus, & anima unitim. Quibus sic expositis.

78 Prima ratio conclusionis sit impugnatio aliarum opinionum. Vidimus enim conceptum adæquatam Essentiæ metaphysicæ Dei stare non posse in ratione entis à se utcumque sumpta, nec in alio simili prædicato ex transcendentibus: quia quodlibet illorum est prædicatum quasi genericum etiam ad Relationes: ac proinde non adæquatè definitivum Essentiæ Deitatis per specialem conceptum differentiale ab ipsis. Vidimus etiam sect. 3. & 4. nec stare posse in prædicato Intellectivi, seu Intellectionis positius

Supra sect. 2.

sect. 3.

M

tius

Maniessa Disput. Scholast.

ius, quam Volitivus, Volitionis, Omnipotentia, Sanctitatis, Immensitatis, Aeternitatis, & aliorum Attributorum: cum non sit maior ratio unius, quam alterius. Superest igitur, quod stare debeat in conceptu aequé complectente cuncta eiusmodi Attributa. Frustra enim, ut notat optime Ribadeteira, assignaretur pro Essentia metaphysica rei conceptus utcumque primarius, vel nobilior, nisi adaequaret totam rem: quae, ut ostendimus ad homines, *sect. 3. & 4.* stat saepe aequé essentialiter in complexo conceptuum magis, & minus nobilium, priorum, & posteriorum.

Ribad.  
cap. 4.

Supra  
sec. 3. & 4.

79 Secunda ratio. Essentia physica Dei Theologicè sumpta est, iuxta Adversarios, complexum omnium perfectionum Dei Absolutarum necessariorum: ergo Essentia metaphysica Dei debet esse conceptus definitivus complectens illas easdem perfectiones. Probo consequentiam. Essentia metaphysica Dei est Essentia metaphysica essentiae physicae Dei: sed essentia metaphysica essentiae physicae Dei est conceptus complectens eas omnes perfectiones Dei absolutas necessarias: ergo etiam Essentia metaphysica Dei. Maior patet: quia Essentia physica Dei aliquid habet conceptum adaequatum metaphysicum definitivum: hic autem nequit esse nisi conceptus etiam metaphysicus Dei: sicut conceptus metaphysicus Essentiae physicae hominis, scilicet complexi ex corpore, & anima unitis, illè ipse est conceptus metaphysicus hominis. Minor verò probatur: quia conceptus metaphysicus adaequatus, & definitivus complexi omnium divinarum perfectionum absolutarum necessariorum, nequit esse sola Intellectio, nec sola Omnipotentia, nec Voluntas, & Intellectus, nec sigillatim alia similis Perfectio specialis: quippe omnes debet formaliter involvere, sicut involvuntur in complexo ex omnibus: cum ergo istud complexum sit, per Adversarios, Essentia physica Dei: sit liquidò, Essentiam metaphysicam Essentiae physicae Dei debere complecti cunctas eiusmodi perfectiones: ac proinde non esse Intellectivum secluso Volitivo; nec Intellectionem, & Volitionem, seclusis alijs; sed omnia haec ex aequo.

80 Alioquin assignaretur pro Essentia metaphysica dimidiu, aut semidi midiu Essentiae physicae: quod perinde est, ac si pro tota Essentia metaphysica hominis taxaretur pars Essentiae physicae, nempe anima, quia nobilior; aut materia prima, quia prior. Nec confugere licet ad risibile, vel admirativum, quae dicuntur esse extra Essentiam metaphy-

ficam hominis. Etenim eodem prorsus modo sunt extra physiciam: cum tam sint formaliter extra conceptum corporis, & animae unitorum, quam extra conceptum animalis rationalis. Et in Deo ipso, Relationes, quae, ut visum est sectione praecedenti, excluduntur ab Essentia physica Deitatis, eodè prorsus modo excluduntur à metaphysica. Ut videtur quaeque constat, nihil Essentiae physicae debere esse extra conceptum adaequatum Essentiae metaphysicae: & Essentiam metaphysicam debere involvere, & exaequare totam Essentiam physicam: atque adeò perperam excludi à conceptu metaphysico Essentiae Dei Attributa, quae sunt de Essentia physica Dei.

Supra  
sect. 5.

81 Tertia ratio. Nomen, Deus, sive ducat ethymologiam à Sapientia, sive à Providentia, sive ab alio munere, ut variè varijs, significat certè aptud omnes, ut ex Augustino vidimus *disp. 1. num. 1. excellentissimam quamdam, immortalemque Naturam*: ut pote omnimodè, & absolutissimè perfectam, omni meliori modo excogitabili, ut etiam adstruimus *disp. 3. sect. 1.* Undè dixit S. Th. q. 13. art. 11. ex Damasceno: *Principalis omnibus, quae de Deo dicuntur, Nominibus esse: Qui est: (cui iam aequivalere nomen Deus, ait in responsione ad. 1.) totum enim in se ipso comprehendens, habet suum esse, velut quoddam pelagus substantiae infinitum, & indeterminatum: quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiae rei; sed hoc nomen, Qui est; nullum modum essendi determinat; sed se habet indeterminatè ad omnes; & ideo nominat ipsam pelagus substantiae infinitum.*

August.  
Supra  
disp. 1.  
d. sp. 3. à  
num. 7.  
S. Thom.  
Damasc.

82 Similia leguntur in alijs Patribus apud Petavium *tom. 1.* Dogmatum, & apud Suarez, Montoyam, Amicum, Gillium, & Aegidium citatos: quorum aliqua testimonia dedimus *sect. 2.* alia dabimus in sequentibus. Ex quibus omnibus constat, per nomen, Deus, quamvis fortè derivatum ethymologicè fuerit ab aliqua speciali perfectione, non venire unam Dei perfectionem praeter alia; sed omnes eas complexivè, quas Sancti PP. & primitivi Theologi agnoscunt sub nomine, *Qui est*, complectente indefinitè omnem perfectionem essendi, & significante ens vnde quaque excellentissimum, & pelagus substantiae, ac perfectionis.

Petav.  
Suar.  
Mont.  
Gill.  
Aegid.  
Supra  
sect. 2.

83 Hiuc formo rationem. Essentia metaphysica Dei ex modo etiam nostro concipiendi, sunt ea praedicata, quae sunt de conceptu definitivo Dei: sed de conceptu definitivo Dei est plenitudo perfectionum necessa-

cessariarum absolutarum, seu simpliciter simplicium: ergo tota haec plenitudo est Essentia metaphysica Dei. Maior patet: quia conceptus metaphysicus rei est per quem res essentialiter definitur. Minor probatur: ea praedicata sunt de conceptu definitivo Dei, quae formaliter implicite significantur per nomen Deus: sed per nomen Deus, significatur ea plenitudo: ergo ea plenitudo est de conceptu definitivo Dei. Minor haec constat ex *num. praecedenti.* Maior declaratur: quia nomen definiti, quamvis minus clarè, eandem essentiam complectitur, ac definitio: vnde est Platonium illud, quod *Nomina sunt quaedam brevissima definitiones rerum.* Patet in homine, & animali rationali: hic enim conceptus definitivus, idem clarè, ac distinctè, significat, quod significat minus clarè conceptus definiti, *Homo*: & sic est etiam in alijs definitis, & definitionibus respectivè.

Plato.

84 Dixi: *respectivè*: sumpto nempe definito penes conceptum, qui ex tali modo concipiendi subest definitioni. Nam de obiecto eodem possunt adhiberi diversae definitiones, iuxta diversitatem conceptuum ratione distinctorum. Idem sunt realiter, homo, rationale, risibile, & animal indicativum: & tamen aliter, & aliter definiremus interrogati: *Quid est homo?* & interrogati: *Quid est rationale? Quid risibile? Quid animal indicativum?* Semper autem conceptus definitivus, & conceptus, seu nomen definiti adaequatè sibi correspondent; & quamvis penes magis, vel minus explicitum differant, eadem praedicata complectuntur. Cum ergo conceptus, aut nomen, Deus, significet, ut vidimus, plenitudinem perfectionis, & essendi; Essentia metaphysica, quae est conceptus definitivus Dei, illam plenitudinem debet explicativè complecti, nec potius, nec minus unum Attributum, aut praedicatum perfectionis simpliciter simplicis, quam aliud.

85 Quarta ratio. Haec praedicatio: *Deus est sapiens*; est praedicatio essentialis: ergo & haec: *Deus est Omnipotens: Iustus: Aeternus, & Immensus.* Aliqui concessio antecedente, negant consequentiam: vel distinguunt: physice loquendo, concedunt; metaphysice, negant. Alij minus malè eodem modo negant, vel distinguunt antecedens, arbitantes omnia eiusmodi praedicata esse de Essentia Dei physica; non de metaphysica. Utrosque in terminis repellit P. Suarez. *lib. 1. de Essentia Dei, cap. 7. num. 7.* constanter asseveras, né de ipsius mente dubita-

Suarez.

ri queat, utraque illas praedicaciones esse essentielles, & in primo modo dicendi per se; non minus, ac ista: *Homo est rationalis.* Pensetur modò, an rationale sit de Essentia metaphysica hominis? solum enim qui id negare audent, negare nobis poterunt, Eximium Doctorem nobiscum seassisse, in Deo esse Sapientem, Iustum, Omnipotentem, Aeternum, & Immensum, esse praedicata metaphysice essentialia Dei.

86 Ex quo dupliciter probo nostrum antecedens, & consequentiam. Primum ex Augustino *lib. 6. de Trinit. cap. 4. b. & 7.* August. dicente: *Hoc est Deo esse, quod fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse.* Id quod formalitè expresse Anselmus in *Monol. cap. 16.* inquit, non solum haec omnia dici de Deo essentialiter; verum etiam, ut expendit Suar. *num. 3. Omnia secundum unam considerationem, & secundum unum modum dici.* Ubi vides, Anselmum, ex Augustino loqui in sensu formalissimo, & quoad modum etiam dicendi, seu concipiendi: ergo quia cuncta eiusmodi praedicata dicuntur de Deo formaliter, essentialiter, metaphysice non minus, quam praedicatum essendi: ingeminante Augustino: *Hoc est Deo esse, quod fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse.* Secundò à ratione: quia eiusmodi praedicaciones non sunt de Accidente, sicut ista: *Deus est creans*: nec sunt de Proprio, sicut ista: *Deus est Pater: Homo est risivus.* Paternitas enim, & risivitas sunt extra Essentias non minus physicas, quam metaphysicas Dei, seu hominis. At Omnipotentia, Sapientia, Iustitia, Immensitas, & Aeternitas sunt, iuxta ipsos etiam Adversarios, de intra Essentiam physiceam Dei: ergo illae praedicaciones sunt Essentiales, & in primo modo dicendi per se, ut strictissime loquitur Suarez; sicut ista: *Deus est: &: Homo est rationalis*: ac proinde ea omnia praedicata, sive Attributa, adaequant conceptum metaphysicum

August.

Anselm.

Suarez.

Essentiae, seu Naturae  
DEI.



## SECTIO VII.

## OBIECTIONES.

87 **O**bjicitur primò Authoritas

Theologorū discernentium in Perfectionibus Dei inter Essentiam, & Attributa: ergo quia Essentia metaphysica Dei est aliqua ratio, seu Perfectio primaria non complectens Attributa; sed à qua Attributa, vt à radice, dimanant, tanquam Perfectiones secundariæ, & metaphysicæ proprietates. Id quod docuisse videtur Damascenus lib. 1. de Fide, cap. 4. dicens: *Si iustum, si sapiens si quodvis aliud dixeris, non Naturā dicis Dei; sed quæ sunt circa Naturam.* Sic etiam Cyrillus, & Nissenus: & clarissimè August. lib. 5. de Trin. cap. 6. dicens: *Si dicam Aternus, Immortalis, Iustus, Bonus, Beatus, Spiritus; horum omnium novissimum, quod posui, videtur significare substantiam; cetera verò huius substantiæ qualitates.* Iterum observo verba Damasceni, sicut & alia aliorū Patrum pariter loqui de Sapientia, ac de alijs Attributis: contra illos, qui iure nescio quo, Sapientiam, seu Intellectionem præ alijs Attributis assignant pro Essentia metaphysica Dei.

88 Respondetur, admittendo antecedens, & discernendo commodissimè inter Essentiam Dei, & Attributa, prout exponemus disp. 7. sect. 1. Nego autem omnino consequentiam. Nec enim Dei Attributa ex eo dicuntur *Attributa*, quia extra Essentiam sint, vt loco nuper citato dicemus: nec quia ab Essentia adæquatè metaphysicè dimanant, quasi metaphysicæ proprietates extræssentiales, vt cõstabit etiam disp. 7. sect. 2. vbi cunctas huiusmodi virtuales dimanationes rejiciemus. Nec meritò sibi arrogant Adversarij in univèrsam Authoritatè Theologorum. Audiatur pro multis Eximius Doctor, Theologorum Apex lib. 1. de Essentia Dei, cap. 11. num. 8. qui, cum sibi obieciisset verba Damasceni superius contra nos allegata; respondet, idè ita dici à Damasceno: *quia singula ex his Attributis secundum modum concipiendi nostrum non prædicant totam Dei Naturam; sed explicant quasi per partes nostro modo loquendi, quid illa sit: & subdit, quòd Damascenus illa appellat, circa Naturam, non quia sint extra Essentiam, & Naturam, sed quia in ea essentiè sunt includuntur: & notat, id magis explicuisse Damascenum di-*

centem, hæc Attributa dicere aliquid eorum, quæ Naturam affectantur: id est, inquit Suarez, *perficiunt, & quasi constituunt, vtiq; essentialiter.* Et mox, id firmans ex eodem Damasceno dicente: *nec enim in Deo prius essentiam dicere licet, postea bonitatem; subdit: per bonitatem autem, summam illius perfectionem, in qua omnia dicta Attributa formaliter inveniuntur, intelligit: non sunt ergo aliquid extræssentiam, formaliter de Essentia loquendo, vt Essentia est.* I nunc, & post tantā lucē ambige de mente Doctoris Eximij; qui nu. etiam 6. præmonuerat se non tantum loqui de Essentia, vt est in se; sed prout à nobis concipitur.

89 Respondetur ulterius paulò aliter per terminos aptissimos à nobis expositos sect. 1. num. 6. ex Egidio à Præsentatione, Attributa illa Dei recensita à Damasceno dici extra Naturam Dei: non quidem conceptam adæquatè penès omnia prædicata Deo metaphysicè essentialia; sed conceptam inadæquatè, penès ea, quæ ex genere etiam suo essentialia sunt: eo quòd vbiicumque similis, etiam in creaturis, reperiuntur, sunt essentialia: idè quæ aliæ perfectiones, quæ in creaturis essentialia esse non solent, concipiuntur à nobis, Deum ad instar creaturarum concipientibus, quasi extra Essentiam Dei, quamvis in Deo essentialissima quoque sint. Huic explicationi consonant idem Damascenus cap. 3. & 5. alij que PP. similiter loquuti. Et mirificè magnus Augustinus, non contra nos, sed signantissimè pro nobis allegandus, si fideliter, & integrè legatur. Quippè in verbis contra nos obiectis consultissimè dixit, quòd novissimum illorum prædicatum, quæ retulerat, nempe prædicatum, Spiritus: *videtur significare substantiam: non ait: significat; sed, videtur significare: nobis videlicet primò apprehendentibus ea quæ Dei sunt ad instar similitum, quæ videmus in creaturis: quam apprehensionem ipse corrigit Augustinus, scitè subiungens: sed non est in illa ineffabili, simplicique Natura: quidquid enim secundum qualitatem ibi dici videtur, secundum substantiam, & Essentiam est intelligendum.* Ait itaque Magnus Augustinus: quòd ex illis prædicatis: *Bonus, Iustus, Beatus, & Spiritus;* hoc postremum videtur significare substantiam: quia spiritualitas in Naturis etiam creatis, in quibus reperitur, est de ipsarum substantia; cum tamen Iustitia, Bonitas, & Beatitudo sint ipsarum qualitates. At non sic in Deo, in quo scilicet,

Damasc.

Suarez.

Supra  
sect. 1.Egid.  
à Præf.Damasc.  
August.

cet, hæc quoque perfectiones, quæ in creaturis qualitates sunt, essentialissimæ sunt, non minùs, quàm ratio Spiritus, ratio substantiæ, aliæque similes ex genere suo essentialia, quæ in creaturis etiam, vbi sunt, essentialia sunt.

Dionis.

90 Objicitur secundò S. Dionisius cap. 5. de Divin. Nomin. dicens de Deo: *Bonum, est præstantissimum, & primum nomen Dei, antiquius ipso esse divino: ergo aliquod Dei prædicatum est præ alijs primarium, & præstans: sicque contra Dionisium constituitur Deus per complexum omnium Attributorum.* Respondetur tripliciter. Primò, me non semel legisse illud caput, in quo nec illa, nec similia verba reperi. Secundò, exindè Bonitatem fore potiùs Essentiam Dei præ intellectione, pro qua pugnat qui eo testimonio usus est. Tertio, Bonum sumi sæpè pro perfecto, vt notat Suarez: Sicque posset indè comprobari potiùs nostra sententia: siquidem ea verba loquuntur indefinitè de bono, sive de perfecto, quasi assignent plenitudinem perfectionis pro præstantissimo Nomine, seu constitutivo Dei. Nec putes ly, *præstantissimum*, potuisse Dionisio significare præstantiã unius divinæ perfectionis præ alia; sed maiorem aptitudinem in vno Nomine, quàm in alio ad significandum Deum. Undè tota consequentia neganda est: nemini enim potuit in mentem venire in Deitate esse prædicatum aliquod perfectius complexo omnium perfectionum ipsius.

Concil. 3.  
Constan-  
tinop.

91 Objicitur tertio Authoritas sextæ Synodi act. 18. vbi loquens de duplici Natura Christi, ait: *Neutrà tamen earum, quæ Christi sunt, Naturarum in eius dispensatione audemus absque voluntate, vel Operatione pronuntiare: ne forte, earum perimentes Proprietates, etiam Naturas, quarum sunt proprietates, perimamus.* En quomodo distinguit etiam in Deo Naturam, & Proprietatem, quam vocat Voluntatem. Cõfirmatur ex eo quòd ait, *peremptà, id est, negatà Proprietate, scilicet Voluntate divinã, perimim etiam Naturam divinam: mediatè scilicet, & illativè ratione idemtitatis inter illas in Deo: sicut ratione connexionis inter illas in humanitate: ergo supponit, id quòd vocat proprietatem Naturæ divinæ, scilicet Voluntatem divinam, non esse Essentiam, sive Naturam Dei, Cõfirmatur secundò: quia Voluntas non minùs asseritur ibi proprietates Naturæ divinæ, quàm humanæ: sed Voluntas humana ita est Proprietates humanæ Naturæ, vt sit extra essentiam me-*

taphysicam humanitatis: ergo Voluntas divina ita est Proprietates Naturæ divinæ, vt sit extra Essentiam metaphysicam Deitatis. Hoc argumentum extollunt nobis P. Borrull disp. 1. de Volunt. Dei, & Aldrete, nobis etiam contrarius 1. part. disp. 15. Illud iam retigi disp. 4. à num. 51. Relege ibi dicta, & iunge cum sequentibus.

Borrull.  
Aldrete.  
Supra  
disp. 4.  
sect. 5.

92 Respondetur denuò nunc, imprimis Concilium clarè loqui de Natura physica: intra quam esse Volitivum, & Volitionem divinam fatentur Objicientes. Sibi ergo pro se respondeant, & pro nobis. Vel ostendant verbum, quo iussecti possit mens Concilij extra suum propositum ad constitutiva metaphysica Naturarū divinæ, aut humanæ, prout scerni solent à Naturis physicis.

93 Deindè dico, verosimilius multò esse, sumi ibi à Concilio Voluntatem pro Volitione libera iuxta sensum in quo errabant Monothelitæ, contra quos agebat ibi Concilium: vt luculenter exponit, & adstruit eruditissimus Bernal disp. 48. de Incarnatione. Sicque corrumpit funditus obiectio tota. Solum enim concluderet, Voluntatem, id est, Volitiones liberas Dei, non esse de Essentia metaphysicà Deitatis: quòd vltro fatemur, & supposuimus cum Adversarijs num. 74. Sed addendum est ex sect. 5. nec esse de Essentia physica in eodem sensu, eodemque modo sumptas.

Bernal.

Supra  
sect. 6.

94 Insuper, dato quòd esset ibi sermo de Voluntate sumptà pro potentiã volitiva; dico, vocari ibi Proprietatem, id est, prædicatum proprium, sive perfectionem debitam Naturæ: sive sit proprium extræssentialiter, ea lege, qua risibile dicitur proprium hominis; sive intræssentialiter, ea lege, qua ipsum etiam rationale dicitur proprium, & differentia maximè propria hominis: in quo sensu, & intellectivum, & intellectio à se vocatur idemtidem à SS. PP. proprietates Dei. Nec erat quidem, è re Concilij, in vno potiùs, quàm in alio istorū sensuum sumere ibi proprietatem, cum, vt rectè monuerat idem Bernal disp. 33. num. 18. non fuerit Patribus illis sermo de Proprietate sumptà more logico, vel physico: & ex utrolibet illorum arguerent optimè, negandam fore in Christo Naturam divinam, negatà Voluntate divinã: imò à fortiori, si Voluntas esset prædicatum proprium intræssentiale Naturæ.

Bernal.

95 Ad primam igitur confirmationem: si sermo sit de Voluntate pro Volitione, seu Operatione liberã, concedo totum. Si de

Vo-

Voluntate pro potentia volitiva, nego consequentiam: nam ex argumento Concilij non inferitur Voluntatem esse extra Essentiam Naturæ metaphysicæ; sicut nec physicæ; sed esse prædicatum taliter proprium Naturæ, ut illo negato, neganda esset in Christo Natura divina: quod non minus, imò magis inferretur, si Voluntas esset prædicatum proprium, ac debitissimum Naturæ intræessentialiter: ita nempe, ut quamvis non sit adæquata Natura Dei, sit tamen unum de prædicatis illam metaphysicè constituentibus: sicut, negato prædicato iudicativi, rectè inferretur, negandam esse Naturam rationalis, & hominis, illud essentialiter involuentem: non minus quam negato risibili non involuto essentialiter in Natura metaphysica hominis.

96 Ad secundam dico, in ea multa supponi quasi certa, quæ mihi certè exploratissima sunt. In primis si sermo sit, iuxta mentem Concilij, sumptâ Voluntate pro Volitione liberâ, concedi potest tota confirmatio: cum discrimine tamen, ab ipsis etiam Adversarijs innegabili inter Volitiones liberâs divinas, & humanas Christi: non enim eodem modo sunt proprietates, & extra essentias suarum Naturarum: cum certum sit, illas non distingui realiter à Natura divina, sicut istæ distinguuntur ab humana. Quod monuerim, ne alicui videatur, Concilium in omnibus voluisse æquiparare istas Christi Voluntates ad suas Naturas.

97 Deinde, si sermo sit ex mente Obijcientium de Voluntate sumptâ pro volitivo, seu pro potentia volendi; dico, quod quamvis dicatur ibi Voluntas divina proprietatis Naturæ divinæ, & humanæ; relinquatur etiam locus distributioni accommodæ: ita quod utraque sit proprietatis suæ Naturæ; sed suo quæque modo: scilicet Voluntas humana (si potentia distinguuntur realiter ab animâ) sit proprietatis extræessentialis Naturæ humanæ, utpotè qualitas extræessentialis metaphysicæ, imò & physicæ hominis: at Voluntas divina sit proprietatis, hoc est prædicatum propriissimum intræessentialis Naturæ divinæ, sicut rationalitas respectu hominis: & sicut apud ipsosmet Adversarios, est prædicatum de intra essentiali physicæ Naturæ divinæ. Et sic nego absolutissimè consequentiam: sicut similem consequentiam negarent Adversarij si sillogismus instrueretur in terminis Essentiæ physicæ: quod debuissent maxime animadvertere, ne plus nimio suum discursum ex Concilij verbis commendarent.

98 Denique, si iuxta veram, & iam communiorum Philosophiam, Potentiæ, ac proinde Voluntas, seu formale Volitivum hominis, non est qualitas distincta realiter ab Anima, sed est ipsa substantia Animæ; sicut Adversarij dicunt Voluntatem humanam esse proprietatem humanæ Naturæ, de intra essentiali tamen physicæ humanæ Naturæ; sic dicam & esse quoque de intra essentiali metaphysicæ. Quid inde? Mihi quidem verissimum est, prædicatum Volitivi æquè essentialiter homini esse, ac intellectivi, & utrumque æquè essentialiter comprehendendi sub conceptu rationalis, utpotè essentialissimè dicentis tam appetitum rationalem, quam cognoscivitatem rationalem, ut ex bonis Authoribus repetam *sect. seq.* Sic *Infra* igitur currit æqualissimè paritas confirmæ tionis. Ad quam in forma, concessa maiori, negabo minorem de Voluntate creata, & consequentiam de divina. Sicquè totus discursus, instructus egregiè contra nos, erit pro nobis. Id quod si sibi opponerent Adversarij in terminis Essentiæ physicæ Humanitatis, ac Deitatis, viderent luce clarior, non modo vtilem, sed necessariam esse hanc nostram intelligentiam ad penetrandam, & elucidandam mentem Concilij: in quo, ut dixi, ne verbum quidem est de Essentijs metaphysicis Naturarum Christi; sed de Naturis physicè sumptis.

### SECTIO VIII.

#### DE ALIÆ OBJECTIONIBUS.

99 Objicitur quartò, Sapientia, Voluntas, Iustitia, vel Omnipotentia, ut seorsim, & condistinctæ ab Essentia, non prædicantur formaliter de Essentia Dei: ergo non sunt de conceptu formali Essentiæ Dei. Antecedens probatur per id quod scribit Suar. *cap. 4.* ubi posita duplici explicatione sensus formalis prædicationum, docet, Sapientiam, (& idem de alijs, ne vel ex hoc videatur, Intellectionem alijs prætulisse in munere constituendi Deū) ea ratione, qua distinguitur ab Essentia, non prædicari formaliter de Essentia: & hanc prædicationem: *Essentia secundum id, quod à nobis expressè concipitur est Sapientia;* esse falsam: ergo distinguit Essentiam à Sapientia, alijsque Attributis, eo modo quo Attributa distinguit inter se, v.g. Iustitiam à Misericordia: de quibus dixerat *disput. 6. Metaph. sect. 6.* hanc esse falsam: *Iustitia,*

ut

*ut Iustitia est Misericordia.* Ratio autem est, quia tunc concipitur Essentia sub ratione essentiæ, cum concipitur sub ratione entis à se, substantialis, spiritalis, & viventis: atqui secundum hoc præcisè, non habet Essentia formaliter intelligere, sicut nec miseri, nec punire, nec omnia posse: ergo hæc Attributa non prædicantur formaliter de Essentia formaliter conceptâ.

100 Respondetur, distinguendo antecedens: non prædicantur formaliter de Essentia Dei sub ratione, qua concipiuntur seorsim illa Attributa distincta ab Essentia, adæquatè, & exclusivè concedo: inadæquatè, & inclusivè, nego antecedens: nam rationale formaliter prædicatur de homine, quamvis formaliter inadæquatè distinguatur ab homine includente formaliter rationale. Ad probationem, verum est quod scribit Suarez, Sapientiam aliquando non prædicari formaliter de Essentia Dei: non id negans de Essentia Dei adæquatè conceptâ, nam de hac formalissimè prædicatur, sicut Sapientia rationalitas de Essentia adæquatè hominis; sed de Essentia Dei inadæquatè conceptâ, ut cum illam concipimus per illa tantum prædicata ex genere suo essentialia, entis à se, substantialis, spiritalis, & viventis: quæ præcisè non habent formaliter intelligere, velle, misereri, & omnia posse. Caterum cum Essentia Dei concipitur adæquatè metaphysicè, non solum per prædicata ex genere suo essentialia; verum etiam per alia specialiter Deo æquè essentialia; essentialissimè, & formaliter de illa prædicantur omnia, & singula illa Attributa, non secus ac de Essentia adæquata hominis rationalitas, iudicativitas, & discursivitas. Undè distinguo consequens: distinguit Essentiam Dei adæquatè conceptam à Sapientia, sicut unum Attributum ab alio, nego: inadæquatè conceptam, concedo. Ad rationem ibi subiunctam, nego maiorem, loquendo de Essentia Dei adæquatè conceptâ: nam conceptus adæquatus Essentiæ metaphysicæ Dei non solum dicit illa prædicata quasi generica, & ex genere suo essentialia; sed æquè essentialiter alia Deo specialiter essentialia, qualia diximus esse omnia Attributa. Undè concessa minori, nego consequentiam de Essentia Dei adæquatè conceptâ.

Suarez.

101 Objicit sibi Suarez. Tunc unum prædicatum est ratione nostra extra Essentiam, cum ratione nostra supponit essentiam constitutam: sed Attributa Dei supponunt ratione nostra Essentiam Dei constitutam: ergo sunt extra Essentiam Dei. Maior patet

in Relationibus: quæ, quamvis sint idem cum Essentia Dei, non sunt de Essentia, quia supponunt Essentiam: & in Attributis entis ut sic, quæ non sunt de conceptu entis, quia supponunt ens: & idem est de risibili in homine. Minor verò probatur: quia prius concipimus Essentiam Dei, & de illa sic præconceptâ prædicamus Attributa sic: *Deus est Sapiens, Iustus, Omnipotens, &c.* Respondet sibi pro se, & pro nobis Suarez: nos, cum dicimus, *Deus est Sapiens,* aut, *Deus est Omnipotens,* quamvis ex parte subiecti concipiamus totam Essentiam Dei, non illi attribuere prædicatum aliquid, quod sit extra Essentiam, sed enūtiare distinctè quod ex parte subiecti non sic explicitè concipiebatur: sicut cum dicimus: *Homo est rationalis:* quamvis totum hominem, in quo essentialissimè involvitur rationalitas iam præconcipiamus ex parte subiecti, non enunciamus per prædicatum aliquid quod sit extra essentiam hominis, sed aliquid de intra essentiam, quod modus illè præconciipiendi hominem ex parte subiecti, non sic exprimebat. Sic ergo in forma, concessa maiori, negatur minor: ad cuius probationem iam est responsum, & respondebitur ulterius in sequentibus.

102 Urget Vasquez. Hic agimus de Essentia Dei, ut concipitur; non de Essentia Dei, ut extra intellectum est in se: sed in conceptu Essentiæ Dei non sunt explicitè Omnipotentia, Sapientia, Immensitas, aut Iustitia: ergo hæc Attributa non sunt de Essentia Dei, ut à nobis concipitur. Probatur minor: quia dum apprehendimus Essentiam, & Attributa, formamus diversos conceptus ergo quia Essentia, & Attributa Dei sic differunt, ut Attributa non sint intra conceptum Essentiæ formaliter metaphysicè. Respondetur, admittendo maiorem: sic tamen intellectam, inquit Suarez, quod agamus de Essentia Dei prout à nobis concipitur non demediatim, aut fictitiè; sed verè, & adæquatè essentialiter. Sic autem distinguo minorem: si conceptus Essentiæ Dei non est omninò explicitus, concedo: si sit omninò explicitus, nego minorem. Hoc certè in qualibet Essentia invenies: quia, si concipis essentiam hominis non omninò explicitè per conceptum, *homo,* aut per conceptum, *animal rationale:* per conceptum, *homo,* non omninò exprimis: *animal rationale:* nec per conceptum, *animal rationale,* omninò exprimis visivum, auditivum, iudicativum, & apprehensivum; quamvis hæc omnia sint de conceptu essentiali metaphysico Es-

sen.

sentia hominis, & exprimi deberent si conceptus Essentia hominis deberet esse omnino explicitus. Et idem est in Essentia Omnipotentia, in cuius conceptu omnino explicito exprimi deberent eminentia productiva Angeli, Hominis, Lapidis, &c. quae tamen in conceptu adaequate definitivo Omnipotentia non omnino explicito, *Virtutis à se omnium factiva*, non sic exprimuntur: quia perinde sine extra conceptum Essentia metaphysica Omnipotentia, cum in illo essentialissime involvantur. Sic ergo involvuntur Omnipotentia, Sapientia, Immensitas, Iustitia, aliaque Attributa in conceptu definitivo non omnino explicito Essentia Dei, qualis est, *Plenitudo omnis Perfectionis necessariae Simpliciter simplicis*: quae tamen in conceptu omnino explicito exprimi sigillatim deberent: à neutro autem excludi possunt nisi fingendo: at fingendo in quocumque volueris poteris constituere Essentiam Dei, & cuiusvis rei.

103 Ad probationem minoris, distinguo antecedens: si apprehendimus Essentiam, & Attributum per hos conceptus formales: *Attributum, & Essentia*; concedo antecedens: hoc autem non est ad rem: nam sic diversos etiam conceptus formamus de Essentia hominis, & de animali rationali dum dicimus: *Essentia hominis*: & dum dicimus: *animal rationale*, ut iam in *disput. 2. num. 47.* Si apprehendimus Essentiam per praedicatum illud nominatum, quod est Essentia Dei, subdistinguo antecedens: formamus diversos conceptus sese mutuo formaliter excludentes, nego: quorum unum, nempe Attributum involvitur essentialissime in altero, nempe in conceptu Plenitudinis omnis perfectionis necessariae Simpliciter simplicis, concedo antecedens: & nego absolute consequentiam: quia hoc non est, Attributa esse extra, sed intra conceptum Essentia Dei formaliter metaphysicè, non minus intimè, & essentialiter, quam iudicativum intra conceptum definitivum Essentia metaphysica hominis, & eminentia productiva Angeli, aut lapidis intra conceptum definitivum Essentia metaphysica Omnipotentia.

104 Insuper demum Essentia aliarum rerum habent conceptus suos secundarios, qui consequuntur uti proprietates ad Essentiam metaphysicam: cur ergo non similiter Essentia metaphysica Dei? Antecedens probatur in ente, cuius proprietates dicuntur esse verum, & bonum: & in homine, cuius proprietates dicuntur esse risibile, & admirabile.

Confirmatur: si Attributa non sunt secundaria Deo, sed de ipsius Essentia metaphysica; cur non similiter Relationes? Confirmatur secundò. Volitivum in homine, & Angelo est proprietates secundaria, & non de conceptu definitivo metaphysico ipsorum: ergo similiter in Deo.

105 Respondetur tripliciter. Primò, negando antecedens, si cum omni universalitate loquatur: nam complexum ex omnibus conceptibus, proprietatibus, realitatibus, & formalitatibus excogitabilibus omnium omnino entium, habet suam Essentiam metaphysicam: ad quam tamen nihil consequitur, ut proprietates: quia quidquid est, & excogitari potest est de Essentia metaphysica talis complexi. Secundò, dato antecedente, concedo consequentiam: iam enim in Deo sunt etiam suae proprietates, nempe Relationes, & actus liberi quoad denominationes contingentes, quae ad Essentiam Deitatis metaphysicam consequuntur. Si dicis: etiam ad physicam; hoc volumus, & sic debere esse probavimus *num. 72.* Tertiò, retorquendo: alia Essentia metaphysica habent accidentia intrinseca realiter ab ipsis separabilia: ergo & Essentia metaphysica Dei. Aliter: alia Essentia physica habent proprietates absolutas, quae consequuntur ad ipsas: ergo & Essentia physica Dei. Quid ad has consequentias? Quidquid sit.

106 Ad probationem antecedentis, fateor, verum, & bonum, esse proprietates extraessentialis Essentia metaphysicae entis; imò & physicae: quia sunt extra conceptum existibilitatis: qui conceptus ita adaequat Essentiam entis, ut eo praesens, quod daretur existibilitas daretur ens, metaphysicè, & physicè constitutum, etiam si per impossibile non darentur verum, & bonum. Quod si hoc nobis negatur, dicam, etiam, verum, & bonum esse de Essentia metaphysica entis, eodem modo, ac de physica. At certe, quibuslibet alijs positis, si per impossibile deesset Deitati aliquod Attributum, non esset Essentia metaphysica, sicut nec physica Dei: quia non esset ens plene perfectum; imò esset imperfectum, & defectuosum. Nec id dicere licet de Relationibus: quia in qualibet Divina Persona est realiter de facto tota Deitas, ut vidimus *sect. 5.* quin in qualibet sint realiter identice alia Relationes.

107 Ad illud de risibili in homine, dico, risibile eo ipso modo, quo dicatur esse conceptus secundarius hominis, dicendum esse, quod non est de Essentia metaphysica

hominis: et similiter, nec de physica, cum eodem modo sit extra conceptum corporis, & animae, & unionis. Posito namque animali rationali, non posito per possibile, vel impossibile risibili, daretur homo: & quidem metaphysicè, & physicè: cum tam repugnet dari suae suae Essentia physica, quam sine metaphysica. Quod si nobis negatur, in eo casu dandum fore hominem; dicam, quod dixi de vero, & bono ad ens, risibile in eodem sensu, quo est de Essentia physica hominis, esse pariter de metaphysica: & comprehendendi sub animali rationali, non minus ac visivum, & iudicativum. Nec facile dabitur ratio, cur visivum potius quam risivum involvatur in conceptu animalis rationalis: cum certe risus non minus sit sensatio, quam visio.

108 Ad primam confirmationem dico; Relationes non esse de Essentia metaphysica Deitatis, quia similiter non sunt de physica; Attributa verò ipsimet Adversarij nobiscum dicunt esse de physica. Rationem dedimus *sect. 5.* quia non omne quod realiter metaphysicè, & physicè est Deus, est omnes Relationes: & quaelibet Relatio distinguitur realiter ab aliquo, quod realiter est Deus. Quo etiam modo excluduntur ab


Essentia metaphysica, pariter ac physica Dei, perfectiones liberae quoad denominationes Deo contingentes: quia Deus esset realiter hic Deus metaphysicè, & physicè, quamvis realiter non sic, sed aliter denominaretur pro suo libito intrinseco.

109 Ad secundam, fallum reputant, & merito, antecedens Herize, Montoya, Aiosus, Martinon, Martinus Perez, Quiros, alijque doctissimi, asserentes ex S. Tho. volitivum tam esse de Essentia metaphysica hominis, quam intellectivum, & utrumque aequè essentialiter claudi in conceptu rationalis constituentis hominem. Quis enim velit, hominem essentialius dicere, esse principium visionum, quam volitionum? Itaque nomen, seu conceptus rationalis, vnde cumque ethimologicè sumatur (quod parum interesse vidimus ex S. Tho. *num. 37.*) complectitur aequè essentialiter tam potentiam appetitivam rationalem, quam potentiam cognoscitivam rationalem: quod iam innuimus *num. 86.* Quod si, ut vulgari estimationi morem geras, velis concedere antecedens; dicam ad hanc confirmationem de volitivo, quod *num. 107.* dixi de risivo, aut risibili. Unde, utrovis modo sit, neganda est absolute consequentia.

Herize  
Montoya,  
Martinon,  
Martinus  
Perez,  
Quiros  
S. Thom.

Supra  
sect. 3.

Supra  
num. 86.



## DISPUT. VI.

### DE SVBSISTENTIA DEI.

**I**VRBAVIT olim Ecclesiam controversia de subsistentia Dei; sive de Hypostasi divina, Authore cum alijs Nicephoro *lib. 5. cap. 15.* Postea verò conveniens iam magis inter Scholasticos usurpatio terminorum, quorum aequocatione diu laboraverant, supposita Fidei doctrina, quae post longas Disputationes magis inclaruit; quaestiones Scholis reliquit examinandas, in quibus, siminè iam Fidei negotium, res tamen vertitur Theologica magni ponderis, ut constabit per totam Disputationem. Quae quidem vna est è dignioribus Theologiae, tum Sacra Dogmata, tum Sanctorum PP. loquutiones, tum etiam Theologicas subtilitates opportunè concernens, ac edifferens. Post Sanctos PP. scribunt super hoc ex professo Doctor Eximius *lib. 4. de Trinit. cap. 11. & tom. I. in*

Nicephori

N

3. part.

Suarez. Vasq. Petav. Montoy.

3. part. disp. II. Pater Vasquez 1. part. disp. 125. & 3. part. disput. 27. Dionysius Petavius in Dogmatibus de Trinit. lib. 4. Didacus Ruiz de Montoya disput. 34. de Trinit. & alij, quos in decursu recensebimus.

SECTIO I.

EXPLORATIS VOCIBVS, ET statutis in Deo tribus Subsistentijs Relativis, instituitur questio de Absoluta.

2 Occurrunt identidem in præfenti hæc voces: Natura: Essentia: Persona: Personalitas: Suppositum: Suppositivitas: Hypostasis: Subsistentia: quas explorare iuvat in vestibulo, ut à certioribus minùs certa secerneudo, & deducendo, securiùs, & clariùs incedamus, aprè sententiæ, & loquentes in re Theologica, multum ad Fidem, orthodoxam simul, & orthologam, pertinente.

3 Natura, & Essentia, sumuntur in hac Disputatione pro eodem, ac in præcedenti: scilicet pro constitutivo Deitatis non solum contrapositè ad creaturas, sed etiam ad increatas Dei Relationes: quæ, cum Deus realiter sit, de Essentia tamen, seu de Natura Deitatis non sunt. Præter dicta disp. præced. præsertim sect. 1. & 5. habes plura in P. Vasquez 1. part. disp. 124.

Supra disp. 5. Vasq. Boetius.

4 Persona ex Boetio, & ex communi Doctorum sensu est: Rationalis Natura individua substantia. Quia tamen totum id videtur convenire Naturæ Divinæ per id, quod formaliter dicit seorsim à Personalitatibus: & animæ rationali quæ Personæ nõ est, cum incompleta sit; idcirco aliter id explicat Scotus ex Richardo Victorino, sic: Rationalis Natura incommunicabilis existentia. Utrumque conciliat Vasquez q. 29. art. 1. notans, quod idem est apud Boetium: Individua substantia; ac apud Richardum, incommunicabilis existentia. Sicque ex utroque erit omnibus Persona: Rationalis Natura incommunicabilis substantia: seu clarius: Substantia intellectualis incommunicabilis: vel: Concretum substantiale intellectu incommunicabile. Hanc incommunicabilitatem distinguam, & exponam sect. seq. Hinc Personalitas erit, Forma, seu formalitas constituens cum Natura Personam.

Scot. Richar. Vasq.

5 Suppositum deinde quid sit, colligo facile ex definitione Personæ, & ex alio principio vulgatissimo: quod nempe Suppositum sit gradus superior, seu universalior

respectu Personæ: cum eo discrimine, quòd Persona dicit Naturam intellectualem; Suppositum vero, sive intellectualem, sive non intellectualem. Itaque Suppositum nihil est aliud, nisi: Substantia incommunicabilis: seu: Concretum substantiale incommunicabile: præcisim utique à differentijs intellectualitatis, & non intellectualitatis. Hinc omnis Persona est suppositum; at non omne suppositum est Persona; quia multa supposita sunt irrationalia, sive non intellectualia. Suppositivitas igitur erit: Forma, seu formalitas constituens cum Natura suppositum. Observa, quòd aliquando, suppositum, sumitur abstractè pro suppositivitate, ut rectè animadvertit Hurtadus disp. 11. Meniam verò sumitur communiùs, ac meliùs concretè pro constituto ex Natura, & suppositivitate.

Hurt.

6 Hypostasis, ancipitem olim, ac dubiam habuit apud antiquiores Patres significationem. Alij recusabant, alij admittebant in Deo tres Hypostasies. Quandoquidem alij Hypostasim iungebant pro Essentiâ, sive Naturâ; alij verò, non pro Essentia, aut Naturâ, vel Usia; sed pro Persona, seu Personalitate. Hæc posterior loquutio postea invaluit, & iam omninò prævalet, ut videre est apud Montoyam disp. 31. Est igitur Hypostasis, in Deo idem, quod Personalitas, seu Persona: seu, univèrsaliùs loquendo, idem quod suppositivitas, aut suppositum: de quo idem Montoya disp. 5.

Montoy.

7 Subsistentia, denique dubiæ quoque significationis erat. Alij pro eodem viurpabant subsistentiam, Naturam, aut Græcè, Usiam, ac subsistentiam: alij pro eodem, subsistentiam, & Existentiam. Uterque tamen hic usus iam exolevit. Significat ergo iam præfius inter Scholasticos Subsistentia, non quamlibet substantiam, aut existentiam; sed substantiale quoddam substantiæ, seu Naturæ complementum, & perseexistentiam. Restat lis: an Subsistentia latius præteat, quàm Hypostasis, & Suppositivitas. Affirmant plerique docti Recentès cum Suar. multis in locis: rati videlicet omnem Hypostasim, omnemque suppositivitatem esse subsistentiam, & omne suppositum esse subsistentem; non tamen omnem subsistentiam esse Hypostasim, aut Suppositivitatem: &

Suarez. multis in locis.

simi-

Vasq.

Alphon. Lynceus. Montoy.

S. Thom.

Capreol. Durand.

Montoy. Arrubal

Cayer. Vasq. Suarez.

similiter nõn omne subsistens esse Suppositum ac proinde nec esse Personam: quia, inquit, multa substantiæ incompletæ, ut anima, & corpus separati, subsistunt, & non sunt Persona, nec Hypostasis, & habent Subsistentiam, Personalitatem, nec suppositivitatem. E diverso tamen alij totum hoc negant: cum Vasquez 1. part. disp. 32. vbi acriter asseverat, sententiam, id cum Suarez affirmantem, fuisse ad suum usque sæculum inauditam, & non nisi per abusum introductam: suamque esse Sanctis Patribus absque dubio conformiorem. Sic etiam Alphonus, & Lynceus, & pro cunctis luculentissimè Montoya disp. 34. sect. 3. monstrans ex multis Authoritatibus, in ore, & calamo Sanctorum Patrum, idem in Deo esse Subsistentiam, Suppositum, & Personam: ut est etiam in S. Thom. sæpè sæpiùs, præsertim 1. p. q. 29. art. 2. ad 2. ibi: Sicut nos dicimus in divinis pluraliter tres Personas, & tres Subsistentias, ita Græci dicunt tres Hypostasies. Dissidium hoc resolvemus cum & pro Patre Vasquez in sequentibus.

8 His circa nomina notatis, statuendum est primò, ut certum inter Theologos, tres saltem esse in Deo Subsistentias, quæ sunt tres Relationes Personales Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passivæ: ex quibus, & ex univèrsâ Deitate constituantur in vno Deo tres Subsistentes, tria Supposita, tres Hypostasies, tres Personæ. Undè audiendiam non sunt Capreolus, & Durandus, qui negantes tribus Dei Personalitatibus rationem Subsistentiæ, docuerunt Deum tantummodò subsistere per Subsistentiam absolutam realiter unam; per Personalitates verò non subsistere, sed Personari: quam loquutionem recusant iam his temporibus Montoya, & Arrubal. Struuntur secundò, præter tres istas Subsistentias Personales, seu præter tria ista divina Supposita, non dari in Deo Personam, Hypostasim, seu Suppositum absolutum. Undè certum iam est, non dari in Deo Subsistentiam absolutam, quæ sit Personalitas, seu Suppositivitas absoluta: quidquid de Semipersona, aut Semisupposito absoluto dixerit pessimè Cayetanus: propterea meritò reprehensus, & relictus à reliquis Theologis apud Vasquez, & Suarez disp. 34. Met. sect. 1. num. 2.

9 Superest nobis controversi: inter Scholasticos gravissima. An in Deo, præter tres Subsistentias Relativas Personales inter se realiter distinctas, detur Subsistentia Ab-

soluta ab ipsis aliquomodo distincta: quæ, quamvis seorsim ab ipsis non constituat Suppositum, aut Personam Absolutam, constituat tamen seorsim ab ipsis cum Deitate Deum in esse concreti substantialis verè subsistentis: vterius autem terminabilis in genere Relativo per tres Subsistentias Personales.

Scot. Albert. Marsil. Durand. Cayer. Bellarm. Fonseca. Molin. Suar. Ragusa. Aversa. Egid. Ribas. Perez. Borrull. Aldret. Bernal. Lumbier. Alòs. Io. à S. T. Godoy. Goner. Bonav. Valen. Vasq. Montoy. Zuniga. Merat. Aiosus. Casp. Deluge. Lugus. Arriag. Amicus. Cardin. de Lugo disp. 12. de Incarn. num. 43. Martin. Alter Lugus, Arriaga tom. 1. disp. 34. Amicus Compt. tom. 1. disp. 21. Martinon tom. 1. disput. 26. Rhod. Comptonus tom. 1. disp. 57. Rhod. Bugis. 9. 3. sect. 1. Bugis lib. 5 de Trinit. cap. 6. P. D. Tellez. Augustinus de Herrera Tract. de Trinit. Marfil Tellez disp. 56. Metaph. sect. 1. citans præterea Marfilium, Henricum, Præpositum, Gasparem Hurtad. Becanum, Vvadingum, & Arrubal. Sequuntur Eximie notæ Neotherici, & in sua Synopsis Platelius p. cap. 9. §. 2. num. 268.

SECTIO II.

REFERUNTUR DVÆ SENTENTIAE extremè oppositæ: & indicatur ex principijs Theologicis munus, & conceptus Subsistentiæ.

10 Prima Sententia concedit in Deo huiusmodi subsistentiam Absolutam individue communem tribus Personis. Ita Scotus, Albertus, Marsilius, Durandus, Cayetanus, Bellarminus, Fonseca, Molina, Suarez, Ragusa, Aversa, Egidius à Præsentatione cum alijs, quos citant, & sequuntur Ribas disp. 1. de Attributis, & sequuntur Ribas disp. 1. de Attributis, sect. 2. Martinus Perez disp. 11. de Trinit. Borrull disp. 3. de Attributis, & 13. de Trin. Aldrete disp. 42. de Incarn. Bernal disp. 24. Lumbier q. 5. de Attributis, art. 4. Alòs disp. 2. num. 69. & cum multis Thomistis Ioan. à S. Thoma disp. 14. Godoy disp. 24. de Trinit. Gonetus, & communissimè Recentiores.

11 Secunda sententia negat prorsus in Deo Subsistentiam Absolutam. Ita S. Bonavent. Valentia, Vasquez, & alij quos citat, sequiturque Montoya disp. 34. Zuniga q. 36. de Trinit. disp. 5. Meratius tom. 1. disp. 54. Aiosus tom. 2. disput. 18. Caspenis disp. 30. de Trinit. Quiros disp. 26. de Trin. Cardin. de Lugo disp. 12. de Incarn. num. 43. Martin. Alter Lugus, Arriaga tom. 1. disp. 34. Amicus Compt. tom. 1. disp. 21. Martinon tom. 1. disput. 26. Rhod. Comptonus tom. 1. disp. 57. Rhod. Bugis. 9. 3. sect. 1. Bugis lib. 5 de Trinit. cap. 6. P. D. Tellez. Augustinus de Herrera Tract. de Trinit. Marfil Tellez disp. 56. Metaph. sect. 1. citans præterea Marfilium, Henricum, Præpositum, Gasparem Hurtad. Becanum, Vvadingum, & Arrubal. Sequuntur Eximie notæ Neotherici, & in sua Synopsis Platelius p. cap. 9. §. 2. num. 268.

12 Quoniam in hoc de Subsistentiæ negotio Theologia potiùs Phylosophiæ, quàm Phylosophia Theologiæ præluxit, re-

N2

Et

Et sentiedi, & loquedi norma illa erit, quae cum imprimis Mysteria Fidei commodè explicet, & veritates Theologicas iuxta loquutiones SS. Patrum in sua puritate conseruet; quoad fieri possit nec entitates, aut modos in creatis, nec formalitates, aut virtualitates in diuinis multiplicet sine necessitate, nec effectus non necessarios novis formis pro libito attribuat, nec Subsistentiae ea munera gratis adiudicet, quae non constant ex principijs, vnde Subsistentia nominus,

*Ovied. Delug.* 13. Huic intentus regula Oviedus *com. 6. Met. p. 3.* citans Cardin. de Lu-

gō, ait, effectum formalem primarium, & speciale munus Subsistentiae esse constituere, & complere eam Naturam Suppositum.

*S. Thom.* Sic etiam censui in Philosophia: hinc late inferens, & firmans cum S. Tho. expressissime 3. p. q. 2. ar. 5. ad 1. in suppositis simplicibus pure creatis non compositis et partibus essentialibus, Subsistentiam esse realiter ipsorum Naturam; in Suppositis compositis pure creatis Subsistentiam esse ipsam substantialem vniuersalem partium essentialium; Unionem vero substantialem Animae, & Corporis Christi non esse Subsistentiam, quia est simul Unio Hypostatica ad increatum Subsistentiam Verbi. De quo; Deo dante, in Disputationibus de Incarnatione ex professo. Ubi Magister meus Lumbier *quaest. 16. ar. 5.* hanc meam sententiam, pro eâ, quâ mecum vitur Humanitate, ex meis Manuscriptis honorifice referre dignatus est: quam praedicti nostrae Provinciae Magistri amplexati sunt, & ingeniosissime elucidarunt, ac promoverunt.

*Lumbier* 14. Nunc probò breviter, hunc ab Oviedo assignatum, & non alium esse generatum genuinum, & formalem effectum primarium Subsistentiae ex principijs Fidei. Primò ex Mysterio Trinitatis. Scimus enim, Naturam Diuinam seorsim à tribus Relationibus Personalibus, quae certò Subsistentiae sunt, non esse Suppositum; & cum tribus Relationibus Personalibus realiter distinctis esse tria Supposita: ergo effectus, & munus Subsistentiae, prout ex Mysterio Trinitatis iuxta doctrinas certas colligitur, non est aliud, quam constituere cum Natura Suppositum. Secundò ex Mysterio Incarnationis. Scimus namque, Verbum assumptisse Humanitatem, & non hominem, Naturam, & non Suppositum: ergo id quod de nostro non assumpsit, est aliquid constituens eum Humanitate hominem, & cum Naturam Suppositum: id autem, quod de no-

stro non assumpsit, est Subsistentia: quam certè si assumpsisset; hominem, & Suppositum assumpsisset: ergo effectus, & munus Subsistentiae, prout ex Mysterio Incarnationis colligitur, nihil est aliud, quam eum constituere cum Natura Suppositum. Rursus: ex Natura humana, & Verbo vnitis constituitur homo, & Suppositum: sed scimus, Verbum, quod vnitur Humanitati, esse Subsistentiam: ergo effectus Subsistentiae exiitè quoque nobis notus, est constituere cum Natura Suppositum: id quod vltèrius ad-

*Infra sect. 4.* Cum ergo Subsistentiae munus sit constituere, & complere cum Natura Suppositum, quod est ex num. 5. *Concretum substantiale incommunicabile*; explicanda nunc venit ista incommunicabilitas. Cuius circa P. Suarez *disp. 34. Met. sect. 5.* eximie distinguit, & explicat varios modos, quibus vnum potest alteri communicari, hoc est vniri, seu, ut ibidem notat, vnum cum alio fieri, scilicet per compositionem. Alphon- sus verò *disp. 8. Phys. sect. 3.* quatuor praecipuos vtiliter seligit. Primus est, quo materia formae substantiali, & forma comunicatur materiae, fiuntque vnum compositum physicum. Secundus, quo Natura Subsistentiae, & Subsistentia comunicatur Naturae; fiuntque vnum Suppositum: & si Natura est intellectualis, fiit vna Persona. Tertius, quo partes integrales substantiales sese invicem comunicant, & fiunt vnum totum integrale. Quartum cmitto, quia non est inter duas Subsistentias, ideòque non è re praesenti.

16. Tribus istis communicationibus, vel comunicabilitatibus, totidem incommunicabiles contraponuntur. Prima, per modum materiae, & formae, quam vocant, actus, & potentiae: hanc incommunicabilitatem habet quaelibet substantia completa, vt Deus, Angelus, Homo, & Lapis: quia nequeunt sic invicem comunicari, vt fiant vnum per se compositum physicum per modum materiae, & formae. Secunda, per modum Naturae, & Subsistentiae: hanc habet Pater diuinus respectu Filij; angelus respectu hominis, & lapidis; vnus homo respectu alterius: quippe nequeunt sic invicem comunicari, vt è duobus fiat vnum Suppositum. Tertia per modum partis integralis: hanc habet Deus, & quaelibet res spiritalis vtpotè non potens integraliter componere, aut componi.

17. P. Vasquez tres saltem istas incom-

incommunicabiles requirere videtur ad rationem Suppositi. Melius tamen Alphon- sus, & communiter alij, duas tantum priores requirunt. Ea ratio est ab inductione facta per substantias, quae apud omnes sunt Supposita: vt Deus, Angelus, Homo, Leo, Arbor, Lapis, Ignis, Aqua, &c. & per substantias, quae supposita non sunt, iuxta S. Thom. Suar. & Valquez, vt anima, materia prima, & Natura quaelibet seorsim à Subsistentia. Illae namque priores substantiae, & non istae posteriores, habent praedictas duas incommunicabiles: quia non ordinantur ad vltèriorem compositionem, vel constitutionem, vt faciunt vnum per se essentialiter, sicut ordinatur materia ad formam, & Natura ad suam Subsistentiam. Duplex igitur illa incommunicabilitas est, quae sufficienter constituit rationem Suppositi; non autem tertia: nec enim homo, nec arbor, nec ignis, nec aqua deficiunt à ratione Suppositi, ex eo quod comunicari naturaliter possint cum vltèrioribus partibus integralibus, quibuscum faciant vnum per se integrale maius.

*Alphon. S. Thom. Suarez. Vasq.*

18. Declaro, & confirmo. Incommunicabilitas, quae constituit Suppositum, est quae facit suppositum esse substantiam absolute completam: sed hoc facit ea duplex incommunicabilitas: ergo ea est quae sufficienter constituit rationem Suppositi. Maior patet: nam propterea Subsistentia dicitur omnium ore complementum substantiales; & Suppositum, ens substantiale completum: vnde dicitur, Suppositum esse substantiam incommunicabilem: in quo quamvis ea incommunicabilitas explicetur quasi negativè, non est tamen in re quid pure negativum, vt cum Secto putarunt aliqui; sed est positiva perfectio completionis, ratione cuius concreta Suppositalia subsistunt, hoc est in se subsistunt, quasi vltèrius non progrediantur ex indigentia, vel exigentia comunicandi, vel vniendi se alteri substantiae, per quam, vel denuò substantialiter perficiantur, vel faciant cum illa vnum per se essentialiter, vt explicat aptè Delugo *sect. 3.* Probatur autem minor: quia incompletio essentialis substantiarum est exigentia, vel indigentia, quam vna substantia habet alterius, ad quam ordinatur, vt cum altera faciat vnum essentialiter: alioquin dicatur, quid sit incompletio? Sed eiusmodi indigentia, vel exigentia excluditur formaliter per conceptum praedictae duplicis incommunicabilitatis: quippe est conceptus non indigendi, nec exigendi

*Infra sect. 4. Suarez. Alphon. Scot. Delugo*

comunicari alteri termino substantiali, vt ex vtroque fiat vnum per se essentialiter substantiale: ergo ea praecise duplex incommunicabilitas facit formaliter suppositum esse substantiam completam, quod est munus formale, & speciale Subsistentiae. Haec sint satis ex Philosophia delibasse ad rem praesentem.

19. In quo tamen occurrit obiectio non contemnenda. Quia sic explicat à incommunicabilitate suppositi; nec Pater, nec Filius Diuinus essent supposita: ac proinde nec Paternitas, nec Filiatio haberent veram rationem Suppositalitatè, nec Personalitatè, nec Subsistentiae: sed hoc offendit in Fide: ergo nec ratio suppositi aptè explicatur per eiusmodi incommunicabiles, nec ratio Subsistentiae per hoc quod est vltimo constituere, & complere suppositum. Maior probatur: quia tam suppositum Patris, quam Filij ordinatur vltèrius ad constituendum cum Spiratione actiua vnum per se, scilicet vnum Spiratorem: non mirus, quam Deitas ad constituendum cum Paternitate Patrem, & cum Filiatione Filium: ergo si haec ordinatio tollit, quominus Deitas seorsim à Relationibus involuat formaliter rationem suppositalitatè, & Personalitatè, & apud nos rationem Subsistentiae; similiter tolleret, quominus eam involverent supposita Patris, & Filij.

20. Respondetur, negando sequelam maioris. Ad probationem, concedo antecedens; non tamen sine notabili disparitate inter Deitatem, & Supposita Patris ac Filij: quod nempe Deitas ordinatur vltèrius ad constituendum: Suppositum, nempe cum Paternitate, suppositum Patris; cum Filiatione, suppositum Filij, & cum Spiratione passiva, suppositum Spiritus Sancti: at Pater, & Filius non ordinantur ad spirationem actiuam ad constituendum cum illa vnum suppositum, sed vnum Spiratorem, qui non est vnum suppositum, sed duplex. Unde constitutio illa ex Patre, siue Paternitate, & ex Spiratione actiua, nec est tanquam ex materia, & forma substantiali ad constituendam vnâ Naturam: nec est ex Natura, & Subsistentia ad constituendum vnum suppositum; sed est tanquam ex supposito, & ex aliqua proprietate ad constituendum vnum Spiratorem: quae constitutio, seu quasi compositio, non opponitur completionì, seu incommunicabilitati, per quam explicuimus rationem suppositi. Quomodo modum diximus *num. 17.* quod in creatis non



non opponitur completioni, seu incomple-  
nibilitati constitutivæ suppositi vltior or-  
dinatio ad compositionem integram, seu  
accidentalem, seu proprietativam. Unde ne-  
go consequentiam.

SECTIO III.

NON DARI IN DEO SUB-

stantiam Absolutam, convincitur ab  
Authentate, & à Ratione.

Authentate, & à Ratione.

Authentate, & à Ratione.

21 **E**ligo hanc sententiam negati-  
viam, uti certissimè SS. Patribus  
conformidrem. Audiatur apud Vasquez  
Iustinianus Imperator in Confessione Fidei  
ad Summum Pontificem Ioannem II. sic  
proferens: *Quænam enim SS. Patres conso-*  
*nantes nos docent, aliud esse Naturam, sive*  
*Substantiam; aliud Subsistentiam, sive*  
*Personam; & Naturam quidem, sive*  
*Substantiam hoc, quod est commune, signi-*  
*ficare; Subsistentiam verò, sive Personam,*  
*hoc quod est speciale.* Sumit ergo pro eodem  
Subsistentiam, & Personam ex doctrina SS.  
Patrum: & de vtrâque pariter ait, quod in  
Deo est quid speciale: ergo hæ voces in ore  
SS. Patrum non significant in Deo quid  
Absolutum, & commune: ac proinde, sicut  
excludunt à Deo Personam Absolutam, pa-  
riter, & Subsistentiam Absolutam.

22 Insuper Concilium Constantinopo-  
litanum 2. in edicto Iustiniani ait: *Cum per*  
*se absolutè Natura dicitur, non adiuncta*  
*illi speciali cuiusdam Personæ; infinitum,*  
*& non subsistens aliquid significat.* Negat  
ergo clarissimè, seorsim à conceptu Per-  
sonæ dari in Deo conceptum subsistentis. Sic  
dixit Hilarius, Deum esse, *non unum subsi-*  
*stentem; sed unam substantiam, non diffe-*  
*rentem.* Esset autem Deus vnus subsistens,  
sicut vnus Omnipotens, & vnus Deus, si  
inter prædicata absoluta, & communia di-  
ceret. Absolutam Subsistentiam, sicut dicit  
Omnipotentiam, & Deitatem. Sicque lo-  
quuntur idem SS. Patres: ergo nega-  
bant in Deo differentissimè Subsistentiam  
Absolutam.

23 Dices: negabant illam, ut concede-  
batur à Sabellianis, tollentibus tres Subsistē-  
tias Relativas, & concedentibus vnicam  
Absolutam Personalem. Sed contra: quia  
non solum statuebant adversus Sabellium  
tres Hypostasias; sed negabant aliam Hypo-  
stasiam Absolutam: ergo non solum statue-

bant tres Subsistentias Relativas; sed nega-  
bant etiam aliam Absolutam. Alioquin elu-  
di facillè sic possent similes Patrum loquū-  
tiones in Hypostasibus, sicut in Subsisten-  
tijs: sicque præter tres Hypostasias Relativas  
admitti posset Hypostasis Absoluta, salva  
SS. Patrum mente, sicut præter tres subsi-  
stentias Relativas admittitur Absoluta. Pro-  
fectò in re tam periculosa certum est, San-  
ctos Patres evitasse omnem occasionem  
errandi, ac proinde propriissimè loquutos,  
cum agerent doctrinaliter contra Hæreti-  
cos. Nec decet, sic eorum verba detorque-  
re, ut cum idem apud ipsos sit Græcè *Hypo-*  
*stasis*, ac Latine *Subsistentia*; videatur  
latine sub nomine subsistentiæ concedere,  
quod Græcè sub nomine Hypostasis in hoc  
ipso puncto reluctabantur.

24 Sic Hieronimus: *confitemur tres*  
*Personas, vel ut Græci expriment, Hy-*  
*postases, hoc est, Subsistentias.* Cyrillus  
Alexandrinus loquitur de Hæreticis sic:  
*Imaginantur Vuirginum Dei Verbum*  
*antipostaton, hoc est, subsistentia, vel Hy-*  
*postasi, quæ per se verè, ac propriè subsistat,*  
*desiruum.* Theodoretus in Additionibus  
ad Breviarium Liberati. cap. vlt. sic: *Subsi-*  
*stentia, & Persona, in nullo significato-*  
*rum differunt, nisi in nomine: & paulò post*  
*Natura, & substantia generale quoddam;*  
*subsistentia verò, atque Persona, quoddam*  
*proprium significant.* Boetius sic: *Peritior*  
*Græcia sermonum, Hypostasin vocat in-*  
*dividuam subsistentiam.* Ex quibus, & alijs  
sic disputo. Idem omninò est in Deo Hy-  
postasis, Persona, & subsistentia, ut etiam  
monui *sect. 1.* & prosequitur luculenter  
Montoya *sect. 3.* sed nequit admitti, præter  
tres Hypostasias Relativas, Hypostasiam Ab-  
solutam, nec præter tres Personalitates Relati-  
vas, Personalitas absoluta: ergo similiter iux-  
ta loquutiones Patrum, nec præter subsi-  
stentias Relativas, subsistentia Absoluta.  
Hinc haud miror, præstantissimum Theo-  
logum Ruizium de Montoya in recensendis  
dis, ac librandis Patrum Authoritatibus  
exactissimum, dixisse, se non auctere de hac  
nostra sententia dubitare, postquam Conci-  
liorum, & Patrum loquutiones impensius  
introspexit.

25 Dices fortè, quod etiam Patres ad-  
mittebant antiquis vnicam in Deo Hypo-  
stasiam, & subsistentiam: ergo absolutam. Sed  
contra. Primò, quia si nunc dandus est lo-  
cus huic responsioni, eodem consequentiæ  
silo admittenda esset in Deo Hypostasis ab-

soluta, quæ solummodo daretur in  
lo-

soluta, quæ Subsistentia absoluta: sicque da-  
remus anam errori Sabellianorum. Secun-  
dò, quia, ut in lumine Disputationis præfati  
sumus, non negamus, aliquos Patres admi-  
sisse antiquis in Deo vnicam Hypostasiam  
quando nempe sumebant Hypostasiam pro  
substantia, vel essentia, & non pro Subsisten-  
tia, vel Persona: at postquam Ecclesia ritè  
discrevit in Deo significati earum vocum;  
*Substantia*, quod est idem ac Essentia, &  
*Hypostasis*, quod est idem ac Persona, sup-  
positam, & subsistentiam; sicut nullus ipso-  
rum dixit, nec potest dici, in Deo dari tres  
Substantias, nec dari vnicam Hypostasiam, ita  
nec vnicam Subsistentiam, quæ idem est  
apud Patres Latinos, quod apud Græcos;  
Hypostasis: ac proinde contra eos omnes  
admittitur nunc absoluta Subsistentia, nisi  
redeatur ad antiquam abusionem nominis  
subsistentiæ pro substantia.

26 Confirmatur. Contracta apud Græ-  
cos voce, *Vsua* ad significandum absolutum  
Dei; contrahitur inidipium apud Latinos  
vox *Natura, Substantia, sive Essentia*: ta-  
liter, ut sicut, decisa iam eà nominum lite,  
nequit Græcus admittere tres *Usias* in Deo;  
sic nec Latinus tres *Naturas*, tres *Substan-*  
*tias*, aut *Essentias*: ergo, contracta pariter vo-  
ce Græca, *Hypostasis*, ad significandum  
Relativum; contrahitur simillimè vox Lati-  
na, *Subsistentia*: taliter, ut post concor-  
diam illam Patrum Græcorum, & Latino-  
rum, sicut iam non licet Græco admittere  
Hypostasiam absolutam, adhuc admissis con-  
tra Sabellium tribus Hypostasibus Relati-  
vis; ita nec licet Latino admittere subsisten-  
tiam absolutam, præter tres subsistentias  
Relativas. Quod si hanc sic admittis cum  
addito *Absolutam*; cur Græco similiter  
non licebit, præter tres Hypostasias Relativas,  
admittere quintam Hypostasiam cum addi-  
to, *Absolutam*? quin etiam, & quartam  
etiam Relativam; quæ sit Spiratio activâ?

27 Non quidem video, quid possit  
responderi, nisi quod ingenue dixit Suarez  
*lib. 4. de Trin. cap. 11. num. 12.* Licere potuisse  
S. hol. sticis Doctoribus imponere huic vo-  
ci, *Subsistentia*, significationem univër-  
salem, in qua possit admitti Subsistentia  
absoluta, quæ sit non Hypostasis absoluta.  
Cæterum, cum boni Doctoris Eximij ve-  
nia dixerim hoc esse dare matius. Vasquez  
quodam hoc fundamentum ex Patrum Au-  
thentate peritum: hæc enim responsio, non  
negat nobis, Subsistentiam absolutam esse  
alienam à loquutionibus, & doctrinis verè-

rum Patrum, quod est præsens intentum,  
quidquid sit de ratione, quæ illam aliqui  
Scholasti i se accep. introducerunt. Præterea,  
si alijs scholasticis licuisset dicitur sic exten-  
dere nomen Subsistentiæ à l. Absolutum; cur  
non licuerit Cayerano extendere similiter  
ad Absolutum nomen Semisuppositi? Mihi  
quidem magis poteris est, quod consul-  
tissimè pronunciat Montoya, post statutam  
in Ecclesia significationem vocis *Hypostasi-*  
*sis*, nullquam inventi in Patribus Græcis  
Hypostasiam, nec in Latinis Subsistentiam,  
sumptam pro Absoluto; sed semper con-  
stantissimè pro Relativo, ac Personali: &  
paulò post notat, ex Patribus, qui antea ad-  
mittebant in absolutis vnam Hypostasiam, aut  
subsistentiam, nullum admisisse tunc tem-  
poris tres alias Personales: quippe tunc Hy-  
postasiam pro *Vsua*, seu pro *Natura* usurpa-  
bant. Undè liquiddò concludit, eos, qui nunc,  
admissis tribus Subsistentijs Relativis Per-  
sonalibus, admittunt insuper Absolutam, pug-  
nare contra modum loquendi, ac sentien-  
di omnium omninò Ecclesiæ Patrum, etiam  
illorum, quos pro se allegant.

28 Haussit hanc e Patribus veritatem  
S. Tho. qui *1. p. q. 29. art. 2.* ait idem signifi-  
care Hypostasiam, & Subsistentiam: & *art. 3.*  
subsistens in Natura rationali esse Personam:  
& *3. p. q. 2. art. 2.* Essentiam dici suppositum  
secundum quod est subsistens. Idem igitur  
est in S. Tho. esse subsistens, & esse suppo-  
situm: esse subsistens in Natura rationali, &  
esse Personam: ergo si in Natura divina in-  
tellectualissima seorsim à Relationibus da-  
retur ratio formalis subsistendi, daretur ra-  
tio essendi suppositum, & Personam: aut  
certè non bene loquutus esset Angelicus  
Doctor. Nihil tamen expressius, quàm quod  
habet in 3. distin. s. q. 2. art. 3. sic: *Circum-*  
*scribatur à Deo omnis ratio Personalitatis,*  
*ipsa Natura nec erit subsistens, nec*  
*erit in aliquo subsistente.* In nullo planè  
Auctore reperi clarioribus, & aptioribus  
terminis negatam in Deo Subsistentiam Ab-  
solutam: quam tamen Thomistæ vno ferè  
ore concedunt. Si dicas, S. Thomam loqui  
de Subsistentia Personali, ludicram facis, &  
falsam eius doctrinam: non secus, ac si di-  
xisset dicerès, circumscriptis Personalitatibus,  
Naturam Dei non fore substantiam: & in-  
terpretarèris, substantiam Personalem. Egre-  
giè. Loca S. Tho. quæ nobis, & sibi viden-  
tur opposita componam, aut exponam  
*sect. 6.*

29 Disputo deinde à ratione Theolo-  
gi-

Supra  
num. 1.

Hieron  
Cyrill.

Theodot

Boetius

Montoya

Montoya

Suar.

Montoya  
sect. 1.  
num. 16

S. Tho.

gica. Vel Natura Dei secundum id, quod dicit seorsim à Relationibus, est constituta concretè in esse Dei, vel non; si secundum; ergo seorsim à Relationibus non dicit subsistentiam, ex qua nimirum, & ex Deitate resultare dicitur concretum Deus. Si primum; ergo concretum, Deus, dicit, & non dicit aliquid virtualiter maximè distinctum à Deitate: non dicit, quia subsistentia Absoluta iuxta suos Propugnatores ex tantum concipiendi, seu ut aiunt, obiectivè, vel saltè non eà distinctione virtuali maximà, quã subsistentiæ Personales, distinguitur à Deitate: dicit verò, quia absolutè de Deo, & de Deitate verificat Ecclesia propositiones aliquo contradictorias: quales sunt istæ: *Deus generat: Deitas non generat:* quarum primam admittunt unanimiter SS. PP. apud Montoyam *disp. 79. & 80.* Secunda verò definitur in cap. *Damnatus*, de Summa Trinitate, ibi: *Qualibet trium Personarum est illa res, videlicet Substantia, Essentia, seu Natura Divina: & illa res non est generans.*

Montoy.  
cap.  
Damnatus.

30 Dices, à Patribus admitti, Deum generare, sumpto Deo pro Personà; non pro concreto ex Deitate, & ex subsistentiâ Absolutâ. Contra tamen primò. Quia iuxta Patronos subsistentiæ Absolutæ nomen *Deus*, simpliciter, & per se loquendo, significat concretum, seu constitutum ex Deitate, & ex subsistentia Absolutâ: hanc enim defendunt, ut sic facilius constituent unum Deum concretè, ut constabit ex ipsorum argumentis. At SS. Patres, affirmantes Deum generare, utuntur simpliciter nomine Dei: non quidem pro concreto vnde quaque absolute ex Deitate, & Subsistentiâ Absolutâ; sed pro concreto ex Deitate Absolutâ, & ex subsistentia Relativa Patris: ergo in re summa aliter accepissent eas voces Theologicas SS. PP. & longè aliter Patroni subsistentiæ Absolutæ. Contra secundò. Quamvis *Deus*, simpliciter, & per se loquendo, significet per vos quid vnde quaque absolutum; tamen in ea verissima præpositione, *Deus generat*, restringitur per prædicatum ad significandum aliquid personale, prout sufficit, ut verè dicatur: *Deus generat:* ergo pariter per similem restrictionem dici posset verè: *Deitas generat:* contra eà nimirum significationem per idem prædicatum: quandoquidem nec magis, nec minus distinguitur, aut indistinguitur à generante Deitas, ac Deus sumptus pro concreto ex Deitate, & subsistentiâ Absolutâ. Das disparitatem:

quia *Deus* dicitur per modum concreti; *Deitas* per modum abstracti. Frustra tamen: quia disparitas hæc concreti, & abstracti, si concretum est purè, & vnde quaque absolute pariter ac abstractum, quale dicitur esse concretum ex Deitate, & subsistentia absolutâ; nihil prorsus refert ad hoc, ut verè dicatur potius generare Deus, quam Deitas: sicut nec ad hoc, ut potius distinguatur à genito Deus sic sumptus, quam Deitas.

31 Disputo præterea comminuendo, & annullando ratiunculam caducissimam, cui aliquos video imbecillimè adhaerescere, imaginantes non attribui Naturæ absolutæ Dei subsistentiam proportionatam, si non illi attribuitur subsistentia absolutâ. Ago sic: ut Natura absoluta Dei, proportionatissimè personetur, non requiritur Personalitas absoluta: ergo nec subsistentia absolutâ, ut proportionatissimè subsistat: aut dicatur, cur proportionatissimè perforatur per Personalitatem, quæ non sit de linea absolutorum; & non proportionatissimè subsistat per subsistentiam, quæ non sit de genere absolutorum; aut cur præter Relationes ad hanc proportionem non requiratur Personalitas absoluta, & requiratur subsistentia absolutâ? Aliter: non minus observari debet proportio Naturæ cum subsistentia, quam subsistentiæ cum Natura: sed subsistentiæ Relativæ non requirunt ratione mutæ proportionis Naturam Relativam, quam subsistere faciant: ergo nec Natura Absoluta Subsistentiam Absolutam, quæ subsistat. Futilis ergo, & inanis est ratiocinatio illa ducta ex eiusmodi proportione. Quo videbis enervari multos Adversariorum conatus inter eorum obiectiones infra retundendos.

#### SECTIO IV.

##### DISPUTATUR IMPENSIVS

ex consideratione, & examine effectus, & conceptus formalis Subsistentiæ.

32 **I**N hunc modum. Conceptus essentialis subsistentiæ est ultimò constituere cum Natura suppositum: sed nulla est in Deo perfectio absoluta ultimò constituens cum Natura suppositum: ergo nulla est in Deo Perfectio Absoluta, quæ formaliter sit subsistentia. Consequentia tenet. Minor constat ex certis Fidei prin-

Supra  
sect. 1 & 2

cipijs, ut vidimus *sect. 1. præsertim num. 8.* nec negatur ab Adversarijs. Maiorem, quam nobis negant, præterquã quod satis fundata manet *sec. 2. n. 14.* ex principijs Theologicis in Mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis; probò nunc univèrsaliùs. Nullus alius assignari valet effectus, & conceptus formalis, essentialis, & primarius subsistentiæ ut sic, standò Fidei, & Philosophiæ: ergo, cum iste conceptus constituendi cum Natura suppositum ex Mysteriorum Fidei colligatur, & Philosophiæ non adverteatur, iste, & non alius retinendus est pro constitutivo subsistentiæ ut sic. Antecedens probatur reiiciendo varios alios effectus, & conceptus subsistentiæ à varijs assignari solitos.

33 Atque imprimis reiiciendus venit à primario constitutivo subsistentiæ conceptus reddendi Naturam independentem à subiecto inhesionis, ut omninò insufficientis. Nam Anima Christi, & materia prima Christi sunt per se, vel per formam aliquam creatam independentes à subiecto inhesionis: tum formaliter, quia seorsim etiã à beneficio divinæ Personalitatis in nullo sunt inhesionis subiecto: tum etiam radicaliter, quia non petunt ex se subiectum inhesionis; imò petunt non inhaerere, secluso etiam beneficio Personalitatis Verbi: sed non subsistunt per se, cum creatæ sint, & in Christo sint, in quo nihil creatum est subsistentia; nec per aliam formam creatam: alioquin concederetur etiam in Christo subsistentia creata præter incretam Divini Verbi contra Fidem: ergo reddere Naturam independentem à subiecto inhesionis non est conceptus, aut effectus formalis sufficiens pro constitutivo subsistentiæ ut sic, ut aiebant olim nonnulli, propterea meritò nunc impugnantur ab ipsis etiam, quos impugnamus.

34 Deinde nec est, ut aiunt communiùs alij, reddere Naturam independentem, seu incommunicabilem alteri supposito. Primò, quia certum est, Deitatem subsistere per Paternitatem: at tam procul abest, quòd Paternitas reddat Deitatem incommunicabilem alteri supposito; quin potius Paternitas ipsa sit communicatio Deitatis alteri supposito, nempe Filio, iuxta aliquos: & iuxta reliquos sit saltem conditio, ut Deitas communicetur. Secundò, quia certum etiam est, Humanitatem Christi subsistere per subsistentiam Verbi: per quam, addunt alij, subsisteret etiam si simul subsisteret per propriam: at tam procul abest, quòd per illam reddatur incommunicabilis al-

teri supposito; quin potius per illam est in altero supposito, nempe Verbi: ergo non est idem in Deo, Naturam subsistere per Paternitatem, ac reddi incommunicabilem alteri supposito: nec est idem in Christo, Humanitatem subsistere per Personalitatem Verbi, ac reddi incommunicabilem alteri supposito. Deficit ergo conceptus iste subsistentiæ in duobus Fidei Mysteriorum, ex quibus subsistentiam novimus. Quo fieret, ut doctrina de subsistentia, in subsidium veritatis Catholice à Concilijs, & Sanctis Patribus in Scholas derivata, ipsis Fidei Mysteriorum adverteatur, prout iam à multis cepit explicari, & suis Philosophijs applicari.

35 Idcirco cautius iam alij docent, conceptum subsistentiæ non esse, reddere Naturam incommunicabilem alteri utcumque supposito; sed alieno, sive extraneo supposito: Hoc autem iam habet Deitas à Paternitate, per quam, licet non fiat incommunicabilis alteri supposito intraneo, quale est suppositum Verbi; benè tamen alteri extraneo, & alieno. Contra tamen.

36 Primò: quia sic Deitas eundem incommunicabilitatis conceptum, quem habet per subsistentiam personalem Paternitatis, habet etiam per se seorsim, vel, si mavis, per subsistentiam absolutam. Nam per subsistentiam Personalem non fit incommunicabilis alteri utcumque supposito; extraneo, autè, sive alieno extra Deum, etiam seorsim à subsistentia Personali: iam per se, sive per subsistentiam absolutam incommunicabilis: ergo similiter Personaretur per se, vel per subsistentiam absolutam, ac per Paternitatem, quæ est subsistentia Personalis Relativa: vel scire desidero, per quem incommunicabilitatis conceptum derivatum à Paternitate in Naturam, constituatur Natura in esse Personaliter subsistentis; qui conceptus non relucent seorsim in absolutis?

37 Secundò: quia sic non occurritur secundò exemplo desumpto ab Humanitate subsistente per subsistentiam Verbi, per quam tamen communicatur alieno supposito. Nec dicas subsistentiam Verbi esse Humanitati alienam; effectum verò, sive conceptum supra assignatum, esse conceptum subsistentiæ propriæ. Tum quia inquirimus effectum, & conceptum subsistentiæ, ut sic, communem propriæ, & alienæ. Tum quia alioquin sequeretur, Verbum non suppleri in Humanitate defectum subsistentiæ propriæ, quoad primarium conceptum sub-

fistendi: siquidem conceptus subsistentiæ propriæ esset, reddere Humanitatem incommunicabilem supposito alieno; & à Personalitate Verbi id non habet Humanitas; imò oppositum, scilicet communicari, & inesse alieno supposito.

38 Dices, non esse alienum suppositum respectu concreti resultantis ex Humanitate, & subsistentiâ Verbi. Contra: quia sic concedendum etiam erit, nec reddi Humanitatem incommunicabilem supposito Patris, & Spiritûs Sancti: quippè respectu concreti resultantis ex Humanitate, & subsistentiâ Verbi, ea supposita, quamvis sint distincta, non sunt extranea, nec aliena iuxta datam explicationem: alioquin, nec Personalitas Verbi relinquens Deitatem communicabilem Spiritui Sancto, redderet eam incommunicabilem alieno supposito, ac proinde nec subsistentem. Contra secundò, aduersus alios, docentes cum P. Bernal, productionem substantialem esse subsistentiam, dummodo non sit vnio termini producti ad alienum suppositum. Sequitur enim, productionem Humanitatis Christi fore subsistentiam: quia, quamvis eam communicet supposito alieno Humanitati, non tamen alieno respectu concreti ex Humanitate, & Verbo. Aut si alieneitas ea suppositi respectivè ad Humanitatem sufficit, vt productio Humanitatis nò sit subsistentia, quamvis tali productioni debeatur essentialiter suppositum Verbi: ergo sufficere eodem iure ad hoc, vt Verbum non suppleat vices subsistentiæ propriæ Humanitatis, cui alienum est, & indebitum suppositum, cui communicatur, dum assumitur à Verbo. Sic ergo Verbum non reddit Humanitatem incommunicabilem alieno supposito, prout, iuxta dictam explicationem, requiritur ad conceptum subsistentiæ vt sic.

39 Propter hæc, & alia, docent alij paulò aliter, conceptum subsistentiæ esse eam incommunicabilitatem: non qua Natura reddatur incommunicabilis, sed qua concretum substantiale, ex Natura, & subsistentiâ resultantis, redditur incommunicabile alieno supposito. Sicque aiunt, quod quamvis Deitas non sit incommunicabilis alteri supposito, constituitur per Paternitatem in esse concreti incommunicabilis, nempe in esse Patris: & quamvis Humanitas non reddatur incommunicabilis, imò communicatur alieno supposito per subsistentiam Verbi, per hanc tamen constituitur in esse concreti incommunicabilis, nempe in esse Christi

40 Ex hac doctrina sic infero: ergo omne concretum substantiale incommunicabile alieno supposito est formaliter per se subsistens: & idem erit, concretum aliquo d esse subsistens, ac esse incommunicabile alieno supposito. Iam pro insufficientia huius doctrinæ duo sunt resumenda ex ore Authorum, quos nunc impugno. Primum: apud illos (quod tamen ipse cum Vasquez *Vasq.* nego) animam rationalem, seorsim etiam à corpore, subsistere: ac proinde esse concretum substantiale incommunicabile alieno supposito, prout sufficit, & requiritur ad conceptum subsistentiæ. Secundum: concretum, quod requirunt ad rationem subsistentiæ, sat esse, si sit logicum, vel metaphysicum ex formalitatibus ratione diversis: quippè talè dicunt esse Deum ex Deitate, & subsistentiâ absolutâ, non realiter, nec virtualiter maximè, sed ratione dumtaxat distinctis.

41 Nunc sic. Vel anima separata, quæ per vos est subsistens, est concretum incommunicabile alieno supposito: vel non. Si non est: ergo non benè statuitur à vobis conceptus subsistentis, vt sic. Si est, rogo: quid intelligatur per alienum suppositum, cui anima subsistens est incommunicabilis? Vel enim intelligitur omnis alia substantia distincta ab anima: & hoc non: tum quia non omnis substantia distincta ab anima est suppositum: cum suppositum non sit nisi substantia completa: tum quia, anima non est incommunicabilis corpori, quod tamen est substantia distincta ab anima. Vel intelligitur omne suppositum distinctum à supposito animæ separata: & neque hoc: tum quia anima, vt potè substantia incompleta, quamvis iuxta aliquos subsistat, non tamen est suppositum, vt contra vnum, vel alterum supponimus vtrunque ferè omnes cum S. Tho. Bonavent. Scot. Suarez, & Vasquez, suisque Scholis, apud Montoyam *disput. 32. sect. 2.* Tum quia, quomodocumque per absum, anima vocetur suppositum, intelligendo per suppositum quodlibet concretum substantiale; sic etiam corpus esset pariter suppositum; sicque anima communicabilis corpori, non esset incommunicabilis omni supposito ab ipsa, distincto. Vel tandem intelligitur omne suppositum adæquatè distinctum ab anima: hoc est, à supposito quod anima petit constituere communicata corpori, cum quo constituit suppositum humanum: & hæc videtur explicatio minus inepta.

42 Verum enim verò, nec per hanc

explicatione stare posse rationem subsistentis vt sic in eiusmodi incommunicabilitate; probo sic. Quia sequeretur, dari in Christo conceptum subsistentiæ creatæ: quod est manifestus error Nestorianismi. Sequelam ostendo, comparans animas Christi, & Petri separatas à corpore: Nam anima Christi pariter ac anima Patri est constituta per aliquid purè creatum in esse concreti incommunicabilis alteri, sive alieno supposito: sed hoc sufficit, iuxta datam explicationem, vt anima Patri seorsim per vos subsistat per aliquid creatum: ergo pariter id ipsum sequeretur de anima Christi. Difficultas stat in maiori: quam evincere conabor ad homines, scrutans varias responsiones, & disparitates.

## SECTIO V.

ARGUMENTUM PRÆCEDENS  
argumento, dissipatà multiplici  
responsione.

43 Respondent primò. Animam Christi esse reipsa communicatam alieno supposito Verbi; secus verò animam Petri. Contra. Communicatio alieno supposito non opponitur essentialiter incommunicabilitati per vos requisitæ ad conceptum rei subsistentis per subsistentiam propriam: ergo quod Anima Christi præ Anima Petri sit actu communicata alieno supposito, non est sufficiens ratio, cur non sit constituta in esse subsistentis per subsistentiam propriam, pariter ac Anima Petri. Antecedens patet ex principijs Adversariorum: non enim constituunt cum Scotistis (contra quos nunc non disputo) conceptum subsistentiæ per negationem communicationis alieno supposito: imò aiunt, posse animam Petri retentâ subsistentiâ propriam, ac proinde retentâ ratione incommunicabilitatis sufficientis ad subsistendum per subsistentiam propriam, communicari alieno supposito, ita vt simul subsistat per subsistentiam propriam, & per alienam: ergo communicatio præcisè alieno supposito non opponitur essentialiter incommunicabilitati, quam ipsimet requirunt ad conceptum subsistentis per subsistentiam propriam.

44 Confirmatur. Per vos ea incommunicabilitas non est per modum metaphysicæ repugnantæ communicationis; sed solum per modum naturalis exigentiæ incommunicationis, seu naturalis inexigentæ

communicationis alieno supposito: atqui ea communicatio non opponitur essentialiter exigentiæ naturali incommunicationis, nec inexigentæ communicationis: ergo non opponitur essentialiter prædictæ incommunicabilitati. Maior est Adversariorum, nobiscum docentium, concretum subsistens prædicto modo incommunicabile posse simul divinitus communicari alieno supposito. Minor probatur: nam in materia prima non sunt rationes essentialiter oppositæ, exigere vnionem cum forma, & esse inuitam formæ; nec in quantitate, exigere impenetrationem, & non esse impenetratam: nec in accidentibus exigere subiectum, & esse sine subiecto; nec in ipsa anima, exigere statum vnionis, seu inexigere statum separationis, & esse actu separatam: ergo nec in Anima Christi, esse actu communicatam alieno supposito, & esse prædicto modo incommunicabilem per aliquid creatum: ergo non obstat eiusmodi actualis communicatio, quomòdus Anima Christi pariter, ac anima Petri dicatur subsistens per aliquid creatum, stando doctrinis Adversariorum.

45 Respondent secundò: animam Petri retinere modum suum substantialem subsistentiæ, quò caret Anima Christi ob naturalem saltem oppositionem, & incommunicabilitatem talis modi proprii cum subsistentia aliena suppositi Verbi. Contra: quia iam certè supponimus ex Fide, Animam Christi carere subsistentiâ creatâ, sive sit modus, sive sit res, aut quodcumque aliud sit: at certissimum etiam est, non carere suâ entitate essentiali. Exinde autem improbatum rationem subsistentis vt sic, assignatam ab Authoribus, quos insequimur. Si namque ratio subsistentis esset, esse substantiam constitutam in esse concreti incommunicabilis alieno supposito: ergo substantia, quæ à perfectione creata, quæcumque ista sit, eiusmodi conceptum habet, per perfectionem creatam constitueretur in esse subsistentis. Quòd autem Anima Christi eiusmodi conceptum habeat à perfectione creatâ, probo. Quia id habet per semetipsam: quandoquidem per semetipsam, sicut exigit communicari suo supposito, sic exigit non communicari, aut saltem inexigit communicari alieno: ergo ex natura ipsa, seu entitate Animæ Christi, & ex formalitate illa prædictæ incommunicabilitatis, constituitur concretum quoddam substantiale logicum, seu metaphysicum incommunicabile alieno supposito: quod per vos est idem ac subsistens,

Sicque sequitur, quod in eo concreto, vnde cumque, & quomodocumque id proveniat, detur formalis ratio subsistendi à vobis assignata: cum tamen nihil dicat formaliter, quod creatum non sit: solum enim dicit Naturam, seu entitatem animæ, & formalitatem illam prædictæ incommunicabilitatis cum ipsa realiter identificatam: ergo esset ibi subsistentia creata contra Fidem.

46 Confirmatur. Nam, quia conceptus quantitatis est impenetrabilitas localis, etiam si divinitus eveniat penetratio, manet quantitas ubi manet ea localis impenetrabilitas: & illud, à quo formaliter provenit ea impenetrabilitas, est ratio formalis quantitatis: vnde materia prima, saltem possibilis, quæ per suam entitatem sine forma superaddita id haberet, esset formaliter quanta, & quantificativa per suam entitatem realem: ergo si conceptus rei subsistentis est, esse constitutam in esse concreti substantialis incommunicabilis alieno supposito; etiã si id eveniat, ut evenit in Anima Christi, actualis communicatio alieno supposito, manebit ratio, & conceptus subsistentis, dummodo maneat ea constitutio concreti incommunicabilis alieno supposito. Quod si id habetur per perfectionem aliquam creatam, dabitur ratio, & conceptus subsistentiæ creatæ: & ubicumque reperitur Natura id habens per se seorsim à modo, & à formâ superadditâ; talis Natura erit per suam entitatem subsistens, seorsim etiam à modo, & à formâ realiter superadditâ, ut evenit iuxta ipsosmet Adversarios in Natura divina, seorsim etiam à Relativis absolute subsistente. Atqui eiusmodi conceptum habet, ut vidimus, per suam entitatem Anima Christi: ergo si hic, ut vult hæc sententia, est conceptus essentialis rei subsistentis, sequitur liquidò, Animam Christi subsistere per subsistentiam creatam.

47 Respondent tertiò: Animam Christi per suam entitatem esse sic incommunicabilem solum negativè; animam verò Petri, positivè per suum modum subsistentiæ. Contra. Entitas Animæ Christi positivè sumpta, & ex se, vel exigit communicari supposito alieno, sicut proprio: vel pariter neutri? vel alieno, & non proprio: vel proprio, & non alieno. Non primum: sic enim entitas Animæ Christi positivè sumpta, & ex se exigeret Unionem Hypostaticam non minus, ac propriam subsistentiam, quod est falsum. Non secundum: sic enim entitati positivæ animæ non magis deberetur suam

connaturale complementum, quam Personalitas Verbi, quod est falsius. Non tertium: sic enim anima potius exigeret subsistentiam Verbi, quam suam: quod est falsissimum. Restat ergo quartum, quod entitas animæ positivè, & ex se sumpta, exigit communicari proprio supposito connaturaliter, & non alieno divinitus: ergo dicit positivam incommunicabilitatem alieno supposito.

48 Confirmatur. Duo dicit Anima Christi: unum, esse communicatam alieno supposito; aliud esse incommunicatam proprio. Atqui ista incommunicatio non tollit ab ipsa positivam communicabilitatem proprio supposito: ergo nec illa communicatio positivam incommunicabilitatem alieno. Dices, animam ex se exigere positivè proprium; alienum verò, nec exigit habere, nec non habere; sed abstrahit: & hoc est non habere positivam incommunicabilitatem alieno supposito. Contra. Tum quia, si ex se positivè non magis exigit habere, quam non habere alienum, tam esset iuxta entitatem positivam animæ uniri Verbo, ac non uniri: sicquæ utrumque, vel neutrum esset animæ connaturale. Tum quia anima Petri sumpta cum modo suo proprio subsistendi, quem Adversarij ei concedunt, dicit incommunicabilitatem alieno supposito: alioquin non esset subsistens. Rogo nunc: an ea incommunicabilitas sit per modum positivæ repugnantia, vel solum per modum positivæ inexigentia, taliter quod nec positivè exigit communicari, neque non communicari supposito Verbi. Si secundum, ergo eundem conceptum incommunicabilitatis, ac proinde & subsistentiæ, haberet creata Anima Christi per suam entitatem positivam, ac anima Petri per suam illum modulum subsistentiæ superadditum. Si primum: vel ergo positiva illa repugnantia, quam dicit anima Petri modificata à subsistentia sua superaddita, est illi essentialis, taliter, ut nec divinitus possit cum illa simul communicari Verbo; vel est solum naturalis, taliter, ut non possit communicari naturaliter; bene verò divinitus. Primum negant nobiscum Authores, quos impugnamus. Secundum habet etiam Anima Christi per suam entitatem positivam creatam, seorsim à quolibet modulo: cum ex se nequeat connaturaliter uniri Verbo: ergo Anima Christi, & Anima Petri essent omnino pares in conceptu prædictæ incommunicabilitatis, ac proinde in ratione subsistenti per aliquid creatum: si hoc creatum sit modus superadditus, si

ve ipsa entitas animæ: quod utrumque est pariter contra Fidem.

49 Respondent quartò, Animam Christi id habere non formaliter, sed fundamentaliter, seu radicaliter, quatenus exigit modum suum subsistentiæ, quo caret & quo constitueretur in esse concreti formaliter incommunicabilis: at anima Petri per suum modum superadditum subsistentiæ id ipsam habet formaliter. Ventum est ad discrimen, quo proditur futilitas doctrinæ contrariæ: cuius ipsissimo filo, qui colludere in serijs vellet, duci potest ad negandam facilitatem Deo subsistentiam absolutam, dicendo, Deum per absolutas suas perfectiones habere quidem quam volueris incommunicabilitatem: non tamen formaliter; sed fundamentaliter, quatenus absoluta exigunt Personalitates Relativas, à quibus id ipsum habetur formaliter: sicquæ in his solis elucere conceptum subsistentiæ divinæ. Placet ne? Placere necesse est complacentibus sibi in inanitate prædictæ responsionis: quam sic insequor.

50 Si enim anima Petri, & Christi in eo conveniunt, quod utraque per perfectionem creatam est incommunicabilis alieno supposito; differunt tamen, ut vultis, in eo, quod anima Petri id habet formaliter; anima verò Christi, non formaliter, sed fundamentaliter; rogo. Quid est, id habere formaliter? Si dicas esse, id habere per formam superadditam, tecum pugnas: quippe propugnans, id habere formaliter Deitatem absolute subsistentem, & non per formam superadditam. Si dicas, id sic evenire in Deitate ob ipsius infinitudinem; certe substantiæ finitæ multas denominationes habent formaliter sine formâ superadditâ. Imprimis enim per suammet entitatem est anima formaliter spiritualis, Intellectiva, Volitiva, & existens, sine spiritualitate, intellectu, voluntate, & existentia, quæ sint formæ superadditæ. Deinde coniunctum ex anima Petri, & ex suo illo modulo, finitum est: & tamen per se habet formaliter formalem illam incommunicabilitatem. Nisi velit fortè aliquis non contentus illo primo modo superaddito ad incommunicabilitatem omnino formalem, superaddere pro libito secundum ad incommunicabilitatem formaliorem, & tertium ad formalissimam: sicquæ dicere, per primum fieri concretum semi-subsistens, per secundum subsistens, per tertium sesqui-subsistens, & si placet, per quartum resubsistens, aut subsistentissimum: & in hoc postre-

mo, nisi ulterius progredi lubeat, porre rationem formalissimæ subsistentiæ; in alijs verò solum fundamentaliter, radicaliter, initiativè, seu dispositivè ad formam formalissimæ subsistentiæ. Sicine deceat prædicentissimè disputari in doctrinis præcipua Fidei Mysteria concernentibus?

51 Iterum ad rem. Anima præcisim, & seorsim à quolibet modo superaddito est formaliter exigens suum statum connaturalem: ergo est formaliter exigens non communicari, seu inexigens communicari Verbo, & cuicumque alieno supposito: status enim alieni suppositi non est animæ connaturalis. Antecedens patet: nam alioquin ad eam ipsam exigentiam formalem sui modi, seu status sui connaturalis præquiretur in anima alius modulus, & ad exigendum formaliter istum, similiter alius: id quod, quamvis ridendum omnino sit, ex doctrinâ tamen contraria responsionis dici posset eadem facilitate, quâ dicitur entitatem animæ non esse sic formaliter incommunicabilem, aut exigentem non communicari, aut inexigentem communicari alieno supposito, nisi per formam sibi realiter superadditam. Quinimò & dicas etiam, animam, nec esse formaliter incommunicabilem connaturaliter subiecto inhesionis, nec intellectivam, nec existentem, nec spiritivalem, nisi per totidem modulus superadditos: sicquæ nec quantitatem esse per se formaliter impenetrabilem, sed per modum superadditum in ipsa fundatum, seu radicatum. Repetam quod alibi ex Augusti-

52 Videntes alij insubsistentiam harum sententiarum constituentium subsistentiam ut sic per prædictas incommunicabiles ad alienum suppositum; docent, conceptum, vel effectum formalem subsistentiæ ut sic, nihil esse aliud, nisi constituere cum Natura concretum substantivum. Rogati autè, quid sit constituere concretum substantivum; respondent, aliud non esse, quam constituere cum Natura Humana hominem, Suppositum, Personam; cum divina, Deum, Patrem, Filium cum Natura Leonina Leonem. Si hæc sisteret hæc explicatio, fortè quamvis vix quidquam explicet; saltem à verò re ipsa non deviarete pergite tamen, ut locum faciat subsistentiæ absolute Dei, concedens subsistentias partiales entibus incompletis, ac proinde omnino in subsistentibus: animæ scilicet, & materialis separatis: cum quibus eiusmodi subsistentia:

Augusti  
Supra  
disp. 2.  
num. 35

stentia partialis, sicut nec cum Deitate subsistentia solum absoluta, non constituunt et n-cretum substantivum, quod sit suppositum, aut Persona. Unde nequit esse conceptus subsistentia: ut sic, constituere cum Natura concretum substantivum, quod sit Persona, aut suppositum; sed concretum substantiale utcumque.

53 Hoc autem, nisi sanius explicetur, falso falsius est. Primum, quia ex Patre, & Filio, & ex Spiracione activa coalescit unus Spirator concretus substantivus. Vel ergo propterea spiratio activa est subsistentia; vel non. Si non: ergo nulla prorsus est ratio subsistentia: sic explicata. Si sic: ergo dantur in Deo quatuor subsistentia: relativa: nam Spiratio activa Relatio est. Quaram ulterius, cur ista non sit quoque subsistentia Personalis? Secundum, quia ex Unione Hypostatica, & ex Humanitate constituitur formaliter concretum substantiale uniti: & in eo concreto non relucet formalis ratio subsistentia: alioquin daretur in Christo ratio subsistentia: creatae. Tertium, quia ex intellectivo, & intellectione Dei constituitur concretum substantiale intelligentis, praecisum etiam a formalitate subsistentia: absoluta: & in eo praecisum concreto non relucet conceptus subsistentia: Quartum, quia ex Anima Christi, eiusque spiritualitate constituitur Logicus, vel Metaphysicus concretum entis, sive substantia: spiritualis seorsim a modo superaddito subsistentia: in quo tamen concreto non relucet conceptus subsistentia: ne in Christo reluceat: exinde ratio subsistentia: creatae. Quintum, quia ex partibus Corporis Christi, earumque unionebus continuativis constituitur concretum substantiale corporis substantialiter integri: in eo autem concreto substantiali non relucet formaliter ratio subsistentia: Ergo, sumpto concreto substantivo in hac generalitate concreti substantialis, nequit iuxta Fidem stare conceptus subsistentia: ut sic in constitutione talis concreti. Si vero non debet sic generaliter sumi; desidero scire, quodnam speciale concretum substantivum, seu substantiale praescribatur, cuius constitutionem specialiter respiciat essentialis conceptus subsistentia: ut sic. Quod si pro dignitate non praescribatur, insufficientissima iudicanda est doctrina huius opinionis.

54 Ex his omnibus evincitur vnde-quaque, conceptum formalem, & essentialem subsistentia: ut sic, in eo stare quod sit: Complementum Naturae constituens vlti-

mo cum illa Suppositum: prout ex principiis Fidei, Autoritate SS. Patrum, & bona ratione inferebamus sect. 1. & 2. Haec autem erat maior argumentationis intentio sect. 4. num. 29. & deinceps corroborata. Ex quo liquido concluditur, excludendas esse longe a substantijs creatis incompletis, ac proinde tam ab anima Christi, quam ab anima Petri, subsistentias partiales, utpotest repugnantes ex effectu, & ex conceptu formali subsistentia: incompleti tali Naturarum: & multo longius, iuxta mentem Sanctorum Patrum excludendam esse a Deo subsistentiam absolutam, utpotest repugnantem cum eo, quod per nihil absolutum compleatur divina Natura in esse suppositi; sed tantum per tres subsistentias Relativas, quibuscum constituit tria supposita, & tres Personas.

55 Non perinde nego, in explicacione suppositi, ut praestitimus sect. 1. num. 5. veniendum nobis etiam esse ad conceptum aliquem incommunicabilitatis. Caterum, aliud est explicare, quid sit suppositum, quod est concretum ex Natura, & subsistentia; aliud est, explicare quid sit subsistentia, quae est abstractum formale talis concreti: aliud est, suppositum habere eam incommunicabilitatem; aliud est, eam habere a subsistentia: quandoquidem haberi potest, vel a subsistentia, vel a Natura, vel ab utroque. Praeterea, incommunicabilitatem constitutivam suppositi non explicamus versus aliud suppositum: sic enim, & redderemus in explicacione ipsissimum terminum explicandum: & concederemus animae separatae imo & Animae Christi rationem suppositi contra rationem, & Fidem; sed ea explicamus versus omnem partem essentialem, per incapacitatem, vel saltem per inexigentiam communicandi se alteri substantia:, cum qua constituar vnum per se essentialiter, ut exposuimus sect. 2.

Huiusmodi enim incommunicabilitas repugnat omni substantia: incompletae, & est de ratione cuiuslibet entis completi, quale debet esse suppositum. Illa namque alia incommunicabilitas specialis alieno supposito, quamvis includatur etiam in incommunicabilitate generali constitutiva suppositi, non est solius suppositi; sed adaptatur etiam Naturae praecisum, & seorsim a subsistentia, qua constituitur in esse suppositi, ut argumentatio nostra palam fecit.

Supra num. 5.

Supra sect. 2.

SECTIO VI.

ARGUMENTA PRO SVBSISTENTIA ABSOLUTA cum responsionibus nostris.

56 Arguitur primo ex Epistola Agathonis Papae, ibi: *Constituuntur tria Personarum, seu subsistentiarum una subsistentia*. En ergo subsistentia absoluta praeter tres Relativas. Respondetur, legendum ibi esse, *unam subsistentiam*: vti extat in exemplaribus emendationibus, editis sub Sixto V. Coloniae Agripinae, anno 1606. in 10m. 3. Conciliorum.

57 Arguitur secundo ex Boetio dicente, *unam esse Vsum, vel Vsiostin in Deo, id est Essentiam, vel Subsistentiam*. Item ex Cyrillo, & Anastasio Patriarcha Theopolitano, sic protestantibus de Deo: *Quid est Essentia? res qua per se, neque altero indiget. ad hoc ut ipsa subsistat*: ergo intra rationem Essentiae habet Deus subsistentiam: at non Relativam, quia Relationes sunt extra Essentiam: ergo Absolutam. Respondetur, Boetium ibi, sicut & alios Veteres, adhuc confudisse Essentiam, seu Substantiam cum Subsistentia, vel Hypostasi. Quod si nunc insistere velimus in illis antiquioribus modis loquendi, potius pro errore Sabellianorum de vnicam Dei Hypostasi, seu Persona decertabimus, quam pro Absoluta Subsistentia non Personalis. Quod respexit S. Hieronymus scribens ad Damasum Epist. 57. *Taceantur tres Hypostases, si placet, & una teneatur*: sumpta videlicet more veterum Hypostasi, non pro Persona, seu pro Subsistentia, ut nunc iam sumitur; sed pro Essentia, sive Substantia. Ad Cyrillum, & Anastasium dic, apud illos, sicut saepe apud S. Thomam, ut inferius dicemus, sumi, *subsistere*, improprie, & late pro, *per se existere*: quae etiam lata significatione, vsi sunt interdum Athanasium, & Nilenum in lib. de Vita Moysi in quo sensu, & accidentia quoque Eucharistica dicuntur subsistere, a Sancto Thoma; cum tamen in sensu proprio sint incapacia subsistendi.

Hieron.

S. Tho. Athan. Nilen.

August.

58 Arguitur tertio ex Augustino 7. de Trinit. cap. 4. dicente: *Omnis res ad se ipsam subsistit: quanto magis Deus? & cap. 5. hoc est. Deo esse, quod subsistere*. Nunc sic primo: Deus subsistit ad se: ergo non solum ad alium: ergo non solum Re-

lativè, sed etiam Absolutè. Sic secundo: hoc est Deo esse, quod subsistere: sed esse competit Deo, & Deitati, ut condistincta a Relationibus: ergo & subsistere. Respondetur, Augustinum non sic intulisse: imò post citata verba subicit: *& ideo, si una Essentia Trinitas, una etiam Substantia*: quo claret posuisse, *subsistere*, pro, *substantiam esse*, propter vocum inopiam, quam ibi constitetur. Quippe, si id potuisset pro Subsistentia, prout nunc nobis sonat, errasset negans ibidem in Deo, triplex subsistere. Itaque ad primum argumentum inde subsumptum, concedo antecedens in sensu Augustini, dum taxat volentis Deum esse substantiam ad se, & per se existentem: in quo sensu negaret ipse duas consequentias, ne videretur admittere, praeter Substantiam, vel Essentiam Dei Absolutam, tres substantias, vel Essentias Relativas. Ad secundum, dico esse injuriosum Augustino: quippe cum dicat similiter cap. 6. *Non aliud est Deo esse, quam Personam esse*; coargui similiter posset sic: sed esse competit Deitati, ut condistincta a Relationibus: ergo, & Personam esse: sicque eodem consequentiae filo tribueretur Augustino error de Persona absoluta Dei, quo doctrina de Subsistentia absoluta. Dicendum ergo est, totum sillogismum esse verissimum in sensu Augustini, ponentis, *subsistere*, pro, *substantiam esse*: de quo, si Augustinum ibi legis, non dubitabis. Quid inde pro Subsistentia absoluta, prout in nostra disputatione accipitur?

59 Arguitur quarto ex Concilio Rhemeni: quod, quamvis non fuerit a Papa confirmatum, ut ait Montoya disp. 34. § 4. 10. magni sit ob Auctoritatem S. Bernardi, & Episcoporum, qui interfuerunt. Stavit ergo contra Gilbertum, ibi: *simplicem Naturam divinitatis esse Deum, nec in aliquo sensu catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas*. Nunc sic primo. Simplex Natura divinitatis est Deus: ergo habet Subsistentiam, qua constituatur concretè in esse Dei: sed non Relativam: quia sermo ibi erat de Natura, ut condistincta a Relationibus, prout de illa negabat Gilbertus esse Deum: ergo Absolutam. Sic secundo. In nullo sensu catholico negari potest, Divinitatem esse Deum: sed cum sumitur, ut virtualiter distincta a Relationibus, sumitur in aliquo sensu catholico: ergo, nec in hoc sensu negari potest, Divinitatem esse Deum: ergo, prout sic di-

Rhemeni Montoya

distincta à Relationibus, dicit Subsistentiam: non quidem Relativam, ac proinde Absolutam, qua constituitur concretè in esse Dei.

Arriag. 60 Miratur meritò P. Arriaga, quòd Theologi in eruditione sacrâ benè versati opponant nobis Concilium Rhémense pro Subsistentia Absolutâ. Sermo in eo fuit contra distinctionem réalem, vel saltem modalem, asseram à Gilberto, inter Deitatem, & Subsistentias Relativas. Undè, si citata verba Concilij intelligantur de idemitate Deitatis cum Subsistentia Absoluta, intactus mansisset Gilbertanus error. Ut ergo aliquod dicat ibi Concilium apposité contra Gilbertum, statuerè debuit, Divinitatem esse Deum, etiam si constituatur in esse Dei concretè per Subsistentias Relativas, ut nos dicimus, & supponi videtur à Concilio: cuius sensus fiet planus, solutis duobus argumentis sumptis ex illius verbis.

61 Ad primum, concessò enthymemate, negatur minor: quia quantumvis sermo ibi esset de Natura, ut constitucta à Relationibus, cum hæc distinctio non sit realis, nec modalis, ut volebat Gilbertus, sed rationis, vel virtualis; adhuc est absolutè verum, Divinitatem esse Deum concretè constitutum ex Deitate, & ex Subsistentia Relativa: sic enim realiter Deitas est ipsa triplex Subsistentia Relativa, quod negabat Gilbertus.

62 Ad secundum, respondeant arguentes: quippe ratione saltem distinguunt Deitatem à Subsistentia Absoluta, illam ut sunt, constitutè concretè in esse Dei. Verè enim hæc rationis distinctio sufficit, ut in aliquo sensu catholico verè dicatur: *Divinitas non est Deus*: vel non sufficit. Si sufficit, ergo aut ille veteri sensu catholicus non est, aut in aliquo sensu catholico verè dicitur: *Divinitas non est Deus*. Si tunc, sensum fundatum in distinctione rationis, ut non pertinentem ad errorem Gilberti, esse præter mentem Concilij, idem dicam de sensu fundato in distinctione virtuali Deitatis à Subsistentijs Relativis, quas ab esse absoluto Dei pluraquam virtualiter distinguebat Gilbertus, propterea impugnatus à Concilio. Iam ergo sic explicata maiori, concedo mi-

norem, & primam consequentiam, absolutè loquendo: quia nec sensus distinctionis rationis, nec distinctionis virtualis sufficit, ut absolutè loquendo verè dicatur: *Divinitas non est Deus*: quandoquidem Deus, quamvis sic concretè dicat Subsistentias Relativas, nihil dicit quod absolutè non sit Divinitas: cum ipsæ Subsistentiæ Relative sint absolutè, & realiter Deitas, virtualiter tantum ab ipsis distincta. Nego autem ultimam consequentiam.

63 Arguitur quintò ex S. Thom. in 1. dist. 21. art. 1. dicente: *Terminus, Deus, prædicat Naturam de Tribus Personis: quæ etiam in se est habens esse subsistens, nullâ Personarum distinctione intellectâ* Et dist. 26. q. 1. art. 1. ait, aliqua in Deo prædicari per respectum ad proprietatem, ut *Hypostasis, & Persona*; alia per respectum ad se, ut *Essentia, & Subsistentia*. En ubi inter Absoluta Dei numerat Subsistentiam. Et 1. p. q. 3. art. 1. ait: *de Deo loquentes vitimur nominibus concretis; ut significemus eius Subsistentiam*: sed etiam loquentes de Deitate, vitimur nominibus concretis: ut cum dicimus: *Deitas est Deus*: ergo ad significandam Subsistentiam.

64 Respondetur imprimis: familiarem esse Sancto Thomæ usurpationem latæ Subsistentiæ pro per se existentia: quam utique Subsistentiam latam & in accidentibus admisit: ut cum de accidentibus Eucharisticis dixit Opusc. 57. *Accidentia autem sine subiecto in eodem subsistunt*: id est, per se existunt: in hoc autem sensu latissimo, in quo alios quoque SS. Patres exposuimus num. 57. à nemine negabitur Subsistentia, id est, per se Existentiæ Absoluta in Deitate, etiâ abstractè, & præcisè sumpta à Subsistentia præsius acceptâ, quæ subiectum est præsentis disputationis.

65 Deinde, cum hanc Absolutâ Subsistentiam clarissimè neget S. Tho. à nobis citatus num. 27. ex locis nunc à nobis oppositis ad sumum probaretur, prius sensisse aliquid, quod postea retractavit.

66 Tandem ad singula nobis opposita dici potest. Ad primum, ibi doceri, Divinitatem esse subsistentem, nulla Personarum distinctione intellectâ: quia ad conceptum subsistentis præcisè à subsistente unitè, vel trinè, non opus est distinctione Personarum, sed sufficit ratio Personæ abstractæ ad unâ, vel trinâ: unde non infertur in Deo Subsistentia Absoluta diversa à Personâ; sed Subsistentia Personalis præcisè

S. Thom.

S. Tho.

Supra sect. 3.

ab

ab una, vel triplici. Ad secundum dico, sumere ibi S. Thomam more suo Subsistentiam pro substantia, seu pro existentia: & hanc latissimam rationem Subsistentiæ numerasse inter Absoluta Dei: quam interdum, ut vidimus, & accidentibus quoque concessit. Ad tertium, distinguo minorem: de Deitate loquentes, vitimur nominibus concretis, ad significandam solum Deitatem, & absolutam Deitatis; nego: ad significandam Subsistentiam Personalem, quæ Relativa est, concedo: ad significandam Subsistentiam Absolutam, quæ commentitia est, & contra mentem Sanctorum PP. introducta, nego.

67 Arguitur sextò à ratione. Deitas per id quod formaliter dicit, ut distincta à Relationibus, habet formalem effectum, & conceptum Subsistentiæ: ergo dicit Subsistentiam Absolutam. Antecedens probat primo P. Borrull: quia formalis effectus Subsistentiæ est reddere Naturam concretam, constitutè cum abstracto Naturæ concretum substantivum: id est, cum Humanitate hominem; cum Deitate Deum: sed hic effectus formalis est in Deo seorsim etiam à Relationibus: quippe, omni præcisa Relatione intelligitur non solum Deitas; sed etiam Deus concretè: ergo. Probat secundò doctissimus alter è nostris Magister, multis mihi titulis venerandus, distinguens hæc duplicem quætionem: unam de re: an Deitas seorsim à Relationibus dicat formaliter in Deo pendentiam à subiecto, & à supposito alieno: aliam de nomine: an hoc præcisè sit subsistere. Primum affirmat, & probat: quia independere à subiecto, & supposito alieno est perfectio formalis positiva, & absoluta, non secus ac independere à causa: cum ea perfectio non sit ad alium intra Deum, sicut Aseitas. Et similiter secundum: quia Subsistentia est complementum substantiale Naturæ in esse concreti: quod exponitur rectè per independenciam ab alieno supposito: ergo cum hoc habeat Deitas seorsim à Relationibus, quia seorsim virtualiter à Relationibus est substantia; seorsim dicit Subsistentiam Absolutam diversam à subsistentijs Relationum: cuiuslibet enim substantiæ sua debetur Subsistentia.

68 Respondetur, negando antecedens: Ad primam probationem iam ostend-

dimus à num. 49. nequaquam sufficere ad conceptum Subsistentiæ constitutè utcumque cum Natura concretum substantivum. Quòd si concretum hoc debeat esse, sicut homo ex Humanitate, & Subsistentia; & Deus ex Deitate, & Subsistentia, ut exemplificant hi Authores; hoc erit, constitutè suppositum: nam Homo, & Deus supposita sunt. Caveant autem à subsistentijs partialibus, imò & à Subsistentia Absoluta: quæ cum Naturis, quas afficiunt, non constitutè suppositum. Itaque concessa in hoc nostro sensu maiori, negatur minor, eiusque probatio: quia Deitas non constituitur concretè in esse Dei, sicut nec in esse suppositi nisi per Subsistentias Relativas Personales.

69 Ad secundam probationem, laudo, claritatis gratiâ, bipartitionem quætionis; non verò quòd secunda vocetur de nomine: cum in ea stet potior præsentis puncti difficultas de re adeò gravi circa conceptum essentialem Subsistentiæ, ut, teste Cardinali de Lugo, in *Tract. de Incar.* opprimat Authorum ingenia. Itaque concedo primum intentum, nempe eiusmodi independenciam competere Deitati seorsim à Subsistentijs Relativis: addo, quòd seorsim etiam à Subsistentia Absoluta, quamvis admittatur: sicut & seorsim ab illis, & ab ipsa, competit Deitati Aseitas, & per se existentia. Nego verò secundum: nempe, id præcisè esse conceptum aptum, & sufficientem Subsistentiæ, ut latè vidimus sect. 4. & 5. Unde, quamvis Deitas seorsim etiam à Relationibus dicat formaliter eas independenciam, non perinde dicit seorsim à Relationibus conceptum Subsistentiæ: eisdem enim independenciam dicit ipsa Deitas, seorsim etiam à Subsistentia Absoluta: & Anima Christi per entitatem suam creatam, per quam non subsistit. Neque ex eo, quòd Deitas seorsim à Relationibus sit substantia, sequitur deberi illi Subsistentiam Absolutam, sicut nec debetur illi Personalitas Absoluta ex eo, quòd substantia intellectualis sit. Debetur ergo illi sua Subsistentia, sicut & sua Personalitas non indistincta, sed distincta virtualiter ab ipsa: non una, sed trina; non Absoluta, quæ chymica est; sed Relativa, quæ vera est, & realis apud omnes.

70 Arguitur septimò. Subsistentiæ Relativæ non sufficient, ut Deitas subsistat: ergo præter illam danda est Absoluta. Antecedens probatur multipliciter. Primò;

P

quia

Delugo

Supra num. 30.

quia fundatur in productionibus Personarum: ergo danda est alia, quæ fundetur in esse absoluto substantiali Deitatis. Secundò: quia non sunt proportionatæ, vtpotè de alia linea Relativâ: ergo danda est alia de linea absoluta. Tertiò: quia Filio ex vi processio- nis communicatur sola Sapientia; & Spiritui solus Amor: ergo Subsistentia Relativa Filij, solam Sapientiam, & Subsistentia Relativa Spiritûs, solum Amorem reddit Subsistentem: ergo hæ Subsistentiæ Relativæ non sufficiunt, vt reliquæ Dei Perfectiones subsistant: atque adeò danda est Absoluta.

71 Respondetur, negando antecedens. Ad primam probationem, nego consequentiam: & redarguo in Personalitatibus, quæ similiter fundantur in productionibus: quin perindè danda sit alia Personalitas Absoluta fundata in esse substantiali absoluto Deitatis. Ad secundam, nego totum: nam apud omnes Personalitas Relativa, quamvis sit de alia linea, ita est proportionata Deitati, vt non opus sit Personalitate Absolutâ. Etenim vnâ lineam esse diversam ab alterâ, non est esse improporcionatam alteri: patet in materia, & formâ, quæ diversarum linearum sunt, & invicem proportionatæ sunt, ac proportionatissimè coniunguntur: idemquè est in essentia, & proprietatibus cuiuscumque rei. Ad tertiam, falsum est mihi antecedens: mala consequentiâ, & illegitimâ duæ subillationes: nam sicut Relationes Filij, ac Spiritûs non solùm Sapientiam, & Amorem, sed omnem Perfectionem Dei Absolutam reddunt Personatam; ita & Subsistentem: quomodocumquè Absolutâ Dei illis communicentur.

72 Arguitur octavo. Deus, sive Deitas est essentialiter subsistens: sed non essentialiter per Subsistentias Relativas, cum extræssentiales sint, & proprietates: ergo per Absolutam essentialem. Respondetur, distinguendo æquivocationem maioris: sumpto, *essentialiter* in rigore Theologico contrapositè ad *propriativè*, seu *Personaliter*, pro perfectione se tenente ex parte Essentiæ, seu Naturæ Dei, nego: sumpto *essentialiter* pro *necessariò*, seu pro ex essentiali, seu exigentiâ, concedo maiorem: & in hoc sensu nego minorem: in quo sensu, non aurem in primo, dicam similiter esse Personam. Id quod didici à P. Suárez *lib. 1. de Essentia Dei, cap. 8.* vbi loquens de

Personali Dei incommunicabilitate, ait: *Perfectionem incommunicabiliter existendi Deo non deesse, ei que necessitate naturali convenire, & per suam Essentiam saltem identicè illam habere: & hoc satis esse, vt etiam quo ad hanc partem dicatur Deus de se bonus, & perfectus per Essentiam suam.*

## SECTIO VII.

RELIQUA ARGUMENTA  
cum reliquis responsionibus.

73 Arguitur nonò. Deitas, vt seorsim à Relationibus, habet Existentiâ Absolutam: ergo & Subsistentiam Absolutam: alioquin emendicaret Subsistentiam à Personis. Redarguo: ergo & Personalitatem Absolutam: alioquin hanc emendicaret. Negatur hæc consequentia, & bene. At æquè benè negatur quoquè prima, concessio antecedente. Ratio nobis est firma: quia Deitas, vt seorsim à Relationibus ex conceptu entis necessarij dicit actualitatem essendi, vbi involvitur formaliter conceptus existentia; non verò dicit perfectionem absolutam quæ constituitur, & compleatur in esse Suppositi. Neque id est emendicare Subsistentiam, sicut nec Personalitatem: quia vtrâque, quamvis Relativam, & virtualiter à se distinctam habet de suo, vti perfectionem sibi debitissimam, innegabilem, & in aliquo etiam bono sensu per Essentiam, vt nuper loquebatur Doctor Eximius.

74 Dices. Subsistentia pertinet ad rationem substantiæ; Personalitas, ad rationem Suppositi: quamvis ergo substantia Deitatis non dicat formaliter rationem absolutam Personalitatis; benè verò rationem Absolutam Subsistentiæ, sicut & existentia. Respondetur imprimis, mihi inter Subsistentiam, & Personalitatem in eo duntaxat discrimen affulgere, quod Personalitas pertinet ad Naturâ intellectualem; Subsistentia verò ad Naturam, sive intellectualem, sive non intellectualem; vtraque tamen, ad constitutionem Suppositi, vt ex terminis istis prout ab antiquioribus Patribus, & Scholasticis usurpatis firmavi *sess. 1.* Sicque deficit antecedens, in eo discriminans pro puro libito Subsistentiam, & Personalitatem, quod vna præ alterâ pertineat ad ra-

tionem suppositi, aut substantiæ. Deinde rogo: quid est pertinere ad rationem substantiæ? Vel enim est esse formaliter metaphysicè substantiam: vel est deberi substantiam, sumptam in Deo Theologicè pro Natura: vel est Subsistentiam esse de linea Absolutorum in Deo, sicut Substantiam, sive Naturam Dei. Primum, & secundum æquè competunt vtrique: quia tam Personalitas, quam Subsistentia est substantia contraposita accidenti: & in Deo debetur Naturæ, seu Substantiæ Dei. Tertium reponit quaestionem pro disparitate. Nostri placitum est, Personalitatem, nec Subsistentiam esse in Deo de linea Absolutorum; sed esse duntaxat Proprietates Relativas.

75 Urgebis. Subsistentia vt sic non dicit esse Relativam, & est propria substantiæ vt sic: ergo intelligitur in Deo ex parte Absolutorum, ita comitans rationem substantiæ, vt substantiæ divinæ absolutæ, sicut seorsim competit ratio substantiæ absolutæ, sic etiam ratio Subsistentiæ Absolutæ in esse absoluto substantiali, vt distincto ab esse Relativo Personali. Respondetur, Subsistentiam vt sic, abstrahere quidem ab absolutâ, qualis est in creatis: & à Relativâ, qualis est in Deo: qui in absolutis suis non dicit rationem completivam suppositi. Et sic, quo ad hanc partem, concedo antecedens. Quo ad alteram partem dico, subsistere esse proprium substantiæ vt sic: non, inquam, proprium quarto modo, hoc est omnis, & solius substantiæ: sed proprio primo modo, hoc est solius, sed non omnis substantiæ: sicut subsistere Personaliter est solius, sed non omnis substantiæ intellectualis: nam subsistere non competit nisi substantiæ completæ, sicut subsistere Personaliter non nisi substantiæ intellectualem completæ. Undè sicut ex eo quod Deitas sit substantia intellectualis non fit, rationem Subsistentiæ Personalis ita illam comitari, vt dicat Personalitatem Absolutam; similiter nec ex eo quod sit substantia fit, rationem Subsistentiæ ita illam comitari, vt dicat Subsistentiam absolutam = sufficit ergo pro vtroque Relativa. Itaque, partim concessio, partim permissio antecedente, negatur consequentia: nam vt salvetur, Deitati prout seorsim à Relationibus deberi Subsistentiam, vti eius proprietatem: fat est, quod vt distincta à Relationibus exigat tanquam sibi debitam Subsistentiam Relativam, sicut & Personalitatem Relativam, & quidem trinam,

76 Insistes. Deitas vt seorsim à Relationibus est in genere substantiæ completa: sed non nisi per Subsistentiam, quæ est complementum Naturæ: ergo seorsim à Relationibus dicit Subsistentiam: non Relativam: ergo Absolutam. Probatur maior. Primum: quia vt distincta à Relationibus est infinite perfecta in ratione substantiæ: ergo & in ratione substantiæ completa. Secundò: quia Filius accipit à Patre Deitatem completam: sed illam accipit, vt distinctam à Relationibus: ergo seorsim est substantia completa. Tertiò: quia Deitas vt distincta à Relationibus concipitur vt ens infinite perfectum: sed hoc nequit concipi vt incompletum: ergo vt sic distincta Deitas concipitur completa. Quarto: quia Deitas, vt seorsim à Relationibus dicit formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem: sed esse substantiam completam est perfectio simpliciter simplex: ergo dicit formaliter esse substantiam completam: ac proinde dicit formaliter Subsistentiam.

77 Obsequium se præstare Deo existimant sic arguentes quando, vt Deitatis completionem præsidio Absolutæ Subsistentiæ tueantur, conceptum subsistendi communem fecerunt substantijs etiam incompletis. Quo fit, vt ex conceptu subsistendi ab ipsis præscripto id metientes, completionem vi formæ adscribent Deitati, communem multis entibus incompletis, vt sunt anima, & corpus separatim, & monitos etiam illos velim, ex vi eiusdem formæ arguendi id ipsum probari de Deitate seorsim quoque per rationem à formalitate Subsistentiæ Absolutæ: nam vt sic præscriptum non dicit imperfectionem incompletionis: & est infinite perfecta in ratione Substantiæ, iam ad argumentum.

78 Respondetur, distinguendo maiorem: Deitas, vt seorsim à Relationibus, est in genere substantiæ completa per complementum, quod sit etiam seorsim à Relationibus, nego: per complementum, quod sint ipsæ Relationes, concedo maiorem. Et concessa minori, distinguo consequentiam: Deitas, vt seorsim à Relationibus dicit Subsistentiam à se virtualiter indistinctam, nego: virtualiter distinctam, & proinde realiter secum identificatam, concedo consequentiam: & nego minorem subiunctam cum consequentia: ipsas enim Subsistentias Relativas dicit realiter secum identificatas Deitas, prout seorsim virtualiter ab ipsis

cōdistinctionis: quia, ut virtualiter distincta à Relationibus dicit formaliter reale cū illis identitatem. Et quidem, si distinctio realis Naturæ creatæ à Subsistentia non obstat; quominus Natura prout realiter etiam distincta à sua Subsistentia, fiat, & dicatur completa, & subsistens per ipsam vi unionis intrinsecæ cum ipsa; quanto minus obstat virtualis distinctio à Subsistentiis Relativis, ne Deitas, ut virtualiter ab ipsis distincta, fiat, & dicatur completa, & subsistens per ipsas vi realis identitatis cum ipsi.

79 Ad primam probationem maioris, concedo antecedens, & distinguo consequens: in ratione substantiæ completæ per complementum formaliter imbibitum in Deitate seorsim à Relationibus, nego: per complementum, quod formaliter sunt ipsæ Relationes, quibuscum realiter identificatur Deitas, etiam ut seorsim virtualiter condistincta à Relationibus, concedo. Hoc autem complementum subsistentiale sunt ipsæ Relationes Suppositales, & Personales. Ad secundam, distinguo maiorem: Filius accipit Naturam completam subsistentem per absolutum, nego: per Relativum, quod realiter dicit Natura, ut distincta virtualiter ab ipso, concedo maiorem, & minorem. Unde nihil contra nos, nec pro Subsistentia Absoluta. Nec perinde dici potest Filius accipere Naturam incompletam: sicut nec accipere Naturam imperfonatam, aut insuppositatam: quamvis non sit personata, nec suppositata per absolutum, tamen ad id dicendum, necesse esset, quod acciperet Naturam carentem complemento, suppositalitate, quibus utique non caret, dum ea realiter habet. Accipit ergo Naturam habentem Subsistentias Relativas, ac proinde trine completam, etiam ut virtualiter seorsim, & distincta à triplici complemento. Ad tertiam, concessis præmissis, distinguo consequens: Deitas ut sic condistincta à Relationibus concipitur completa complemento subsistentiali absoluto, nego: Relativum, quod ipsa dicit realiter, etiam prout virtualiter condistincta, concedo. Et nota: aliud est concipere Deitatem sine Subsistentia præcise, hoc est non concipiendo Subsistentiam: aliud est, negativè, hoc est, concipiendo ipsam esse sine Subsistentia: illud prius est imperfectio modi concipiendi non concipientis in Deitate omnem perfectionem; istud posterius esset affingere imperfectioem Deitati, & concipere chimericè, negando Deitati Subsistentiam,

quam realiter habet sibi identificaram: multò potius quam si conciperes Humanitatem negando illi Subsistentiam, quam habet realiter sibi unitam. Ad quartam, concessa maiori, nego minorem ex dictis *disp. 3. sect. 9.* quia nec Subsistentia ut sic, hoc est, complexum ex omnibus Subsistentiis, nec Subsistentia aliqua singulariter suapte, est perfectio simpliciter simplex, iuxta explicationem ibi ex Anselmo à nobis adhibitam. Unde nego consequentiam.

80 Arguitur ultimò magis Theologicè. Concretum, *Deus*, dicit formaliter constitutive, & essentialiter Subsistentiam: sed non Relativam: ergo Absolutam. Probatur minor multipliciter: Primò: quia *Deus* concipitur constitutus concretè in esse Dei antequam concipiantur Relationes: ergo non per Subsistentiam Relativam in eo priori. Secundò: quia *Deus* concretè, est quid cōmune tribus Personis: qualibet enim ipsarum est *Deus*: sed, si constitueretur *Deus* per Subsistentiam Relativam, non esset *Deus* quid commune tribus: quia Relatio non est quid commune tribus: ergo non constituitur *Deus* per Subsistentiam Relativam. Tertio, quia si concretum, *Deus*, constitueretur per Subsistentiam Relativam, essent tres *Dij*, sicut sunt tres Personæ: quia Subsistentiæ Relativæ sunt tres: ergo non constituitur concretè *Deus* per Subsistentiam Relativam. Quarto, quia Philosophi naturales inferebant ex creaturis unum *Deum* concretè constitutum, ac proinde subsistentem: sed Subsistentias Relativas non agnoscebant: ergo Subsistentem non per Subsistentias Relativas, sed per Absolutam. Respondetur, concedendo totam maiorem: sumpto termino illo, *essentialiter*, philosophicè pro, *quidditative*; non autem sumpto Theologicè prout *Essentia* sonat in *Deo* absolute Naturam: ut sæpè animadverti, præsertim *disp. 5. sect. 1.* Nego verò minorem, in qua est vis.

81 Ad primam minoris probationem, distinguo antecedens: *Deus* concipitur constitutus concretè in esse Dei, antequam concipiatur Relationes: antequam, inquam concipiatur obiectivè ex parte virtualitatis conceptæ, nego: antequam concipiatur formaliter ex parte alicuius nostri modi concipiendi, concedo antecedens. Est dicere, posse nos interdum verè concipere *Deum* concretè constitutum, & subsistentem, antequam concipiamus subsistentem per Subsistentiam Relativam; non verò

Supra  
disp. 3.

Supra  
disp. 5.

posse nos, nisi falsò concipere, *Deum* esse concretè constitutum, & subsistentem, antequam subsistat per Subsistentiam Relativam. Distinguo autem consequens: non per Subsistentiam Relativam ex parte rei conceptæ, nego: ex parte illius modi concipiendi pro eo priori logico, vel universalitatis, concedo. Unde solum inferitur, formalitatem Subsistentiæ ut sic, sicut & Personalitatis ut sic, distinguuntur ratione à formalitate Relativæ: cum tamen sint in vnaquaque Subsistentia Divinà vna virtualitas Relativa prout condistincta ab absolutis. Sicut ergo non bene inferitur in *Deo* Personalitas Absoluta, ex eo quod pro aliquo priori logico universalitatis possit à nobis concipi *Deus* generaliter ut Persona, præcipientibus à Relatione; ita nec Subsistentia Absoluta, ex eo quod possit similiter à nobis concipi *Deus* generaliter ut subsistens, præcipientibus à Relatione: quippe dum sic præcindimus, nec negamus illud subsistere Divinum esse Relativum, nec affirmamus esse absolutum; sed abstrahimus ab utroque ex tali modo concipiendi: quæ præcisio, vel abstractio nostra nihil facit ad rem ipsam.

82 Ad secundam, sedulo notandum est, concretum *Deus*, ut omnes fatemur de concreto, *Persona Divina*; dicere constitutive Deitatem, & Personalitatem: cum hoc tamen discrimine, quod *Deus* exprimit formalis Deitatem, & *Persona*, formalis Personalitatem. Tam Deitas autem, quam Personalitas, est quid commune tribus Personis; sed diversimodè commune: nam Deitas est physicè, & individue communis tribus, utpotè immultiplicata in illis; Personalitas verò non nisi logicè, & universaliter communis tribus, utpotè multiplicata in illis, & universaliter adunata, seu confusa in concreto, *Deus*; sicut etiam in concreto, *Persona Divina*: cum discrimine tamen iam notato, quod concretum, *Deus*, dicit formalis Deitatem, & concretum, *Persona*, formalis Personalitatem. Hinc in forma, concessa maiori, distinguo minorem: si constitueretur *Deus* per Subsistentiam Relativam univocam, concedo: si per trinam, subdividuo: non esset *Deus* quid commune communitate omni ex parte physicà, concedo: communitate partim physicà penes expressius, & formalis significatum, quod est Deitas; & partim logica penes minus expressum, quod est Personalitas, seu Subsistentia, nego mi-

norem, & consequentiam. Distinctio hæc nostræ responsionis laudari ab omnibus debet in hoc concreto, *Persona Divina*: quod commune est tribus: communitate quidem physicà, & individua, penes Deitatem, quam involvit; & communitate solum logicà, & universalitatis, penes Personalitatem, quam formalis exprimit.

83 Ad tertiam, nego sequelam antecedentis, & consequentiam: quia concretum, *Deus*, quamvis importet in recto Deitatem, & Subsistentiam, seu Personalitatem; non multiplicatur nisi ad multiplicationem expressioris sui significati, quod est Deitas: cum autem Deitas non multiplicetur, sed sit unica; ideo unus est *Deus*, & non triplex: quamvis Subsistentiæ, seu Personalitates, quas etiam constitutive importat, sint tres. Sicut è diverso *Persona Divina* non est unica, sed triplex, quia expressius eius significatum, quod est Personalitas, est triplex, quamvis Deitas, quam constitutive importat tale concretum, sit unica. De his fusiùs in *Tract. de Trinit.* Solum hic animadvertendum, difficultatem hanc non evitari, ut aliqui autumant, per Subsistentiam Absolutam: nam quamvis hæc concedatur, non negantur tres Relativæ: quæ, quidquid subdubitet Conine *disp. 6. de Trinit. num. 77.* reddunt Deitatem subsistentem, ac proinde constitutam concrete in esse Dei: ergo, adhuc dato, quod per Subsistentiam Absolutam aperitur sensus, in quo constitutum concretè ex illa, & ex Deitate sit vnus *Deus*; non tamen præcluditur alter sensus, in quo constitutum concretè, ex tribus Subsistentiis Relativis non sit triplex *Deus*, sicut triplex *Persona*: nisi recurratur ad nostram, vel aliam doctrinam independentem à doctrinà Subsistentiæ Absolutæ, propterea etiam infructuosâ.

84 Ad quartam facilis est responsio, imò & redargutio. Nam etiam Philosophi agnoscebant, *Deum* esse Personam: sed non Relativam: ergo Absolutam. Ex quo tamen qui inferret in *Deo* Personalitatem Absolutam, corrigeretur à Fide. Ob eandem ergo rationem concedo totum discursum Philosophorum Naturalium nobis obiectum: errabant tamen in consequentiâ dicti Philosophi: qui, si solum inferrent *Deum* esse subsistentem, & Personam, præcipientes ab Absoluta, & Relativâ; sicut etiam ab unica, vel trinâ; quoad hoc præcisè bene cognoscebant; sed non satis.


Nos

Conine:  
disp. 6. de  
Trinit:  
num. 77.



Matt. 13. Nos quidem, quibus datum est nosse My-  
steria, plus novimus: nempe, in Deo non  
esse unam Personam Absolutam, sed tres  
Relativas. Unde mihi videor, bene in su-  
perioribus intulisse ex principijs Fidei, &  
rationibus Theologicis, Deum non consti-

tui concretè in esse Dei, sicut nec in esse  
Personæ Divinæ, per unam Subsistentiam  
Absolutam, quæ insufficienter adstruitur;  
sed per tres Subsistentias Relativas, quas  
supra captum Philosophorum naturalium  
revelat Fides Trinitatis.



# DISPUT. VII.

## GENERATIM DE ATTRIBUTIS DEI.

**V**NIVERSALISSIMA, & perquam utilis est doctrina  
præsentis Disputationis: non solum pro Attributis; ve-  
rum etiam pro cunctis Perfectionibus Dei: tam Essen-  
tialibus, quam Attributalibus, Absolutis, & Relativis,  
Liberis, ac Necessarijs. Magna sese in his offerunt ingeniorum dissidia:  
quorum singula placita si referenda forent, nedum expendenda, & refu-  
tanda; volumen iret in immensum. Assertivam ipse Theologiam studio-  
sius profiteor. Sensum meum in his præsertim Difficultatibus, caligine  
metaphysicâ plenis; quâ potero, & sapiam soliditate, & claritate, in me-  
dium proferam. De cætero per me, unusquisque in suo sensu abundet.

Roman. 14.

### SECTIO I.

QVID SIT IN DEO ATTRI-  
butum? & quotupliciter soleat  
usurpari.

**M**ultifariam, multisque mo-  
dis sumitur in Deo Attr-  
butum. Primò, pro quolibet Prædicato,  
sive Nomine Dei, vt loquitur S. Tho. q. 13.  
quæ tota est de Nominibus Dei: de qui-  
bus agemus sub hoc titulo luculentius  
disp. 17. Nos enim concipientes, & loquen-  
tes de Deo sigillatim conceptibus nostris  
inadæquatis, varia nomina Deo Attribui-  
mus ducti à Perfectionibus creaturarum, vt  
ineffabiles Dei Perfectiones pro captu no-  
stro significemus. Secundò sumitur pro  
Prædicatis, seu Perfectionibus absolutis  
Dei iuxta frequentiore loquutione Theo-  
logorum supponentium Essentiam, & At-  
tributa Dei pertinere ad Deum, vt unum;

S. Tho.

Infra  
disp. 17.  
scilicet 1.

ac proinde communia esse individue tribus  
Personis; quod quidem absolutorum est:  
nam Relationes non sunt sic communes  
Personis. Tertio contractius, pro Perfection-  
ibus absolutis Dei, aliquomodo contradi-  
stinctis à prædicatis primo essentialibus  
Dei: ideoque dicuntur prædicata secunda-  
ria contraposita ad primaria, quæ aliquali  
specialitate cõstituunt Essentiam metaphy-  
sicam Deitatis.

**3** Duæ priores acceptiones laxiores  
sunt. Tertia pressior, & aptior. Communis  
enim loquutio discernit in Deo inter Essen-  
tiam, & Attributa: & post Essentiam tra-  
ctat seorsim de Attributis: quod & nos  
imitamur: ergo Attributum aliquomodo  
contradistinguitur ab Essentia aliquantulum  
saltem acceptâ. Favet vocis ethymologia,  
quam observavit Torres q. 28. de Trinitate,  
art. 2. disp. 1. ducta videlicet ex eo, quod  
essentialia conceptum formavimus; ipsi at-

Torres

tribuimus quiddid perfectionis in creatu-  
ris videmus: sicque vocamus Attributum  
eas perfectiones, quas veluti superadijci-  
mus alicui conceptui essentiali, quem pri-  
mò formamus de Deo: quo videmur, con-  
ceptum attributalem, veluti secundarium,  
aliquatenus contradistingui ab essentiali-  
ter primario.

**4** Superfunt sex dubia. Primum:  
quomodo intelligendum sit, quòd Attr-  
buta supponant prædicata essentialia Dei,  
& ab illis contradistinguantur? Secundum:  
an excludenda sint à ratione Attributi præ-  
dicata Dei transcendentia? Tertium: an præ-  
dicata Dei non demonstrabilia, ex creatu-  
ris? Quartum: an prædicata Dei contingen-  
tia, & libera? Quintum: an Attributum  
Dei debeat esse prædicatum affirmativum,  
an sufficiat etiam negativum? Sextum: an  
Attributa Dei sint numero infinita?

**5** Circa primum, communior est mo-  
dèrnorm existimatio, quòd Attributa Dei  
taliter intelligantur contradistincta ab Essen-  
tia Dei, vt non includantur formaliter in  
Essentia Dei adæquatè metaphysicè sumptâ.  
Nobis autem placere nequit hæc intel-  
ligentia: quippè docuimus latè disp. 5.  
cum Patre Suarez, Attributa involvi forma-  
liter in conceptu formali adæquato Essen-  
tiæ Dei, etiam metaphysicè considerata.  
Addo, magnam partem Authorum, qui  
Sapientiam saltem Dei includunt in con-  
ceptu Essentiæ metaphysicè Dei; dicturos  
alioquin hæc fore iuxta prædictam intelli-  
gentiam, Sapientiam non esse strictè Attr-  
butum Dei: quod est alienum à SS. Patri-  
bus, & primoribus Theologis, eam signan-  
ter connumerantibus inter Attributa Dei,  
vt legere est in S. Thoma, & Patre Suarez,  
& vidimus præsertim ex Damasceno disp. 5.  
sect. 7. num. 87. Nec satisfacit Fasolus q. 4.  
art. 2. num. 16. eorum testimonia volens in  
suum sensum detorquere. Mihi certè si ex-  
cludere Sapientiam à numero Attributo-  
rum non est contra SS. Patres, & Docto-  
res; nec contra ipsos erit negare Deo Attr-  
buta. Quare.

Supra  
disp. 5.  
Suarez.

Supra  
disp. 5.  
S. Tho.  
Suar.  
Fasol.

**6** Respondeo, dicendum, Attributum  
non taliter contraponi Essentiæ, vt debeat  
esse extra conceptum adæquatum Essentiæ  
Dei, dummodo non sit de prædicatis Es-  
sentiæ Dei ex genere suo essentialibus. Quo-  
circa rememorandum est duplex genus  
prædicatorum essentialium, quæ distinxi-  
mus disp. 5. sect. 1. & 7. Alia sunt ex genere  
suo essentialia: quæ ubicumque reperiu-

Supra  
disp. 5.

tur, intra essentiam reperiuntur, vt ens, sub-  
stantia, spiritus, &c. Alia sunt, non ex gene-  
re suo essentialia: quæ non ubicumque re-  
periuntur, intra essentiam reperiuntur: vt Sa-  
pientia, Sanctitas, Iustitia, Præsentia, &c.  
quamvis in Deo non minùs reperiatur in-  
tra essentiam, quam illa alia; ideoque Egid-  
us ea priora vocat, essentialia essentiali-  
tate sua; hæc verò, posteriora vocat, essen-  
tialia essentialitate divina Essentiæ. Unde  
est etiam, quòd nos assueti nosse hæc poste-  
riora prædicata extra essentias naturarum  
creatarum, quibus accidunt; non ita facile  
concipimus esse Deo essentialia, sicut id  
concipimus de illis prioribus, vt etiam no-  
tabam disp. 5. num. 7.

Egid.  
Lusit.

Supra  
disp. 5.  
num. 7.

**7** Itaque ad rem præsentem aio, At-  
tributum contraponi Essentiæ Dei, sumptâ  
quoad priora illa prædicata ex genere  
suo essentialia: quamvis in Essentia Dei  
metaphysicâ adæquatè acceptâ etiam in-  
cludatur. Dicuntur autem Attributa hæc  
posteriora prædicata, potius quàm illa prio-  
ra: quia nos assueti cognoscere similia præ-  
dicata accidentaliter advenientia, & adia-  
centia substantijs rerum creaturarum, ea cog-  
noscimus, & significamus in Deo, quasi  
adveniant, & adiacenter attribuantur alijs  
prædicatis ex genere suo essentialibus con-  
ceptis à nobis ad instar rerum creaturarum  
per se stantium, eo quòd similia in creatis  
reperimus identificata cum substantijs na-  
turarum. Sic coherent communis loquu-  
tio de Attributis, & veritas nostræ doctri-  
næ de Essentia Dei, includente essentiali-  
ter Attributa. Favent P. Suar. ibi allegatus,  
docens nõ esse de ratione Attributi esse ex-  
tra essentiam metaphysicam Dei: & in no-  
stris etiam terminis mirabilis Anton. Pe-  
rez disp. 2. de Volunt. Dei, cap. 5.

Suar.

Perez.

**8** Circa secundum, prædicata trans-  
cendentia vocantur illa universaliora, quæ  
in singulis Dei perfectionibus etiam Rela-  
tivis formaliter imbibuntur: vt entitas, ve-  
ritas, vnitas, bonitas, &c. Egidius Lusita-  
nus tom. 1. lib. 5. q. 1. art. 5. excludit prædica-  
ta transcendentia à ratione stricti Attributi.  
Unde est quod ait P. Bernal disp. 20. de  
Incarn. num. 29. strictè loquendo tria tan-  
tum esse divina Attributa, scilicet Sapien-  
tiam, Voluntatem; & Omnipotentiam:  
nam alia, cum transcendentia sint, rationem  
Attributi strictè non participant. Nec lon-  
gè ab hac existimatione abit P. Suar. lib. 1.  
de Trin. cap. 5. num. 18. & ratio esse potest,  
quia prædicata transcendentia abstrahunt  
ab

Egid.

Bernal.

Suar.

ab Absolutis, & Relativis, & utriusque conveniunt: cum tamen Attributum strictè, debeat esse de linea absolutorum. Sed responderi potest: sufficere ad rationem stricti Attributi, quod non sit de linea Relativorum; sive positivè sit de linea absolutorum, sive præcisivè abstrahat ab utraque. Ea igitur ipse, hoc dumtaxat transcendentia titulo, à ratione attributi: non excluderem. Et ratio mihi est: quia Æternitas, & Immenfitas vno ferè Theologorum ore numerantur inter Attributa; cum tamen apud plures sint prædicata transcendentia, de quo *sect. 10.* Nec certè quando de illis dubitamus, an sint prædicata transcendentia, dubitamus, an sint Attributa: hoc enim omnes supponimus, illud disputamus.

*Infra  
sect. 10.*

*Vasq.  
Gabr.*

*Suar.  
Ægid.*

9 Circa tertium, volunt Gabriel, & Vasq. excludi à ratione stricti Attributi perfectiones Dei, quæ non sunt naturaliter demonstrabiles ex creaturis. Sed immeritò: nam, ut benè Suar. & Ægid. aliqua Dei perfectiones, de quibus dubitatur, an sint ex creaturis demonstrabiles, sunt indubitanter Attributa, iuxta communem loquutionem: à qua nunquam recedo, nisi ex vigentissima ratione.

10 Circa quartum, volunt aliqui, excludi à ratione Attributi prædicata Dei contingentia, & libera: quia putant Attributum debere convenire Deo omnino indefectibiliter. Melius tamen id negat Suarez: atque adeo prædicata Creatoris, Providentis, Dominantis, & alia huiusmodi, non est cur à ratione Attributi divini secludantur.

*Suar.*

11 Circa quintum, sunt qui nullum Attributum dici posse affirmativè de Deo existimaverint. Sunt etiam ex adverso, qui prædicata negativa appellare renuant Attributa. Communis tamen, & vera loquutio admittit in Deo Attributa affirmativa, & negativa. Verè namque, & propriè attribuimus Deo esse Sapientem, Iustum, Sanctum: Omnipotentem; Misericordem, & alia huiusmodi, quæ sunt Attributa affirmativa. Verè quoque ipsi attribuimus, esse Immensum, Æternum, Infinitum, Impeccabilem, & huiusmodi alia, quæ sunt negativa.

12 Nota tamen, hæc non vocari negativa, quia non dicant positivam Perfectionem Æternitatis, Immenfitatis, Ubiquitatis, & infinitudinis; sed quia nos eiusmodi perfectiones explicamus per negationes: ut cum dicimus Æternum, quod initio caret,

& sine: immensum, quod mensurari non potest: sicut etiam creati spiritus simplicitatem explicant multi per negationem, seu caritionem partium integralium: & irrationalitatem bruti per defectum rationis, & alia huiusmodi, quæ quidem positiva sunt.

13 Circa sextum, certum est, quod, si Omnipotentia, Sapientia, sive Voluntas Dei subdividantur in varias eminentias, & quamlibet eminentiam vocemus Attributum, erunt Attributa numero infinita. Non tamen ita minutatim numerantur à Theologis: sed vnum vocant Attributum, lineam certam perfectionum spectantium ad vnam quasi speciem: v. g. intelligendi, producendi, durandi, &c. prout expedit, ut doctrinaliter quasi per partes notiores formemus conceptum divinæ plenitudinis. Sic autem non sunt nobis Dei Attributa numero infinita. Quot autem sint, non constat nobis. Aliqua colligimus ex scripturis: alia ex SS. Patribus iuxta varia Dei Nomina ex illis Fontibus ad Scholas derivata.

14 Hæc sint satis, ut colligamus Attributum Dei nihil esse aliud, quam Perfectionem Dei absolutam simpliciter simplicem adiacentem ex modo nostro significandi prædicatis Dei ex genere suo essentialibus, illisque afferentem formaliter suæ lineæ infinitudinem. In huiusmodi explicatione comprehenduntur Dei perfectiones, quæ communiter appellantur Attributa, exclusis alijs, quæ iuxta communem loquutionem Attributa non sunt.

15 Atque hinc sic primò, Sapientiam, Iustitiam, Misericordiam, Omnipotentiam, Sanctitatem, Immenfitatem, Æternitatem, & alia huiusmodi esse strictè Attributa. Secundò, Ens, Substantiam, Spiritum, Vivens, & alia huiusmodi, non esse strictè attributa. Tertio, Unitatem, Veritatem, Bonitatem, Simpliciter, Immortalitatem, Ineffabilitatem, Invisibilitatem, & incomprehensibilitatem esse attributa, saltem minus strictè. An verò, & quomodo hæc sint, aut non sint omnino strictè attributa colligetur ex sequentibus Disputationibus.

16 In præsentibus multæ occurrunt de Attributis in genere difficultates: quæ, quia ut plurimum procedunt generalius de Perfectionibus Dei, sive sint, sive non sint strictè Attributa; ideo non semper vtor nomine Attributi strictè dicti iuxta explicationem datam *num. 14.* sed in alijs etiam sensibus laxioribus explicatis *num. 2.*

SECTIO

SECTIO II.

DE EMANATIONE  
Attributorum.

17 **O**pinio multorum præsertim Recetivum Virtualitarum est, Attributa Dei, & Relationes, eo modo, quo distinguuntur ab Essentia, sive virtualiter, sive per rationem, emanare virtualiter ab Essentia, velut à principio, seu à radice virtutis, sive per rationem, ipsarum virtualiter productivæ. Sic P. Borrull *disp. 6. sec. 5.* & *disp. 8. de Volunt. sect. 6.* Antonius Perez *disp. 2. de Volunt. cap. 2. & disp. 2. de Trinit. cap. 5.* & sic etiam videtur loqui Montoya *disp. 52. de Trinit. sect. 5. num. 8.* & obiter Gonetus *disp. 2. art. 1. §. 6.* & videtur esse commune inter Thomistas cum Godoy apud Lumbier *quaest. 3. de Volunt. art. 5.*

*Borrull.  
Perez.  
Montoy.  
Gonet.  
Godoy.*

18 Ex adverso opinantur Herize *disp. 3. cap. 3.* Heinehman *vol. 1. tit. 3. disp. 1. cap. 2.* Alòs *disp. 2. num. 7.* Mart. Perez, loquens de volitione respectu intellectus *disp. 11. de Trinit. sect. 6. num. 13.* & luculentius Ribadeneira *disp. 2. de Scientia, à Lumbier num. 3.* & P. Nicolaus Martinez *contra q. 1. de Scientia Dei, disp. 4. sect. 3.* & Magist. Lumbier *disp. 3. de Scientia Dei, art. 3. §. 2. & q. 3. de Volunt. art. 2.* negantes eiusmodi emanationes per modum productionum virtualium à principijs, seu radicibus virtualibus, inter prædicata Dei virtualiter distincta, quæcumque ista sint. A qua sententia discedere nequeo propter ea, quæ dixi *disp. 4. sect. 5. & 6.* reijciens omnimò in Deo actus primos, seu radices virtuales, seu principia virtualia, ac proinde productiones virtuales.

*Supra  
disp. 4.*

19 Ratio mihi fundamentalis ex ibi dictis est. Quia quod ponitur in Deo virtualiter, inniti debet alicui prædicato formaliter reperto in Deo: sed nullum est in Deo prædicatum formaliter, cui inniti valeat ratio emanationis per modum productionis virtualis Attributorum ab Essentia, modò adæquatè, modò inadæquatè sumptà, sive alterius divinæ Perfectionis ab alterà realiter identificatà: ergo frustra, & sine fundamento ponitur in Deo ratio prædictarum emanationum. Maior est nota: alioquin nihil non possemus ponere in Deo virtualiter, ad id solum, ut virtualiter sic in Deo quod formaliter esse non potest, nisi

in creaturis, ut exposuimus *disp. 4. præsertim sect. 4. num. 39.* ex absurdissimis sequentibus.

*Supra  
disp. 4.*

20 Minor autem probatur ex impossibilitate assignandi tale formale prædicatum, ut sapienter expendunt Ribadeneira, & Martinez. Primò namque ad id non sufficit conceptus distinctionis virtualis: quia vnum distingui ab alio non satis est ut emanet, seu producat ab alio: imò nec ut concipiatur quasi productum ab alio, ut sæpè dixi, præsertim *disp. 4. num. 63.* Deinde nec ad id sufficit conceptus continentia eminentialis vnius in alio virtualiter distincto: quia, ut ostendi *disp. 3. sect. 3.* omnia divina sese mutuo eminenter continent ex conceptu generaliori identitatis realis (altem in vno tertio, quin perinde mutuo virtualiter emanent, aut sese virtualiter producant. Præterea nec ad id sufficit conceptus cuiuscumq; prioritatis vnius ad aliud: quia posset esse prior ex alio conceptu, seu titulo generaliori: siquidem angeli sunt priores hominibus, quin vllatenus produxerint homines: materia est prior formâ, quia forma emanat à materiâ: & fortè apud ipsos Adversarios ex titulo puræ directionis esset aliquomodo intellectio prior volitione, & ex titulo determinationis aliqua volitio, seu decretu esset invicè prius aliqua cognitione, sine productione, seu emanatione posterioris à priori.

*Ribad.  
Mart.*

*Supra  
disp. 3.*

21 Insuper nec ad id sufficit, quod perfectiones Attributales sint in Deo ad exigentiam Essentia Deitatis: nam multa sunt ad exigentiam aliorum sine ratione emanationis, seu productionis ab alijs: Essentia quidè Dei est in Filio ad exigentiam Generatis, quin vllò modo producat à generate. Rursus, nec ad id sufficit conceptus Naturæ, & Attributorum, seu quasi proprietatum: in multis enim hoc ipsum salvatur per solam prioritatem essentialitatis, absque ratione radice productivæ: & in universum scitissima est multorum Philosophorum sententia, negans proprietates physicas produci à Naturis, quibus attribuuntur: unde nemo dubitat calorem esse proprietatem substantia ignis, sive producat, uti quidam opinantur; sive, uti opinantur alij, non producat à substantia ignis: & quantitas asseritur communiter proprietatem accidentalis materia primæ, à qua tamen minus producitur.

22 Deniq; nec ad id sufficit conceptus æquivalentia aliquarum perfectionum divinarum

ad

ad alias creatas, quarum vna emanat formaliter, & producitur ab alia. Nam præter ea, quæ de similibus æquivalentijs insufficientibus ad fundandas rationes virtuales diximus *disp. 4. præsertim nu. 36. & 42.* rogo nunc, an eiusmodi æquivalentia sit formalis, an virtualis. Si tantum virtualis: ergo non solum non datur inter eas Dei Perfectiones ratio productionis realis formalis; imò nec ratio formalis æquivalentiæ talis productionis; ac proinde non datur ibi formaliter ratio productionis virtualis; sed solum eminentia divinæ Perfectionis præstans sine ratione productionis, quod in creatis non præstatur nisi per productionem: adde, & nisi per receptionem: adde, & nisi per rationem accidentis physici: adde, & nisi per perfectionem limitatam, & ab alio: ergo sicut ea virtualis, seu eminentialis æquivalentia non est conceptus, in quo fundari possit ratio receptionis, accidentis, limitationis, & abalietatis virtualis; ita nequa quo fundari possit ratio productionis, seu emanationis virtualis.

23. Si verò dicas eiusmodi æquivalentiam esse formalem; rogo, an sit formalis æquivalentia ad res creatas, quarum vna emanat, & producitur ab alia: æquivalentia, inquam, in ratione productionis, & emanationis formalis, vel in alijs rationibus præcipientibus à ratione productionis, & emanationis formalis v. g. in rationibus entis, perfecti, Essentiæ, sive Attributi. Si dicitur primum, nimis dicitur: quin si æquivalentia illa formalis earum divinarum esset ad creatas formaliter in ratione productionis, & producti, sicut in ratione Entis, Essentiæ, & Attributi; convenirent illæ divinæ Perfectiones cum creatis in ratione formalis productionis, & producti, non secus, ac in ratione Entis, Essentiæ, & Attributi: sicque non modo dicerent conceptum virtualis productionis, & emanationis; quin etiam & realis formalis. Si dicitur secundum, nihil dicitur: quia sic in illis rationibus genericis convenit similiter perfectio increata cum omnibus creatis imperfectioribus recepti, limitati, & accidentis; quin tamen perinde appingendus sit Deo conceptus receptionis, accidentis, limitationis, aut imperfectioris virtualis.

24. Igitur non est in Deo formalis conceptus, cui innati rationabiliter valeat ratio productionis, seu emanationis virtualis Attributorum, seu proprietatum ab Essentiâ: sicque frustra & abque fundamento

prærenditur huiusmodi Virtualismus.

25. Maacet etiam per hæc exclusus à prædictis divinis Perfectionibus conceptus productionis, seu emanationis ratione nostrâ non fingente, vt in simili expendimus *disp. 4. sect. 8.* Nec video equidem qua doctrinæ consequentia adstruantur in Deo similes conceptus virtuales à dextris, & à sinistris à Recentioribus, negantibus ex professo nobiscum virtuales fututiones deceptorum, vt expendimus *disp. 13.*

26. Obijciat primò. Essentia Dei præcedit Omnipotentiam, Voluntatem, Volitionem, & alia Attributa ac Relationes perfectissimo modo: sed hoc est præcedere vt principium virtuale productivum, à quo virtualiter emanant: ergo sic præcedit: ac proinde media emanatione, seu productione virtuali. Minor probatur. Primò: quia perfectius est Essentiæ, quod ab ipsâ fluant proprietates, quam quod ipsi adsint per meram coexistentiam: sic enim cuilibet Perfectioni Dei adsunt alia. Secundò: quia perfectior est bonitas se finitè communicans creaturis, & infinitè perfectionibus increatis: sed creaturis se communicat Deitas finitè, dando ipsis perfectionem, & bonitatem per productionem realem formalem: ergo perfectionibus increatis infinitè, dando ipsis perfectionem infinitam per productionem virtuales. Tertio: quia Essentiam taliter præcedere alias Dei perfectiones vt eas contineat eminenter, est magna perfectio: sed ad id requiritur, quod eas præcedat per modum principij virtualis earum: ergo sic eas virtualiter præcedit. Quarto: quia Essentia Dei, vt dixit Athanasius est *Domina, & genitrix Hypostasum*, apud Montoyam *disp. 52. sect. 5. num. 2.* id est Subsistentiarum, seu Personalitatum: ergo saltem ab Essentiâ ad perfectiones Relativas datur ratio productionis, seu emanationis: non realis formalis: ergo saltem virtualis, seu ratione nostrâ. Supponit obiectio Essentiam Dei esse intellectivum, seu intellectionem, aut simile aliud Dei prædictum præ Volitivo, Volitione, Omnipotentia, & alijs Attributis: quod ex professo negavimus *disp. 5.* Id tamen pro nunc permittimus, vt vires suas fortius exerat obiectio.

27. Respondetur, concedendo maiorem de Relationibus, vt potè exclusis à conceptu Essentiæ Dei; & permittendo de alijs Attributis in obiectioe recensitis: & negando minorem. Ad primam probationem

Supra  
disp. 4.

Infra  
disp. 13.

Athan.  
Montoy.

Supra  
disp. 5.

nem dic, fluxum illum virtualem esse chymericum: sicque nullius perfectionis, Nec perinde perfectiones illæ attributales, seu Relativæ, adiunt Essentiæ, seu prædicatis ex genere suo essentialibus, merè coexistentivè; sed valde ordinatim cum ordine congruo prioritatis infra explicando. Ad secundam, nego consequentiam: quam incoherentem, omnino video illis præmissis. Deitas certè communicatur Attributis alijsque divinis Perfectionibus improductis infinitissime per identitatem realem: & præterea Personis productis per productionem realem, non perfectionis communicatæ, sed Personalitatis productæ. Ad tertiam, negatur minor: quia, vt essentia contineat eminentissime alias perfectiones, & ab ipsis eminenter contineatur, satis superque est realis identitas: de quo plura *disp. 3. sect. 3.* Ad quartam, sibi, certæque veritati adversaretur Athanasius, nisi ea verba benignè excipiantur, cum absolute dici non liceat, essentiam generare, vt luculenter adstruit Montoya *disp. 80.* exponens aptè ipsum Athanasium, aliosque Patres. Sensus ergo ad summum esse potest, Essentiâ esse originem logicam Personalitatum, quas præcedit prioritare tantum essentialitatis: quo fundamento nos ex imperfecto modo nostro concipiendi eam concipimus ad instar Naturalium creaturarum, à quibus emanant physica proprietates. Unde in forma, sic explicato antecedente, nego consequentiam, & reliqua.

28. Obijciunt secundò. Attributa, & Relationes emanare, seu produci virtualiter ab Essentiâ, nulla est imperfectio: non est ergo cur Deo negetur. Antecedens probatur: quia si id esset imperfectio, maximè, quia perfectiones sic virtualiter productæ non essent virtualiter ens à se: sed hoc imprimis non est imperfectio positiva, cum absque imperfectioe positiva producerentur realiter aliquæ Personæ Divinæ: deinde nec est imperfectio negativa: id enim nullam perfectionem impedit perfectionibus sic emanantibus possibilem: cum solum impediatur aseitatem etiam virtuales, quæ in illis impossibilis est. Confirmatur impossibilis est in Attributo perfectio impediens maiorem perfectionem Essentiæ: sed aseitatem etiam virtualis Attributorum impediens maiorem perfectionem Essentiæ: ergo impossibilis est. Maior patet, nam in dubio maioris perfectionis adjudicandæ, adjudicanda est potius Essentiæ, vt hæc sit

conceptus perfectior. Minor probatur: quia sic impeditur, ne Essentia virtualiter producat, & eminenter contineat Attributa, & Relationes: imò, & ne gaudeat conceptu Naturæ, in eo stante, quod Natura sit radix, à qua emanant proprietates.

29. Respondetur negando antecedens. Ad probationem posset vno verbo negari maior, assignando pro imperfectioe omnium maximam implicentiam, quam probavimus, eiusmodi productionum, seu emanationum virtualium. Caterum, quia in toto suo discursu multa involvunt Obijcientes vt certa, mihi plusquam dubia, permittito maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem, nego imprimis, id non esse imperfectioem positivam: siquidem perfectiones illæ sic productæ essent adæquatè virtualiter ab alio: quod est positiva imperfectio. Nec est è re exemplum Personarum productarum in Deo: quia non sunt ab alio neutraliter, quod sit aliud adæquatè, sed quod simul sit idem in Natura realiter, & virtualiter cum Personis productis, vt exposuimus *disp. 2. sect. 4. per errorem 3.* Quod si hac Personarum productarum doctrinâ vt placet Adversarijs; probare possent, non fore positivam imperfectioem, sed perfectionem, Attributa, & Relationes realiter formaliter emanare, & produci ab Essentiâ: quia in Personis productis realiter à producentibus emanare maxima perfectio est. Nego deinde, id non esse imperfectioem negativam: impediret enim aseitatem perfectissimam perfectionum sic emanantium, quæ aseitatem, excludens abalietatem etiam virtuales, neutiquam est ipsis impossibilis, imò apprimè consentanea. Insuper animadverto, quod id quod aiunt, Attributa non esse virtualiter à se, quia sunt virtualiter ab alio, recurrentes vt hoc liberent ab imperfectioe, ad Personas productas in Deo, quæ citra imperfectioem producerentur; non est ad rem. Vel enim ea virtualis productio Attributorum est ad instar productionis formalis Personarum; vel non. Si non est, frustra recurritur ad hoc exemplum. Si est, ergo sicut ea productio virtualis facit Attributa non esse virtualiter ens à se, ita productio realis formalis faceret Personas productas non esse realiter formaliter ens à se: quod dici nequit.

30. Ad confirmationem, distingo maiorem: impossibilis est in Attributo perfectio impediens maiorem perfectionem Essentiæ, quam esse vel excogitari possit,

concedo : maiorem , quàm sit in quolibet attributo , nego : cuiuslibet enim attributo inest tanta perfectio , quanta in Essentia , & in toto Deo , ut latè defendimus *disp. 3. sect. 7.* Quòd si à dignitate principij sic productivi dimetienda esset maior perfectio ; quomodo salvaretur cœqualitas perfectionis inter divinas Personalitates , quarum Paternitas est productiva duarum , Filiatio unius , & Spiratio passiva nullius ? Ad probationem maioris , dico imprimis , falsò in ea supponi inæqualitatem perfectionum divinarum . Deinde frustra erogatur perfectio Essentiæ , derogando Attributis ; cum eo sit Essentia perfectior , quò habet attributa perfectiora . Denique lubens concedo , perfectionem essendi à se sine abalietate etiã virtuali adjudicatã attributis , impedire in Essentia assertã perfectionẽ producendi virtualiter attributa : hæc tamen perfectio chymica est . Nec perinde impeditur , aut eminentialis continentia attributorum in Essentia fundata in idemitate reali , ut sæpè diximus : aut perfectissimã ratio Naturæ in Essentia respectu attributorum , seu Relationum , ut mox explicò .

31 Quocirca notæ optimè Ribadeneira vbi supra , Naturam sumi dupliciter . Primò apud Physicos , pro principio motus , & quietis eius in quo est , &c. & in hoc sensu dicit rationem physicæ radices suarum operationum , & proprietatum , & alia Deo indigna . Secundò apud Metaphysicos , & Theologos pro constitutivo primario substantiali , cui debentur suæ operationes , & proprietates : & in hoc sensu est propriè in Deo Natura . Quæ si dicitur interdum proprietatum , seu conceptuum secundariorum radix ; intelligi debet , non quòd sit radix productiva , à quã proprietates physico effluxu emanent ; sed radix metaphysica , vel logica , cui proprietates debeantur . Quod nõ aliud est , nisi Naturã esse conceptum primarium , & proprietates conceptus secundarios illi debitos , illamque supponentibus prioritate tantum essentialitatis , hoc est ; tanquam conceptum metaphysicè definitivum , à quo secundarij formaliter excluduntur . In statu beatifico , inquit Hemelman ; Visio Dei dicitur radix aliarũ sclicitatum , quales sunt Amor Dei , aureolæ , varix notitiæ , ac dotes : non quia cunctas producat Visio , sed quia ipsi debentur , ut ornamenta Status ; cuius Essentia , est Visio . Demus , addit , quòd cuncta hæc idemificarentur realiter cum Visione : tunc

sanè Visio esset radix metaphysica eorum , quin sit opus perinde dicere , quòd cunctas eas perfectiones produceret Visio virtualiter , seu ratione nostra , nisi dicitur nunc eas producere realiter . Itaque iuxta communem loquutionem , quòd Natura Dei dicitur radix proprietatum , intelligitur optimè sine vmbra productionis , seu emanationis , ex eo solùm , quod proprietates sint conceptus extræssentiales debiti conceptui essentiali , cum fluxu , origine , seu consequentia tantum logicã à conceptu primario ; prioritate tantum essentialitatis præsupposito .

32 Obijciunt tertio . Imprimis Essentia Dei distinguitur virtualiter ab Attributis , & Relationibus . Secundò , est prior illis . Tertio , continet illa eminenter . Quarto , est ratio causalis illorum : nam quidquid est in Deo , vel est quia est Essentia , vel quia exigitur ab Essentia . Quid ergo requiritur amplius , ut Essentia sit principium à quo virtualiter producantur , & emanent Attributa , & Relationes ? Respondetur : partim concedo , partim permitto primam partem antecedentis . Secunda etiam est vera quo ad Relationes ; falsa tamen quo ad Attributa : saltem quo ad omnia ; nulla enim est ratio , cur intellectivum , seu intellectio , quam præ alijs Attributis esse Dei Essentiam supponit obiectio , sit prior Volitivo , Omnipotentia , Aternitate , & Immensitate , ut expendimus *disp. 5. sect. 4.* Tertia verissima mihi est : quippè titulo idemtitatis realis asserui *disp. 3. sect. 3.* quamlibet Dei perfectionem eminentissimè continere quidquid est in Deo . Quarta nititur in illà vocalã , causalis : quam , si capiamus ut sonat , involvitur quæstio in probatione , & probabitur contra omnes , in Deo dari causam virtualetm , seu ratione , nostrã suorum Attributorum . Quòd si , ratio causalis , benignius , ut decet , capiatur , solùm significat , Essentiam esse rationem , & titulum cui consequenter debeantur Attributa , & Relationes : & hoc verum est . Nego tamen ex his à me concessis , aut partim permisis , inferri in Essentia conceptum principij virtualiter , aut per rationem productivi , respectu Attributorum , seu Relationum .

33 Inquis : quid ergo requiritur ultra ? Aio , me nondum invenisse talem conceptum : ipsi quærant qui eiusmodi emanationes , seu productiones virtuales amant . Nobis sat fuerit ostendisse nullum conceptum hæcenus ab ipsis assignatum esse sufficientem .

ficientem . Ex eo autem quòd inexplicatus , & inexplicabilis omnino sit , quoad quid est ; sequitur , quòd sine fundamento adstruitur in Deo , quo ad an sit .

## SECTIO III.

## DE INCLUSIONE ATTRIBUTORUM.

34 NOME Attributi , tam hinc , quàm in totã ferè Disputatione , venit in latiori sensu omnis Perfectio divina , ut doctrina sit universalior , & fructuosior . NOME inclusionis vltimur proportionatè ad distinctionem , quam respectivè dicunt perfectiones Dei . Quia inclusio requirit distinctionem includentis ab incluso : sicque nequit esse propriè realis inclusio vbi nõ est realis distinctio . Nec est quæstio de inclusione , quæ sit mera continentia eminentialis : sic enim iam vidimus *disp. 3.* quodlibet prædicatum divinum eminenter continere totum Deum .

35 His præmonitis , multiplex est sub hoc titulo difficultas . Prima : quænam prædicata includat formaliter quodlibet Attributum . Secunda : an Essentia includat formaliter omnia Attributa . Tertia : an quodlibet Attributum includat Essentiam , Quarta : an Essentia includat Relationes . Quinta : an Relationes includant Essentiam .

36 Prima conclusio . Quodlibet Attributum , præter conceptuum suum differentialem , includit formaliter conceptus aliquos generales transcendentis , ut conceptum entis , veri , boni , divini , infiniti , perfecti , existentis , & si quæ sunt alia huiusmodi . Quod similiter intelligo de Relationibus cum Scoto , Richardo , Zumel , Zuniga , Suarez , & alijs , quos citat , & sequitur Amic. *disp. 19. n. 172.* cõtra Cayet . Capreol . Vasq . Montoy . & alios negantes Relationibus peculiare existencias . Dixi : Præter conceptum suum differentialem : quia vti certum suppono , quodlibet Attributum , & Relationem dicere formaliter in conceptu suo definitivo specialem differentiam suæ lineæ , per quam ab alijs discernitur .

37 Ratio conclusionis universaliter esse solet , quia si per impossibile singula Attributa , & Relationes , ut Sapientia , Iustitia , Omnipotentia , Paternitas , & Filiatio , invicem separarentur , quælibet secum importaret suam entitatem , infinitudinem , perfectionem , existentiam , & alia huiusmo-

di : sicut similes perfectiones in creatis separatè secum important imbibitas rationes entis , finiti , dependentis , veri , boni , &c. ergo sic sunt à nobis concipiendæ illæ Dei perfectiones seclusã imperfectione separabilitatis . Idcirco eiusmodi prædicata communissima vocantur transcendentia ad omnia Attributa , & Relationes : de quo nos *sect. 11.*

38 Quæ loquutio aliam hinc suscitatur quæstionem : an ea prædicata communissima , & veluti generica , transcendant formaliter , non solùm singula Attributa , sed etiam speciales differentias singulorum Attributorum . Est quæstio : an ratio entis , aseitatis , unius , veri , boni , &c. imbibatur formaliter non solùm in Attributo , v. g. Omnipotentia concepta penes totum id quod dicit prout seorsim ab alijs Attributis , Sapientia , Iustitia , &c. verum etiam in ipsã differentia Omnisactiva , ex qua tanquam ex ratione differentiali , & ex prædicato quasi generico entis , aut entis divini constituitur adæquatus conceptus definitivus Omnipotentia . Sunt qui negent . Sunt qui affirmant : Sunt qui partim affirmant de prædicato entis generalissimi , & de alijs negent . Pendet magna ex parte resolutio à quæstione inter Metaphysicos celebri de transcendentia entis ad differentias specialium entium . Negavi in Metaphysicis eiusmodi entis transcendentiam . Unde pronum est in præsentia dicere , quod sicut conceptus genericus animalis imbibitur formaliter in specie hominis , non tamen in conceptu differentiali rationalis : & sicut conceptus entis in substantia ; non tamen in perfectitate , quæ est differentia substantia ; sic conceptus illi generales entis , aseitatis divini , &c. quamvis includantur formaliter in adæquato conceptu cuiuslibet Attributi , v. g. Omnipotentia ; non verò in conceptu differentiali . Quæ omnia intelligo formaliter ex parte modi nostri concipiendi . Nec est , cur in his , quæ purè Metaphysicorum sunt , longius digrediamur .

39 Secunda conclusio . Essentia Dei tam physica ; quàm metaphysica formaliter includit omnia Attributa strictè sumpta pro Perfectionibus Absolutis . Constat latè ex tota *disp. 5.* vbi contra communem Recitatorum sensum adstruximus cum Suarez , & alijs eximiaz notæ Theologis , adæquatum conceptum Essentiæ metaphysicæ Deitatis involvere æquè formaliter omnes Dei Perfectiones Absolutas necessarias .

Ter-

Supra  
disp. 3.Ribad.  
præsertim  
num. 16.

Hemel.

Supra  
disp. 5.Scot.  
Richar.  
Zumel.  
Zuniga.  
Suarez.  
Amic.  
Cayet.  
Capreol.  
Vasquez.  
Montoy.Supra  
disp. 5.  
Suarez.

40 Tertia conclusio. Quodlibet Attributum non includit formaliter totam Essentiam Dei. Ita Albiz, Quiros, & Martinon cum Vasquez, & alij, quos citat, & sequitur Fasolus: & est communis sententia, contra Granadum, Amicum, Zumel, Gonetum *disp. 3. art. 3.* & alios, quorum sententiam noviter, ac studiosè promovit, P. Franciscus Garau, olim Auditor meus, nuper Primarius in hoc nostro Collegio Barcinonensi Antecessor, suis iam edicis Operibus Phylologiz notus, & brevè edendis Theologiz, quæ præla torquent, altiùs cognoscendus.

40 Ratio mihi est, quia Essentia includit formaliter omnia Attributa: sed quodlibet Attributum non includit formaliter omnia attributa: ergo nec totam Essentiam. Maior supponitur ex conclusione præcedenti. Minor probatur: quia negari nequit distinctio saltem rationis invicem inter Attributa penes conceptus exclusivè formaliter diversos, similis illi, quam ponimus inter animal, & rationale: qui duo conceptus, quamvis formaliter includantur in homine per ipsos definito; non tamen sese invicem formaliter includunt: quippè homo in conceptu suo metaphysicè definitivo exprimit animal, & rationale: nec verò animal in conceptu suo definitivo exprimit rationale, seu principium distinctum; nec rationale in conceptu suo definitivo exprimit animal, seu principium sensationum. Sic ergo dicere necesse est in Attributis Dei: quòd nimirum, quamvis Essentia includat formaliter ex æquo Attributa, Omnipotentiam, Sapientiam, Iustitiam, Sanctitatem, &c. at Omnipotentia non sic formaliter includit Sapientiam, Iustitiam, & alia in conceptu suo metaphysicè definitivo: nam Omnipotentia satis exprimitur definitivè per conceptum Virtutis infinitæ à se principaliter omnifactivæ: in quo conceptu, nec in eius metaphysicè definitione non exprimitur formaliter Sapientia, nec Iustitia, nec aliud Attributum.

41 Quarta conclusio. Essentia Dei non includit formaliter Relationes. Est contra quosdam Thomistas, & alios, quos sequitur Amicus *disp. 19.* Defenditur tamen à communiori Sententia cum Suarez, Vasquez, & Montoya: nosque satis eam probavimus *disp. 5. sect. 5.*

42 Quinta conclusio. Similiter nec Relationes Essentiam. Est contra eosdem, præsertim Gonetum citatum: quos in hac

parte sequuntur Suarez, Montoya, alijque non pauci: defenditur tamen à Vasquez, Molina, Scot, Albiz, & alijs communius apud Ayosum *disp. 10. de Trin. sect. 2.* Sic etiam P. Borrull *disp. 12 de Trin. sect. 11.* & Magist. Lumbier *q. 8. de Trin. art. 2.* Quibuscum eam sic probo sub brevibus. Quoniam in Patre, v. g. aliquid est realiter indistinctum à Patre, quod non est realiter indistinctum à Filio: ergo illud aliquid, nempe Relatio Paternitatis, excludit à suo conceptu formali, id quod est in Patre indistinctum à Filio: ergo illud aliquid, nempe Relatio Paternitatis, excludit à suo conceptu formali id quod est in Patre indistinctum à Filio, scilicet Essentiam. Probo consequentiam. Tum quia si illud aliquid non excluderet à conceptu suo formali Essentiam, etiam Essentia non esset indistincta à Filio. Tum quia apud præcipuos ex Adversarijs, idè Essentia excludit à conceptu suo formaliter Relationes, quia si eas formaliter includeret, communicarentur Relationes, communicatà Essentiâ, seu indistingueretur realiter Paternitas à Filiatione, sicut indistinguitur Essentia: ergo similiter Relationes à conceptu suo formali excludunt Essentiam; ne videlicet, sicut Relationes distinguuntur realiter ab aliquo divino, distinguatur etiam realiter Essentia: aut ne distinguatur realiter Essentia à Filiatione, sicut Paternitas: quam paritatem vrget fortiter Arriaga *i. part. disp. 48. sect. 3.*

43 Confirmatur. Si Relationes includerent in suo conceptu formaliter Essentiam, seu Naturam Dei, Personæ identificantur non solum in Natura, quin etiam & in Relationibus: quod non est minus inconveniens, quam quòd objeci communiter solet oppugnantibus conclusionis præcedentis: quòd nempe, si Natura includeret Relationes, Personæ opponerentur, & distinguerentur, non solum in Relationibus, sed etiam in Natura. Aliter. In Filio aliqua formalitas est producta formaliter, & non solum denominativè, nempe Relatio: ergo ista non includit formaliter Naturam: alioquin Natura formaliter produceretur. Rursus: Paternitas dicit aliquid, quod non dicit Filius: sed hoc aliquid non est sola Essentia: hanc enim dicit etiam Filius: ergo est ad summum Essentia communis & aliquid non commune. Hoc autem non commune, vt formaliter superadditum communi, est Relatio: sed vt superaddi-

Suar.  
Montoy.  
Vasq.  
Molina.  
Scot.  
Albiz.  
Aios.  
Borrull.  
Lumbier.

Arriag.

tum communi non includit formaliter commune: ergo vt Relatio non includit formaliter commune, quod est Essentia. Probatur minor: quia vt superadditum communi non est conceptus communis Patri, & Filio: hic enim conceptus non est superadditus communi, sed formaliter ipsum commune: ergo solum est conceptus oppositionis, vel Relationis, excludens formaliter commune, scilicet Essentiam.

44 Obijcitur primò S. Tho. *quest. 33.* docens, communia Dei includi in conceptu propriorum: sed Essentia est communis: ergo includitur in conceptu Relationum, quæ nomine propriorum Dei intelliguntur. Confirmatur: nam ex eodem S. Tho. idem in Deo dicunt, quamvis diverso modo, concreta; & abstracta: sed Paternitas qui est concretum, includit formaliter Essentiam: ergo etiam Paternitas, quæ est abstractum, & est Relatio. Respondetur, loqui S. Tho. vt videtur est in ipsius contextu, de proprijs Dei concretè sumptis, vt sunt Pater, Filius, & Spiritus: in quibus verissimum est includi formaliter Essentiam. Ad confirmationem, quæ responsionem istam directè oppugnat, dico, maiorem intelligendam esse de concretis, & abstractis pure logicis, vt sunt in Deo intelligens, & intellectio: existens; & existentia; ens, & entitas; & alia huiusmodi: quæ nullam involvunt distinctionem nisi ex parte modi concipiendi, seu significandi; non verò de abstractis, & concretis, quasi physicis ex partibus, vel quasi partibus plusquam logicè distinctis, vt sunt Pater, & Paternitas, Filius, & Filiatio: Deus, & Deitas: in his enim non idem omnino dicunt abstracta, & concreta. Unde concessa minori; nego consequentiam. Hæc prosequitur Arriaga citatus, his & alias obiectiones merito retorquens adversus Suarez, & Montoyam ex ipsorum doctrinis.

45 Obijcitur secundò. Si Paternitas, vel Omnipotentia non includerent formaliter totam Essentiam Deitatis, non essent formaliter Deus ex suis conceptibus: cum tamen apud SS. Patres, quidquid in Deo est debeat esse essentialiter Deus. Respondetur, pro loquutione SS. Patrum satis esse, quòd quidquid in Deo est sic verè, & realiter Deus: quod rectè salvatur, quamvis Essentia Deitatis non includatur formaliter in quolibet Attributo, & Relatione, salvè reali, & essentiali identitate singulorum cum Deitate.

46 Sed dices. Quodlibet Attributum, seu Relatio, est formaliter, & ex conceptu suo ens ex conclusione prima: et non ens creatum, & ab alio: ergo ens à se, in creatum, & divinum: ergo non solum realiter, sed formaliter etiam ex conceptu suo est Deus: ergo includit formaliter totam Essentiam Deitatis. Respondetur, vt formæ dispositio talium præmissarum non inducit illam consequentiam: satis enim esset, si Attributa, & Relationes essent formaliter ens præcisum ex tali modo concipiendi à differentijs creati, & increati, à se, & ab alio. Ad scopum tamen veritatis pro subiectâ materiâ, concessis præmissis concedo etiam consequentiam, quo ad ens à se, & increatum, vt explico in Obiectione tertiâ. Quoad illud tamen postremum de Ente divino, distinguo consequens: est formaliter Ens divinum, quasi adiectivè, hoc est formaliter dicens divinitatem, vt ita dicam, transcendentem, quæ est realis identitas cum Deitate absolutâ concedo: quia solum est esse formaliter ens realiter identificatum cum Deo: est Ens divinum substantivè per totam formalem Essentiam Deitatis formaliter in eo imbibitam, nego consequentiam, & absolutè subillationem: quia quodlibet Attributum, & Relationem esse formaliter, & ex conceptu suo Deum in terminis præsentis quæstionis, esset in singulis seorsim relucere formaliter omnes conceptus aliorum Attributorum adæquantium vnam formaliter Essentiam Deitatis quod vidimus esse falsum.

47 Obijcitur tertiò. Quodlibet Attributum, & Relatio, est formaliter ex conceptu suo ens à se, & infinitum in genere entis: ergo dicit formaliter infinitum, non solum in vno genere, sed in omni genere, vt arguebamus *disp. 3. sect. 3.* ergo dicit formaliter omnem infinitatem: ergo dicit formaliter quidquid dicit Essentia Deitatis: hæc enim nihil dicere potest ultra omnem infinitatem perfectionis. Respondetur, concessa primo enthymemate, nego primam subillationem Nam, vt quodlibet dicat formaliter infinitatem in omni genere, non est necesse quod dicat omnem infinitatem formaliter, sed vel formaliter, vel eminenter, vt ibidem explicui præsertim *num. 28.*

48 Quocirca noto, quòd sicut à singulis Attributis, & Relationibus abstrahitur ratio Entis, & ratio Divini, quæ ratio reperitur formaliter in singulis, distinguuntur tamen eo modulo, quo singula distinguuntur

Supra  
disp. 3.

Albiz.  
Quiros.  
Martin.  
Vasq.  
Fasolus.  
Granad.  
Amic.  
Zumel.  
Gonet.  
Garau.

Amic.  
Suar.  
Vasq.  
Montoy.  
Supra  
disp. 5.



tur inter se; sic etiam ab ipsa abstractur ratio Entis Infiniti in omni genere; id est ratio Entis, seu Perfectionis realiter identificate, saltem in tertio, cum omni perfectione simpliciter infinita: quæ ratio reperitur formaliter in singulis similiter: Attributis, & Relationibus; distincta tamen eo modo quo singula Attributa, & Relationes invicem condistinguntur. Quæ admodum ergo, ut Omnipotentia, seu Paternitas sit formaliter Entis, sufficit quod includat formaliter suam rationem Entis, quæ includat formaliter rationem Entis imbibitam formaliter in Filiatione; sic etiam, ut sit formaliter infinita in omni genere, sufficit quod includat formaliter suam rationem Entis Infiniti in omni genere, suam scilicet identitatem realem, saltem in tertio, cum omni perfectione simpliciter infinita; quin debeat includere formaliter rationes omnes Entis Infiniti in omni genere, seu omnes infinitates omnis generis: scilicet omnes identitates reales imbibitas formaliter in Filiatione, & in alijs Perfectionibus divinis.

49 Atque hinc nego ultimam subillationem: quia Essentia Deitatis dicit formaliter rationem entis à se, & infinitatem omnis generis imbibitam in Omnipotentia, & imbibitam in Sapiaentia, & imbibitam in Iustitia, & alias infinitates distributas per singula Attributa: cum sit formaliter collectio omnium eiusmodi Attributorum, ut vidimus *disp. 5.* At Omnipotentia, Paternitas, seu quodlibet aliud Attributum, sive perfectio sigillatim, solum dicit formaliter suam rationem entis à se, & suam rationem infinitatis in omni genere sibi peculiaritatem; alias vero rationes entis à se, & infinitates in omni genere imbibitas formaliter in alijs Attributis, & Relationibus, non dicit formaliter in conceptu suo, quamvis omnes dicat eminenter ratione identitatis realis cum illis, quam identitatem dicit formaliter. Sic, ut homo sit formaliter ens, & animal, sufficit quod formaliter includat suam rationem entis, & animalis: quin perinde debeat formaliter includere, imò nec realiter, rationes entis, & animalis distributas in alijs.

50 Obijetur quartò. Qui perfectè cognoscit Omnipotentiam, aut Paternitatem, cognoscit Essentiam Dei: ergo quia Essentia includitur formaliter in illis. Respondetur, consequentiam esse nullam: sicut si ex eo quod cognoscens perfectè Paternitatem

tatem cognoscit Filiationem, inferres hanc imbibitam formaliter in conceptu Paternitatis. Dico ergo, perfectè cognoscentem Omnipotentiam, & Paternitatem cognoscere Essentiam Dei: non quia formaliter imbibitam in singulis ipsorum, sed ut terminum realis identitatis ad illam, quæ realis identitatis imbibitur formaliter in ipsis.

SECTIO IV.

DE DISTINCTIONE

Attributorum.

51 Convenimus primò in eo quod inter aliquas Dei Perfectiones, seu Proprietates, datur vera distinctio realis à parte rei: scilicet inter Relationes productas, & productas Personarum.

52 Convenimus secundò in eo quod ea realis distinctio non datur inter Absoluta: ad invicem, nec à Relativis, aut è contrà: ut est certum contra errorem Gilberti apud Montoyam *disp. II.* admittent is inter hæc distinctio nem realem, aut saltem modalem à parte rei. Nec à Gilbert o satis discessit Durandus apud eundem in Montoyam *sect. 2.*

53 Convenimus tertio in eo quod Perfectiones Dei realiter identificate distinguuntur alicqualiter inter se: quia diversos conceptus formamus de Omnipotentia, ac de Sapiaentia Dei, de Paternitate, ac de Natura. Unde sicut animal definimus per *Vivens sentiens*; & rationale per *principium discursus*: sicque alicqualiter illas formalitates discernimus; ita similiter Omnipotentiam definimus per Virtutem infinitam à se omniactivam, & Sapiaentiam Dei per notitiam à se omnisciam, & intelligibilem omnium comprehensivam: ergo hæc, & similes Dei Perfectiones differunt alicqualiter, saltem ratione nostrâ, eo saltem modo, quo in homine differunt gradus animalis & rationalis. Nam, ut notat Ribadeyera, ratio, & definitio pro eodem sunt apud Aristotelem, & S. Thomam: sicque distingui ratione perinde est, ac distingui definitione. Videantur S. Tho. *quæst. 2. de Veritate, art. 1.* Quiròs *tom. 1. disp. 16.* & Montoya *disp. 12.* probantes contra quosdam Hæreticos, prædictam distinctionem rationis in divinis: & defendentes Nominales ab aliquorum calumniâ contendentium illos eam negasse. An eiusmodi di-

Montoy. Durand.

Ribad.

Arist. S. Tho. Quiròs.

stia.

stinctio rationis sit, ut aiunt, obiectiva; an ex parte solius modi concipiendi, metaphysicis relinquo.

59 Dissidium celebre nunc est: an præter distinctionem rationis, admittenda sit inter aliquas Perfectiones Dei realiter identificate aliquid alia distinctio à parte rei. Loquor in genere: non enim disputo nunc, inter quas specialiter divinas Perfectiones admitti debeat.

60 Negant vniuersaliter graves aliqui Theologi. Granadus hîc. Alarcón *tract. 5. disp. 2. cap. 7.* Vvadingus *disp. 7. de Inscar. dub. 4.* Hemelmán *vol. 1. tit. 3. disp. 1. cap. 27.* Quiròs *disp. 14. & 15.* Quibus adnumerari solent Valquez, Torres, Fasolus, Montoya, & alij: quorum fundamenta, & responsiones qui attente legat, fortè non ita perviam, ac multi existimant, sententiam istam negatè apud ipsos reperiet. Illam clariùs reperit noviter apud Platelium *p. 1. cap. 1. præsertim à num. 28.*

Thomist. Scotist.

Lumbier

61 Affirmant communis Authores nostri, multi Thomistæ, & Scotistæ omnes: non tamen omnes vno modo. Nam Scotistæ ponunt à parte rei inter multas Dei Perfectiones realiter identificate, suam illam celebrem distinctionem, quam vocant formalem ex Natura rei. Pro qua sententia militat noviter ac studiosissimè Magister Lumbier *q. 14. de Attrib. & q. 13. miscellanea de Scientia Dei, art. 7. §. 1. & 2.* & paulò post in Appendice: nec desunt è Societate nostrâ, qui ipsi opitulentur. Maior tamen & potior Scriptorum pars ubique negant formalem hanc distinctionem ex Natura rei: & solum concedunt alicubi virtualem.

62 Distinctio autem harum distinctionum pendet ab ipsarum explicatione, satis quidem difficili. Quantum capio, & quantum sapio, in eo ponitur, quod Scotistæ de conceptibus, quos inter admittunt formalem suam distinctionem ex natura rei, dicunt vnum formaliter à parte rei non esse alium v. g. Omnipotentiam formaliter à parte rei non esse Iustitiam: Essentiam formaliter à parte rei non esse Paternitatem: quamvis realiter identificentur: quia, inquiunt, non distinguuntur tanquam res à re, sed tanquam formalitas à formalitate. Patroni verò distinctionis virtualis de conceptibus, quos inter admittunt distinctionem suam virtualement, non dicunt, vnum formaliter à parte rei non esse alium, semperque negant has, & similes propositiones: *Omnipotentia formaliter à parte rei*

*non est Iustitia: Essentia non est formaliter à parte rei Paternitas:* quia, inquiunt, distinctio virtualis nihil detrahit identitatis realis, nec formalis à parte rei inter sua extrema. Quid ergo erit distinctio hæc virtualis? Dicam breviter, ac dilucidè quod sentio, quantum ex Authorum scriptis, & publicis Disputationibus ediscere potui iuxta communiores terminorù usurpationes.

63 Tripliciter usurpatam lego, & audio Virtualement distinctionem. Primo, pro qualibet æquivalentia vnius rei ad res distinctas. Sic autem nullum est ens, in quo non sit distinctio virtualis: quia nullum est ens, quod quo ad aliqua munera non æquivalet rebus distinctis. Sit exemplum in homine: qui vivens, animal, & rationale cum sit; vivit ut Planta, sentit ut Leo, & intelligit ut Angelus inter se realiter distincti. Similiter in lapide qui, cum substantia, & materialis, & physicè compositus sit; subest accidentibus ut angeli; pendet à materia ut homo; componitur ex materia, & forma substantiali, ut ignis. Sicque, quoad eiusmodi munera æquivalet multis distinctis: in quo saltem sensu dicuntur illi conceptus viventis, animalis, & rationalis in homine; pariterque conceptus substantiæ, materialis, & compositi physici, in lapide, distinguuntur virtualiter; hoc est, æquivalenter ad res distinctas. Et in hoc sensu latissimo, & frequentissimo videntur loquuti Molina *p. 9. 28. art. 2. disp. 2.* & Suarez *lib. 4. de Tri. c. 4.* Ex SS. PP. cum August. dicentibus de Deo: *Memoriam, Voluntatem, & Intellectum, non esse aliud, sicut in nobis; sed unum aliquid quod omnia valet.*

Molina Suarez

Lynce

64 Secundò usurpatur distinctio virtualis pro capacitate vnius realitatis ad verificanda prædicata alioquin contradictoria solum intentionalia, & extrinseca, qualia dicuntur esse cognosci, & non cognosci. Et in hoc sensu minus lato ponunt multi præsertim Thomistæ, nossterque Lynceus in creatis distinctionem virtualement inter gradus metaphysicos superiores, & inferiores, & inter alios multos conceptus realiter identificate, tam in creatis, quam in divinis: illamque vocant præcisionem obiectivam: aut aliter distinctionem virtualement minimam, seu diminutam: de qua in metaphysicis: & quoad præsens attinet dicem⁹ aliquid *sec. 10.*

Infra sect. 2.

65 Tertio usurpatur strictius, pro capacitate vnius realitatis ad verificanda prædicata alioquin contradictoria intrinseca, omnino independentem à nostris cognitionibus;

R

bus;

bus: & vocari solet distinctio virtualis præcipua, sive maxima. Et in hoc strictiori sensu loquimur hic, utpotè cōgruè ad aliquam explicanda pro nostro captu divina Mytheria: nam de primo, & secundo minùs curare debemus Theologi.

66 Hanc autem præcipuam distinctionem virtuales varij variè constituunt. Alij per capacitatem ad contradictoria. Quibus addit Ribadeneira *disp. 2. de Scientia Dei*, eam capacitatem ad contradictoria esse in creatis conceptum distinctionis realis. Non acquiesco huic additamento: quia nec in creatis ea capacitas est conceptus essentialis distinctionis realis: quòd si esset, in divinis etiam, ubi reperiretur ille conceptus, reperiretur non solum distinctio virtualis, quin etiam & realis: nam ubi reperitur conceptus essentialis distinctionis realis, distinctionem realem reperiri necesse est: cum quælibet res sit suus conceptus essentialis, & è converso. Nec valet dicere, illum esse conceptum essentialis distinctionis realis in creatis dumtaxat. Quæro enim: quis sit in divinis? aut quis abstractè à creatis & divinis? Sane, nihil præter unum non esse aliud: qui conceptus in creatis antecedens est, & ad ipsum consequitur verificatio contradictorium; & est ubique primariò constitutus distinctionis realis.

67 Alij distinctionem virtuale constituunt per distinctionem realem in aliquo tertio: sicque dicunt, Essentiam v. g. & Paternitatem, inter se realiter identificatas, distinguunt virtualiter inter se, quia distinguuntur realiter in aliquo tertio: quatenus scilicet Essentia identificatur realiter cum Filiatione, à qua realiter distinguitur Paternitas: & Paternitas distinguitur realiter à Filiatione, cum qua realiter identificatur Essentia. Hi Authores, à quibus in re non discedet Quirós ubi supra, quamvis in voce discrepat; si dicere velint, solummodò dari distinctionem virtuale inter illa, quæ distinguuntur realiter in tertio; facile acquiescam. Caveant tamen, ne deinceps admittant distinctionem hanc virtuale inter necessaria, & libera Dei: nam pro illis non inveniunt distinctionem realem in tertio. Si autem velint, conceptum distinctionis virtualis stare adæquatè, & præcisè in eo conceptu distinctionis realis in tertio; acquiescere omninò non possum: quia sequeretur contra omnes inusitatus Virtualismus. Si enim, Essentiam realiter identificari cum Filiatione distinctè realiter à Pa-

ternitate, est Essentiam distinguunt virtualiter à Paternitate; cur similiter, Essentiam identificari realiter cum Filiatione realiter producta à Patre, non erit Essentiam produci virtualiter à Patre aut cur, Spirationem activam identificari realiter cum Patre, qui est fons Trinitatis, non erit, Spirationem activam esse virtualem fontem Trinitatis? & alia huiusmodi: ergo ratio & conceptus essentialis distinctionis virtualis nequit formaliter, & præcisè consistere in prædicta distinctione reali in tertio.

68 Malim itaque acquiescere communi explicationi, & constitutioni virtualis huius distinctionis, per capacitatem unius perfectionis realiter eiusdem ad verificanda prædicata alioquin contradictoria. Quocirca tenendum est, quòd unum distinguuntur realiter ab alio, est primariò, unum non esse aliud: quod nihil est, præter unum & aliud v. g. homo, & lapis: ex hoc autem consequitur tanquam conceptus secundarius, quòd de uno v. g. in homine verificetur aliquod prædicatum, v. g. esse discursivum, cuius contradictorium nempe non esse discursivum verificatur de alio distincto, scilicet de lapide, & è contra: quæ prædicationes de uno, & eodem verificari non possent, utpotè secundum se invicem contradictoria. Duo itaque habet realis distinctio: unum, facere quòd in sensu reali unum non sit aliud: aliud, facere quòd in sensu reali verè affirmetur de uno, quòd verè negatur de alio. Illud prius inveniri nequit nisi ubi distinctio realis invenitur, quia est ipsissimus conceptus essentialis, & primariò distinctionis realis: sicut nec essentia cuiusvis rei, nisi ubi invenitur ipsa res. Istud posterius, cum non sit conceptus primariò constitutus distinctionis realis, non ita repugnat inveniri ubi distinctio realis non invenitur: & in hoc conceptu secundario distinctionis realis dicitur stare conceptus primariò distinctionis virtualis.

69 Erit igitur virtualis distinctio, realis capacitas realiter eiusdem ad verificandas in sensu reali prædicationes alioquin contradictorias. Unde perfectiones, si quæ sunt, virtualiter distinctæ, quamvis quoad munus verificandi eiusmodi contradictoria habeant se quasi realiter distinguerentur inter se; at quoad mutua identificatarem habent se quasi nullatenus distinguantur: quia distinctio virtualis absolute & propriè distinctio non est; sed virtus quædam

distinctio quoad prædictum munus contradictorium: quatenus nempe supponens v. g. Paternitatem esse realiter Deitatem, facit quòd Deitas sit realiter Filiatio, & Paternitas non sit realiter Filiatio: cum tamen absolute, & realiter Deitas sit Paternitas. His sic distinctis, & aliquantè explicatis.

## SECTIO V.

### PRIMA CONCLUSIO CONTRA distinctionem formalem ex Natura rei.

70 **P**rima conclusio. Nullas inter divinas Perfectiones realiter identificatas datur distinctio formalis ex natura rei. Probatum. Si inter aliquas Dei perfectiones v. g. Omnipotentiam, Sapientiam, Iustitiam, Essentiam, & Paternitatem, daretur ea formalis distinctio, non daretur inter eas formalis identitas: unde citra considerationem nostram, nec Sapientia Dei esset à parte rei formaliter Omnipotentia, nec Paternitas esset à parte rei formaliter Deitas: quæ loquutio ita redolet errorem Gilberti, ut dixerit Vasquez, Gilbertum nihil aliud voluisse: quamvis Egidius Lusitanus *tom. 1. lib. 5. q. 6. art. 3.* eam vindicet à censuris videndis apud Molinam, Bañez, Torres, Zumel, & Montoyam *disp. 11. sect. 7.*

Vasq.  
Egid.  
Molin.  
Bañez.  
Torres.  
Zumel.  
Montoy

71 Dices nihil esse absurdi, quòd inter eiusmodi perfectiones non sit formalis identitas, quam nimirum excludit formalis distinctio: dummodò realis earum identitas retineatur, eo quòd realiter non distinguuntur, sed solum formaliter. Si autem quæramus discrimen inter distinguuntur formaliter, & realiter? dicunt distinguuntur eo modo formaliter esse distinguuntur tanquam duas formalitates, & non tanquam duas res: hoc enim esset distinguuntur realiter: quævis utrumque id sit à parte rei. Contra tamen. Quia quodlibet ens eo ipso quòd est à parte rei est ens reale: ergo utraque illa distinctio eo ipso quòd dicatur esse verè à parte rei, est realis: ergo est distinctio verè realis à parte rei.

72 Dices: esse quidem ens reale, sed non distinctionem realem: quia una est rei à re, & hoc est esse distinctionem realem, alia verò non est rei à re, sed formalitatis, quidditatis, seu conceptibilitatis à formalitate, quidditate, seu conceptibilitate: & hoc

est esse dumtaxat distinctionem formalem ex natura rei, medià inter realem, & rationis. Contra tamen: & quæro ulterius: cur illæ, quæ vocantur duæ formalitates, non sint duæ realitates, cum sint non solum ratione, sed à parte rei distinctæ? Si dicas, quia à parte rei non sunt realiter distinctæ, sed solum formaliter; in isto: cur non realiter? & respondebis: quia non tanquam res à re: quod est vitiosè circumire: de utroque enim quæram rursus: cur illæ formalitates cum sint à parte rei non sint res, & res, nec realiter distinguantur?

73 Quodsi ad evitandum circulum pro soliditate doctrinæ, recurratur ad essentialem inseparabilitatem eiusmodi formalitatum; contra: quia tres Dei Personalitates sunt non solum tres formalitates, quin etiam & tres realitates, & tres res: ita quòd non solum formaliter, quin etiam realiter distinguantur: & tamen sunt non minùs essentialiter inseparabiles, quàm Essentia, & Paternitas, aut Omnipotentia, & Sapientia: ergo ratio cur Sapientia, & Omnipotentia aut Essentia, & Paternitas sunt formalitas, & formalitas, & non sunt res & res, ideoque non realiter distinctæ, sed solum formaliter, nequit præcisè sumi à ratione inseparabilitatis. Unde ergo sumendum est, ne in vocibus re vacuis hæreamus? Propter hæc, & alia nunquam potui apud me solidum discrimen statuere inter hanc subtilium Scotistarum distinctionem formalem ex natura rei, & formales præcisiones nostrorum Recentiorum, quas vocant in Metaphysicis præcisiones obiectivas, non nisi beneficio intellectus in obiecta derivatas. Hos tamen ibi ex solidiore Philosophia satis impugnavi, nunc prætermitto, Theologico unice intentus negotio.

74 Huc facit decretum Concilij Lateranensis statuentis adversus Joachimum, concedendam non esse in Deo quaternitatem. Joachimus autem non admittebat quaternitatem separabilem, sed inseparabilem: ergo Concilium negans quaternitatem inseparabilem assertam à Joachimo, negat quaternitatem, quæ difficulter negari potest iuxta doctrinas admittentes veram distinctionem à parte rei non solum inter tres Dei Personalitates, sed etiam inter Personalitates, & Essentia: quæ distinctione verè formaliter à parte rei, nec Personalitas sit Essentia, nec Essentia sit Personalitas.

75 Concilium etiam Florentinum *sess. 25. q. Quibus Latini*, sedulo tenuit om-

Ra nem

nem distinctionem præter rationis inter Deitatem, & Relationes, ibi: *Ne identitatem, coniunctionemque divina substantia distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem solâ Ratione, ab Hypostasibus, & Personis differre, credere videamur.* Sanè qui eas distinctis asserunt formaliter à parte rei, plusquam ratione differre credunt: & quamvis re distingui negent, tamen re illas distinguere videntur: quod cavere omninò studuit Concilium: ergo omninò cavendum est ex monito Concilij à distinctione formali ex natura rei inter Deitatem, & Relationes, ac proinde inter alias quasvisque Dei Perfectiones realiter identificatas: *ne, non sola ratione differre, credere videamur.* Plura Montoya sect. 3.

Montoy

76 Dices, ex his similiter argui posse contra distinctionem virtualem: quam si admittimus inter Deitatem, & Relationes, plusquam ratione eas secernimus. Et quidem cum ea distinctio sit à parte rei, erit distinctio realis, sicut eo ipso est etiam ens reale: aut si perinde est ens reale, & est distinctio à parte rei quin sit realis distinctio; sic etiam quamvis distinctio formalis ex natura rei sit ens reale, & distinctio à parte rei, non perinde sequitur quod sit distinctio realis, sed solùm formali à parte rei. Satis benè.

77 Sed occurro per discrimen semper observandum inter distinctionem virtualem, & formalem ex natura rei: quòd nempe ista dicitur esse vera distinctio, faciens vnum à parte rei formaliter non esse aliud; illa vero non est vera distinctio, nec quidquam demit identitatis; sed est virtus quædam distinctionis ad munus verificandi contradictoria. Unde non aliter est distinctio, quam homo pictus est homo: sicque non facit quòd vna virtualitas non sit alia; sed salvâ semper in illis invicem omnimodâ identitate, non minùs, quam in eadem virtualitate cum semetipsâ, facit, ut de re eadem verificentur contradictoria.

78 Atq; hinc est primò, quòd distinctio hæc virtualis nequaquam est contra mentem Concilij: quia cum hac salvatur tota veritas Concilij, caventis inter eas Dei Perfectiones quamcumque distinctionem, præter rationis: quamcumque, inquam, distinctionem veram, facientem vtrique quòd à parte rei vna illarum perfectionum non sit alia: cum tamen id non præstet distinctio nostra virtualis, iuxta quam numquam conceditur, vnam illarum perfectio-

num non esse aliam, nisi ratione nostrâ, quamvis à parte rei admittat contradictoria, quasi essent duæ. Secundò, quòd quamvis hæc virtualis distinctio, seu virtus distinctionis sit à parte rei, sitque ens reale; non perinde est distinctio realis: non quia verè realis non sit, sed quia verè distinctio non est. At distinctio formalis ex natura rei, & verè ens reale est, & verè distinctio à parte rei asseritur esse: unde inferebamus, quòd esset, & deberet dici distinctio realis; non minùs ac dicitur ens reale. In re enim dogmatica, & adeo lubrica, vel levis, modulus loquendi offendere potest, & à Theologo scrupulosè pensandus est.

79 Obijci potest sic: ut alia, quæ Philosophi pulveris sunt, ad Metaphysicos remittam. Deitas non est formaliter producta, & Filiatio est formaliter producta: & hoc quidem à parte rei: ergo à parte rei Deitas non est formaliter Filiatio: ergo distinguuntur à parte rei formaliter, quamvis non realiter: quia supponimus ex Fide, vna realiter esse aliam. Antecedens supponitur etiam ex Fide. Prima consequentia probatur: quia si ex parte intellectus nostri cognoscitur formaliter Deitas, non cognoscitur formaliter Filiationem, datur inter illas distinctio formalis per rationem, seu ex parte intellectus: ergo cum à parte rei formaliter producatur Filiatio, non producta formaliter Deitate, dabitur inter illas distinctio formalis à parte rei.

80 Nec satisfacies si dicas, cognitionem nostram esse præcisivam, non verò productionem. Nam, ideo cognitio est, & dicitur præcisiva, quia de re eadem potest aliquid attingere cognoscendo, alio non cognito: sed productio divina in re eadem, nempe in Filio, aliquid attingit producendo, aliquo non producto: producit enim Filiationem, & non producit Deitatem: & hoc à parte rei formaliter: ergo à parte rei formaliter præcindit: ergo si præcisio per intellectum facit, quòd formaliter per intellectum vna formalitas non sit alia; præcisio illa à parte rei faciet id ipsum à parte rei, & inducet distinctionem formalem ex natura rei inter Filiationem, & Deitatem realiter identificatas. Bona obiectio: sed caveat, ne præter intentum, & contra Fidem probet distinctionem realem Filiationis à Deitate: siquidem non solùm formaliter, sed etiam realiter producitur Filiatio, Deitate nec realiter producta.

81 Respondetur, concessio antecedens

re, negando consequentiam. Ad probationem, concessio etiam antecedente, nego absolute consequentiam: intellectam, ut nunc loquimur, de distinctione formali Scotica. Ratio autem, & disparitas est: quia nomine distinctionis rationis, cum formaliter sumpta sit extrinseca obiecto, non significatur, quòd in eodem obiecto detur aliquid, quòd formaliter intrinsecè non sit aliud, ideoque non recusatur loquutio, quòd formaliter per rationem non sit illud aliud, utpotè dumtaxat significans distinctionem formalem extrinsecam. Nomine verò distinctionis formalis à parte rei significatur distinctio ex natura rei, qualis asseritur in Schola Scotistica: faciens scilicet, quòd vna formalitas intrinsecè non sit formaliter alia: quòd numquam est verum in realiter identificatis: ideoque absolute negata sunt consequentia.

82 Quod si obiectio solùm vellet, ex productione producente formaliter Filiationem, & non Deitatem resultare in illis aliquam denominationem distinctionis formalis quasi extrinsecæ, ad instar illius, quæ ex cognitione præcendente, id est cognoscente vnum, & non aliud resultat denominativè in obiectis, fortè teneret paritas; sed nihil faceret pro distinctione formali ex natura rei, vi cuius vna formalitas à parte rei formaliter intrinsecè non est alia.

## SECTIO VI.

OCCURRITVR NOVIS CON-  
NATIONIBUS Magistri Lumbier pro  
distinctione ex natura  
rei.

83 **Q**ui præ ingenij, ac iudicij præstantia in eo mirandus, quòd Nominalium doctrinis pridem affuetus, formalibus deinde obiectorum legitimis potuerit adhærescere; obijcit aliter pro distinctionibus ex natura rei tam in divinis, quam in creatis in hunc modum.

84 Quamvis divinæ Relationes sint realiter Deitas quoad esse; tamen quoad communicari non sunt Deitas, sicut neque è contra Deitas: quoad referri non est Relatio: & hoc quidem formaliter à parte rei; utpotè citra considerationem nostram. Hoc autem, quamvis non faciat, quòd à parte rei Relationes non sint realiter Deitas, aut è contra, ob mutuam realem identitatem; nequit non facere, quòd à parte rei forma-

liter distinguantur: non quidem distinctione absolutâ reali, faciente quòd Relationes absolute non sint Deitas; at saltem distinctione aliqua formali, seu formalizati, faciente quòd formaliter, & cum additò non sint Deitas, quoad communicari. Cum ergo totum id sit à parte rei, admittenda est aliqua distinctio formalis à parte rei inter perfectiones realiter identificatas. Quod pluribus ex Philosophia, & Theologia doctrinis multipliciter confirmat.

85 Primò. Quamvis ens realiter identicè sit verum & bonum, specificat cognitionem formaliter, quia verum, & non quia bonum: & hoc quidem à parte rei: ergo non sine aliqua distinctione formali, seu quali à parte rei inter verum, & bonum.

86 Secundò. Iustitia Dei, quo ad esse, est realiter Misericordia; quoad exigi tamen formaliter ab operibus Misericordiæ, non est formaliter Misericordia: quia exercitium miserendi non exigit in Deo formaliter Iustitiam, sicut exigit Misericordiam: & hoc quidem à parte rei: ergo à parte rei est aliqua formalis distinctio inter Iustitiam, & Misericordiam realiter identificatas.

87 Tertio. In Sole idem sunt radicaliter virtus calefactiva, & illuminativa: & tamen ex calore à Sole producto non arguitur in Sole Virtus illuminativa, sed calefactiva: & ex luce à Sole producta non arguitur in Sole Virtus calefactiva, sed illuminativa: & hoc quidem à parte rei: nam à parte rei verum est, Solem debere esse calefactivum ex eo formaliter, quòd producat calorem; non verò perinde formaliter debere esse illuminativum: ergo à parte rei inest Soli aliqua formalis distinctio inter virtutem calefactivam, & illuminativam. Idem est in animalitate, & rationalitate hominis respectu sensationis, & discursus: nam à sensatione nec exigitur nec arguitur formaliter rationalitas, sicut animalitas. Idem in Omnipotentia, & Trinitate Dei, quoad exigi ab effectibus creatis: qui propterea non inducunt in notitiam Dei Trini, sed Dei Omnipotentis: quoniam formaliter non exigit Trinitatem, sed Omnipotentiam: & Omnipotentia formaliter ab illis exigitur, & non Trinitas: & hoc quidem à parte rei: ergo non sine aliqua distinctione formali à parte rei quoad formaliter exigi inter Omnipotentiam, & Trinitatem.

88 Quarto: quia amore perfecto charitatis diligimus Deum propter suam bonitatem, & non sic formaliter propter spiritua-



ritualitatem, Sapientiam, aut propter alias rationes realiter idemificatas cū bonitate: & id quidem etiam à parte rei: ergo à parte rei datur aliqua distinctio formalis, seu vt loquitur Auctor, *propterea*, inter Perfectiones Dei realiter idemificatas.

89 Responderetur, illiquidam mihi esse significationem maioris. Vera est, si solum velit, Deitatem communicari, & Relationem non communicari: & hoc quidem formaliter imò & realiter etiam à parte rei: nego autem minorem, quòd nempe id sit aliquomodo distinguere formaliter à parte rei; id enim est ipsissima, & purissima distinctio virtualis, nullam omnino formaliter excludens idemificatam à parte rei inter Deitatem, & Relationes, vt explicans distinctionem virtualem dixi *sect. 4.* & illam defendens dicam vberius *sect. 8.* Unde nego consequentiam. Quòd si sensus maioris sit, Deitatem aliquomodo formaliter à parte rei non esse Relationes, aliquomodo, vel leuissimè immutatà formali idemificatam inter illas à parte rei; nego maiorem.

*Infra  
sect. 8.*

90 Ad primum argumentum aliunde petitum in confirmationem intentionis contrarie, concedo antecedens, & nego consequentiam: nam loquutio illa verissima antecedentis, & verissima quidem non solum in sensu formali, sed etiam in sensu realissimo; nullam prorsus arguit distinctionem à parte rei formalem, sicut nec realem, inter ens, verum, & bonum in eadem re; sed distinctionem realem actuum intellectus ab actibus voluntatis ex modis suis specialibus versandi sapientius circa idem omnino obiectum: taliter nimirum, vt ex proprijs Naturis, si obiectum illud esset verum, & non bonum, versaretur adhuc circa illud actus Intellectus, & non actus Voluntatis: & è contra, si esset bonum, & non verum: nullà tamen refusà formali distinctione à parte rei inter verum, & bonum, vbi realiter obiectum idem est bonum, & verum.

91 Ad secundum, redit in antecedente illiquiditas vocum, notata circa maiorem *num. 89.* demtà verificatione contradictoriorum, quæ quidem hinc nulla sunt, sicut ibi in Essentia, quæ realiter formaliter communicatur, & in Relationibus, quæ realiter formaliter absolutissimè non communicantur: cum tamen hinc, loquendo formaliter à parte rei, exercitium diuinum miserendi æquè exigat in Deo Iustitiam, ac Misericordiam; & exercitium puniendi æquè Misericordiam, ac Iustitiam; sicut absolutè in

sensu reali absoluto Iustitia Dei miseretur, & Misericordia punit. Quando autem in sensu formali aliter loquimur, vsurpamus sensum formalem, non de formali à parte rei, sed de formali metaphysico ratione nostra. Et in hoc sensu, non verò aliter, admissio antecedente, negatur consequentia.

92 Ad tertium, concedo totum antecedens, & nego consequentiam. Nam quòd ex effectu caloris non arguatur formaliter Virtus Illuminativa Solis, sed solum calefactiva, & hoc quidem à parte rei, imò & realiter etiam à parte rei; non arguitur distinguere formaliter, sicut nec realiter à parte rei in Sole virtutes illas: sed dabilem esse virtutem calefactivam non illuminativam, distinctam realiter à virtute calefactivâ simul illuminativa Solis, potentem calefacere, & non potentem illuminare; sicut aliam è contra potentem illuminare, & non calefacere. Et idem dico ad illud de animali, & rationali ex sensatione, & discursu. Quemadmodum enim ex eo quòd ex animali non arguatur rationale, benè verò ex rationali animal; non arguitur distinguere potius in homine animal à rationali, quam rationale ab animali, sed dari aliquod animal non rationale, non verò aliquod rationale non animal; sic ex eo quòd ex sensatione arguitur animal, & non rationale, non arguitur distinctio vlla formalis à parte rei inter animal, & rationale, quæ reperiuntur realiter idemificata in homine; sed distinctio realis alicuius animalis non rationalis ab animali rationali hominis, à quo animali non rationali possunt oriri similes sensationes; non verò discursus. Ad illud tandem de Omnipotentia, & Trinitate, quoad exigi formaliter ab effectibus creatis, dico quòd dixi *num. 91.* de Misericordia, & Iustitia Dei ex actibus miserendi, & puniendi.

93 Addo, formaliter à parte rei, sicut etiam absolutè realiter, effectus creatos æquè essentialiter connecti cum Trinitate, ac cum Omnipotentia, vt dicam *infra disp. 18.* & ex parte obiecti nos cognoscetes *infra* creaturis Omnipotentiam, æquè etiam cognoscere Trinitatem, vt dicam *sect. 9. sect. 9.* Quòd autem ex nostro modo cognoscendi effectus creatos non inferamus hanc notitiam: ergo datur Trinitas: sicut hanc: ergo datur virtus à se productiva, qua sit causa prima; non est quia detur aliqua distinctio formalis à parte rei inter

Om-

Omnipotentiam, seu Causam primam, & Trinitatem; sed quia in nobis imperfectè aliter, & aliter cognoscentibus idem obiectum, dantur modi cognoscendi realiter diversi, ex quibus resultat extrinsecè in obiecta distinctio formalis ex parte modi nostri concipiendi: quæ distinctio, cum non sit plusquam rationis, non est nata facere, quòd obiectum intrinsecè non sit omnino idem, aut quòd formaliter, sive formalizaliter multiplicentur formalitates, quarum vna intrinsecè formaliter à parte rei non sit alia.

89 Ad quartum, concessio antecedente, nego consequentiam. Nam ex illo modo loquendi antecedentis, admissio libenter non solum in sensu formali, seu formalizaliter, quin etiam in sensu absolutissimo, & realissimo; non inferitur distinctio illa formalis, seu *propterea*, sicut nec realis, inter bonitatem, & illas alias Dei Perfectiones; sed distinctio realis actus charitatis ex modo suo versandi affectivè circa Deum, ab alijs actibus, non sic, sed modo realiter alio versantibus affectivè, seu cognoscitivè in obiectum realiter, & formaliter idem à parte rei, cum solà distinctione formali rationis extrinsecè refusà in idem obiectum, diversimodè realiter actum, diversitate scilicet actuum realiter distinctorum.

90 Nulla igitur perinde probatur necessitas admittendi distinctionem ex natura rei, quam adstruere subtiliter conantur doctissimi Scotistæ tam in creatis, quam in diuinis: & pro qua proponuntur adhuc oportune nonnulla Sectionibus sequentibus occasione distinctionis virtualis.

## SECTIO VII.

### SECUNDA CONCLUSIO pro Distinctione Virtuali inter Absoluta, & Relativa DEI.

91 **Secunda conclusio.** Inter aliquas Dei Perfectiones realiter idemificatas datur distinctio virtualis à parte rei. Probat. A parte rei, & independentè à qualibet consideratione intellectus nostri, datur inter aliquas Dei Perfectiones realiter idemificatas aliqualis distinctio: sed non distinctio formalis ex natura rei: ergo saltem Virtualis. Minorem probavimus contra Scotistas *sect. 5.* Maior probatur quia ad verificanda ea quæ Fides docet de

aliquibus divinis Perfectionibus realiter idemificatis, nec sufficit, nec prodest distinctio pura rationis beneficio solius considerationis nostræ: ergo datur inter illas aliqualis alia distinctio, seu quasi distinctio à parte rei independentè à consideratione intellectus nostri.

92 Probat. antecedens: nam ante omnem considerationem nostram, verum est ex Fide, quòd Essentia realiter est Filius, & Pater realiter non est Filius: quòd Perfectiones absolutæ Dei communicantur tribus divinis Personis: & quòd Paternitas non communicatur: quòd Filiatio est realiter à parte rei Deitas: & non est realiter à parte rei Paternitas: quòd Personalitas Spiritus Sancti producitur, & Deitas non producitur: sed ad hæc, & similia verificanda, nec sufficit, nec prodest distinctio pura rationis: ergo neque ad verificanda ea quæ Fides docet. Probat. minor: quia non solum quatenus illi termini subsunt nostris conceptibus, quin etiam à parte rei, & seorsim à cognitione nostra, sunt in Deo illæ veritates, & tales cognoscuntur à Deo, ita vt nulla illarum possit à catholico absolutè negari: ergo ad illas verificandas, nec sufficit, nec prodest distinctio pura rationis nostræ inter eiusmodi Dei Perfectiones realiter idemificatas. Quòd autem perinde admittenda non sit inter illas distinctio formalis ex natura rei, quæ erat minor primi syllogismi, satis constat ex *sect. 5.* Unde liquet prima nostra consequentia, quòd admitti debeat saltem virtualis.

93 Quòd sic ulterius probo, & declaro: quia ea distinctio ad id requiritur, & sufficit, quæ cum idemitate reali salvet iuxta Fidem verificationem earum prædicationum ex se alioquin contradictoriarum: sed hoc salvat distinctio nostra virtualis, in eo scilicet sita, quòd res eadem capax inveniat verificationis alioquin contradictoriarum, vt explicuimus *sektione 4.* ergo eiusmodi virtualis distinctio admittenda est, & sufficit, inter illas divinas Perfectiones realiter idemificatas. *Supra sect. 4.*

94 Dices pro Scotistis: eas prædicationes, ex se alioquin contradictorias, verificari non solum virtualiter, quin etiam formaliter à parte rei: nam Deitas formaliter à parte rei est Paternitas, & Filiatio formaliter à parte rei non est Paternitas: sic; ad has verificationes non sufficit distinctio virtualis, sed requiritur formalis à parte rei inter Deitatem, & Filiationem. Contra tamen: sic

fic enim probaretur contra omnes, & contra Fidem distinctio non solum formalis, quin etiam realis a partecum inter Deitatem, & Filiationem. Nam Deitas non solum formaliter, quin etiam realiter est Paternitas: & Filiatio realiter à parte rei non est Paternitas: ergo si ex verificatione in sensu formali earum propositionum inferretur formalis distinctio Deitatis à Filiatione; similiter ex verificatione earumdem in sensu reali, inferretur realis distinctio: ergo vel ad talem verificationem non sufficit distinctio formalis ex natura rei; vel sufficit distinctio nostra virtualis.

Platol.

95. Noster Platelius in sua peracutâ Synopsi Cursûs Theologici p. 1. c. 1. §. 2. nu. 28. omnia hæc, quæ apparent, contradictoria in Trinitate salvare contendit sine contradictione, & sine distinctione virtuali: ratus, quod prædicationes illæ, & aliæ similes, quæ videntur sibi contradicere, verificantur sine distinctione virtuali, & sine formali ex natura rei, cum solâ; vt paulò antea sum. 26. dixerat, distinctione rationis, per connotationem (verba de Platelij) intrinsecam, seu per identitatem cum Personis inter se realiter distinctis, ratione cuius Essentia divina distinguitur à singulis Personis earumque proprietatibus relativis, non solum ratione, sed etiam realiter inadæquate, quatenus singulas includit per identitatem, & aliquid amplius ne mpe etiam duas alias. Unde Pater identificatur toti Essentia, hoc est omnibus prædicatis absolutis, non tamen totaliter, qui non identificatur omnibus Relativis, quibus ipsa identificatur. Hinc varia prædicatione contradictoria possunt verè affirmari de Essentia, & negari de Personis, & contra, absque vllâ contradictione, & implicantiâ in propositionibus aut in re per illas enunciata: quia per illas non affirmatur, & negatur idem de eodem realiter adæquate, sed solum de eodem realiter inadæquate.

96. Patet in his prædicationibus, *Pater generat, Essentia non generat*: in quibus quod verè affirmatur de Patre verè negatur de Essentia, non propter distinctionem formalem ex natura rei; sed propter realem inadæquatam inter Patrem, & Essentiam. Essentia enim includit per identitatem non solum Patrem, sed etiam Filium, & Spiritum Sanctum, quibus non convenit generare. Unde non potest simpliciter dici *Essentia generat*, quia significaretur etiam Filium, & Spiritum Sanctum

(quibus identificatur Essentia) generare, quod falsum est: potest tamen verè dici *Essentia ut est in Patre*, seu vt identificata proprietati Patris, *generat*; sic enim restringitur ad solam entitatem seu proprietatem Patris, cui proinde soli, non alijs Personis, per istam prædicationem tribuitur generare. Essentia est communicabilis tribus Personis; non Paternitas: quia Essentia identificatur tribus Personis, Paternitas soli Personæ Patris, non alijs: hæc autem communicatio aliud non est quam identificatio. Essentia, & tres Personæ simul sunt à parte rei omnino idem: hæc tamen prædicationes *Essentia est una, non tres; Persona non sunt una, sed tres*; non sunt vllò modo contradictoriæ, cum faciant hunc sensum, *Essentia est una Essentia, non tres Essentia: Persona non sunt una Persona, sed tres Persona*: quo sensu, vt patet, nihil dicitur de Essentia quod negetur aut non conveniat Personis, nec è contra. Personæ enim sunt realiter vna Essentia non tres Essentia, & similiter Essentia non est vna tantum Persona, sed est realiter tres Personæ.

97. Unde pro explicatione similiû in speciem contradictoriorum addenda sunt substantiva ibi non expressa, sed subintellecta, ratione quorum verificantur hæc adjectiva, *vna, tres*, & similia, quæ prout exprimuntur in huiusmodi prædicationibus absque substantivis, habent quandam abstractionem seu indeterminationem ad varia significata, & ad varios sensus, quorum aliqui sunt veri, aliqui falsi & contradictorii. Hæc ratione dissipatur apparens contradictio harum propositionum, *Essentia est communicabilis, relatio non est communicabilis, &c.* Nempe addendo substantiva in illis ex parte subiecti subintellecta hoc modo, *Essentia est communicabilis Essentia, & Relatio non est communicabilis Relatio*; est tamen Relatio communicabilis Essentia. *Essentia non est generans, aut genita Essentia, & tamen est generans, aut genita Persona*: & sic in alijs vbi non obviat Relativa oppositio.

98. Nucleus huius ratiocinationis, quantum attinet ad argumentum pro nobis factum, reducitur ad tres propositiones. Prima est; eas enuntiationes: *Essentia est Filius: Pater non est Filius*; non esse contradictorias. Secunda: rationem esse, quia non prædicant idem de realiter eodem. Tertia: non prædicare idem de eodem ad-

huc

huc realiter, quia Essentia sic absolute significata est realiter non solum Pater, sed etiam Filius, & Spiritus Sanctus: ac proinde sic absolute sumpta secundum quod realiter est, distinguitur realiter à Patre, qui realiter non est Filius, & Spiritus Sanctus. Sic autem sumitur in ea priori enuntiatione: *Essentia est Filius*: ideoque verissima: Essentia enim, quæ realiter est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; realiter est Filius. At in posteriore enuntiatione: *Pater non est Filius*; ex parte subiecti sumitur Essentia contracte ad Patrem per terminum *Pater*: & quatenus sic contracta non est Filius, & Spiritus Sanctus: quia Pater, qui est idem cum Essentia, non est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ideoque verissime dicitur de Patre, & de Essentia prout per terminum *Pater* contracte significata: *non est Filius*; non quia formaliter, aut virtualiter distinguitur Paternitas, aut Filiatio ab Essentia; sed quia Essentia hoc nomine secundum omnem suam realitatem significata, cum realiter adæquate sit Essentia, simulque realiter Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; à parte rei realiter inadæquate distinguitur à Patre, qui non est realiter Filius, & Spiritus Sanctus: imò & ab ipsâ Essentia contracte sumpta prout in Patre: quia sic contracta prout in Patre non est realiter Filius, & Spiritus Sanctus, sicut nec ipsæ Pater. Ad hunc modum procedit prædictus discursus, quoad similes enuntiationes, quæ apparent contradictoriæ in Trinitate: & contradictoriæ non sunt, quia non sunt de eodem realiter adæquate.

99. Prima propositio vera est: quia si illæ enuntiationes, quæ videntur contradictoriæ manerent, contradictoriæ in Mysterio Trinitatis, non essent ambæ veræ: & tamen veræ sine dubio sunt. Dubium est circa modum, quo definiunt esse contradictoriæ; vt salventur simul veræ.

100. Secunda propositio, si vera esset, difficultatem congruè temperaret. At si vera est, vera non esset: ob eandem rationem illa prior enuntiatione: *Essentia est Filius*: si enim Essentia, hoc nomine significata, sumitur secundum totam realitatem, & secundum totam suam realitatem Essentia est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; prædicare de Essentia in re esse Filium, esset prædicare in re de Essentia, & de Patre ac Spiritu Sancto, esse Filium: quod est falsum: ex eadem ratione qua dicitur esse verum, *Pater non est Filius*: quia nec subijci-

tur, nec prædicatur in hac enuntiatione Essentia abstracte nomine Essentia; sed contracte nominibus Patris ac Filij.

101. Tertia propositio multa involvit maiori luce digna. Primò, verum est quod Essentia nomine Essentia significata, est realiter Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. At rogo: quid si quocumque alio nomine significetur? Profectò quocumque significetur nomine Essentia semper in re est realiter identificata cum Patre, Filio, ac Spiritu Sancto: quid enim ad hanc realitatem faciat quovisquique modus eam significandi? erit quidem verus, si rei conformetur; falsus si difformetur; rem tamen neutro in casu immutabit.

102. Deinde: quod Essentia contracte sumpta prout in Patre, sicque significata nomine Patris, distinguitur realiter à Filio; vel est dicere, Paternitatem, supra quam videtur cadere eiusmodi reduplicatio, distinguere realiter à Filio: & hoc verum est. At hoc non facit nec significat, quod Essentia, quæ est in Patre, quantumvis contracta per Paternitatem, non sit realiter Filius: quia non facit, nec significat, Patrem non esse eiusdem Essentia, & Naturæ cum Filio. Vel est dicere in re, Patrem non esse Filium: & hoc est quoque verum. At neque hoc facit, nec significat, Patrem constitutum Paternitate propria, & Essentia communi, distinguere realiter à Filio secundum totum quod realiter idemque dicit: quia, quocumque id nomine significetur, & contractatur, Pater non discrepat penes Naturam à Filio, sed penes notionem: & hoc quidem à parte rei: cum nullus modus significandi aut corrahendi facere queat, quod Pater, & Filius non sint eiusdem Naturæ iuxta Fidem. Vel tandem est dicere, in Patre tam Paternitatem, quam Naturam distinguere realiter à Filio. At hoc est aperte falsum: alioquin Personæ distinctæ non essent vnus Naturæ individua ad illas contractæ, contra Fidem.

103. Itaque penitus enucleatis tribus propositionibus, in quas recidit Platelij ratiocinatio; quæ parte falsum continent, nihil possunt inferre veris; quæ verò parte verum continent, non temperant, sed acutius difficultatem, & distinctionis virtualis indigentiam comprobant.

104. Quod sic conficio Essentia abstracte sumpta; & secundum se, nec adæquate, nec inadæquate distinguitur à tribus simul Personalitatibus: & tamen de tribus simul

S

ve.

verificatur esse tres; & de Essentia secundum se verificatur non esse tres. Ais, de tribus verificari esse tres Personas, quod etiam verificatur de Essentia, scilicet esse tres Personas; non verò verificari de tribus, esse tres Essentias: id quod nec de Personis verificatur. Bene. At hoc ipsum quod est, tam de Personis simul, quam de Essentia, esse tres Personalitates; & non esse tres Essentias; non salvatur quin Essentia aliquo modo realiter non distinguatur à Personalitatibus, quo Personalitates distinguuntur inter se: quod ita firmum esse debet, ut oppositum, nempe Essentiam distinguere realiter à Personalitatibus sicut Personalitates inter se, ausit dicere nemo salvà Fide. Vel ergo Essentia distinguitur realiter à Filiatione eo ipso modo realiter quo Filiatione ab Spirazione passivâ; vel non? Primum, esset ponere tantam distinctionem Filiationis à Deitate, quantam Filiationis ab Spiratione: sicquæ non magis verè Filius esset Deus, ac Filius est Spiritus Sanctus: quod est error. Necessè est ergo dicere secundum, scilicet Essentiam non distinguere à Filiatione eo ipso modo realiter, quo Filiatione ab Spiratione.

105 Cum autem idem eadem ratione dici debeat de Essentia ad alias Personalitates, sit omnino verum, quod Essentia aliquo modo realiter non distinguatur à Personalitatibus seorsim, & simul, quo Personalitates distinguuntur inter se: sed Personalitates distinguuntur inter se omni eo ipso modo quo distinguuntur inter se, ut ex terminis patet: igitur hoc quod est distinguere realiter inter se omni eo modo, quo Personalitates distinguuntur inter se, affirmatur verè de Personis; & negatur verè de Essentia, nec adæquatè, nec inadæquatè realiter distincta à tribus: ergo his & similibus prædicationibus, quæ alioquin apparent contradictorias, non occurrunt idoneæ per distinctionem illam realem inadæquatam, ratione cuius non sint de eodem realiter adæquatè: atque adeo veniendum necessariò est ad distinctionem virtuales eiusdem omnino realitatis.

106 Præterea, Essentia abstractè sumpta, & secundum se, vel distinguuntur realiter adæquatè aut inadæquatè ab Essentia contractè sumpta prout in Patre; vel non? Si secundum: ergo prædicationes, quæ hæc ipsa sententia negat de Essentia abstractè sumpta; & concedit de Essentia contractè sumpta prout in Patre, sunt de subiecto rea-

liter adæquatè, & inadæquatè eodem; ac proinde ad illas verificandas non prodest effugium illud, quasi non sint de subiecto realiter adæquatè, & inadæquatè eodem. Si verò dicatur primum, scilicet Essentiam abstractè sumptam distinguere realiter inadæquatè ab Essentia contractè sumpta prout in Patre; hoc in re, iuxta præfatam ratiozationem, non est aliud, quam Essentiam, & alias simul Personalitates distinguere realiter inadæquatè à Patre, quatenus alia Personæ distinguuntur à Patre. At cur non realiter adæquatè? Certè quia Essentia, quomodoque sumpta, non penes totum quod realiter, & idemticè dicit, distinguuntur realiter à Patre; sed distinguuntur penes Relativum Personalitatum, & non distinguuntur penes absolutum Essentiæ. Hoc ergo absolutum Essentiæ, sive abstractè, sive contractè sumptæ, est quod dicitur Essentia virtualiter distincta à Relativo realiter secum idemficato, & communicata individue realiter tribus, quibus nullum Relativum, nec simul, nec seorsim sumptum, sic realiter communicatur.

107 Insuper. Pater non est Deus, nisi Essentiâ, seu Deitate contracta ad Patrem, & prout in Patre; & similiter, nec Filius, nisi Deitate prout in Filio. Si ergo Deitas prout contracta ad Patrem est realiter distincta à Deitate prout contracta ad Filium, ut perperam concedit hic Author, quasi sequelam suæ doctrinæ; sequitur absurdus, Patrem non esse Deum Deitate omnino realiter individue eadem, qua Filius est Deus: quod non bene audit.

108 Meum post hæc omnia iudicium est, hunc Authorem, aliosque eiusdem loquelæ, quamvis nomine tenus negare nobis videantur distinctionem virtuales; in re tamen, per ea, quibus eam negare student, concedere id ipsum, in quo nos eam constitimus. Refugere autem vocabulum, est incidere in alia multa non satis consona veritatibus innegabilibus, quas indecorè confundunt. Profecto termini, quibus nos utimur, aptè intellectâ, & explicatâ semel distinctione hæc virtuali; sine dubio commodiores sunt ad salvandas veritates Mysterij pro stylo Scholastico. Cavendum tamen, ne vsus, ut in similibus solet, abeat in abusum in ipsa usurpatione distinctionis virtualis: quam plus nimio multi ampliant ad res, ubi nec necessaria, nec utilis, nec possibilis est.

109 Idem est iudicium de loquutione

Quirós.

Supra  
sect. 4.

ne aliorum, quibus favere videtur Quirós. Quippe negantes distinctionem virtuales, aiunt, omnes illas veritates præferentes contradictionem in Mysterio Trinitatis salvari potius per distinctionem realem in vno tertio idemficatum inter se, ut iara explicuimus *sect. 4.* ubi nostrum sensum circa huiusmodi sententiam iam protulimus. Si velint non dari distinctionem virtuales nisi ubi occurrit realis idemficatum distinctio in vno tertio; annuimus. Si velint, distinctionem virtuales omnino constitui per distinctionem illam realem in vno tertio; incurrunt inconveniens ibi iam insinuatam. Si volunt, propterea negandam distinctionem virtuales; reverà deviant à vero: nam ex hac ipsa reali idemficatum distinctio in vno tertio enascitur verificatio propositionum alioquin contradicentium de ipsis realiter idemficatis inter se: qui ipsissimus est conceptus distinctionis virtualis, quam explicuimus, & propugnamus.

## SECTIO VIII.

### O B I E C T I O N E S.

110 **O**bjicitur primò. Admissâ distinctione virtuali, negari nequit formalis ex natura rei: ergo hæc negatâ, admitti nequit virtualis. Antecedens probatur. Distinctio ex natura rei in eo sit, quod vna realitate aliqua formalitas à parte rei non sit formaliter alia: sed hoc sequitur admissâ distinctione virtuali: ergo hæc admissâ, nequit illa negari. Probatur minor: admissâ virtuali distinctione inter Deitatem, & Paternitatem, verum est non solum virtualiter, quin etiam formaliter à parte rei, quod Paternitas est distincta virtualiter à Deitate: ergo sequitur quod in vna realitate vna formalitas à parte rei formaliter non sit alia. Antecedens patet. Tum quia verum est non solum virtualiter, quin etiam formaliter, ibi dari capacitatem alioquin contradictoriorum, quæ capacitas est formaliter ipsissima distinctio virtualis. Tum quia, si solum virtualiter daretur ibi distinctio virtualis, non magis daretur ibi distinctio virtualis, quam realis formalis: quandoquidem utraque daretur virtualiter, & neutra formaliter: ergo necessè est dicere, dari ibi virtualiter, distinctionem realem formalem; & realiter formaliter, distinctionem virtuales: ergo non solum virtualiter,

quin etiam formaliter à parte rei verum est, quod Paternitas est virtualiter distincta à Deitate.

111 Modo sic ergo formaliter à parte rei Paternitas non est indistincta virtualiter à Deitate: pugnant enim, esse simul virtualiter distinctam, & virtualiter indistinctam à Deitate: ergo formaliter à parte rei Paternitas non est Deitas, ac proinde distinguuntur formaliter ex natura rei à Deitate. Probatur hæc consequentia per hunc sillogismum: *Deitas est formaliter à parte rei indistincta virtualiter à Deitate: sed Paternitas formaliter à parte rei est Deitas: ergo formaliter à parte rei est indistincta virtualiter à Deitate.* Maior est ex terminis certa. Si conceditur minor contra Scotum, convincitur contra distinctionem virtuales indistinctio Paternitatis à Deitate: ergo vel neganda est minor pro distinctione Scoticâ, vel concedenda consequentia contra virtuales: sicquæ illâ negata, nequit hæc admitti; aut hæc admissâ, nequit illa negari.

112 Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, nego minorem. Ad probationem minoris, concedo antecedens, quod nempe formaliter à parte rei Paternitas est distincta virtualiter à Deitate. Cautè tamen notandum est, quod terminus, *formaliter à parte rei*; non appellat seorsim supra terminum, *distincta*; sed supra terminum complexum, *distincta virtualiter*: sicut quando de imagine dicimus, quod est *proprie homo pictus*: vox *proprie*, appellat supra complexum: *Homo pictus*; non simpliciter supra terminum, *Homo*. Nego autem consequentiam. Concedo deinde totas duas probationes veri antecedentis: & addo, non solum formaliter à parte rei, ut ibi concluditur; quin etiam realiter à parte rei verum esse, quod Paternitas est virtualiter distincta à Deitate: cadente, ut monui, termino, *realiter*, supra complexum, *virtualiter distincta*.

113 Iam ad consequentiam subiunctam *num. 111.* respondeo cum distinctione formaliter à parte rei Paternitas non est indistincta virtualiter à Deitate in sensu adjectivo, & denominativo, concedo: in sensu purè idemtico, nego. Est dicere, Paternitatem formaliter à parte rei non denominari indistinctam virtualiter à Deitate; esse verò formaliter à parte rei idemficatam cum indistincta virtualiter à Deitate, scilicet cum ipsa Deitate. Nam distinctio vir-

tualis hoc secum fert, quod cum nihil deroget idemnitati, est virtus in re eadem ad suscipiendas prædicationes, seu denominationes alioquin oppositas: ideòque, si ea propositio solum enunciaret idemnitatem inter Paternitatem, & indistinctam virtualiter à Deitate, vera esset; falsa tamen in sensu suo adjectivo: quia taliter enuntiat, ut attribuat Paternitati denominationem indistinctam virtualiter à Deitate, propriam solum Deitati. Nec pugnant illæ duæ propositiones sumptæ in diverso sensu: imò per illas conciliatur optimè, quod Paternitas sit, & dicatur in sensu adjectivo virtualiter distincta à Deitate: & quod sit, & dicatur indistincta in sensu purè idemnitico, solum significante, quod Paternitas est realiter idemnitata cum indistincta virtualiter à Deitate, nempe cum ipsa Deitate indistincta virtualiter à se ipsa.

114 Hinc absolutè nego alteram subillationem: quod nempe, formaliter à parte rei Paternitas non sit Deitas. Quia ex suis terminis ea propositio enuntiat in sensu idemnitico, negans inter Paternitatem, & Deitatem à parte rei formalem idemnitatem, quam semper salvamus contra Scotistas. Ad syllogismum in eius probationem dispositum, dico, consequentiam esse illegitimam: quia præmissæ non conceduntur nisi in diverso sensu: maior scilicet, in sensu adjectivo, & denominativo, attribuens Deitati non solum idemnitatem realem cum indistincta; verum etiam denominationem indistinctam virtualiter à Deitate. Minor verò in sensu purè idemnitico: qui sensus, ut sæpe monui, diversissimi sunt. Unde consequentia non potest legitimè inferri per vitiosum transitum vnius sensus in alienum. Itaque, concessa maiori in sensu suo denominativo, & adjectivo; concedo etiam absolutè minorem in sensu suo purè idemnitico: & absolutissimè nego consequentiam: quia ex se facit sensum adjectivum, & denominativum. In sensu purè idemnitico iam explicato vera esset: hunc tamen sensum ex se non facit, nisi explicetur aliquo signo alienante voces ab absolutà ipsarum significatione. Sicque nec pro distinctione Scotica negamus minorem: nec contra distinctionem virtualem concedimus consequentiam.

115 Obijctur secundò. Omnis distinctio modo quo est distinctio negat aliquam idemnitatem: ergo distinctio à parte rei virtualis, negat à parte rei aliquam idemnitatem:

ergo, si à parte rei datur formaliter inter Paternitatem, & Deitatem aliqua distinctio, nempe virtualis; eo ipso datur inter illas formaliter à parte rei aliqua negatio idemnitatis: ergo eo ipso datur inter illas id quo formaliter à parte rei vna non fit alia: quod volunt Scotistæ.

116 Responderi solet: eo ipso dari inter illas formaliter à parte rei aliquam negationem idemnitatis virtualis; non autem idemnitatis formalis. Contra tamen: quia negatio idemnitatis virtualis est à fortiori negatio idemnitatis formalis: ergo eo ipso, quod à parte rei daretur formalis negatio idemnitatis virtualis, daretur etiam formalis negatio idemnitatis formalis. Antecedens probatur: nam in linea idemnitatis plus est idemnitatis realis formalis, quam virtualis: sicut in linea distinctionis plus est distinctio realis formalis, quam virtualis: aut cur non ita? alioquin plus distinguerentur Paternitas, & Deitas, quam Paternitas, & Filiatio. Ergo, sicut idemnitatis, quæ sit formalis exclusio distinctionis virtualis, eo ipso est formalis exclusio distinctionis realis formalis; similiter distinctio, quæ sit formalis exclusio idemnitatis virtualis, eo ipso esset formalis exclusio, seu negatio idemnitatis realis formalis: aut cur non ita? Sic certè frigiditas intensa excludens à subiecto calorem ut quatuor, eo ipso excludit à fortiori calorem ut octo.

117 Insuper. Vel formalis negatio idemnitatis virtualis est ibi realiter formaliter; vel solum virtualiter. Non secundum: sic enim solum virtualiter esset ibi distinctio virtualis, quod quam sit falsum vidimus *num.* 110. ergo dicendum est primum, scilicet, eam negationem formalem idemnitatis virtualis esse ibi realiter formaliter. Unde sequitur, quod formalis illa negatio idemnitatis, formaliter à parte rei ibi reperiata, est forma faciens Paternitatem formaliter à parte rei non esse Deitatem, ut volunt Scotistæ. Aut certè, si ea formalis negatio idemnitatis nata est facere, quod Paternitas formaliter à parte rei non communicatur, communicatà Deitate; cur non similiter faciat, quod Paternitas formaliter à parte rei non sit Deitas, & non solum virtualiter?

118 Respondetur ergo aliter ad obiectionem: concessa antecedente, distinguo consequens: distinctio à parte rei virtualis negat aliquam idemnitatem realiter formaliter, nego: virtualiter, concedo: & similiter concedo in subillatione, quod inter virtualiter

liter distincta datur virtualiter, non formaliter, aliqua negatio idemnitatis: non ratione cuius formaliter à parte rei vnum non fit aliud: id enim esset dari formaliter ibi distinctionem realem: sed ratione cuius formaliter à parte rei vnum, & quasi aliud, verificent alioquin contradictorias, cum tamen vnum sit formaliter aliud: hoc enim est dari ibi vnum, & aliud virtualiter, & non formaliter.

119 Cautè nota discrimen huius responsionis ab alia comuni *numeri* 119. Aiebat illa responsio, distinctionem virtualem esse negationem formalem alicuius idemnitatis: scilicet idemnitatis virtualis: quasi idem sit virtualiter distingui, ac virtualiter non idemnitari: quod tamen esse manifestè falsum, patet in Petro, & lapide: qui quidem virtualiter non idemnitantur, nec virtualiter distinguuntur. Aio ego in mea responsione, distinctionem virtualem esse negationem virtualem alicuius idemnitatis, scilicet idemnitatis realis formalis: quam videlicet eatenus virtualiter negat virtualis distinctio, quatenus, quoad verificanda alioquin contradictoria, facit ut sit quasi non esset. Quem modum respondendi non ferit impugnatio communis responsionis.

120 Pro vsu vocum observatum velim, quod inter virtualiter distincta, hæc propositio: *Paternitas non est communicata*: absolutè admittitur, quia præfert sensum adjectivum, seu denominativum: hæc autem: *Paternitas non est Deitas*: absolutè negatur: quia præfert sensum purè idemniticum. Si verò huic addatur terminus diminuens, *virtualiter*; etiam admittitur: non quidem negando uti sonare videtur, aliquam idemnitatem inter Paternitatem, & Deitatem; sed expositivè affirmando cum idemnitatem reali capacitatem, seu virtutem ad verificanda alioquin contradictoria. Cum huiusmodi autem modificatione, & expositione dicimus: *Paternitas non est virtualiter Deitas*. Quando verò idemnitatem dicimus: *Inter Paternitatem, & Deitatem non datur; inter Deitatem, & Deitatem datur idemnitatis virtualis*; solum significamus: inter Paternitatem, & Deitatem dari, & inter Deitatem, & Deitatem non dari distinctionem virtualem: & sic exposita, vtraque propositio admittitur. Quod si aliter exponas, negando scilicet, ut in cortice per abusum sonant, idemnitatem virtualem inter Paterni-

tatem, & Deitatem: & illam affirmando inter Deitatem, & Deitatem; prior est vera: quia cum inter Paternitatem, & Deitatem datur idemnitatis realis formalis, nequit dari idemnitatis virtualis: hæc enim nequit dari nisi inter realiter distincta; sicut nec distinctio virtualis, nisi inter realiter idemnitata: posterior autem est falsa ob eandem rationem à fortiori. Nec est insolitum propositionem re ipsa negativam proferri per modum affirmationis; & affirmativam per modum negationis: ut patet in his: *in aere sunt tenebrae: in aere non sunt tenebrae* quarum prior est negativa; posterior, affirmativa: & in his: *Petrus non tantum currit: Petrus tantum currit*: quatenus prior est affirmativa, & posterior negativa, si ritè exponantur: quod & Summulistæ norunt in suis Dialecticæ tud. mentis.

## SECTIO IX.

## ALIE OBJECTIONES CONTRA distinctionem virtualem dantur.

121 Obijctur tertiò. Sic admittà distinctione virtuali, sequentur duo. Primum, quod aliquid divinum distingueretur realiter à constitutivo Deitatis: quod falsum est: quia quidquid in Deo est, idemnitatur realiter cum Essentia Deitatis. Secundum, quod realiter distinctio virtualis in illis etiam prædicatis, inter quæ non datur: quod implicatorium est: ergo distinctio hæc virtualis admittenda non est: vel saltem in ea susceptione contradictoriorum constitui nequit. Probatur prima sequela: quod realiter non est aliud, realiter distinguitur ab illo: sed sequeretur, quod aliquid divinum realiter non esset constitutum Deitatis: ergo & quod distingueretur realiter à constitutivo Deitatis. Probatur minor: quod realiter negatur verè de aliquo, realiter non est illud: ex eo enim quod res est, vel non est, propositio est vera, vel falsa: sed aliquid divinum negaretur verè realiter de constitutivo Deitatis: ergo aliquid divinum realiter non esset constitutum Deitatis. Probatur minor in hac propositione vera: *Constitutivum Deitatis non est realiter distinctum à Paternitate*: sed distinctum realiter à Paternitate est aliquid divinum, nempe Verbum: ergo aliquid divinum verè realiter negaretur de constitutivo Deitatis.

122. Secunda sequela probatur. Verbum est ita realiter distinctum à Patre, & Spiritu Sancto, ut inter Verbum, & distinctum realiter à Patre, & Spiritu Sancto non detur virtualis distinctio: sed de Verbo, & de distincto realiter à Patre, & Spiritu Sancto, verificarentur propositiones alioquin contradictoriae: ergo daretur virtualis distinctio ubi non datur. Probatur minor in duabus propositionibus: *Constitutivum Deitatis est realiter Verbum: Constitutivum Deitatis non est realiter distinctum à Patre, & Spiritu Sancto*: ergo de Verbo, & de distincto realiter à Patre, & Spiritu Sancto, virtualiter indistinctis, verificarentur propositiones alioquin contradictoriae: sicque daretur virtualis distinctio, ubi non datur virtualis distinctio: aut saltem hæc non consistit in prædictâ susceptione contradictoriorum.

123 Respondetur negando duas sequelas. Ad probationem primæ, concessa maiori, nego minorem. Ad probationem minoris, distingo maiorem: quod negatur de alio in sensu idemtico, realiter non est aliud, concedo: quod negatur in sensu tantum aliquo denominativo, nego maiorem: & in hoc tantum sensu denominativo concedo minorem, quod nempe aliquid divinum negatur verè de constitutivo Deitatis; non autem in sensu idemtico: sicque nulla est consequentia. Nam ex veritate talis negotiationis non arguitur, hoc non esse illud, sed quoad aliquam denominationem, seu prædicationem, gerere se; ac si non esset illud. Hinc ad ultimum sillogisimum, vera est maior in suo sensu denominativo, seu adjectivo, negante de *constitutivo Deitatis* denominationem *distincti à Patre*; salva semper idemtitate realium *distincti à Patre*, nempe cum Verbo. Concessa deinde minori, distingo consequens: negatur verè in sensu idemtico, nego: negatur verè adjectivè in sensu denominativo, concedo.

124 Ex quo non sequitur, aliquid divinum distinguí realiter à constitutivo Deitatis: ad hoc enim opus esset, quod in sensu idemtico verum esset, *constitutivum Deitatis* non habere realem idemtitatem cum *distincto à Patre*: quod tamen semper est falsum. Porro *propositio est vera, vel falsa ex eo quod res est, vel non est*: intellige: *sicut ab ipsa significatur esse vel non esse*. Itaque propositio prædicati adjectivi, negans, non idemticè, sed deno-

minativè, illud de subiecto, non est falsa, quamvis tale prædicatum non distinguatur à subiecto: quia ipsa non negat idemtitatem inter utrumque; sed, salva idemtitate, negat adjectivè denominationem. Atque hic est specialis modus significandi terminorum adjectivorum: ut videre est in hac propositione adjectivâ: *Petrus non est albus*: quæ ablata albedine, vera est: non quia Petrus amiserit idemtitatem, quæ semel habuit cum albo; sed quia salva illa idemtitate, deficiente albedine, defecit denominatio albi, quam eiusmodi propositio, non idemticè, sed adjectivè, attribuit Petro.

125 Ad probationem secundæ sequelæ, concedo maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem dico, eas propositiones non esse contradictorias: quia non procedunt in eodem sensu; sed posterior negativa in sensu adjectivo, & denominativo; prior autem affirmativa in sensu substantivo, & purè idemtico: in quo non esset vera negativa: falsum enim est, *constitutivum Deitatis* non esse realiter idem cum realiter distincto, quamvis non denominetur *realiter distinctum*. Unde neque hoc est verificari contradictoria de Verbo, & de *realiter distincto à Patre*; nec est dari distinctionem virtualem inter Verbum, & *distinctum realiter à Patre*; sed inter *constitutivum Deitatis*, & Verbum *distinctum realiter à Patre*: vi cuius distinctionis virtualis salvantis totam idemtitatem cum capacitate ad denominationes, seu prædicationes alioquin contradictorias; negatur verè de constitutivo Deitatis denominatio *distincti realiter à Patre*, quæ verè affirmatur de Verbo: in sensu, inquam, denominativo: nam ad sensum idemticum nihil immutat distinctio virtualis; cum idemtitatem intactam salvet, conferens virtutem ad denominationes, seu prædicationes alioquin contradictorias. Sedulo igitur observandus in ijs est sensus propositionum, an sit substantivus, ac purè idemticus; an adjectivus, & denominativus. At unde id dignoscemus? planè ut plurimum, ex usu SS. Patrum, & Scholasticorum; ad quorum placitum multæ voces sic vel sic significant in Scholis: aut ex consensu disputantium, quando aliunde sensus compertus non est.

126 Obijcies tandem. Virtualis hæc distinctio evertit principia prima Metaphysica per se nota: quale est: *impossibile est idem*

*idem esse, & non esse*: ergo non tam explicat, quam implicat Mysteria Fidei. Antecedens probatur: principium ait, non posse idem subiectum esse simul, & non esse, idem prædicatum: sed hoc componit distinctio virtualis; ratione cuius Deitas, & Paternitas, quæ realiter est vnum subiectum, est & non est aliquod prædicatum, nempe Filiatio in his propositionibus veris: *Deitas est Filiatio: Paternitas non est Filiatio*: ergo evertit principium illud, & ludibrio ethnicorum exponit Mysterium.

127 Respondetur, Deitatem, & Paternitatem esse subiectum vnum realiter, & duplex virtualiter; principium autem loquitur de subiecto realiter, & virtualiter vno. Contra tamen: quia hæc est ipsissima difficultas: arguitur enim ex illo principio, non posse de eodem subiecto verificari simul contradictoria: & respondetur, non posse, si desit; posse, si adsit virtualis distinctio. At quid est hæc virtualis distinctio? Respondetur: esse capacitatem in vna re ad verificanda contradictoria: sicque, cum dicitur, ea contradictoria verificari posse de vna re habente distinctionem virtualem, est dicere, verificari posse de vna re capaci verificandi contradictoria. Hoc autem ipsum est quod evertit principium illud metaphysicum.

128 Dices, prædicata illa ex se contradictoria definire esse contradictoria per virtualem distinctionem. Contra: quia hoc est etiam supponere distinctionem virtualem, de qua est quæstio: & aniam dare ut ponatur in quacumque re, scilicet in lapide: ubi eadem facilitate supponi, & eadem nugacitate defendi posset distinctio hæc virtualis, dicendo: distinctionem virtualem esse capacitatem ad prædicata ex se contradictoria, quæ eo ipso desinunt esse contradictoria: in lapide autem datur ea capacitas: ac proinde ea distinctio. Quid, precor, id prohibet, nisi principium metaphysicum quod tamen labefactat distinctio virtualis. Insuper colluditur sic ad probandum de qualibet re posse verificari contradictoria: si enim non possent, maxime, quia essent contradictoria: sed non essent, quia eo ipso quod verificarentur, daretur ibi distinctio virtualis, ratione cuius desisterent esse contradictoria: ergo possent verificari: & ad id esset de principio metaphysico.

129 Confirmatur. Admissâ distinctione hac virtuali, cessat omnino ratio, propter quam admittitur: ergo sibi ipsi repug-

nat, & non nisi implicanter admittitur. Probatur antecedens: admittitur propter realem distinctionem Paternitatis à Filiatione, & non à Deitate: sed hæc ratio cessaret: ergo. Probatur minor: quia admissâ distinctione virtuali, nulla superesset in vno Deo ratio distinctionis realis Personarum: ergo cessaret omnino ratio distinctionis virtualis Deitatis à Personalitatibus: sicque totum Trinitatis Mysterium confunditur, & evertitur, potius quam defenditur, ac declaratur. Probatur antecedens. Personæ realiter distinguuntur, vel quia suscipiunt contradictoria: qualia sunt producere, & non producere: vel quia vna Persona producit, & alia producit. Non primum: siquidem ad verificanda contradictoria sufficit distinctio virtualis: ergo non perinde argueretur realis. Non secundum: quia ex se non minus opponuntur producere, & non producere, quam producere, & produci: sed sufficit distinctio virtualis ut realiter Paternitas producat, & Deitas non producat: ergo sufficeret, ut realiter Pater producat, & Filius producat: ergo insufficienter deduceremus cum SS. Patribus, & Concilijs, realem distinctionem divinarum Personarum ex eo quod vna producat aliam, & alia producat: iuxta illud: *In divinis non datur realis distinctio, nisi ubi datur realis distinctio, nisi ubi datur realis oppositio producentis, & producti*. Nec ex creaturis quidquam affulget solidæ rationis: in eis enim non minus implicat idem producere, & non producere, quam idem producere, & produci: quin potius erunt qui aliquomodo submiserint, idem posse se ipsum producere: ac proinde producere, & produci.

130 Respondetur ad objectionem inquam *num. 126*, negando antecedens. Ad probationem dico, principium illud non loqui, ubi adest distinctio virtualis, quæ quidem illud omnino prætervolat. Ad id, quod contra responsum urgetur *num. 127*, fateor equidem, distinctionem virtualem esse in re ipsam difficultatem Mysterij Trinitatis; conducit tamen nobis ad eam veritatem difficillimam aliquibus terminis haud ineptis pro Scholis defendendam. Sic, quamvis animal, & rationale ipse sit homo; sunt tamen termini conducentes quoad modum explicandi ad declarandam, & defendendam essentiam hominis: nec vitiosè explicamus idem per idem cum dicimus de aliquo esse hominem, quia est ani-

animal rationale, quamvis in re idem sint: nam in modo explicandi diversa sunt. Itaque rogati, cur in Trinitate susceptio illa contradictoriorum non implicet contra principium metaphysicum, respondemus, quia tale principium non loquitur, ubi adest distinctio virtualis, utpote non contra, sed supra illud altissimè prætervolans. Rogati mox, cur ibi adsit distinctio virtualis? Respondemus per eius definitionem, quia est ibi virtus in re eadem verificandi prædicata alioquin contradictoria. Si petas ulterius rationem, cur ibi sit ea virtus, seu ea susceptio contradictoriorum; non respondebo, quia ibi est distinctio virtualis, nam hoc iam esset vitiosè, & nugaciter circumire; sed, quia sic docemur a Fide Trinitatis, cuius infinitudo infinitissima mirum non est quòd prætervolet principia metaphysica naturalia: & veniemus ad argumenta credibilitatis Mysteriorum Fidei nulli Philosopho, qui ratione velit uti, respicienda.

131 Hinc nego idem dici posse de lapide, & de quacumque re: nihil enim est quod in lapide id nobis persuadeat: nec tantæ molis est, ut cum Dei infinitudine comparari queat, nec est cur principijs metaphysicis non subiaceat: atque adeo in lapide, sicut in quolibet alio ente creato, prædicata ex se contradictoria maneat cum tota sua contradictione, & implicantiâ, nec desinerent esse contradictoria, cum in ea finitudine dari nequeat distinctio virtualis. Quinimò hoc ipsum esset in lapide contradictio, dari nempe distinctionem virtuales ubi non potest dari: quæ tamen contradictio cessat in Deo, ubi ratione tantæ infinitudinis non labefactat, sed prætervolet principia metaphysica. Collusio illa eiusdem *num. 128.* eluditur negando minorem ex nuper dictis. Nam, si in qualibet re extra Trinitatem verificarentur similia contradictoria, verificarentur ubi non possunt verificari: scilicet ubi nec est, nec esse potest distinctio virtualis propria entis infinitissimi: ac proinde verificarentur ubi non desinerent esse contradictoria; quod esset verificari, & non verificari: esse ibi, & non esse ibi distinctionem virtuales.

132 Ad confirmationem difficilem nego antecedens. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem: ad eius probationem nego antecedens. Ad probationem huius antecedentis dico, Personas Trinitatis distingui realiter, quia vna non est aliâ

ad id autem non sufficit distinctio virtualis, quæ scilicet non præstat, quod hoc non sit illud; imò supponit idem esse. Quod verò vna Persona Trinitatis non sit aliâ colligimus ex susceptione contradictoriorum, & ex relatione producentis, & producti: non quidem ex hoc præcisè, ut benè probat obiectio; sed ex hoc, & simul ex eo, quòd aliunde nec Fide, nec ratione cogamur dicere Personas identificari inter se, sicut cum Deitate. At, inquis, hoc est recurrere ad Fidem, quod irridebit Gentilis. Fateor recursum ad Fidem, pro qua, & non aliter, defendimus distinctionem virtuales. De illis autem veritatibus, quas supponimus, ut hanc quasi distinctionem agnoscamus; aliunde convincendus est Gentilis ex argumentis institutis in Tractatu de Fide pro credibilitate Mysteriorum.

133 Distinctio itaque virtualis ipsam præfert difficultatem Mysteriorum, quorum aliquali explanationi non inutiliter inservit. Hinc mirandum est, huiusmodi distinctionis negotium, ita expeditum, ac pervium apparere potuisse multis, quibus plus nimio plaust non dudum Richardus Lynceus *rom. 1.* suæ Philosophiæ; ut sibi videantur facile sibi & alijs reddidisse Trinitatis Mysterium per hanc doctrinam: quam, aut saltem similem, in creatis identidem recognoscunt, & tuentur. Mihi quidem distinctio virtualis in creatis, vel ex hoc solum capite falsissima fuerit, & per absurda, quòd facilia aliquibus faciat. Mysteria Fidei, quæ scimus ex ipsa Fide esse difficillima. Sapienter Magnus Leo *serm. 9. de Nat. Div.* *Qui se ad id quod intendit pervenisse præsumit, non quæ sita reperit, sed in inquisitione deficit.* Meminisse libet, quòd Satagenti olim Augustino ea intelligere, obiecit Angelus, non aliud intendere, quàm si in vnus digiti fosulam concludere vellet Oceanum. Unde edoctus Augustinus ipse, dicere nos docuit in simili: *Sæpe rationes ad id suppetunt ad id, quod non est, si tot suppetunt exem. plarum, non erit singulari re.*

Lynceus.

S. Leo.

August.

SECTIO X.

TERTIA CONCLUSIO, Circa distinctionem, seu præcisionem obiectivam Divinorum virtuales distinctorum.

134 Notissimi sunt isti termini Dialecticis, & Metaphysicis, alijs concedentibus, alijs negantibus inter gradus superiores, & inferiores prædicabilium, & inter alias formalitates realiter identificatas, in creatis etiam, præcisiones, quas vocant obiectivas, quoad cognosci vnam formalitatem, aliâ non cognita. Qui eiusmodi præcisiones ibi, & ubique defendunt, eas admittere inter divinas Perfectiones virtualiter distinctas non gravantur. Præfens ergo controversia manet inter eos, qui eiusmodi præcisiones alibi negamus: an saltem eas debeamus admittere inter Dei Perfectiones virtualiter distinctas: ita nimirum, ut vna valeat cognosci, alia non cognita, beneficio saltem distinctionis virtualis, quæ virtus est ad verificanda prædicata alioquin contradictoria.

135 Affirmat sententia communior Arriaga *disp. 5. Metaph. sect. 4. subsec. 2.* & *rom. 1. Theol. disput. 9. sect. 3.* Zuñiga *disp. 2. dub. 4. membr. 2. num. 4.* Lumbier *q. 8. de Trin. art. 1. num. 535.* & complures alij, potius id supponentes, quàm examinautes: ea ducti ratione, quòd plùs est distinguere virtualiter, cum capacitate ad contradictoria intrinseca, qualia sunt Deitatem communicari, & Paternitatem non communicari; quàm distinguere formaliter obiectivè cum capacitate ad contradictoria solum extrinseca, qualia sunt cognosci, & non cognosci: ergo ubi datur illa distinctio virtualis, quæ maior est; dabitur à fortiori obiectiva præcisio.

136 Huic ergo ratiunculæ parùm fiderem. Primò, quia facili negotio negabitur antecedens: nam contradictoria extrinseca non minùs inter se pugnant, quàm intrinseca. Secundò, quia, quamvis plùs sit esse hominem, quàm esse formicam, non perinde qui homo est, debet à fortiori esse formica: & quidem in hac ipsa materia distinctionum plùs est distinguere realiter formaliter, quàm virtualiter: quò perinde, quæ distinguuntur realiter formaliter, dicantur virtualiter distinguere: hoc enim pendet ab

essentijs rerum, quarum vnaquæque est quod est, & non aliud: sive plùs, sive minùs istud aliud sit. Tertio, quia intuitivè videri, & non videri sunt contradictoria extrinseca, sicut cognosci, & non cognosci abstractivè, & tamen ex eo quòd Deitas, & Paternitas suscipiant contradictoria intrinseca, nempe communicari, & non communicari, nolunt Authores isti inferre, quòd possit vna intuitivè videri, aliâ non visâ: nolint ergo inde inferre vnam posse cognosci aliâ non cognita, ac proinde nec obiectivè præcindi. Quo intuitionis exemplo infringuntur multa ex obijciendis infra.

137 Melior itaque sententia negat inter virtualiter distincta eiusmodi obiectivas præcisiones, quoad cognosci, & non cognosci. Hurtad. *disp. 6. Metaph.* Herize *disp. 12. nu. 25.* Ovied. *controv. 4. Metaph. pun. 8.* & P. Borrull *disp. 7. de Attrib. sec. 7.* Nec limitatio, quam apponit *num. 126.* nobis officit. Quippe, nec realem Liberorum Dei defectibilitatem concedimus nec virtuales admittimus distinctionem inter libera, & necessaria Dei, cum nulla ibi verificentur contradictoria de eodem, ut videbimus *disp. 8.* nec adhuc omnibus his permisis, limitatio illa placeret. Qua tamen sic prætermisâ.

Hurtad. Herize. Ovied. Borrull.

Infra disp. 8.

138 Ratio conclusionis est: quia verificatio contradictoriorum de re eadem, Mysterium est Trinitati suppar: sicque nulli admittendum, nisi cogente Fide: nulla autem Fidei veritas cogit admittere, cognosci Deitatem non cognita Paternitate; sicut communicari Deitatem non communicatâ Paternitate: non ergo ex eo, quòd hoc admittatur, debet illud admitti sine operæ pretio. Præterea, ex eo quod de re eadem in Deo verificentur aliqua ex se contradictoria, non sequitur verificanda esse alia similiter contradictoria: non enim verificatur Deitatem, & non Paternitatem identificari cum Omnipotentiâ, ex eo quod verificetur Deitatem, & non Paternitatem identificari cum Filiatione: ergo ex virtute quam præfert distinctio virtualis, verificandi contradictoria, non inferitur virtus ad quæcumque contradictoria: ac proinde, nec ad cognosci, & non cognosci. Quæ quidem ex se non minùs contradictoria sunt, quàm alia quælibet, sive intrinseca, sive extrinseca: cum ergo nec ad hæc admittenda cogat Fides, non est cur admitti debeat eiusmodi præcisio, sive distinctio obiectiva, quoad cognosci, & non cog-

SECTIO

cognosci in virtualiter distinctis.

139 Obijcies primò. Si eiusmodi Perfectiones Dei virtualiter distinctæ non præscinderentur obiectivè, quælibet cognitio habens pro obiecto unam, haberet aliã, & cognoscens unam cognosceret aliam: sicque cognoscere Deitatem esset cognoscere Paternitatem, & tres Personas. Sed hoc non: ergo. Probatur minor: aliàs enim sequeretur, quòd cognoscere Deum, ut unum, esset cognoscere Deum ut trinum: cum tamen sæpè Deum ut unum cogitemus immemores Trinitatis: quimò Philosophi naturales Deum unum agnoscebant, & trinum, aut ignorabant, aut inficiabantur. Adde, sequi etiam quòd non posset cognosci Paternitas, quin cognoscerentur aliæ Relationes realiter ab ipsa distincte. Si enim propter identitatem Paternitatis cum Deitate, cognita Paternitate, cognoscitur Deitas, similiter propter identitatem Deitatis cum alijs Relationibus, cognita Deitate, cognoscerentur aliæ Relationes: ergo non posset cognosci Paternitas, quin eodem ipso modo cognoscerentur aliæ Relationes ab ipsa realiter distinctæ.

140 Responderetur, concessa tota maiori, negando minorem. Ad probationem, nego sequelam: quamvis enim cognoscere Deum unum, sit cognoscere trinum, quia unum, & trinus idem est; ac cognoscere Deum ut unum, non est cognoscere Deum ut trinum; quia hoc est reduplicare supra modos cognoscendi, qui realiter distincti sunt: unus scilicet asserens totum illum obiectum esse unum, taliter ut ex hoc modo cognoscendi non discernemus Deum unum & trinum à Deo uno non trino: alius asserens de eodem illo obiecto, esse unum, & trinum, taliter ut ex hoc modo cognoscendi discernemus Deum unum & trinum à Deo uno non trino: non ergo putandum est, ibi esse diversitatem ex parte obiecti, quod idem omnino utrobique est; sed ex parte variorum modorum ex proprijs naturis diversorum cognoscendi idè obiectum: est enim intellectus multò vberior, quam lingua ad explicandam rem eandem diversimodè. Hinc qui Deum unum cognoscunt immemores Trinitatis, non dicuntur Trinitatis immemores, quia cognoscentes Deum unum, non cognoscant Trinitatem; sed quia tam unitatem, quam Trinitatem veri Dei taliter tunc imperfectè cognoscunt, ut ex vi talis modi

cognoscendi nequeant discernere Deum unum & trinum, quem cognoscunt, à Deo uno qui trinus non esset. Hoc autem vocari solet cognoscere Deum unum, & non cognoscere trinum: id est, Deum re ipsa unum & trinum cognoscere cognitione dicente: *Deus est unus*: & non cognitione dicente: *Deus est trinus*: quæ cognitiones realiter distinctæ sunt: sicque tota diversitas, & distinctio se tenet ex parte modi dicendi, seu cognoscendi, nullatenus verò ex parte obiecti. Ad additamentum alterius sequelæ, ait merito doctus P. Borrull. *num. 123*, nihil in eo absurdi contineri. Quin, & Adversantes ipsi faciliùs invenient modum cognoscendi Paternitatem nominatim non cognita Essentia, quam non cognita Filiatione correlata Paternitati.

141 Obijcies secundò. Sine præcisione obiectivâ virtualiter distinctorum stare nequeunt Fidei veritates: ergo eodem Fidei fundamento, quo cogimur ad virtuales distinctionem, cogimur ad obiectivam. Antecedens probatur: sicut est verum, Deitatem communicari, & non Paternitatem, ita verum est intellectum dicentem: *Deitas communicatur*: non dicere: *Paternitas communicatur*: hoc enim non nisi falsò contra Fidem diceretur: ergo ea cognitio: *Deitas communicatur*: attingit Deitatem, & non Paternitatem: sicque illas obiectivè præscindit. Probatur consequentia: quia si attingeret Paternitatem, sicut attingit Deitatem, affirmaret utramque communicari.

142 Confirmatur primò. Eo ipso quòd de una perfectione, & non de aliã affirmetur aliquod prædicatum, attingitur per talem cognitionem una & non alia: sola enim illa attingitur, de qua tale prædicatum affirmatur: sed de Deitate, & non de Paternitate affirmatur communicari: ergo per talem affirmationem attingitur Deitas, & non Paternitas: sicque præscinduntur obiectivè.

143 Confirmatur secundò. Subiectum huius affirmationis: *Deitas communicatur*: est id solum quod communicatur: sed sola Deitas communicatur: & non Paternitas: ergo Deitas, & non Paternitas, est subiectum talis affirmationis: ac proinde præscinduntur, ut talis affirmatio vera sit. Probatur maior: quia si subiectum talis affirmationis esset id etiam quod non communicatur, nempe Paternitas; de eo, quod non communicatur affirmaretur communi-

nicari: quod esset falsissimum.

144 Confirmatur tertio. Cognitio affirmans, *Deitas*, & *Paternitas communicatur*; esset falsa: ergo si cognitio affirmans, *Deitas communicatur*, attingeret ex parte subiecti Deitatem, & Paternitatem, esset similiter falsa: esset enim ac si diceret, *Deitas, & Paternitas communicatur*: ergo solam attingit Deitatem præcisim obiectivè à Paternitate, ut veritas Fidei salva consistat.

145 Fateor hæc esse difficultia, memor tamen, quòd versamur in mirabilibus super nos, quorum difficultates, nec per præcisiones suas obiectivas evacuant, aut imminuunt Adversarij. Retorquentur enim contra ipsos in cognitione intuitivâ, quæ Beatus, imò & in comprehensivâ, quæ Deus, affirmat Deitatem communicari, & non Paternitatem: hæc enim affirmatio in illis intuitibus esset æquè falsa, ac in nobis credentibus, iuxta modum discurrendi Adversariorum: quin perinde dicantur Beatus intuens, Deusque comprehendens obiectivè præscindere Deitatem à Paternitate. Quemadmodum ergo Beati intuentur eam veritatem absque præcisione obiectivâ, sic & nos idipsum absque præcisione obiectivâ credimus. Scio, Patrem Arriaga hac retorzione malè præsum scripsisse audacter, Beatos etiam, ac Deum in eiusmodi obiectis præscindere obiectivè. Rectiùs tamen hinc intulit Oviedus, vim harum obiectio- num non tam esse specialiter contra sententiam hanc nostram negantem eiusmodi præcisiones in nobis abstractivè cognoscentibus, quam contra communissimam etiam inter Adversarios, eas negantem in Deo ac Beatis intuitibus.

146 Responderetur iam ad obiectio- nem, negando antecedens. Ad probationem, concedo antecedens: illud enim est duplex dicere, seu duplex diversus modus dicendi: quia cum dicimus: *Deitas communicatur*, quod est verum, non dicimus: *Paternitas communicatur*: quod esset aliud dicere omnino falsum. Nego autem consequentiam: non enim stat ea diversitas in eo quòd per illam cognitionem attingatur ex parte obiecti Deitas, & non Paternitas; sed in tali modo utramque attingendi, diverso realiter ab alio modo qui diceret: *Paternitas communicatur*: hi autem modi diversi tenent se adæquatè ex parte actus. Si mavis, distingue consequens: ea cognitio non attingit Paternitatem modo

attingendi qui dicat, *Paternitas communicatur*; concedo: modo attingendi, qui dicat, *Deitas communicatur*; nego: ille enim prior modus esset propositio falsa, quæ nunc nec Deitas, nec Paternitas attingitur; iste posterior est propositio vera, quæ utraque pariter attingitur: sicque cum eo ipso modo, quo attingitur una, attingatur alia, nullo modo præscinduntur obiectivè. Nego deinde probationem consequentia: quia affirmare utramque communicari esset alius modus utramque attingendi per aliam propositionem falsam.

147 Ad primam confirmationem, concedo maiorem, intellectam de eo ipso modo, quo de una affirmatur tale prædicatum. Distinguo autem minorem: de Deitate, & de Paternitate affirmatur communicari Deitatem concedo; communicari Paternitatem nego: illud enim scilicet Deitatem communicari de utraque affirmatur; istud verò scilicet Paternitatem communicari, de neutrà; cum neutrius sit, imò utriusque repugnet Paternitatem communicari. Utraque ergo attingitur ex parte obiecti per illum actum, seu modum cognoscendi: *Deitas communicatur*: non quidem per actum affirmantem utramque communicari; sed per actum affirmantem Deitatem communicari, simulque indivisibiliter negantem Paternitatem communicari, ut fit in Beatis, & in Deo, in quorum intuitionibus fieret eadem obiectio: vel per actum affirmantem Deitatem communicari, & non affirmantem Paternitatem communicari, ut fit in nobis ex modo nostro concipiendi abstractivè citra mendaciū: nam actu affirmante Paternitatem communicari, nec Paternitas, nec Deitas tunc attingitur: quia talis actus, seu modus cognoscendi, non est nisi in falsò cognoscentibus. Hinc non concederem cum P. Borrull

148 Ad secundam nego maiorem: &

concessã minori, nego consequentiam. Ad probationem maioris distinguo: de eo quod non communicatur diceretur communicari id quod communicatur, concedo: hoc autem falsum non est, sed ipsa veritas: diceretur communicari id quod non communicatur, nego: hoc enim dici, esset falsissimum. Itaque nec de Deitate, nec de Paternitate dicit ille modus cognoscendi Paternitatem communicari; & de utraque dicit, Deitatem communicari: sicque attingitur utraque ex parte obiecti, quamvis non dicat actus, utramque communicari: hic enim esset alius modus dicendi, seu cognoscendi omnino falsus. Porro non semper in omni illo quod attingit ex parte subiecti aliqua affirmatio, verificatur ipsius prædicatum: nam cum affirmo: *aliquis currit*, solo Petro currente, in Petro solo verificatur cursus, quamvis modus ille affirmandi æquẽ Petrum, & alios attingat ex parte subiecti. Hinc est distinctio, quam ponit Oviedus inter subiectum affirmationis, & subiectum verificationis multarum propositionum: nam in casu prædictæ affirmationis solus Petrus est subiectum verificationis; & nõ solus Petrus est subiectum affirmationis: quippè modus ille affirmandi æquẽ Petrum, & alios attingit. Dices: ergo poterit concedi similiter hæc propositio, *Paternitas communicatur*; verificata scilicet in Deitate simul atactã ex parte subiecti. Negatur consequentia: quia hic modus dicendi significat Paternitatem esse subiectum verificationis.

149 Ad tertiam, concedo antecedens, & nego consequentiam, eiusque rationem. Patet in cognitione intuitivã Beatorum, & Dei, dicente: *Deitas communicatur*: quæ utpotè non obiective præscindens, licet attingat Deitatem, & Paternitatem; non tamen est ac si dicat: *Deitas, & Paternitas communicatur*: & ratio est, quia iste modus dicendi non est ille, sed realiter diversus, Deoque, ac Beatis repugnans. In nobis autem quamvis non repugnet, utpotè potentibus falso cognoscere; est etiam modus dicendi, seu est quoddam dicere realiter diversum, ab alio modo, quo dicimus: *Deitas communicatur*: quamvis ex parte obiecti idem omnino attingant. Sic, solo Petro currente, est verum dicere: *Petrus currit, vel Paulus currit*: & est falsum dicere: *Petrus currit, & Paulus currit*: quamvis omnino idem attingant ex parte obiecti: distinctio enim, & copula-

tio, sicut affirmatio, & negatio, tenent se ex parte actus, sive ex parte modi dicendi, seu cognoscendi.

150 Dices, id hic evenire propter distinctionem: at ea propositio, *Deitas communicatur*; non est distinctiva. Fateor: cæterum quod ibi facit distinctio, hic facit Mysterium, quod est ipsissima illa veritas obiectiva, nempe Deitatem communicari, & Paternitatem, quæ realiter est Deitas, non communicari: unde est quod verificatur ea affirmatio: *Deitas communicatur*; & non ita: *Paternitas communicatur*. Si dicas: ergo saltem verum est, quod in ea priori affirmatione, Deitas, & non Paternitas, est subiectum verificationis, ut ex Oviedo innuimus *num. 148*. id quod non minus ex se contradictorium est, quàm quod Deitas cognoscatur, & non Paternitas, quod esset obiective præscindi. Fateor esse id ex se æquẽ contradictorium. Cæterum ad id admittendum cogunt nos Fidei veritates innegabiles: id enim est, Deitatem communicari, & Paternitatem, quæ Deitas est, non communicari: quod est ipsum Trinitatis Mysterium. At quod à nobis cognoscatur Deitas, & non cognoscatur Paternitas, ad nihil prodest nisi ad fovendas sine opræpreio præcisiunculas obiectivas, ad inculcanda Mysteria Trinitati similia in reculis creatis, ut expendimus in *Philosophia*.

SECTIO XI.  
 QUOMODO DISTINGVANTUR  
 inter se formalitates, seu eminentia eiusdem Attributi divini.

151 Sunt in Attributo Omnipotentia tot eminentia productiva, quot sunt creaturæ producibiles: in Attributo Sapientia tot notitia, quot sunt obiecta cognoscibilia: in Attributo Voluntatis tot affectus, quot sunt bonitates illorum terminative: in Attributis Immensitatis, & Æternitatis, variaz correspondentia ad omnia loca, & tempora. Has eminentias, seu quasi partiales perfectiones adæquantur vnum Attributum distingui ad invicem ratione nostra ex modo concipiendi in ordine ad diversos terminos, quos respiciunt, suppono ut certum. Quæritur an plusquam ratione? an virtualiter?

152 Non loquor de distinctione perfectionum necessariorum à liberis: de his enim

*Infra disp. 8.*

enim erit sermo specialiter *disp. sequenti*; sed de necessarijs inter se: & omnia hæc coniungo, ut ab omnibus nos semel expediamus per doctrinam generalem.

153 In Attributo Omnipotentia eminentias productivas variarum creaturarum distingui plusquam ratione, scilicet virtualiter, autumant Recentiores nonnulli, & probant. Primum, quia eminentia productiva lapidis, & eminentia productiva angeli suscipiunt prædicata ex se contradictoria: ergo distinguuntur virtualiter. Antecedens probatur: nam eminentia angeli est ordo essentialis ad angelum, & eminentia lapidis non est ordo essentialis ad angelum: ergo suscipiunt contradictoria. Atque idem est in Attributis Sapientia, & Voluntatis de cognitionibus, seu affectibus divinis terminatis ad angelum, & lapidem. Probatur autem antecedens. Si eminentia lapidis esset ordo essentialis ad angelum, & consequenter ad alia factibilia, sequeretur non posse à nobis clarè cognosci eminentiam productivam lapidis, quin eo ipso cognosceremus angelum, & alia quoque factibilia: quod falsum evidentè est. Ratio autem sequens est: nam ordo essentialis nequit clarè cognosci, quin cognoscatur terminus illius.

154 Respondetur tamen negando antecedens. In cuius probatione nego iterum antecedens, loquendo, ut opus est, in sensu reali, citra modum nostrum concipiendi. Ad probationem, nego sequelam, eiusque probariunculam: vel claritatis Gratiã hanc distinguo: ordo essentialis nequit clarè cognosci omnimodã claritate, quin cognoscatur terminus illius, concedo: aliqua claritate, nego.

155 Quocirca notandum est, quod cognitio, cæteris paribus, eo clarè cognoscitur, quò distinctius, hoc est, quò magis ex se sufficiens est ad discernendum: sicut eo cognoscitur confusius, quò indistinctius, hoc est, quò minus sufficiens est ad discernendum inter id quod cognoscitur. Qui cognoscit eminentiam productivam lapidis hoc præcisè modo cognoscendi: *Deus potest producere lapidem*: totam Omnipotentiam, omnesque eius eminentias cognoscit hac qualiquali claritate; nullam tamen eminentiam omnimodã claritate: quia totum id cognoscitur cognitione adeò imperfecta, ut solum sit discretiva sui obiecti ab omni alio non productivo lapidis: & hæc est aliqua claritas; non verò cognitio-

ne, quæ sufficeret discernere suum obiectum ab alio productivo lapidis, quod non esset simul omnifactivum. Hic autem modus cognoscendi non est necesse, quod sic cognoscens Omnipotentia omnesque eius eminentias, cognoscat alios terminos factibiles, præter lapidem: quamvis cognoscat ex parte obiecti ordinem essentialem ad ipsos, eã ipsa claritate, & non aliã, qua cognoscit ordinem essentialem ad lapidem: tam enim ordinem ad lapidem, quàm ordinem ad alia factibilia cognoscit adeò imperfectè, ac si obiectum illud quod cognoscitur esset ordo ad lapidem, & non ad alia: quatenus scilicet eiusmodi cognitio insufficientes esset discernere Omnipotentiam, quæ est eminentia, & ordo omnifactivus ad lapidem, & ad alia, à virtute, quæ sit factiva lapidis, & non aliorum factibilium.

156 Nulla ergo hinc probarur verificatio contradictoriorum, ac proinde, nec distinctio virtualis inter illas eminentias Omnipotentia: & similiter, nec inter notitias divina Sapientia respectu angeli, & lapidis: sed tota diversitas se tenet ex parte nostri modi concipiendi, aliter, & aliter obiectum idem cognoscens.

157 Probant secundò. Lapis connectitur essentialiter cum eminentia productiva lapidis, & non connectitur cum eminentia productiva Gratiæ: hæc autem aliqua contradictio est inter illas eminentias: ergo inter illas saltem est aliqua distinctio virtualis. Probatur maior. Si lapis connecteretur cum eminentia productiva Gratiæ, connecteretur cum Gratiã, quacum eminentia illa connectitur: at hoc implicat: quia inter lapidem, qui naturalis est, & Gratiã, quæ supernaturalis, implicat essentialis connexio. Propter hoc dixerunt aliqui, distinguunt virtualiter in Omnipotentia eminentias ad supernaturalia ab eminentijs ad naturalia, & in Sapientia Dei notitias de naturalibus à notitijs de supernaturalibus: favetque modus loquendi modernorum dicentium, eminentiam, & notitiam divinam circa angelum, lapidem, & circa alia naturalia esse naturales; eminentiam verò, & notitiam circa Gratiã, Visionem, & circa alia supernaturalia non esse naturales, sed supernaturalia.

158 Respondetur negando maiorem quo ad secundam partem: omnia enim creata connectuntur essentialiter cum toto Deo: & omnia increata sunt supernaturalia non minus ac sunt divina: quidquid sit de



*Infra  
disp. 18.*

de modo loquendi modernorum, quem rejiciemus *d. sp. 18.* ubi de his sermo copiosior. Ad probationem, in phrasi obijcientium concederem maiorem, quia loquitur de connexion: cum Gratia, ut possibilibi, volentes in re dicere, quod non extaret lapis, si Gratia non esset possibilis. Nego tamen id esse inconveniens. Quinimò verissimum reor, entia cuncta esse in eo abusivo sensu invicem connexa, ut videbimus *d. sp. 9.* & iterum in eadem *disp. 18.* At in sensu mihi vero, & solido, nego maiorem: quia lapis, & eminentia productiva Gratia, possunt esse non essente Gratia; at lapis nequit esse non essente eminentia productiva Gratia, sicut nequit esse non essente vero Deo omnifaculo. Unde est connexio essentialis omnis entis creati cum toto Deo, & inconnexio essentialis Dei entis necessarii cum omni ente creato contingentissimo: ut latius explicò dicta *disp. 9.*

*Infra  
disp. 9.  
& 18.*

*Bernal.*

*Ribas.*

159 In Attributo Immenfitatis, Recentis: aliqui apud Bernal *disp. 20. de Incar. sect. 3.* existimant, distinguere virtualiter varias formalitates Immenfitatis divinae iuxta varias correspondentias, seu respectus ad diversa loca. Sicque videtur etiam sentire P. Ribas *d. sp. 4. de Attributis, sect. 6.* Scire vellem, an idem dicant in Attributo Aeternitatis per respectus ad varia tempora: si non dicunt, cur non ita? Si dicunt, rejiciunt utrumque sic. Virtualitas Immenfitatis divinae correspondens formaliter huic loco A, vel est formaliter in loco B; vel non: si est, ergo una, & indivisibilis virtualitas correspondet multis locis, & consequenter omnibus: & sic non est opus eas virtualitates multiplicare pro multiplicitate locorum. Si non est, ergo similiter virtualitas Aeternitatis divinae correspondens huic tempori A, non correspondebat formaliter tempori iam elapso: hoc enim convincit omnino paritas. Quod quàm sit absurdum, patet: quia sequitur, eam virtualitatem Aeternitatis intrinsecam Dei non esse formaliter Aeternam, utpote non correspondentem formaliter omni tempori, quod praeterijt. Dicendum igitur est, in eiusmodi Attributis non distinguere virtualiter eas formalitates per respectus ad diversa loca, & tempora:

160 Obijcies: si tota Dei Immenfitas, & Aeternitas, esset ex parte obiecti etiam virtualiter indivisibilis; Petrus hic existens adaequaret totam Immenfitatem Dei, quia nulla esset Immenfitatis divinae

virtualitas, à qua Petrus hic existens non indistaret: similiterque Petrus nunc durans, adaequaret totam Dei Aeternitatem: quia nulla esset Aeternitatis divinae virtualitas, cui non coexistere: hæc autem absurda sunt: nam esset Petrus immensus, & æternus: ergo tam æternitas, quàm immensitas habet virtualitates distinctas: taliter nimirum, ut Petrus hic, & nunc existens correspondeat virtualitati divinae Immenfitatis, & Aeternitatis correspondenti huic loco, vel temporis; non verò virtualitatibus correspondentibus alijs locis, seu temporibus.

161 Respondetur, negando sequentiam: nam adaequare Immenfitatem, seu Aeternitatem Dei non est utcumque indistare à tota Immenfitate, aut coexistere toti Aeternitati; sed requiritur esse immensum, & æternum sicut Deus immensus, & æternus est: scilicet essendo ubique cum repugnantia non indistandi à quocumque posito à parte rei: & essendo semper cum repugnantia non coexistendi cuicumque rei quandocumque duranti. Petrus autem hic, & nunc existens, quamvis hic indistat à tota Dei Immenfitate, distat tamè à Romæ existente à parte rei, à qua indistat Deus: & ideo non est ubique, nec immensus: & quamvis nunc coexistat toti Aeternitati Dei, cras non coexistet, nec heri coexistebat rebus, quibus Deus coexistit, & coexistet: & ideo non est semper, nec æternus, ut magis explicabitur *disp. 13.*

162 Urgebis. Corpus divinitus bilocatum dicit virtualemente sui distinctionem per respectum ad diversa loca: ergo similiter Attributum divinae Immenfitatis ubique præsens. Antecedens probatur: quia de illo verificari possunt contradictoria, qualia sunt moveri, & simul non moveri: sedere Barcinone, & simul non sedere Romæ. Confirmatur. Deus ut existens Barcinone, non existit Romæ: ergo formalitas Immenfitatis, correspondens Romæ distinguitur virtualiter à formalitate eiusdem Immenfitatis correspondente Barcinone. Respondetur negando antecedens contra nonnullos. Ad probationem nego de Petro quantumvis bilocato verificari, moveri simul & non moveri: si enim nullibi movetur, non verificatur moveri: eo autem ipso quod alicubi moveatur, non verificatur non moveri. Concedo tamen de ipso verificari, sedere Barcinone, & simul non sedere Romæ, hoc autem non est contradictorium: quia

*Infra  
disp. 13.*

utrum-

utrumque hoc simul de me non bilocato verificatur.

163 Ad confirmationem, nota imprimis, quod de hac ipsa formalitate Immenfitatis, correspondente Barcinone, verificatur id ipsum ipsissimo modo, quod nempe, ut existens Barcinone non existit Romæ. Itaque ex antecedente apud intellectum, & admisso, vel nulla est consequentia, vel infertur contra obijcientes, distinctio virtualis, ubi nec apud ipsos est. Deinde nota, tres sensus habere posse antecedens. Primus esse potest reduplicans supra Barcinonem, & Romam, ac si dicat Deus, & Barcinone non existit Romæ. Secundus, reduplicans supra nostrum modum concipiendi, ac si dicat, conceptus, quo cognoscimus Deum existere Barcinone, non est conceptus, quo cognoscimus, Deum existere Romæ. Tertius, reduplicans, seu formalizans supra id quod præcisè dicit, *existere Barcinone*, & seorsim præcisè, *existere Romæ*: ac si dicat: Deus si præcisè haberet id quod exprimitur habere, cum dicimus: *existit Barcinone*; non existeret Romæ. Tres isti sensus veri sunt: ex nullo tamen ipsorum arguitur distinctio virtualis, aut obiectiva inter formalitates Immenfitatis Dei; sed ex primo, arguitur distinctio realis inter Barcinonem, & Romam; ex secundo, distinctio inter illos duos modos concipiendi nostros; ex tertio, distinctio inter Deum existentem utrobique, & alium qui existeret Barcinone, & non Romæ. Elige tibi sensum, & solutionem: & quomodo cumque sit, nego consequentiam.

164 Conclusio ergo generalis sit, inter nullas prædictas formalitates, seu eminentias eiusdem Attributi dari virtualemente distinctionem, imò neque obiectivam; sed dumtaxat distinctionem rationis ex modo nostro concipiendi. Ratio est. Quia nulla inter eas occurrit verificatio contradictoriorum, ut ex solutione obiectivorum constat: nec ex aliqua Fidei veritate circa divina Mystra cogimur ad distinctionem virtualis Mystrum recurrere.

ubi per solam distinctionem  
rationis omnia sufficien-  
tissime salvan-  
tur.

## SECTIO XII.

### DE TRANSCENDENTIA Attributorum, aliorumque predicatorum DEI.

165 **D**ari in Deo aliqua prædicata transcendentia præ alijs, est una Scholasticorum vox. Quid autem rei vox ista significet satis est inexploratum: fortè nec satis discussum. Si more purè Philosophico loqueremur, idem ferè esset transcendentia, ac formalis inclusio, seu indistinctio ad modum quo de ratione entis disputari solet, an transcendat, necne, differentias substantiæ, & accidentis. In qua quaestione convenimus, in eo quod ratio entis transcendit quidem substantiam, & accidens, in quibus utriusque definitiè conceptis formaliter imbibitur; dubitamus autem, an transcendat ipsas quoque differentias substantiæ, & accidentis: nam alijs affirmamus, alijs negamus imbibere formaliter in ipsis differentijs, seu in ipsarum conceptibus definitivis.

166 Hi: tamen non loquimur in hoc sensu, ut bene notat P. Borrull *d. sp. 12. n. 37.* & colligitur per ea quæ late discuntur Mantoya *d. sp. 23. usque ad 28.* Loquendo ergo magis Theologicè nomine prædicati transcendentis venit prædicatum ita diffusum per omnes lineas perfectionum divinarum, ut non solum sit illis commune communitate physica, ratione cuius sicut tota Deitas, ita quodlibet prædicatum absolutum est individue commune, utpote identificatum realiter cum omni perfectione divina Absoluta, & Relativa; sed præter istam communitatem physicam, dicit aliam communitatem logicam: ratione cuius tale prædicatum plurificatur in singulis perfectionibus eo modo quo ista plurificantur in Deo. Unde est, quod plurificetur realiter in Relationibus, seu Personis realiter pluribus: in quibus propterea hoc discrimen talium prædicatorum melius dignoscitur per loquutiones, aut evitandas, aut admittendas circa hoc Mystrum: in quo non solum significatum, sed modus ipse significandi, vel loquendi, scrupulosè pensandus est, & magnificandus ab Orthodoxis.

167 Profitemur in Athanasij Symbolo: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spi-*

*Borrull.  
disp. 12.  
& 46.  
Montoya  
d. sp. 23.  
sect. 5.*

*Athana.*

*Spiritus Sanctus, & tamen non tres dij, sed unus est Deus*: quia nempe Deitas, quamvis communicetur physicè, & individué tribus, non plurificatur in tribus, sicut plurificatur Personalitas. Sunt quidem tres habentes Deitatem, & habentes Personalitatem, sed Personalitatem diversam, Deitatem eandem, & nullatenus plurificatam in tribus: ideoque Deitas non est prædicatum transcendens, quia non plurificatur in singulis: nec item Personalitas; quia non est in Deo prædicatum absolutum. Prædicatum autem transcendens debet diffundi per Absoluta, & Relativa, & amplecti utramque communitatem physicam, & logicam.

168 Similiter profiteamur de Omnipotentia: *non tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens*. Et idem est de Sapientia, idem de Voluntate, & de perfectionibus ad ipsam pertinentibus, ut sunt Misericordia, Iustitia, &c. Quapropter eadem ratione, non sunt tres Volentes, iusti, misericordes; sed unus volens, unus iustus, & unus misericors: & similiter unus providens, & unus gubernans: quod spectat ad intellectum simul, & Voluntatem, iuxta illud: *non tres Domini, sed unus est Dominus*. Quia nempe Omnipotentia, Sapientia, & Voluntas, atque adeo Providentia, una individué est in tribus, & in illis non plurificatur: ideoque hæc, sicut nec Deitas, non sunt prædicata transcendentia, ut est omnibus in confesso.

169 Quod diximus huiusmodi prædicata non transcendentia non plurificari, nõ tollit, quominus aliquando in aliquo sensu prædicentur pluraliter; in sensu scilicet adjectivo, in quo possent dici tres Omnipotentes, tres Sapientes, &c. id est tres habentes Omnipotentiam, & tres habentes Sapientiam. Quippe modus iste prædicandi non significat plures Sapientias, seu Omnipotentias; sed plures Personas habentes eandem Sapientiam, & Omnipotentiam: sicut sunt tres habentes idem Dominium, & tres habentes eandem Deitatem: quin perinde sint, aut dicantur tres Domini, nec tres Dijs, sed unus Dominus, & unus Deus. Quia, nisi aliter exprimatur, absolutè loquendo fit per hæc nomina sensus substantivus: in quo sensu nequeunt pluraliter prædicari: significaretur enim pluralitas Deitatum, Dominiorum, Omnipotentiarum, & Sapientiarum; sed solum in adjectivo non plurificante abstracta formalitè significata

per illa nomina, sed Personas, quæ sunt quasi subiecta habentia per identitatem eiusmodi abstracta Deitatis, Omnipotentia, & Sapientia implurificata.

170 Atque hinc perspice, punctum hoc Theologicum de transcendentia prædicatum Dei in id reduci, ut dignoscamus, quænam divina prædicata absoluta ita communicentur, & ut ita dicam, inmiscerentur in alijs Dei perfectionibus, ut ad istarum plurificationem etiam illa plurificentur in istis: & hoc quidem in sensu substantivo, seu etiam in abstracto sumpta. Et est difficultas satis implexa propter varias loquutiones, quæ circa varia prædicata Dei passim occurrunt, & aliter, ac aliter à varijs usurpantur, non satis ab omnibus examinata.

171 P. Borull *disp. 12. num. 38.* statuit, ea tantum prædicata Dei esse dicto modo transcendentia, quorum in alijs plurificatio inevitabilis est; cætera verò, quorū plurificatio evitabilis est, quia nimirum ad ea multiplicanda minimè cogimur, non esse dicto modo transcendentia. Quænam autem illa sint, quorum evitari queat, & quænam quorum nequeat evitari eiusmodi plurificatio, non resolvit generaliter: imò ait, non esse assignabilem de hoc regulam generalem; sed discernendum esse in singulis ex rationibus suis particularibus. Differens deinceps de aliquibus in particulari; docet, prædicatum existentia esse transcendens, quia multiplicatur: ideoque præter existentiam absolutam, quam malè negabant nonnulli apud Zunigam *disp. 5. dub. 11.* admittit in Deo tres existentias Relativas cum Scoto, Suarez, Richardo, & alijs apud Amicum *tom. 1. disput. 19.* de quo iterum Suar. *tom. 1. in 3. part. disp. 11. sect. 1.* contra Montoyam *disp. 25.* aliosque complures. Docet deinde, prædicatum Aseitatis, & necessitatis essendi, non esse transcendens: ideoque recusat in Deo tres Aseitates, & tres necessitates essendi. Docet insuper, prædicata infinitatis, & perfectionis, esse transcendentia: ideoque admittit tres infinitates, & tres perfectiones realiter distinctas in Deo; prædicata verò Immensitatis, & Æternitatis non esse transcendentia: ideoque recusat cum Suarez, Vasquez, & Montoya in Deo tres Immensitates, & tres Æternitates, contra multos qui has plures etiam admittunt, sicut plures existentias, ut Bernal, & Herize apud Alós *disp. 2. n. 311.*

172 P. Bernal *disp. 20. de Incar. m. 29.*

citans pro se Suarez, & Herize, tres solum agnoscit in Deo perfectiones absolutas non transcendentem, scilicet Sapientiam, Voluntatem, & Omnipotentiam; reliqua omnia Dei prædicata ait esse transcendentia. E dicitur verò P. Montoya solum vult esse transcendentia prædicatum rei; ideoque admittit cum S. Tho. Magistro, & Augustino in Deo tres res *disp. 26. sect. 1.* & prædicatum entis, in hoc dissentiens à S. Tho. qui recusat admittere in Deo tria entia, quamvis admittat tres res: prædicatum quidditatis *disp. 24. sect. 5.* & prædicatum infinitatis *disp. 28. sect. 1.* & prædicatum immaterialitatis *sect. 4.* & prædicatum unitatis *disp. 27. sect. 3.* Cætera autem omnia Dei prædicata, ait esse non transcendentia. Multa in ijs miscentur dissidia de vocibus; sed non contemnenda: quia pertinent ad puriores modos loquendi in Mysterio Unitatis, & Trinitatis divinæ.

173 Ego quidem imprimis non acquiesco rationi, quæ ducitur P. Borull ad asserendum, existentiam esse prædicatum transcendens; non verò Aseitatem: ideoque esse in Deo plures existentias; non verò sic plures Aseitates, aut plures necessitates essendi pro pluralitate Personarum. Si enim ab illo petas rationem huius magnæ disparitatis, ait esse, quia ab una Aseitate absolutâ, & ab unâ necessitate essendi possunt dici tres Personæ ens à se, & ens necessarium; non verò sic dici possunt existentes ab unâ existentia absolutâ. Si verò arguas: quare hoc non respondet, quia productio fertur ad existentiam termini, & supponit existentiam principij: ut videre est in creatis: cum autem attributa producantur virtualiter ab Essentia, & aliqua Personæ realiter ab alijs; elucet ibi respectivè una existentia producens, & alia producta: sicque inevitabilis est pluralitas existentiarum.

174 Hæc ratio, ni fallor, prorsus est nulla. Nam in primis falsum est illud de productione virtuali, ut vidimus *sect. 2.* Deinde, eo pro nunc permissio, veniamus ad id, quod magis è re est, de productione reali: & arguo sic. Persona producit Personam, & Deus generat Deum, ex illo Symboli, *Deum de Deo*, ut cum ipso Patre Borull. *disp. 5. sect. 2.* adstruimus *disp. 5. sect. 5.* quin perinde arguatur in principio una Deitas, & in termino alia Deitas: quia nempe eadem Deitas, quæ pro priori originis erat in principio, est pro posteriori in termino: non qui-

dem producta, sed communicata. Cur ergo similiter non dicatur, quod Persona præexistens producit aliam pro posteriori existentem, quin detur una existentia producens, & alia producta: quia nempe eadem existentia, quæ erat pro priori in principio, est pro posteriori in termino producta, non producta, sed communicata?

175 Nec cogit quod adducitur ex creaturis: in his enim producantur, & producantur existentia quando producantur essentia: at in Deo essentia nec producit, nec producit, quando producit Persona: quid ergo prohibet, quominus dicatur de existentia quod de essentia, & quod dicit Pater ipse Borull de Aseitate? scilicet præcedere origine in Personis producentibus, & esse in Personis productis, quin producat, aut producat; & unam individué existentiam, sicut & Deitatem, & Aseitatem, communicari à Personis producentibus in Personas productas. Nulla ergo sumitur à productionibus ratio, quæ cogat ad asserendum, prædicatū existentia, præ prædicato Aseitatis, esse transcendens & plurificandū pro pluralitate Personarum.

176 Præterea, nec satis percipio rationem, cur alij dicant, prædicatum rei esse transcendens, ideoque posse admitti in Deo tres res; non verò prædicatum entis, ideoque non posse admitti tria entia. Non enim video in quo differant, quo ad præsens, res, & ens: & idem dico de quidditate, & conceptibilitate. Igitur tria hæc prædicata, vel omnia, vel nulla sunt transcendentia.

177 Ut ad resolutionem veniam, dico primò. Sapientia, Voluntas, & Omnipotentia non sunt in Deo prædicata transcendentia. In hoc conveniunt omnes: quia nemo est qui ausit admittere in Deo tres Intellectus, tres Sapientias, tres Voluntas, aut tres Omnipotentias realiter distinctas pro trinitate Personarum. Et de Omnipotentia hic est sensus Athanasij: *Similiter Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus; non tamen tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens*. De Scientia, & Voluntate subintelligitur in illo: *Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Domini, sed unus est Dominus*: intelligitur enim nomine Domini providentissima gubernatio Dei amplectens Sapientiam, & Voluntatem. Et notanda est in Athanasio vox *Ita*, & vox *Similiter*: ut innuatur, sic esse sententiam.

tiendum, & loquendum de his, sicut de Deitate, cum ait: Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Dij, sed unus est Deus. Ergo, sicut Deitas est una omnino immultiplicata in Personis; ita similiter Sapientia, Voluntas, & Omnipotentia.

178 Dico secundò. Immensitas, & Æternitas non sunt prædicata transcendentia: ideoque nec possunt dici tres immensi, nec tres æterni substantivè, nec tres Immensitates, aut Æternitates abstractè. Est sensus communis summorum Theologorum cum S. Th. Suar. Vasq. & Montoy. contra aliquos. Fundamentum solidum est, quòd Athanasius eodem modo de his, ac de præcedentibus loquitur, ibi: Immensus Pater, Immensus Filius, Immensus Spiritus Sanctus: Æternus Pater, Æternus Filius, Æternus Spiritus Sanctus: & tamen non tres æterni, sed unus æternus: nec tres immensi, sed unus immensus. Mirum autem esset, quòd Athanasius, & cum eo Ecclesia univèrsa sub eodem verbò tenore tantam rem in ac sensuum disparitatem admittere possent. Unde concludit Suar. lib. 3. de Trinit. cap. 2. num. 7. Si autem ergo est de Fide tres Personas non esse tres Deos, ita est de Fide, non esse tres Dominos, tres Æternos, aut tres Omnipotentes substantivè. Et allegat August. lib. 5. de Trin. cap. 8. Objicit sibi num. 12. quòd Athanasius sub sic pluraliter: Tres Persona coæterna sunt. Sed respondet, hunc modum loquendi coæterna; indicare iam sensum adjectivum: quasi dicantur tres habentes Æternitatem, quamvis eadem: in quo sensu dicuntur in cap. Firmiter apud Concil. Lateranen. consubstantiales, & Cognitantes.

179 Dico tertio idem de prædicato Aseitatis, seu Entis à se, & necessarii. Hoc enim prædicatum intelligo in Symbolo Athanasij nomine increati: de quo ibi eodem modo: increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus: non tres increati, sed unus increatus. Et in hoc dicto convenio cum P. Borull; quamvis non in fundamento. Nam Athanasius, & cum eo tota Ecclesia eodem modo loquitur de prædicato increati, ac de prædicato Omnipotentis; Domini, Immensi, Æterni, & Dei. Sic etiam Suar. cap. 12.

180 Dico quartò: prædicata existentis, rei, entis, unius, veri, boni, perfecti, quidditatis, & alia huiusmodi, esse præ-

dicata transcendentia: ideoque posse admitti tres existentes etiam substantivè, & abstractè tres existentias Relativas realiter distinctas, cum Suarez cap. 5. non omnino renuente Montoyà disp. 25. tres res cum S. Tho. tria entia cum Suar. & Montoy: tres unitates cum Suar. lib. 3. cap. 7. tres veritates cum Suar. cap. 8. tres bonitates, & perfectiones cum Suar. cap. 9. & consequenter tres quidditates, seu aliquiditates cum Suar. cap. 6. & sic de alijs similibus. Nam contra hæc nihil habemus in Athanasio, nec in constantibus SS. Patrum loquutionibus: ut de ferè omnibus videre est apud Montoyam earum observantissimus, si quis alius.

181 Nota, Veritatem, Bonitatem, & Unitatem in hac conclusione sumi pro cognoscibilitate, amabilitate, & indivisione, quæ solent esse passiones metaphysicæ omnis entis. Nam veritas in dicendo, aut cognoscendo, seu veritas, & bonitas moralis, quæ est exercitium voluntatis, sunt perfectiones de linea speciali Intellectus, & Voluntatis Dei, minime transcendentis, ut de Sapientia, & Voluntate dictum est num. 177. & similiter dico de Unitate speciali Deitatis.

182 Ratio autem generalis omnium prædictorum, quæ potest statui quasi regula ad dignoscendum, quænam Dei prædicata sint, aut non sint transcendentia; esse potest: quia prædicata Sapientia, Voluntatis, Omnipotentia, Immensitatis, Æternitatis, Aseitatis, seu necessitatis essendi, sunt prædicata essentialia differentialia Deitatis. Cum autem Deitas non sit prædicatum transcendentis, nec possit dici tres Deitates, aut tres Dij, sed cum Athanasio, & Catholica Fide, non tamen tres Dij, sed unus est Deus; hinc est, quòd nullum eorum prædicatum essentialium differentialium Deitatis sit transcendentis: nec valeat in Deo pluralitari, nec multipliciter prædicari, nè multiplicetur Deitas, nè videamur admittere plures Deos. Illa verò alia prædicata entis, rei, unius, veri, boni, perfecti, quidditatis, & cætera huiusmodi, quamvis sint prædicata essentialia Deitatis; non sunt differentialia; sed generica, aut quasi generica; ideoque ex eorum transcendentia, & plurificatione non sequitur multiplicatio Deitatis, aut Deorum. Quemadmodum ex multiplicatione viventium non sequitur multiplicatio hominum; bene verò ex multiplicatione rationalium, aut dif-

Montoy.

Suar.

S. Tho, Suar. Vasq. Montoy.

Suar.

August. Athan.

Later.

Athan.

Borull.

Suar.

discursivorum, aut iudicativorum, quæ sunt prædicata essentialia differentialia hominis, quamvis aliqua eorum tantum partialia.

183 Quid de prædicato substantia? Dico, substantiam dici dupliciter, Primò in sensu metaphysico, seu prædicamentali, pro ente per se. Secundò in sensu speciali Theologico in Deo pro Essentia, sive Naturâ. In priori sensu est prædicatum transcendens, sicut ens; non verò in posteriori: quia sonat ipsissimam Deitatem, seu Naturam divinam omnino immultiplicabilem. Id quod optime distinxit Montoyà disput. 23. monens, cautè in hoc esse loquendum, nè tres Naturas in Deo admittere videamur: ideoque non esse admitterendas tres substantias, nisi semper id limitando ad sensum metaphysicum pro ente per se contraposto accidentibus: quia loquutio est lubrica, & periculosa, quamvis apud SS. Patres interdum reperta.

184 Quid de prædicato infinitudinis? Dico, esse transcendens: quia singulis perfectionibus competit sua specialis infinitudo. Idem est de prædicato perfecti, & infinitè simpliciter perfecti. Idem de prædicato divini: quod stat in idemitate reali cum Deo, quam singulæ perfectiones etiã prout suo modo condistinctæ à Deitate, seorsim imbibunt. Idem de prædicato sancti: quod stat in participatione, seu consortio Naturæ divinæ: quod consortium multò strictius dicunt formaliter quælibet Dei perfectiones increatæ realiter idemificatæ cum Natura divina, quam quælibet creatæ. Non ita dicendum est de prædicato perfectionis simpliciter simplicis, quod formaliter non competit perfectionibus Relativis, ut diximus disput. 3. sect. 8. nec in illis multiplicatur, & est specialiter differentiativum Deitatis, ut diximus disp. 5. sect. 6.

185 Objicies. Quælibet Relatio, ut condistincta ab absolutis, est ens & existens entitate, & existentiâ sibi propria secumque multiplicatâ: ideoque ens, & existens sunt in Deo prædicata transcendentia; sed non est ens ab alio; ergo à se: item est præsens, & durans non minus, quam existens: sed non limitativè alicubi præsens, & aliquando durans: ergo semper durans, & ubique præsens: ergo dicit specialem, & transcendentem rationem Aseitatis, sicut entis, & Æternitatis, ac Immensitatis, sicut existentis, durantis, præsentis. Respondetur, concedendo totum usque ad vlti-

mam consequentiam, quam nego: quia, ut seorsim etiam virtualiter ab absolutis Relationes dicantur entia à se, semper durantes, & æternæ: ubique præsentis, & immensæ; sufficit quòd ut virtualiter condistinctæ dicant Aseitatem, Immensitatem, & Æternitatem absolutam secum realiter idemificatas; non verò requiritur quòd illas dicæ secum realiter multiplicatas: sicut ut suo modo condistinctæ sunt realiter Deus à Deitate cum ipsis realiter idemificata; & non cum ipsis multiplicata.

186 Itaque non gravabor admittere durationes, & præsentias, sicut & existentias Relativas; non tamen admittam Immensitates, Æternitates, sicut nec Aseitates Relativas; ideoque nec transcendentis ob rationem dictam: quia nempe durare, ubicari, sicut & existere non sunt prædicata differentialia Essentiæ Dei, quæ salvanda est una immultiplicabiliter: at Aseitas, Immensitas, & Æternitas sunt prædicata differentialia Essentiæ Dei: ideoque non multiplicanda in Deo, ne videamur multiplicare Deitates: nec, quod idem esse videtur, transcendentia.

SECTIO XIII.

DE PRÆICATIONE Attributorum.

187 DE hoc iuxta sua principia Magister Lumbier quaest. 15. art. 5. Iuxta nostra dicendum est primò, conceptus quasi univèrsaliter abstractos ab omnibus Attributis, & Relationibus, prædicari de singulis in sensu formali. Nam ut diximus sect. 3. imbibuntur formaliter in singulis, quasi in suis speciebus ad modum quo conceptus entis, substantia, & viventis in speciebus Hominis, Leonis, & Plantæ. Unde hæc prædicationes sunt formales: Omnipotentia, Intellectio, Paternitas, Iustitia Dei, est ens, Spiritus, & existens, &c. De differentijs verò talium Attributorum, non ita. Sic ens de substantia prædicatur formaliter; non verò de perfectitate; quæ præcisim est differentia substantia: & animal de homine; non de rationali.

188 Secundò. Essentia de singulis Attributis, & Relationibus, & unum Attributum de alio, ac de Essentia, & de Relationibus prædicatur saltem in sensu reali sic: Essentia est Paternitas: Iustitia est M-

V. a. se.

Montoy.

Supra disp. 5.

Lumbier.

*fericordia: Filiatio est Deitas: Omnipotentia est Essentia: Deitas est Iustitia.* Nam hæ prædicationes solum significant identitatem realem, quæ verè ibi datur. Sed præ oculis habendum est quod sæpè diximus, & observat Suarez lib. 1. cap. 14. ex eo quòd in Deo prædicetur vnum de alio in hoc sensu reali, *Sapientia est Iustitia: Deitas est Paternitas;* non sequi, debere prædicari de vno adhuc in sensu reali quidquid realiter prædicatur de alio: nam Paternitas non est realiter Filiatio, quamvis Deitas sic realiter Filiatio.

Suar.

189 Tertiò. De Essentia adæquatè sumptâ prædicantur formaliter Attributa, sive in concreto, sive in abstracto sumpta, sic: *Deitas est Omnipotens, Sapiens, iusta: Deus est Omnipotentia, Sapientia, Iustitia, Immensitas, &c.* Adde has prædicationes esse essentialissimas de primo modo dicendi per se: non minus ac istæ: *Homo est discursivus, indicativus, rationalis.* Sic expresse Suarez citatus sæpè disp. 5. præsertim num. 85. & 101. contra Modernos. Et ratio est: quia essentia metaphysica Dei omnes has perfectiones Attributales involvit essentialissimè, vt ibi latè probavimus cum eodem Suarez. Unde hæ prædicationes: *Deitas est Omnipotens: Deitas est Omnipotentia:* sunt æquè essentielles ac istæ: *Humanitas est rationalis: Essentia hominis est rationalitas.*

Suar. Supra disp. 5.

190 Quartò. Vnum Attributum in abstracto non prædicatur de alio in sensu formali. Nisi fortè quando sibi univèrsaliter subordinantur. Unde hæ prædicationes: *Iustitia est Misericordia: Sapientia est Omnipotentia:* procedunt in sensu reali. Nam eiusmodi abstracta non sese includunt formaliter, & habent conceptus definitivos seorsim: vt in homine animalitas, & rationalitas.

191 Quintò. Vnum Attributum concretè prædicatur de alio in sensu formali. Unde istæ. *Omnipotens est Iustus: Iustus est Immensus: Sapiens est Aternus:* procedunt in sensu formali. Nam Omnipotens, & Iustus sic concretè acceptus, dicit formaliter implicite Deum quasi subiectum, seu rectum talis concreti: & formalitates Omnipotentia, & Iustitia, quasi formas. Unde est, quòd sic concretè accepta Attributa non solum resolvuntur definitive in formalitates proprias singulorum Attributorum; sed etiam in Deitatem: concretum enim resolvitur in subie-

ctum, & formam, vel quasi. Sic intelligo SS. Patres apud Amicum, & Montoyam, dicentes Essentiam Dei includi in singulis Attributis, & Relationibus, & quodlibet Attributum in alio, & in Essentia: scilicet accipiendo ea concretè, sic: *Pater est Omnipotens: Deus est Filius: Iustus est Misericors, &c.*

Amic. Montoy


192 Nota tamen, huiusmodi prædicationes, quamvis sic procedant in sensu formali ià explicato; in alio tamen sensu formali posse non procedere: si nemper per aliquam reduplicationem significant Omnipotentem, Iustum, aut Patrem secundum rationes formales horum concretorum: in quo sensu formali similiter esset falsa: *Album vt album est dulce;* quamvis absolutè in sensu formali sit vera: *Album est dulce.*

193 Adde, etiam esse veras in sensu formali: *Iustitia est Omnipotens: Deitas est Deus:* quia hic modus prædicandi non quomodocumque asserit identitatem subiecti cum abstracto prædicati; sed cum habente tale abstractum, quasi dicat: *Iustitia est quod denominatur Misericors: Deitas est quod denominatur Deus:* ad modum quo dicitur: *paries est albus:* hoc est, subiectum, quod denominatur album, in sensu formali; non obstante distinctione parietis ab albedine.

194 Hæ propositiones: *Deitas est Personalitas: Deitas est Paternitas:* quamvis sint prædicationes de per se: non tamen in primo modo dicendi per se: sicut illæ: *Deitas est Sapientia: Deitas est Omnipotens.* Nam prædicant de Deitate aliquid, quod est extra Essentiam, nempe Personalitatem, vel Relationem.

195 Istæ: *Deus est Deitas, & Deitas est Deus:* procedunt in sensu formali: & quidem prima in primo modo dicendi per se: quia Deus essentialissimè involvit Deitatem: secunda verò non ita: quia Deitas non involvit essentialiter quidquid dicit Deus concretè; cum Deus dicat subiectivam, & non aliam nisi Relativam. Ad Concilium Rhemense dicens, in nullo sensu catholico negari posse, quòd *Deus sit divinitas, & divinitas sit Deus; satisfactum est disput. 6. sect. 6.*

DISPUT.



# DISPUT. VIII.

## DE SCIENTIA, ET VOLUNTATE DEI.

**S**ERMO iam est de Attributis in particulari. De Scientia, & Voluntate Dei, sicut etiam de Providentia, Scientiam, & Voluntatem complectente, extant in Theologia speciales Tractatus, ad quos remitto proprias, & præcipuas difficultates. Alias pertinentes ad ea duo Attributa, quatenus sunt Vita Dei, discussimus latè disp. 4. Duas hic pertracto, quæ & vtrique huic Attributo communes sunt, & opportunum in præsentis locum obtinent, vtpote superiori Disputationi valde affines.

Supra disp. 4.

### SECTIO I.

#### QUOMODO DISTINGVANTUR INVICEM ATTRIBUTA SCIENTIAE, & VOLUNTATIS DEI: SIVE INTELLECTIO, & VOLITIO.

**N**ON disputo de distinctione divini Intellectus ab Intellectione, aut Voluntatis à Volitione: vidimus enim latè sect. 4. nec intellectum; & intellectionem, nec Voluntatem, & Volitionem Dei habere se per modum actus primi, & secundi virtualis, sed per modum actus purissimi intelligendi, & volendi: in quo purissimo actu solâ ratione nostrâ, & ex modo concipiendi distinguatur intellectus, & intellectio; Voluntas, & Volitio.

Supra sect. 4.

**3** Nec disputo de distinctione intellectus, & intellectionis necessariæ, seu Voluntatis, & Volitionis necessariæ Dei, à Volitione, & intellectione libera: de hoc enim agemus sect. 5.

Infra sect. 5.

**4** Solum ergo nunc disputo de distinctione intellectus, & intellectionis necessariæ à Voluntate, & Volitione necessariæ Dei. Et suppono non distingui realiter, & distingui saltè ratione ex modo nostro concipiendi. Difficultas autem est, an hæc

duo Attributa distinguantur virtualiter inter se, sicut virtualiter distinguantur à divinis Relationibus.

**5** Affirmat communis plurimorum sententia. Albiz, Zuñiga, Arriaga, Franciscus de Lugo, Aldrete, Ripalda; Gonetus, Fuster, Borrull. *disp. 7. sect. 6. & disput. 1. de Volunt. sect. 4. & disp. 7. & 10. de Trin.* quibuscum ipse sentiebam olim

Albiz, Zuñiga, Arriaga, Borrull, Ribad., Esparza, Quirós, Lumbier, Ripal., Fuster, Gonet., Herrera, Thyrus, Perez., Esparza, Quirós, Lumbier, Herrera, Thyrus.

**6** Placet verò iam sententia negans, quam tenent Ribadeneyra *disp. 4. & 5. de Volunt.* Anton. Perez *disp. 1. de Scientia Dei, cap. 8.* Esparza *lib. 1. de Deo, quest. 4.* Borrull. *q. 2. de Volunt. sect. 4.* Quirós *disp. 1. & 3. de Volunt. Dei:* postquam non semel oppositam tradiderat.

**7** Ratio mihi solida est. Quia distinctio virtualis admittenda non est, nisi vbi Mystera Fidei cogunt admittere prædicata secundum se alioquin contradictoria in re realiter eadem: atqui de intellectu, & Voluntate, seu de intellectione, & volitione divinis necessarijs nulla contradictoria cogimur admittere in obsequium Fidei, vt constabit ex solutione argumentorum. Non est ergo cui virtualiter distinguantur.

**8** Obijcitur primò. A parte rei Intellectio Dei, est prior Volitione, etiam necessariâ: sed non realiter formaliter: ergo virtualiter: ergo distinguitur à Volitione vir-

tua-

tualiter, cum proportione scilicet ad prioritatem, quâ Volitionem antecedit. Probat major: nam independentem à consideratione nostrâ Deus se amat, quia se cognoscit, & non est contra: sed hoc stare nequit sine prioritate cognitionis ad amorem: aliâ enim, cur non pariter diceretur, quod se cognoscit, quia se amat? & hoc quidem à parte rei: ergo à parte rei intellectio, seu cognitio divina est prior Volitione, seu amore. Maior traditur ab Anselmo in Monologio cap. 48. ubi de Deo ait: *Palam certe est, non idcirco se intelligere, quia se amat, sed ideo se amare, quia se intelligit.*

9 Confirmatur. Primum, quia de ratione directionis est præeundo dictare, quid sit faciendum, antequam voluntas velit, ut fiat: unde est axioma: *nihil volitum, quin præcognitum.* Secundum: quia obiectum mediâ cognitione sui alliciat ad amorem sui: bonitas enim obiecti ut ametur, habet se quasi invitatio, seu suasio, ut propterea alliciatur Voluntas ad amorem obiecti: sed hoc salvari nequit nisi cognitio præcedat, ac proinde, nisi distinguatur virtualiter à Volitione obiecti: alioquin cur potius amor esset ex directione cognitionis, quam cognitio ex imperio amoris? Necesse igitur est, cognitionem virtualiter præcedere, ac proinde virtualiter distinguere à Volitione.

10 Imprimis obiectio non probat, Attributum Intellectus, & Intellectionis distinguere virtualiter ex integro ab Attributo Voluntatis, & Volitionis. Quia quamvis intellectio ratione directionis ad volendum præcedere deberet Volitionem; non tamen est cur, aut intellectio, aut intellectus præcedere debeant Voluntatem. Quid quod ex ea directione, solum forte probaretur, intellectionem divinam de aliquo obiecto distinguere à Volitione talis obiecti, quia solum istam præcedit, cum ad solum istam dirigat; non verò ad Volitiones aliorum obiectorum. Deinde, si ex eiusmodi directione probaret intentum obiectio, probaret nimis ultra intentum: quippe Deus non solum virtualiter, quin potius realiter formaliter dirigatur per suas intellectiones ad suas Volitiones, utpotè realissimè amans quia intelligit: ergo si iuxta eiusmodi directionem argueretur prioritas, & distinctio; argueretur realis, formalis, potius quam virtualis prioritas, & distinctio.

11 Respondetur itaque negando maiorem. Ad probationem, admitto maiorem

iuxta Anselmum, quam tamen recusat P. Esparza, illâ dumtaxat concedens ex modo nostro concipiendi inter Intellectionem, & Volitionem divinas ad instar Intellectionis, & Volitionis creatæ. Nego autem minorem de prioritate aliqua, quæ sit à parte rei: nam Deum à parte rei amare se quia se cognoscit, potius quam cognoscere se, quia se amat; non est prioritas à parte rei cognitionis ad amorem; sed est specialis modus tendendi ad actus divini purissimi, & simplicissimi, qui simul est cognitio, & amor taliter ex natura sua cognoscens simul, & amans, ut realiter amet quia cognoscit; & nec realiter cognoscat, quia amat. Hoc autem, quod à parte rei nihil est aliud nisi actum esse talem, qui amet qui cognoscit; concipimus nos comparative ad actus creatos cognitionis, & amoris, quorum ille est prior isto utpote causa realis istius: ideoque ratione nostrâ in actu divino concipimus formalitatem cognitionis quasi priorem, & formalitatem amoris quasi posteriorem; æquivalenter nimirum duobus actibus nostris, quorum unus est realiter prior. Unde nego absolute consequentiam.

12 Et rem explico perspicue in actu nostro indivisibili, qui simul amet mediû, & finem, medium autem propter finem, v. g. deambulationem propter sanitatem, & non est contra. Talis enim actus realiter amat deambulationem, quia amat sanitatem, & non est contra: quin perinde significetur distinctio, seu prioritas virtualis in formalitatibus dicti actus creati; nisi & in creatis etiam admittendum sit Mysterium distinctionis virtualis. Solum enim perinde significatur specialis modus tendendi talis actus, realiter diversus ab alio actu, qui amaret sanitatem propter deambulationem, & ab alio etiam possibili, qui simul amaret sanitatem propter deambulationem, & deambulationem propter sanitatem. Quomodo, nec exinde inferatur distinctio formalis, seu formalizalis à parte rei inter intellectionem, & Volitionem, quam adstruere conatur ubique magister Lumbier, visum est disp. 7. sect. 6.

13 Ad primam confirmationem dico, verum id esse, ubi directio non est ipsa volitio: tunc enim influit in Volitionem præeundo, & distando antequam Voluntas velit: & inde venit axioma: *nihil volitum, quin præcognitum.* At ubi directio, seu cognitio obiecti voliti, est ipsissima vo-

Esparza

Zuñiga

Supra disp. 4.

Borrull.

Lumb. Supra disp. 7.

litio, nulla datur à parte rei præcedentia. Ne autem Voluntas feratur in incognitum sufficit quod ipsa Volitio sit cognitio: nec est unde requiratur præcognitio.

14 Quod si tunc etiam dicitur directio, seu cognitio præire ad Volitionem, & nihil esse volitum, quin præcognitum; intelligendum est solum ratione nostrâ, & eminentialiter per analogiam ad cognitionem, & volitionem creatas, quarum una realiter præit, & alia subsequitur: quibus æquivalet simplex ille actus Dei qui simul est cognitio, & amor, ex modo suo tendendi talis, ut non cognoscat quis amat, sed amet quia cognoscit. Hinc ait Zuñiga disput. 2. de Trin. dub. 20. membr. 7. axioma: *nihil volitum quin præcognitum*, absolute in Deo non valere: nam quod ad præcedentiam cognitionis solum valet ubi cognitio excitat actum primum volitivum ad actum secundum volendi: atque adeo non in Deo, ubi locum non habent eiusmodi actus primi intelligendi, & volendi: cum potius sit cognitio purissimus, & etiam actus purissimus volendi, ut late visum est disp. 4.

15 Ad secundam admitto maiorem: cum discrimine tamen diligenter observando inter Deum, & creaturas: quod in creaturis obiectum mediâ cognitione sui distincta à se, & ab amore, alliciat actum primum potentie volitive ad producendum actum secundum volendi. Nō sic in Deo, in quo nec datur actus primus potentie volitive, nec actus secundus volendi, productus: unde doctrina illa maioris Deo applicata, nihil aliud verè significat, nisi quod obiectum debet cognosci dignum ut ametur, & quod re ipsa amatur à Deo quia cognoscitur. Nego autem minorem: & consequentiam: quia, ut bene Borrull disput. 1. de Volunt. à num. 62. totum id salvatur sine distinctione, & præcedentia virtuali cognitionis ad volitionem, per specialem modum tendendi realem actus divini, qui simul est cognitio, & volitio, volendo scilicet quia cognoscit, & nec realiter cognoscendo quia vult: ut per exemplum actus nostri amantis, deambulationem propter sanitatem, & non est converso, fecimus manifestum.

16 Ex quo eodem modo tendendi sumitur etiam quod ea Volitio sit potius ex directione cognitionis, quam cognitio ex imperio volitionis: dum modo ly ex nō significet emanationem virtualementem, sicut nec

realem; sed rationem formalem constitutivam talis specialis modi volendi simul & cognoscendi, fundantis analogiam conceptus nostri concipientis eam Dei cognitionem, & Volitionem ad instar nostrarum (quamvis non nisi falso cognosceret esse ad instar nostrarum,) quarum una præcedit, & causat aliam. Sicque dici solet cognitio divina ratione prior, seu quasi prior volitione, seu eminentialiter prior, ut melius loquitur Ribadeneira, propter ea quæ diximus supra disp. 4. sect. 8. negantes Deo actum primum intelligendi, & volendi, etiam ratione nostrâ.

17 Dices: hoc modo, quicumque sit, præcedit, vel quasi præcedit ratione nostrâ, aut eminentialiter cognitio divina ad Volitionem, & non ipsa volitio ad Volitionem: ergo aliqua contradictoria verificatur de illis: ac proinde distinguuntur virtualiter. Respondetur negando antecedens: nam eo ipso modo à nobis concessio cognitio divina, ut cognitio est, & non ut volitio est, præcedit Volitionem, & eo ipso modo volitio, scilicet, ut cognitio est, & non ut volitio est, præcedit Volitionem: sicque eo ipso modo præcedit, vel non præcedit Volitionem volitio, ac cognitio Dei: utraque scilicet, ut cognitio est; & neutra, ut volitio est, sine contradictionis umbra. Illæ verò reduplicaciones nihil aliud significant ex parte rei, nisi, eum Dei actum, qui simul est cognitio, & volitio, talem esse ex Natura sua, ut velit quia cognoscit; non verò talem, ut cognoscat quia vult.

18 Urgebis. Ut in creatis cognitio dirigat, non sufficit, quod coexistat concomitantem volitioni, imò debet aliquomodo esse prior: nam multæ cognitiones sunt sæpè in nostro intellectu quando volumus amare Deum: quin dirigant ad amorem Dei: ergo ut intellectio divina verè dirigat ad amorem, & Deus velit quia cognoscit, non sufficit quod velit & cognoscat: debet ergo formalitas cognitionis aliquomodo à parte rei esse prior Volitione, seu amore: alioquin intelligibile est, quod cognitio moveat, & alliciat ad amorem, & quod Deus amet quia cognoscit.

19 Respondetur, concessio enthymemate: quamvis absolute neget P. Thyrsus num. 66. divinam cognitionem dirigere ad amorem necessarium; & concessio etiam minori subiuncta, nego subillationem. Non, inquam, sufficit ad id, quod velit, & cognoscat; sed requiritur, actum illum Dei qui

Ribad. Supra disp. 4.

Thyrsus.

qui simul est cognitio, & volitio, talem esse, ut velit quia cognoscit. Hoc autem non est prioritas virtualis cognitionis ad Volitionem; sed realis formalis tendentia talis actus, qui simul est cognitio, & volitio ex speciali suo modo. Quod si quæras, cur in creatis cognitio distincta à Volitione non dirigat, quin præcedat ad Volitionem; & in Deo dirigat, quin præcedat; ratio est facilis: quia cognitio, ubi non est simul volitio, tenet se ex parte actus primi producens volitionem; quinimò iuxta Philosophiam mihi veram efficit physicè volitionem; at ubi cognitio est ipsa volitio, ut in Deo, totum hoc fit actualissimè, & purissimè, citra rationem omnem actus primi, & secundii: unde nec cognitio influit, nec se tenet ex parte actus primi influentis in Volitionem.

20. Id quod etiam videre est in exemplo actus nostri indivisim volentis medium propter finem. Nam quando volitio, quæ est electio medij, & volitio, quæ est intentio finis, distinguuntur; ista influit in illam, tenens se ex parte principij eligentis; quando verò identificantur, ut evenire sæpè potest, non datur influxus unius in aliam; sed specialis modus tendendi unius actus simplicis volentis unum obiectum propter aliud, medium propter finem, deambulationem propter sanitatem.

21. Huic exemplo enervanti conatus Adversariorum occurrunt acutè nonnulli dicentes, in eo casu, quamvis verum sit, dari Volitionem deambulationis propter sanitatem; non est verum, dari Volitionem deambulationis, quia datur volitio sanitatis, nec Volitionem sanitatis movere ad Volitionem deambulationis: at in Deo verum est, quod vult quia intelligit, & quod cognitio movet, & allicit ad amorem. Video acumen; non verò doctrinam, quæ nobis nocere possit. Falsum imprimis est, in eo casu propter indistinctionem illarum Volitionum non dici verè, datur volitio deambulationis, quia datur volitio sanitatis: quandoquidem sine distinctione animalis rationalis ab homine dicimus verè, in Petro dari hominem, quia datur animal rationale, & è contra: & cum indistinctione amoris ab actu Voluntatis dicimus verè dari actum Voluntatis, quia datur amor, & non è contra. Non igitur oberit indistinctio illarum Volitionum, quominus dicatur verè, dari Volitionem deambulationis, quia datur amor sanitatis. Quemad-

modum enim Natura illius actus est, esse actum Voluntatis, & esse Volitionem; sic etiam Natura ipsius est, esse Volitionem deambulationis, & sanitatis, taliter ut sit volitio illius propter istam, & non è contra.

22. Deinde, si recussent Adversarij, quod in eo casu volitio sanitatis moveat, & allicit ad Volitionem deambulationis, facile in hoc conveniam; dummodo sine conceptu propriæ motionis maneat, quod actus ille vult deambulationem, quia vult sanitatem, & non è contra: sic enim manebit etiam intentum nostrum, quod nempe Deus vult, quia intelligit, & non è contra: & hoc erit dari in actu illo ex modo suo tendendi simplicissimo motionem illam seu allicentiam intellectiois ad Volitionem æquivalenter, & eminentialiter, sicut in Volitione sanitatis ad amorem deambulationis, casu quo identificatur modo dicto: & tenet aptissimè paritas.

## SECTIO II.

### ALIA OBIECTIO PRO distinctione virtuali Intellectionis & Volitionis, ex ratione Verbi, & Filij divini.

23. **O**bjicitur secundò. A parte rei verificantur omnes propositiones istæ: *Intellectus, vel Intellectio Dei est principium Verbi; non verò Voluntas, seu Volitio. Verbum procedit per Intellectum; non per Voluntatem: Spiritus Sanctus per Voluntatem, & non per Intellectum. Verbo ex vi processiois communicatur intellectio; non autem Volitio: Spiritui Sancto Volitio ex vi processiois, & non Intellectio. Pater generat intelligendo, seu Intellectione; non autem Volitione, seu volendo. Quæ omnia unanimes fere Theologorum voce supponuntur ex tract. de Trinitate: ubi videndi Montoya disput. 93. & 94. Arriaga disp. 42. & Borull disp. 7. Igitur de Attributis divinis Intellectus, & Voluntatis, seu de Intellectione, & Volitione Dei verificantur contradictoria. Confirmatur ex alia loquutione SS. PP. dicentium, Filium non esse genitum Voluntate Patris: at certissimum est esse genitum intellectu: ergo in sensu reali verificantur prædicata ex se contradictoria de Attributis Intellectus, & Voluntatis: ac proinde virtualiter distinguuntur, non secus ac Absoluta à Relativis.*

Montoy  
Arriag.  
Borull.

Ut

24. Ut ab hoc ultimo incipiam, observandum venit, multos SS. Patres negantes Filium generari Voluntate, ut de Athanasio, Cyrillo, & alijs convincit Antonius Perez disp. 3. de Trin. cap. 9. in hoc eodem sensu, & quidem reali, negaturos etiam, Spiritum Sanctum spirari Voluntate. Sensus enim illorum planus erat adversus Arium, quod Pater non liberè, & ad suæ Voluntatis arbitrium generat Filium, sicut liberè, & pro libito produxit creaturas: sic autem nec Spiritus Sanctus spiratur, aut procedit Voluntate, hoc est, liberè, quia uterque necessarissimè procedit. Itaque cum absolutè in sensu reali negant Sancti PP. Filium Voluntate generari, volunt dicere non generari liberè. Sicque non adversantur alijs Patribus apud Montoyam disp.

Athan.  
Cyril.  
Perez.

Montoy.  
Quirós.

93. & Quirós disp. 58. pronunciantibus Filium esse per Voluntatem, & à Voluntate, & Patrem Voluntate generare, & Voluntatem esse principium Verbi: quæ loquutiones si nec in sensu reali essent veræ, errassent inexcusabiliter isti Patres. Hos inter numeratur Iulianus Archiepiscopus Toletanus, qui uti refert Loaysa apud Quirós, hanc propositionem: *Filius est ex Voluntate: defecit per litteras, & Legatos à Concilio Toletano missos ad Benedictum Secundum, qui eam approbavit. Et Iacobus Apostolus apud Clementem Romanum lib. 8. Constit. cap. 11. alloquitur Patrem sic: generasti Voluntate, Virtute, & Bonitate immediatè Filium; ut refert ipse Quirós disp. 15. num. 164. Unde est quod Athanasius ait, Verbum esse ex Voluntate Paterna, apud Montoyam, plures alias Patrum loquutiones congerentem disp. 33. sect. 2. & 4.*

Iulian.  
Loaysa.  
Quirós.

Iacob.  
Clem.

Quirós.  
Athan.

Montoy.

25. Ex quibus omnibus in forma ad confirmationem dico cum distinctione, absolutissimè, & realissimè esse veram illam loquutionem maiorem, intelligendo, Filium non esse genitum Voluntate Patris, id est ad liberum Patris arbitrium: at sic nec intellectu genitus est; sed omninò necessariò. Intelligendo tamen id de Voluntate necessarià dico, non esse veram eiusmodi loquutionem in sensu reali, nec in sensu reali probatam à Patribus, ne adversari dicamus loquutioni aliorum Patrum dicentium Filium esse genitum Voluntate, scilicet in sensu reali; sed solum esse veram in sensu formali, quem ex usu Patrum, & Scholasticorum præferunt eiusmodi loquutiones,

Munissa Disput. Scholast.

ut ad objectionem dicemus in sequentibus. Unde concessa minori, nego consequentiam.

26. Iam ergo ad objectionem distinguo antecedens: verificantur omnes illæ propositiones in sensu formali concedo; in sensu reali nego: nam in sensu reali omnes illæ negativæ sunt falsæ, ut constat ex loquutionibus Patrum adductis num. 24. nisi extra rem vsurpetur, procedere Voluntate, seu per Voluntatè, pro liberè. Quod si omnes absolutè admittuntur, ideo est, quia ex usu Patrum, & Scholasticorum vsurpantur in sensu formali. Unde est quod nec ista: *Pater Voluntate generat* concedi; nec ista: *Pater non generat Voluntate*, negari iam possit, nisi abhibita explicatione sensus realis: & cavendo ab alio sensu, quem male sonare possent, Arianorum dicentium Patrem liberè generare, ut sapienter admonet Montoya sect. 2. num. 20. Sic ergo neganda est consequentia.

Montoy.

27. Quoniam ex eo quod in sensu formali verificentur, & admittantur omnes illæ propositiones, non arguitur distinctio virtualis; sed tantummodò distinctio rationis inter Intellectum Dei, & Voluntatem; Intellectionem, & Volitionem. Quemadmodum ex eo quod in sensu formali verificetur, & admittatur in nobis, habentibus utique, ut suppono, potentias realiter identificatas inter se, & cum animâ; quod cognoscimus intellectu, & non Voluntate; amamus verò Voluntate, & non intellectu; non arguitur distinctio virtualis inter istas potentias: creatas: sicut nec inter Misericordiam, & Iustitiam divinas, ex eo quod verificetur, & admittatur in sensu formali: *Deus Iustitiâ punit, & non Misericordiâ: Misericordiâ miseretur, & non Iustitiâ*; dummodò non verificetur in sensu reali.

28. Certè enim in sensu reali nos & intellectu amamus, & Voluntate intelligimus, pariterque Deus Misericordiâ punit, & Iustitiâ miseretur: Pater Voluntate generat, & intellectu spirat: Principium Verbi est Intellectus, & Voluntas; & principium Spiritus Sancti est Voluntas, & Intellectus: Verbum per Voluntatem etiam procedit, & Spiritus per Intellectum: quia uterque realiter procedit per Naturam æquè completentem Intellectum, & Voluntatem: Verbo ex vi processiois communicatur etiam volitio, & Spiritui etiam intellectio: quia utriusque communicatur ex vi

X

pro

processionis eadem adæquata Natura, cum uterque ex vi processionis procedat Persona divina, & idem Deus. Omnia, inquam, hæc vera sunt in sensu reali, semper exprimendo, ne vel vocibus deviemus à verò in re dogmatica. Quia tamen ad placitum, & ex vñ SS. Patrum, & Scholasticorum hæc propositiones invaluerunt in sensu formali; sicut illæ alia intellectus, & Voluntatis nostræ, ex vñ Philosophorum; ideò admittuntur sic absolutè prolatae.

29 Sumptæ autem sic in sensu formali nullam important contradictionem, ac proinde, nec distinctionem virtuales: quia solum est ac si dicant: *Principium Verbi est Intellectus, ut Intellectus est, non ut Voluntas est*: at in eodè sensu verum est, quòd *Principium Verbi, est Voluntas, ut Intellectus est: Pater producit Verbum quatenus intelligens est, non quatenus amans est: Verbum procedit per intellectum quia intellectio est, non quia volitio est*; at in eodem sensu verum est, quòd, *procedit per Volitionem, ut Intellectio est, non ut Volitio est: Filius generatur intellectio ut tali, id est, ut intellectio est*: at in eodem sensu verum est, quòd, *generatur Volitione, ut tali, scilicet ut intellectio est*: & sic de alijs: in quibus nulla intervenit contradictio: sicut nec in eo, quod cognitio in nobis fit ab intellectu, ut Intellectus est, & non ab intellectu, ut Voluntas est, quamvis ab utroque realiter fit: & sicut nec in eo, quòd calor fit à Sole, ut calefactivo, & non ut illuminativo: & lux à Sole, ut illuminativo, & non ut calefactivo: in sensu scilicet formali: quamvis in sensu reali, tam lux, quam calor fit à Sole illuminativo, & calefactivo: & alia huiusmodi, quæ sine distinctione virtuali salvantur ubique; imò, & sine distinctione etiam formali, ex natura rei, ut vidimus *disp. 7. sect. 6.* per solam nimirum distinctionem formalem rationis. Quidquid noviter conetur, oppositum cõtra distinctionem virtuales; & solius rationis pro sua formali. Scoticæ Doctus Fredericus Stumelius *tom. 1. Tract. præliminari. cap. 7. §. 8.* & in antecedentibus; & consequentibus, distans; ac sapienter: & deinceps *tom. 2. contr. 7.* perquam eruditè.

30 Infittebat Secunda Trinitatis Persona in sensu reali, & formali est Verbum, & Filius: & tertia nec in sensu formali, nec reali est Filius: sed si utraque in sensu reali procederet per Intellectum, & Voluntatem, & acciperet Naturam Patris ex vi suæ

processionis formalis, utraque esset Verbum, & Filius, aut certè non superest ratio, cur vna præ alia Filius sit: ergò nec tertia procedit adhuc in sensu reali per intellectum, aut accipit ex vi suæ processionis Intellectionem, aut Naturam Patris; nec secunda procedit in sensu reali per Voluntatem, aut accipit ex vi suæ processionis Volitionem: nec Voluntas, aut volitio est principium radicale Verbi; sed specialiter intellectus; nec intellectus, aut intellectio est principium radicale Spiritus Sancti; sed specialiter Voluntas, seu Volitio. Sicquæ in sensu reali verificantur, & admitti debent prædicata ex se contradictoria in Intellectu, & Voluntate, seu in Intellectione, & Volitione divinis; atque adeo virtualiter distinguuntur.

31 Hæc est tota vis, & Theologorum crux. Dicam sub brevibus pro mea tenuitate quod sentio ex his quæ fusiùs disputantur vtrò citroquæ in *Tract. de Trinitate*. eò præcipuè intentus, ne discrimina ista solidissima, & dogmatica inter secundam, & tertiam Personam à tenuissimis quarundam vocularum filis, aut futilibus formalitatibus, facile pro cuiuscumque arbitratu huc illuc vertibilibus, ut fieri sæpè video, pendula relinquam. Duo in idipsum præstanda sunt: vnum circa rationem Verbi; aliud circa rationem Filij: cur nempe secunda Trinitatis Persona præ Tertia sit Verbum, & Filius, citra virtuales distinctiones intellectiois à Volitione; & Intellectus à Voluntate? Quod pendet à solutione argumenti positi *num. 30.*

32 Respondetur itaque, concessa majori, negando minorem. Non enim est idem omninò; procedere in sensu reali per intellectum, sive ab intellectu, sive per intellectioem, ac esse Verbum: nam in nobis amor, & species impressæ, & multi habitus procedunt, & oriuntur realiter per intellectum, seu ab intellectu, seu ab intellectioem, & tamen verbum non sunt. Unde patet rationem Verbi non esse utcumque procedere per intellectum, seu ab intellectu, seu ab intellectioem; sed aliunde necessario debere sumi; nimirum à tali speciali modo procedendi, qui modus est ipsa processio passiva, seu Relatio secundæ Personæ, quæ ex notione sua est expressio loquutiva; distincta realiter à processione passiva, seu Relatione tertie Personæ, quæ ex notione sua spiratio est, & de genere amoris. Frustra igitur petitur istud discrimen

men ex parte absolutorum, & communium Dei, cum formaliter se teneat ex parte Relativorum, & Notionalium: sicut ratio discriminis cur cognitio nostra potius, quam amor, habitus, aut species impressa, sit Verbum, non est utcumque petenda ex parte principiorum, cum sæpè ab iisdem principijs diversissimi oriantur effectus; sed ex parte ipsorum terminorum, in quorum quidditatibus residet, ac relucet formalis ratio, cur cognitio nostra sit Verbum mentis, & non fiat Verbum mentis species impressa, habitus; nec amor, qui etiam realissimè procedit ab intellectu, utpote cum Voluntate, & Anima realiter identificato.

33 Explicationis gratia utar exemplo notissimo, & appositissimo. Lux materialis, cui, si magna licet componere parvis, comparo secundam Personam, que est *Lumen de lumine*; & calor, cui comparo Tertiam, quæ est *Ignis vivus, & charitas*; procedunt, & oriuntur ab eodem Sole illuminativo simul, & calefactivo: cum discrimine tamen realissimo, non quidem sumpto ex parte Solis, in cuius substantia Virtus illuminativa, & calefactiva idem realiter sunt, citra distinctionem virtuales, ut ex verà Philosophia nunc suppono; sed sumpto potius ex parte terminorum, scilicet lucis, & caloris: ex quorum reali diversitate formaliter est, quòd lux dicatur procedere à Sole, ut illuminativo, & calor ab eodem Sole, ut calefactivo, quia in luce relucet Sol quatenus est Virtus illuminativa, in calore quatenus est Virtus calefactiva: id quod non est distingui realiter, nec virtualiter in Sole eas Virtutes; sed distingui realiter in luce, & in calore modos participandi, & representandi virtutem Solis: qui modi sunt ipsæ quidditates lucis, & caloris cum sola distinctione rationis earum virtutum in Sole. Ad hunc ergo modum discurre licet in materia argumenti nobis oppositi cuius propterea consequentia omninò neganda est.

34 Hæc obiter satis pro reddendâ solidâ ac expedita ratione, cur secunda Persona sit Verbum, & non tertia, sine distinctione plusquam rationis inter Attributa Scientiæ, & Voluntatis Dei. Non tamen hoc sufficit pro ratione, cur secunda sit Filius præ tertia. Quamvis enim id, quod dictum est, sufficiat pro ratione Verbi ad cuius conceptum pertinet constitutivè esse expressionem loquutivam; at non suffi-

cit pro ratione Filij, ad cuius conceptum non pertinet constitutivè esse eiusmodi expressionem: cum in Filij creatis detur vera, & propria Ratio Filij citra eiusmodi loquutionem expressivam. Aliunde ergo ratio ista formalis Filij petenda est, & quidem omninò seorsim ab eò quod Attributa Scientiæ, & Voluntatis virtualiter distinguantur, nec ne: sicut etiam seorsim ab eò quod intellectio præ volitione fit, nec ne, de constitutivo Naturæ divinæ; ut pollicitus sum *disp. 5. sect. 3. à num. 38.*

Supra  
disp. 5.

SECTIO III.  
VERA, ET SOLIDA RATIO  
divina Filiationis seorsim omninò à distinctione virtuali Attributorum Scientiæ, & Voluntatis.

35 SOLIDA mihi, & plana ratio immediata, cur secunda Persona sit Filius, & non Tertia, est: quia secunda procedit per generationem, & tertia non. Ratio autem, cur secunda, & non tertia, procedat per generationem est: quia processio secundæ Personæ est, *origo viventiis à vivente à principio communito in similitudinem Naturæ*: hoc est, *in ulteriorem propagationem naturæ*, seu in similitudinem Naturæ ulterius propagandæ. Hoc autem non habet tertia Persona, nec eius processio, quia tertia Persona non habet nasci ad propagandam ulterius divinam Naturam in aliam quartam Personam.

36 Mens est expressissima Magni Basilij *lib. 5.* contra Eunomium ante medium: ubi ex professo querit: *Si Dei est imago Basilij Filius, Filij verò Spiritus; cur non Filius Filij Spiritus dictus est?* & post alia respondet sic: *Facile namque suspicari erat, quòd si Filius ex Filio natus est, ex hoc alius vñque natus esset; ac rursus alius, & deinceps ad multitudinem progressu facto.*

37 Ubi clarissimè supponit, esse de ratione Filij virtutem propagativam naturæ per productionem alterius suppositi. Non, inquam, alterius Filij, ne & secundæ Personæ ratio Filij denegetur; sed alterius suppositi eiusdem naturæ: sive eiusdem naturæ in specie, ut est in generationibus creatis; sive eiusdem naturæ in numero, ut est in Deo: sive alterius suppositi ulterius propagativi naturæ, ut est in creatis, ubi Filij procedunt ad ulteriores Filios progignendos ex instituto naturæ, & generationis; sive

Supra  
disp. 7.

Stumel.

alterius suppositi non ulterius propagativi naturæ, ut est in Deo, ubi Filius procedit ita terminus adæquatus divinæ Paternitatis, ut non procedat ad ulteriores Filios progignendos: quamvis procedat ad propagandam naturam Patris, & suam in aliam Personam, nempe in Spiritum Sanctum sibi & Patri cœqualem, & consubstantialem. Qui sicut non est Pater, quia non generat; sic nec est Filius, quia non generatur. Non autem generatur, quia ubi deficit ratio propagandi deinceps naturam, deficit ratio generationis, ut potest ad id instituta, ut natura deinceps propagetur, prout in generationibus creatis videmus, quarum finis est perpetuatio naturæ.

Arist.  
Conimbr.

38 Id quod docuit Aristoteles 2. de Ani. cap. 4. ubi doctissimi Conimbricenses interpretantur: *perpetuitatem esse finem quo viventium: id est, quem unumquodque vivens per generationem assequi contendit.* Similiter exponunt ibidem Aristotelem Cardinalis Toletus, & Rubius: & quod caput est, S. Tho. lib. 2. de Ani. lect. 7. per hæc appositisima verba: *Sic igitur per id potest dici, quod ipsum esse perpetuum est id, cuius causa agitur; vel res habens perpetuitatem, cui naturalia intendunt assimilari per generationem, in quo scilicet est perpetuitas; vel etiam ipsa generatio, quæ perpetuitatem adipiscuntur.* Discriminant igitur unanimiter cum Philosopho in viventibus creatis virtutem nutritivam à generativa, in eo quod illa sit ad conservandam in numero naturam; ista verò in specie usque ad perpetuationem, si aliunde hoc non impediatur. Quo perpetuitatis vocabulo, satis innuitur, in Filio, qui est terminus generationis, debere continuari virtutem ulterius propagativam naturæ, ut veram subeat rationem Filij, & eius productio rationem generationis.

Tolet.  
Rub.

39 Hæc fuit mens ipsissima Magni Basilij per illa verba: *& rursus alius, & deinceps ad multitudinem:* scilicet per propagationem Filiorum ex Filijs, nisi sistatur in aliquo non deinceps propagativo, in quo propterea deficit ratio Filij, ut est Spiritus Sanctus. Quamvis ex ipsis Basilij verbis in Spiritu Sancto non deficiat ratio imaginis: nec certè similitudinis in Natura: & hoc quidem vi, & ex fine suæ processiois. Imperceptibile namque mihi prorsus est, quod processio Spiritus Sancti, in quocumque illa consistat, non in id formalissimè tendat, ut producat Personam verè

Deum eiusdem naturæ cum Patre, & Filio: ac proinde, quod Spiritus Sanctus non procedat in similitudinem naturæ sui principij à quo procedit: & hoc quidem ex vi formalis suæ processiois: cum ex vi processiois habeat quidquid habet, sive productum, sive communicatum.

40 Huc facit mirificè planissimus etiã sensus Concilij Florentini *sessione 25.* in Declaratione Bessarionis ante medium: ubi Latini Patres, ut firmarent quod Spiritus à Patre, Filioque procedit; discurrunt sic: *nam credentes, Spiritum à Filio nequaquam procedere, necesse est ut intelligant, Spiritum à solo Patre procedere, & consequenter non esse Filium.* Quæ postrema verba referri non possunt ad Patrem, nec ad Spiritum Sanctum, quia eos non esse Filium, non potuit deduci tanquam consequens absurdum: sed ad ipsum Filium, qui consequenter non esset Filius, atque aded non daretur Filius in divinis, quod est falsum, & absurdum, si ab eo Spiritus non procederet. Igitur planus Latinorum Patrum in Concilio sensus erat, rationem Filij niti in eo, quod à Filio propagetur natura in Spiritum Sanctum: & eodem consequentiæ tenore, Spiritum non esse Filium, quia deficit in eo illa ratio propagandi deinceps naturam in aliud suppositum.

Concil.  
Florent.

41 Nec dixeris, perinde non signari rationem formalem Filij, sed de consequenti, & quasi de materiali id inferri. Hæc enim est interpretatio nimis voluntaria: præsertim ubi Patres Concilij disputativè, doctrinaliter, & scholasticè procedunt: nec inferunt, *consequenter non esse Patrem, sed non esse Filium:* ergo quia Spiritum à Filio procedere pertinet ad rationem formalem essendi Filium: materialiter enim, nec Filius, nec Pater darentur, si Spiritus à Filio non procederet: siquidem de necessitate utriusque est, quod Spiritus à Filio procedat.

42 Scio, in noviori editione non omnino legi, sicut retulimus, ea Concilij verba, s. *Quoniam Græci;* sed aliter hunc in modum: *ne paulatim ij, qui affirmant Filium non esse causam (vox fuit tunc Græcis permessa) Spiritus, laborerentur in dogma, (puta Arij) tempus constituentes inter Patrem, & Filium: etenim qui negant, Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere, profectò manifestè declarant, quod ex solo Patre: si verò ex solo Patre, fuit ergo quando non erat Filius.*

Cz-

43 Cæterum prior lectio sensum habet perspicuum, ac dilucidum; posterior verò, si in priorem non recidat, subobscurum, & inconcinnum. Recidit tamen in priorem, quatenus concludit, quod fuisset Spiritus, quando non erat Filius, si à Filio non procederet: quia nempe Filius non esset, si suam, & Patris naturam in Spiritum non propagaret: quod est requiri ad rationem Filij virtutè deinceps propagativam naturæ in aliud suppositum, ut aiebat Basilius, identidem in hoc puncto processiois Spiritus Sancti à Patre, & Filio laudatis à Patribus Florentinis. Ut citra dubium sit, mentem Basilij & Patrum Florentinorum eam fuisse, quod de conceptu Filij sit nasci à principio coniuncto cum virtute propagandi ulterius naturam: quæ virtute cum careat Spiritus Sanctus, ideò Filius non est, nec eius processio est generatio.

44 Per hæc in definitione Aristotelicæ generationis, particula illa: *in similitudinem naturæ;* intelligenda est in propagationem naturæ, modo explicato. Et sic intellexisse Aristotelem facile crediderim ex ipsius doctrinâ num. 38. exposi. à citè à Doctissimis Conimbricensibus. Quod si forte sic non intellexit, aut non expressit, mirandum non est: quandoquidem differens de generatione viventium, æternam Verbi Generationem, quæ præcipua generationum est, & processioem Spiritus Sancti, vivētis à viventis à principio coniunctissimo, & simillimo, quæ tamen generatio non est, prorsus ignoravit: pro quarum discrimine ipse non laboravit, & nos laboramus: ut in hoc etiam nobis liceat ingeminare, quod *Fides Philosophos nos fecit.*

45 Non quod tanto studio sit nobis opus ad applicandam processioem Verbi definitionem generationis, quod facile est; quanto ad removendam eam à processioem Spiritus Sancti, quod fuit semper perdifficile: & me iudice, per sententias communiores, nec mediocriter præstitum, nec præstandum, nisi per discrimen solidissimum nuper expositum. Nam quamvis aliæ sententiæ multa subtiliter excogitaverint pro ratione Filij in Verbo, non ita recepta in Spiritu Sancto; nihil tamen solidè dicunt, quominus Spiritus Sanctus non sit verè Filius, æquè ac Filij alij creati, qui per intellectionem minimè procedunt. Quapropter ad solidum nostrum discrimen recurrendum est, seorsim à formaliori vi pro-

cessioem, & à constitutivo metaphysico Naturæ divinæ, & à distinctione, vel indistinctione virtuali Attributorum Scientiæ, & Voluntatis Dei: pro qua distinctione nullum proinde sit argumentum ex ratione Filij in secunda Persona præ tertiâ.

Richard.

46 Huius quoque mentis in rei substantia fuere Richardus Victorinus, Alexander Alensis, S. Bonaventura, & Maior apud Montoyam *disp. 8. sect. 1.* & ex nostris Zuñiga *q. 27. d. sp. 2. dub. 20. mem. 9.* & Martinon *disp. 24. de Trin.* & in Manuscriptis Hurtadus Salmanticensis, & duo præclari Magistri huius nostri Collegij: alter P. Magius Pagesius Antecessor; alter P. Gualdericus Rio; successor meus in primaria Cathedra longè doctissimi: quos alij etiam eximie notæ Theologi sequuntur. A quorum modis hanc rem explicandi si fortè discedo; ided est, ut expeditioribus mihi terminis veritas ista elucidetur. Mca enim explicatio nomen Naturæ relinquit in sua communi significatione pro constitutivo absoluto Dei, nec curat potius de fecunditate radicali, quàm de formali: eo nimirum contenta, quod Verbo à Patre nascenti insit; Spiritui autem Sancto ab utroque procedenti desit intrinseca vis propagativa deinceps naturæ suæ, sui que principij ad aliam Personam, à se, ut à principio coniuncto realiter procedentem.

Bonav.  
Maior.  
Zuñig.  
Pages.  
Hurtad.  
Martin.  
P. Gual.  
Rio.

47 Non equidem quod negem, requiri ad generationem similitudinem in natura, saltem specificam ex intèctione generantis, quamvis ex accidentibus, seu ex alijs comprincipijs degeneret interdum generatio in terminum alterius speciei quoad naturam, ut notatur communiter in generatione muli ex equo, & asinæ; sed quia id non sufficit, & requiritur ulterius, quod terminus sit propagativus etiam naturæ ad aliud suppositum.

48 At casu, inquis, vel possibili, vel impossibili, quo ab homine, ut à principio coniuncto, procederet vitaliter alter homo alioquin similis in natura, & nullam prorsus haberet intrinsecā fecunditatē, seu vim propagativam, aut productivam deinceps alterius hominis; certè talis homo sic procedens, esset Filius, eiusque processio esset generatio, eo saltem modo, quo de factò mulus omnino infœcundus, & nullatenus propagativus suæ speciei, est Filius equi, & asinæ, eiusque processio est generatio: aut rogo quid tunc esset? Atqui in eo casu talis

ho-



homo non procederet in ulteriorem propagationem naturæ: frustra igitur requiritur ad rationem Filij, & generationis eiusmodi virtus propagativa in termino producto. Respondetur, optimè negari maiorem à Zuñiga membr. 15. num. 2. sicut & optimè concedi ab eodem Zuñiga membr. 13. num. 4. cum S. B. filio, Spiritu n. Sanctum fore Filium casu per impossibile, quòd ad quartam Personam propagaret divinam Naturam.

49 Nec verum est id quod ibi supponitur de mulo, scilicet carere virtute intrinsecà propagativà: illam enim habet intrinsecè: cum ex veris historijs contet, mulos aliquando alicubi genuisse, ut ex Theophrasto referunt idem Zuñiga membr. 11. & Vasquez 1. p. disp. 113. cap. 1. & in Peruvio compertum esse, mulas quandoque peperisse, testatur Avendannus tom. 1. sect. 17. probl. 8. num. 169. Quòd autem alicubi, & semper non generent, non est ex defectu virtutis substantialis intrinsecæ; sed ex circumstantijs extrinsecis. Profectò Simiæ, & Pfitaci non carent intrinsecà fecunditate ad propagandam speciem, quamvis in Europa non prolifcent ob extrinsecam scilicet intemperiem respectu ipsorum ad prolificandam.

50 Ad interrogationem, quid tunc esset ille homo sic procreatus? & quid eiusmodi procreatio? dico, nondum habere speciale vocabulum, quia ad nihil necesse, aut utile fuit, illud imponere: quando autem foret opus, speciale vocabulum non deesset, sicut non defuit Scholasticis vox congrua ad cognominandam processionem Spiritus Sancti. Mihi sufficit, quòd nec ille homo, sic tunc ab homine productus, esset Filius, nec eius productio esset generatio. Quid tunc esset, ipse cogita, si tua interest. Avendannus cit. disertè ait, si mulus, aut aliud vivens ab alio productus esset omninò intrinsecè infœcundus, nec ipsum fore Filium, nec eius productionem fore generationem: quamvis sic vocetur, fortè quia nomen Filij impositum illis fuit antequam eonstaret de ipsorum infœcunditate, & postea retentum ex usu. Sic ergo negatà maiori, & concessa minori, falsa est consequentia.

51 Demùm obijciat aliquis Augustinianum illud ex lib. 6. & 7. de Trin. cap. 2. de secunda Persona: *Eo Verbum quo Filius, & eo Filius quo Verbum.* Nostra siquidem explicatio alià prorsus vià ratio-

nem Verbi, & alià rationem Filij adinvenit. Respondetur enim, nec in mentem Augustini, nec vllius Theologi, aut Philosophi venire inquam potuisse, rationem formalem Filij esse utcumque rationem formalem Verbi, aut è contra: cum scorsim prorsus à ratione Verbi agnoscamus Filios, & scorsim à ratione Filij agnoscamus verba in creatis. Ad summum significare potuit Augustinus, in divinis rationes Verbi, & Filij non esse omninò inconexas, & disparatas; sed mutuò sibi congruentes: quòd est verissimè, etiam iuxta nostram Filij, & Verbi explicationem.

52 Cùm enim in substantijs intellectivis emineant duæ operationes vitales intentionales, una prior naturà, vel origine, de genere intellectivo, quæ est Verbum, seu loquutio; alia verò posterior de genere volitivo, quæ est affectus, vel amor; & illa prior producat, aut inferat istam posteriorem, ultra quam non superest operatio vitalis alterius generis, quæ producatur; inde per congruentissimam analogiam sublati imperfectionibus arguitur, quòd secunda Trinitatis Persona, quæ ex ratione Verbi habet esse expressionem loquutivam de genere intellectivo, & ex ratione suæ infinitudinis habet esse Verbum substantiale, & consubstantiale Patris per illud loquentis, sit deinceps productiva ulterioris termini etiam consubstantialis, qui est tertia Persona de genere volitivo: & non sit tertia Persona ad similem alium terminum. Unde est, quòd secunda, quæ est Verbum, nascatur ad propagandam deinceps naturam, & non tertia, quæ est Spiritus Sanctus: & consequenter, quòd secunda præ tertiã habeat rationem, & nomen Filij. Sicque non impertinenter, & inconterè, sed valde congruenter se habent in Verbo ratio Verbi, & ratio Filij, adhuc iuxta nostram explicationem: quo satis abundè fit proloquio Augustiniano.

53 Et hæc quoque nobis satis de hoc pũcto, quasi per transennam, ut pateat nullum ex his fieri argumentum speciale pro distinctione virtuali inter Attributa Scientiæ, & Voluntatis, aut intellectiois, & volitionis præ alijs Attributis  
DEI,

SECTIO

## SECTIO IV.

QUOMODO SCIENTIÆ,  
& Volitiones Dei, Libera, seu contingentes, distinguantur inter se.

54 **D**ixi, libera, seu contingentes, propter discrimen actuum Dei Deo electivè liberorum, ut sunt divina decreta, & actus Scientiæ visionis illis subnixæ; ab actib⁹ Dei, Deo quidem æquè cõiungẽtib⁹, ac sunt contingentes actus liberis; purè tamen contingentibus: quia Deo non sunt electivè liberi, utpote non subnixi decreto libero existenti in Deo: ut sunt actus Scientiæ Mediæ: quæ scilicet non est Deo electivè libera, quamvis sit Deo contingens, respectivè scilicet ad veritates conditionatas contingentes actuum liberorum, quas conditionatè attingunt.

55 Quod intellige cum duplici limitatione. Una, in Scientia Visionis: aliquam scilicet dari Scientiam Visionis Deo contingentem, non tamen Deo electivè liberam, utpote nulli subnixam decreto absolute existenti: qualis est Scientia Visionis, quæ videt Deus, hanc suam Scientiam Mediam existere. Alia, in Scientia Mediæ: aliquam scilicet dari Scientiam Mediam non purè contingentem, sed Deo aliquomodo electivè liberam: utpote, quæ quamvis non subnitatur decreto absolute existenti in Deo; habet tamen pro obiecto affirmato, vel negato, aliquod decretum liberum Dei: qualis est Scientia Media, quæ seit Deus, quòd si alius mundus crearetur, decreturus esset tot homines ex illo salvandos. Hæc enim Scientia, & aliæ similes, sic habentes pro obiecto libitum divinæ Voluntatis, dici possunt Deo libera: ad eum saltem modum, quo Scientia aliqua Media Deo purè contingens, habensque pro obiecto libitum nostræ Voluntatis, dicitur nobis libera.

56 Pro præsentibus difficultatibus supponenda nobis est doctrina verissima, & communissima de cõstitutione actuum liberorum, seu contingentium Dei: tam Scientiæ, quam Voluntatis, per prædicatum adæquatè increatum, Deoque adæquatè intrinsecum, & nullatenus per extrinsecum creatum, aut creabile, ad quod terminantur. Quæ doctrinà supposità ex Tract. de Voluntate Dei, controvertimus

in præsentibus quinque puncta. Primò, an decreta libera Dei actu existentia in Deo circa diversa obiecta distinguantur virtualiter inter se. Secundò, an à decretis actu non existentibus. Tertio, an à Scientia Dei libera. Quarto, an Scientia Dei libera à purè contingenti. Quintò, an Scientiæ Dei libera inter se, & purè contingentes inter se.

57 Communissima nostratum Recentiorum opinio ad omnia hæc respondere solet affirmativè: fortè sine debito examine, & non tam probando, quam supponendo, ut de Decretis supponitur potius, quam probatur à Coninc disput. 4. de Incar. num. 136. Meum sensum aperiam de singulis scorsim per varias conclusiones.

58 Prima conclusio. Decreta actu existentia in Deo, seu volitiones liberæ Dei, etiam quoad denominationem sumptæ, non distinguuntur virtualiter inter se invicem; adhuc dato, quòd à necessarijs Dei virtualiter distinguerentur. Quinimò unico simplicissimo, & indivisibili ductu sunt in Deo: ita videlicet, ut nec esse, nec denominare Deum taliter volentem possit vnum sine alio. Sic post Sapientissimum Molina Scholæ nostræ Iesuiticæ Antesignanum 1. p. q. 23. art. 4. disp. 1. membr. 13. tenuerunt mirabilis Anton. Perez disp. 6. de Volunt. cap. 6. P. Esparza q. 15. de Incar. & lib. 1. de Deo, q. 22. & 27. & luculentissimè P. Borrull disp. 16. de Volunt. sect. 3. & primores alij Magistri, tum Romæ, tum in hac nostra Provincia laudatissimi: à quibus non discrepat Granadus citatus à Salazar cap. 9. de Conceptione, num. 36. Sequiturque cursim Magister Lumbier q. 14. de Incar. art. 1. à num. 706. & magis ex professo P. Franciscus Garau tom. 1. Deipara elucidata Principio 12. sect. 1. §. 1.

59 Ratio est quam iam tetigit Molina, & expendit luculentius doctissimus Esparza in hunc modum. Quo quis est mente capacior, & sublimior, eò plura valet vno ductu comprehendere, tam intellectu, quàm Voluntate: divisim enim, & quasi per partes agere, non nisi ex imperfectione physica, vel morali venit. Hinc angeli, quo perfectiores sunt, eò vniuersalioribus vrantur speciebus, & simpliciori intuitu plura vident, ut ex Angelico 1. p. q. 55. art. 3. docet Eximius Doctor lib. 2. de Angelis, cap. 15. Homines verò, quo tardiores sunt, aut inconstantiores, eò sunt morosiores in resolu-

ven-

Zuñig.

Zuñig. Vasq.

Avend.

Avend.

August.

Coninc.

Molin.

Perez.

Esparza.

Borrull.

Granad.

Salaz.

Lumb.

Garau.

S. Tho.

Suar.

vendo, & cunctantius procedunt, expectantes novas notitias agendorum.

60 Da Præ ipem, quæ in initio sui regiminis cuncta novisset, quæ possunt, & quæ non possunt evenire, quæ eventura sint sub qualibet hypothese, cuius positio, vel non positio sui est arbitrij: certus etiam se omnia hæc ita comprehendere, ut nihil supervenire possit, quod ipse non præciserit, & nullius notitiam rei, quam sub omni hypothese excogitabili non præhabuerit. Certè Princeps sic vndequaque instructus vno actu, & iestū deliberare posset circa omnia agenda, vel non agenda, hoc vel illo modo ordinanda, vel non ordinanda, permittenda, vel non permittenda, sic vel sic volens, aut nolens ab initio: alioquin indicaret, aut levitarem animi, aut indigentiam novæ indaginis, aut limitationem virtutis ad tot simul disponenda, aut certè cunctationem, & morositatem in modo volendi, & nolendi.

61 Atqui sic se habet Deus, Princeps infinitissime capacitatis: qui uti *semel loquutus est*, semel cuncta resolvit, ac decrevit multo perfectius, quomodo nostrum sit excogitare: ergo aliter se gessisse tribueretur, aut defectui notitiarum, aut imbecillitati virtutis, aut levitati animi, aut minori simplicitati, vel saltem indistinctioni suarum volitionum, aut morosiori, quam par est, cunctationi in deliberando. Quæ cum omnia repugnent infinitissime suæ menti, essentialiter dicenti unitatem excogitabiliæ maximam, sequitur, non posse aliter à Deo id peragi, ut expendit optimè laudatus super Borrull: rectè inde inferens *n. 32.* nullum esse Deo possibile exercitium Voluntatis suæ, quod simul indivisibiliter, etiam virtualiter, non feratur in omnia, alia volendo, alia nolendo, alia permittendo, alia sic ordinando, alia verò sic, ex proprio modo tendendi essentialissimo, & prorsus indivisibili.

62 Quæadmodum ergo Deus perfectissimè liber, non est liber nisi velle æternum, & ad nolle æternum; nam alium modum volendi, aut nolendi, non patitur divina immutabilitas; ita non est liber nisi ad volendum, vel nolendum vno ductu universalissimè, & unicissimè attingente omnia simul, & indivisim, quæ voliturus; aut noliturus est; per unicum scilicet indivisibile decretum vno ductu volens omnia volenda, & nolens omnia nolenda: nam alium modum volendi, aut nolendi cunctabundum, & per partes virtuales, non patitur

divinæ Voluntatis sublimitas, nec summa mentis incomprehensibilis supercomprehensio.

63 Iuvat exemplum de necessarijs ipsius Dei. Cuius scientia necessaria ita fertur vno ductu indivisibili in omnes veritates necessarias, sive inter se mutuo connexas, sive inconnexas, ut eius scientiæ actus solum ratione nostra distinguantur, non autem virtualiter inter se: imò nec à volitionibus necessarijs, ut evicimus *disp. 7. sect. 11.* loquendo de varijs eminentijs Attributorum in genere, & loquendo specialiter de Attributis Scientiæ, & Voluntatis, in hac *disp. 8. sect. 1.* & idem est de volitionibus necessarijs. Cur ergo hæc perfectissima indivisibilitas non tribuatur etiam vnico decreto, & volitioni liberæ Dei circa omnia volibilia, & nolibilia libere à Deo? cum aliunde nihil sit quo cogamur ad eam multipliciter virtuales.

64 Hinc resumo formam arguendi mihi in his Disputationibus familiarem, & gratam quoque P. Borrull *num. 27.* Distinctio, seu multiplicitas virtualis admittenda in Deo non est sine vrgentissimo, & inevitabili fundamento: tale autem nullum est, ut admittatur in divinis Decretis, aut Volitionibus liberis actu existentibus in Deo; cum de illis nulla contradictoria verificentur: ergo in ijs admittenda non est. Minor probatur: nam imprimis non est ad id sufficiens fundamentum, quòd Deus aliqua velit ratione aliorum, aut quia vult alia, ut vidimus *sect. 1.* ostensa ratione, qua similia verè dicuntur sine distinctione, aut prioritate virtuali de Scientia, & Volitione Dei.

65 Deinde quia, si speciale aliud fundamentum valeret pro Decretis, & Volitionibus liberis, maxime quia Deus, aliquibus illorum retentis, posset alia non habere quo ad denominationem v. g. Decretum condendi hos cælos sine decreto permittendi hoc singulare peccatum Petri: at hoc falsum est: nam si defecisset in Deo quoad denominationem hoc decretum de facto existens permittendi hoc singulare peccatum Petri, eo ipso deficeret etiam quoad denominationem hoc decretum de facto existens condendi hos cælos, quod simul indivisim est permittendi hoc singulare peccatum Petri: quamvis posset tunc esse decretum aliquod condendi hos cælos, quod esset simul decretum non permittendi hoc singulare peccatum Petri: adhuc igitur data distinctione virtuali inter libe-

ra, & necessaria, quam tamen negabo *sect. sequent.* unde hæc prima nostra conclusio à fortiori robor accipiet; neganda est eiusmodi distinctio inter decreta libera: eum inter hæc verificari nequeat ea defectibilitas vnus, manente alio quo ad denominationem, eo vel modo quo verificari dicitur inter libera, & necessaria, quando de liberis dicitur deficere posse quo ad denominationem, non sic potentibus deficere necessarijs: in quo tamen nihil affirmo nisi iuxta explicationem, & modificationem adhibendam *sect. seq.*

66 Obijcies. Inter obiecta à Deo decernibilia sunt multa invicem inconnexa, & separabilia, ut existentia horum cæorum, Adami, Christi, Beatæ Mariæ, Angelorum, & Arborum: sed eiusmodi obiecta nequeunt efficaciter decerni, nisi per plura decreta virtualiter saltem separabilia: ergo negari nequit virtualis separabilitas, ac proinde distinctio inter decreta actu existentia in Deo. Probatur minor: quia quodlibet decretum intrinsecè efficax connectitur essentialiter cum positione sui obiecti prout ab ipso decernitur: ergo quando ex obiectis potest vnū esse sine alio, ut hi cæli sine Adamo, Adamus sine Christo, Christus sine Maria, & omnia hæc sine Angelis, & Arboribus; necesse est, decretum vnus posse esse sine decreto alterius, ac proinde non posse ea omnia decerni nisi per decreta virtualiter saltem, & quoad denominationem separabilia. Confirmatur, Christus existens liber ad moriendum, fuit liber & indifferens, ut nos redimeret, & repararet nos potius quam Angelos: ergo Decretum Dei de existentia Christi fuit etiam similiter indifferens; ut cum eo decerneretur, vel non decerneretur nostra redemptio: sed non fuit indifferens ad se ipsum: ergo decretum de existentia, & meritis Christi debet esse diversum, & separabile à decreto de nostrâ redemptione. Probatur 1. consequentia: quia decretum de nostrâ redemptione, ita connectitur cum illa, ut eam non extitit illud numquam extitisset: ergo si existentia Christi, eiusque meritum, eorumque decretum est indifferens ad existentiam nostræ redemptionis, est similiter indifferens ad existentiam decreti de redemptione. Similia sibi obijcit, & solvit optimè Borrull: ex quorum solutione, & ex ijs quæ tradidi *sect. 1.* pro indistinctione virtuali Scientiæ, & Volitionis necessariæ Dei; facilis etiam fiet solutio ad alia, quæ ad varios Theologiæ Tractatus remitto.

67 Respondetur, concessa maiori, negando minorem. Ad probationem, concessio antecedente, distinguo consequens: quando ex obiectis potest esse vnum sine alio, necesse est decretum aliquod possibile vnus posse esse sine decreto nunc existente alterius concedo: necesse est, decretum, quod nunc est vnus, posse esse sine decreto nunc etiam existente alterius: nego consequentiam, & subillationem. Nam separabilitas obiectorum solum arguit, posse dari decretum aliquod decernens vnum, quin decerneret aliud; non verò arguit, non posse dari, aut actu non dari, vnum decretum simul, & indivisibiliter decernens vtrumque: quod quidem decretum circa neutrum extitisset si circa alterum defecisset: posset tamen pro alio casu dari aliud decretum volens vnū, & nolens aliud ex illis obiectis.

68 Explico innegabiliter. Potest vnus actus noster tangere plura intrinsecè inconnexa, ut contritio amans Deum, simulque detestans tria peccata separabilia: fatemur, dari posse detestationem peccatorum, non dato amore Dei, & detestationem vnus peccati, non data detestatione alterius: at non esset hæc detestatio, simul detestans tria peccata, & amans Deum, cuius quidem individua detestationis nihil prorsus tunc maneret; sed esset alia detestatio non se extendens ad tria peccata, aut non amans Deum. Et in ipsa obiectionis materia videre est: nam ea obiecta, & alia similiter inconnexa, & separabilia, possumus nos velle per multas volitiones etiam inconnexas, & vnum post alium; hoc tamen non tollit, quominus vno actu indivisibiliter possumus etiam velle simul ea omnia. Sic autem dicimus fecisse Deum; & addimus, suæ infinitæ perfectionis esse non posse se gerere aliter, nisi vno Decreto indivisibiliter omnia decernente, quæ decernenda sunt, & simul nolente decernere, quæ decernenda non sunt.

69 Ad confirmationem, distinguo antecedens: Christus existens, & liber ad moriendum, fuit liber, & indifferens ut nos redimeret, vel non redimeret; coniungendo non redemptionem cum Decreto nunc existente de Christo, nego: nam decretum nunc existens de Christo, & de eius meritis, cum simul ac indivisibiliter sit decretum redemptionis humanæ, connectitur cum redemptione, non secus ac cum existentia, & libertate Christi: evitando, seu impediendo ne existeret hoc Decretum de facto existens, concedo: non enim existeret, sicut

nunc, hoc decretum, si Christus non esset nos redempturus, & nisi præcessisset in Deo Scientia media nostræ redemptionis sub hypothese existentia, & libertatis Christi. Eadem igitur libertate, qua potuit Christus non redimere nos, potuit impedire, non quidem omne decretum existentia suæ; bene verò hoc decretum actu existens simul indivisibiliter volens existentiam, & libertatē Christi, & redemptionem nostram. De hoc ergo decreto, nego consequentiam: licet possibile fuerit aliud decretum decernens Christi existentiam, & libertatem, & nolens redemptionem nostram.

70 Hinc, concessa minori subiuncta, nego secundam consequentiam de decreto, quod nunc est, utpote simul, & indivisibiliter attingente omnia, quæ de facto decrevit Deus. Ad probationem primæ consequentiæ, concessa antecedente, nego consequentiam de decreto existentia, & libertatis Christi, quod nunc est, utpote indivisibiliter connexo cum Christi existentia, & libertate, & cum redēptione nostrā: quia omnia hæc, quamvis inter se inconnexa, æquē essentialiter vult: quamvis possibile sit aliud decretū volens vnum istos obiectorum, simulq; nolens alterum.

71 Obijcies secundo. Sunt, aut saltem non est cur negetur esse posse in Deo, decreta præcisiua: talia nimirum, quorum vnum, exempli gratiā, decernat existentiam Petri, nec positivē inducens, nec positivē excludens existentiam Bucephali, aut secundi mundi: & aliud ē contra: En igitur plura simul in Deo decreta inconnexa, & virtualiter separabilia quoad denominationem, quam actu habent. Similiter dici possit de decretis disjunctivis: qualis fuisse videtur Dei voluntas, quā iubebat, efferri sibi par turturum, aut duos pullos columbarum: distinguendo scilicet, seu præsciendū inter utrumque: siquidem per alterutrum adimplebatur Dei lex.

72 Respondetur, negando antecedens: utpote repugnans perfectioni cuiuslibet voluntatis divinæ, non potentis adhuc virtualiter habere se circa rem vllam purē omniivē. Nec iuvat, quod existentia Petri, nec inducat, nec excludat positivē Bucephalum, aut secundum mundum: quamvis enim hæc res non connectantur, nec sibi repugnent ex se; est tamen ē perfectione Dei, quod si exitura sint, indivisibili decreto decernantur; si verò vna exitura sit, & non altera, eodem etiā decreto indivi-

sibili vna decernatur, & altera excludatur per positivam volitionem illam non decernendi. Sic quamvis nec Petrus, nec Bucephalus petat existere ab æterno; ē perfectione tamen Dei est, esse Deo impossibile alterutrum, seu utrumque, seu neutrum decernere, nisi ab æterno id volendo, aut nolendo.

73 Ad illud de disjunctivis sio, æquivalere conditionis: nam vellet, ut fiat hoc, vel illud, perinde est, ac velle, ut fiat hoc si non sit illud, aut ē contra. Sed quoquomodo id sit, non oppugnat præsentem conclusionem nostram, dummodò modus ille volendi disjunctivus sit indivisibiliter idem cum modo volendi determinatē alia obiecta, & cum modo nolendi determinatē alia. Nec est ad rem illud de præcepto disjunctivo: aliud enim est volitio, seu decretum disjunctivum: aliud est præceptum obligans disjunctivē: nam præcipere non est præcisē velle obiectum: nec est idem Deum decernere, & præcipere: multa enim absolutē præcepit Deus, quæ non decrevit absolutē, ut per se clarum est.

74 Speciales aliæ difficultates contra hanc divini decreti indivisibilitatem exponuntur in specialibus locis. Aliquas remitto ad disp. 5. de Incarnatione: ubi de his suis.

75 Illud hic non prætermittam, quod miratus doctissimus Elparza in aliquibus, & in se ipso, dum iunior esset, nimiam aviditatem plurificandi virtualiter actus divinos priores, & posteriores, & disponendi ex illis ē proprio cerebro prolixas series signorum naturæ virtualiter distinctorum, quibus ait obscurari potius, quam illustrari Mystra Fidei, & formari sinistros conceptus de actibus divinis; subiungit ingenue: quod ego præloquor poenitentia tactus: peccavi enim, & ipse per plures lecturas annos vacua, & inani eiusmodi partitionum, & signorum suggestionem: quā me, & Scholares meos implicui cum iactura temporis, & cum existimatione illegitima de modo operandi divino. Amo, & laudo ingenium Viri præstantis ingenium.

76 Secunda conclusio. A decretis actu existentibus in Deo quoad denominationem, non distinguuntur virtualiter decreta Dei actu non existentia. Ratio est eadem, quam pro indistinctione virtuali liberorum à necessarijs ponemus *sect. seq.* Quia nempe nulla contradictoria in illis verificantur, ut ibi expendemus.

Illud

77 Illud probare non possum in Patre Borrull. Borrull, quod ait *disp. 8. de Volunt. nu. 88.* decretum existens in Deo distingui non solum virtualiter, quin etiam realiter ab aliquo alio decreto non existente, possibili tamen in Deo. Certē enim, cum nobiscum supponat doctissimus hic Author, omnia Dei decreta esse Deo adæquatē intrinseca, & cum Deo realiter adæquatē identificata; dicere, Deum posse habere decretum, quod actu non habet, realiter distinctum ab aliquo suo decreto, quod actu habet, est dicere, Deum physicē, & adæquatē sumptum pro omni eo quod realiter Deus est, posse non esse physicē adæquatē realiter eundem omnino Deum, qui nunc est: siquidem in casu illo possibili Deus esset decretum realiter distinctum à decreto, quod nunc Deus est. Absit.

78 Tertia conclusio. Volitio Dei libera nō distinguitur virtualiter à scientia Dei libera: scilicet decreta Dei à Scientia Visionis rerum decretarum. Sic etiam Antonius Perez varijs in locis. Et ratio est eadem: quia de eiusmodi decretis, & de Scientia Visionis rerum decretarum nulla verificantur alioqui cōtradictoria: nec aliunde est talis distinctionis necessitas, sine qua ad talis distinctionis Mystrum recurandum non est. Favetque paritas necessariorum: quia ut vidimus *sect. 1.* Scientia Dei necessaria non distinguitur virtualiter à volitione necessaria: ergo nec libera à liberā.

79 Dices: iuxta comunem Scholæ nostræ sensum, & loquutionem, Deus videt res esse futuras, seu existentes, quia liberē decrevit ut existerent; non autem ideo eas sic decrevit, quia sic eas vidit: ergo datur causalitas, seu præcedentia virtualis, ac proinde virtualis distinctio in decretis liberis Dei ad Scientiam liberam Visionis rerum decretarum. Respondetur, concessa antecedente, negando consequentiam: nam sicut vidimus *sect. 1.* rectē salvari in Scientijs, & Volitionibus necessarijs Dei, quod Deus se amat, quia se cognoscit; & in actu simplici nostro, volente deambulationem propter sanitatem, quod vult deambulationem, quia vult sanitatem, & non ē contra, absque prioritate, causalitate, & distinctione virtuali per specialem modum realem formalem essendi, & tendendi talium actuū simplicissimorum; sic nūc vice versā discurrere licet, quod in Scientia Visionis Deo liberā, & in decreto, salvatur similiter, Deum videre res futuras, & existen-

tes, quia illas sic decrevit pro suo libito; absque virtuali tamen causalitate, prioritate, & distinctione in tali decreto respectu talis Scientiæ: per specialem scilicet modum essendi, vel tendendi realem formalem talis actus liberi divini, qui simul, & indivisibiliter est decretum, & visio rei, videns ex quidditate sua rem fore, vel esse, quia Deus sic eam decrevit; & non ē contra quæ est prioritas dumtaxat eminentialis, & per rationem nostram, ibi iam explicata præsertim à *num. 7.*

80 Dices secundo. Proxima Dei libertas v.g. damnandi Iudam, directa, seu constituta per Scientiam visionis peccati; nequit stare sine permissione, & visione peccati: sed potest stare sine decreto, & visione damnationis, cum possit Deus liberē non damnare quem videt peccavisse: ergo decretum, & visio damnationis distinguuntur virtualiter à visione, & permissione peccati: iam enim verificantur contradictoria, scilicet vnum posse, & aliud non posse stare sine decreto damnationis. Confirmatur. Totum constitutum libertatis proximæ debet posse coniungi cum quolibet extremo libertatis exercitiæ: ergo totum constitutum libertatis proximæ divinæ damnandi Iudam debet esse coniungibile cum damnatione, & cum non damnatione: sed decretum, & Scientia Visionis de damnatione coniungi nequit cum non damnatione: ergo decretum, & Scientia visionis peccati; quæ sunt in Deo, & constituunt illam libertatem, sunt quid virtualiter distinctū à Scientia Visionis de damnatione, quæ scientia nūc etiā existit in Deo.

81 Imprimis, ex toto hoc discursu non probatur maior distinctio inter Scientiam visionis de damnatione, & decretum permittendi peccatum, quàm detur inter prædicata necessaria, & libera Dei: inter quæ non dari distinctionem virtuales videmus *sect. seq.* Deinde respondetur: concessa maiori, distinguendo minorem: hæc numero proxima libertas, nego: alia possibilis, Deoque libera, quæ constitueretur per permissionem, & visionem peccati non simul essentem decretum, & visionem damnationis, concedo minorem, & nego consequentiam: quia ex præmissis sic concessis non verificantur adhuc illa utrumque contradictoria de illis Scientijs Visionis, ac decretis. Itaque casu, quo Iudas non damnaretur ut potuit, sicut non habuisset Deus Scientiam, nec decretum de

Y 2

tali

Levit.  
12.  
Luc.  
2.

Elparza

Supra  
sect. 1.

tali damnatione, ita nec Scientiam visionis peccati, quam nunc habet, sed aliam quæ non esset simul visio damnationis: quin potius esset quoque indivisibiliter visio non damnationis.

Saar.

82 Ad confirmationem, falsissimum est antecedens, & doctrinæ Patris Suarez expressè repugnans: quippe 20.3. de Gratia, lib. 12 cap. 11. à num. 15. defendit immediatissimam libertatem actus efficaciter imperati, quamvis inter ipsius comprincipia constituenta hanc numero proximam libertatem numeretur actus ipse imperans inconiungibilis cum omissione imperati:

Pallav. Ribad. Coninc.

Sic etiam Cardinalis Pallavicinus 1. 2. disp. 6 q. 2. art. 9. Ribadeneyra disp. 6. de Prædest. num. 15. Coninc. 1. 2. disp. 2. dub. 13. alijque complures. Et in simili mihi quidem prorsus indubium est, actum præceptum pro instati determinato evadere liberrimum, quamvis pro comprincipio proximo, & requisitissimo habeat gratiam sanctificantem essentialiter inconiungibilem cum eius omissione. De quo fusè in Disputationibus de Gratia contra varios huius nitidissimæ veritatis insectatores. Unde nego quoque consequentiam: & concessam minori subiunctam, nego subillationem. Sufficit enim ad liberum exercitium, quod comprincipia libertatis proximæ valeant, aut coniungi cum quolibet extremo libertatis exercitæ; aut, si quod est cum alterutro extremo inconiungibile, possit pro libito voluntatis amoveri, seu evitari: ut ex P. Suarez fusius alibi, iuxta solida, & inconcussa Eximæ nostræ Scholæ principia: ut non sit mirum, quod doctissimus P. Petrus de Oxea meus in Theologicis Magister in Collegio nostro Cæsaraugustano dixerit ingenue disp. 6. de Charit. num. 5. id sibi evidens apparere.

Suarez.

Oxea.

83 Quarta conclusio. Scientia Dei libera, quæ est Scientia Visionis de contingentibus, & Scientia Dei purè contingens, quæ est Scientia Media, non distinguuntur virtualiter inter se, sicut nec à Scientia simplicis intelligentiæ, quæ est Scientia necessaria. Ratio est, quia de illis nulla contradictoria verificantur, ut colligetur ex dicendis sect. seq. de liberis, & necessarijs. Quamvis verum sit, quod Scientia simplicis intelligentiæ sit indefectibilis virtualiter quoad suam denominationem, & Scientia Media defectibilis, utpote contingens: & quamvis Scientia Visionis, sicut & decretum, cui innititur, utpote Deo li-

bera, sit virtualiter defectibilis pro libito Dei: & Scientia Media, non ita Deo libera, sed nobis; non sit defectibilis pro libito Dei, sed pro nostro, ut exposui num. 35.

84 Non enim approbo quod meditantur aliqui, posse dici, hanc numero Scientiam Mediam de consensu sub hypothese huius libertatis defuturam ad deficientiam huius decreti, & Scientiæ Visionis de positione talis libertatis, & consensu, & aliam similiter Mediam exituram fuisse, ut de Decretis, & Scientijs Visionis diximus. Est namque dispar ratio, quod nempe Scientiæ Visionis, & decreta sunt pro eodem libito Dei, & quidem connexissima in existendo, & denominando: Scientia autem Media non sic: cum permaneret Deus sciens Petrum consensurum, si constitueretur in hac libertate: sive decerneret, & videret positionem huius consensu: & huius libertatis, sive non. Dicere autem, casu quod non darentur hoc decretum, & hæc Scientia Visionis, mansuram quidem Scientiam Mediam; ac non eandem, sed aliam de eodem consensu sub eadem hypothese; sine fundamento est, & sine operæ pretio, ut sapienter innuit P. Augustinus de Herrera quæst. 17. de Scientia Dei. sect. 1.

Herrera

85 Quinta conclusio. Actus, sive notitiæ Scientiæ Dei liberæ inter se, & actus, sive notitiæ Scientiæ Mediæ purè contingens inter se, non distinguuntur virtualiter. Infertur ex dictis de decretis, & potius à fortiori ex dicendis de liberis, & necessarijs sect. seq.

## SECTIO V.

AN PRÆDICATA LIBERA  
Dei, seu Scientiæ, seu Voluntatis,  
distinguantur virtualiter à necessarijs.

86 Affirmat communissima nostrorum sententia, ut videre est apud Patrem Borull disp. 8. de Borull. Volunt. sect. 6. & Magistrum Lumbier q. 6. Lumb. de Volunt. art. 5. Et probari solet: quia de liberis, ac necessarijs verificantur prædicata alioquin contradictoria, non minus quam de Relativis, & Absolutis: ergo distinguuntur virtualiter, uti de Relativis, & Absolutis Dei diximus disp. 7. sect. 7. Autecedens probatur: quia libera possunt de-

Supra disp. 7. fice.

Supra disp. 3.

ficere: aut realiter, ut ait Borull, à me quo ad hoc iam relictus disp. 3. sect. 6. aut virtualiter, ut aiunt communius, & melius alij. Quippe Deus non potest realiter non esse Deus, non esse Omnipotens, non esse Pater, non esse amans se: potest tamen non esse realiter volens, seu decernens hunc mundum: ergo de prædicatis illis necessarijs Dei, & de prædicato volentis mundum, cum necessarijs realiter identificato, verificantur contradictoria: quia sunt posse deficere, & non posse deficere.

87 Non me convincit hæc communis probatio. Negatur enim antecedens. Ad probationem, numquam concedam, libera Deo adæquate intrinseca, posse, aut potuisse realiter deficere: sat est, si virtualiter, & modificativè semper, quoad denominationem: non aliter id intelligendo, nisi quod cum suo esse indefectibili admittant, posse non denominare Deum sic volentem, aut scientem pro libito suo. Hoc autem modulo de ipsis quoque necessarijs Dei verificatur posse deficere virtualiter, hoc est, quoad illam ipsam denominationem sic volentis, aut scientis: quæ à se ipsis nunc denominantur. Quandoquidem casu quo à suis liberis non denominaretur Deus realiter sic volens, aut sciens; nec à suis necessarijs taliter denominaretur: sicq; quo ad eiusmodi denominationem, tam libera, quam necessaria Dei defectibilia virtualiter sunt: nam ea defectibilitas non aliter sanè exponitur, nisi quatenus potens est Deus pro libito suo non sic realiter denominari à suis liberis, nec à necessarijs. Aliter autem, nec necessaria, nec libera Dei deficere possunt, nec unquam potuerunt: scilicet, nec quo ad denominationem essentialis, nec Omnipotentis, nec Immensi, &c. Ubinam est ergo perinde vel umbra contradictionis inter libera, & necessaria? Sic igitur exposita veritate ultimi antecedentis, negatur ultima consequentia.

88 Si verò vim facias in eo ipso libito, vel in ea ipsa denominatione; dicam semper id ipsum de illa ipsa denominatione, quod de necessarijs Dei, & sic insistam quantumcumque reflectas: scilicet eam ipsam denominationem posse deficere virtualiter, & quoad talem denominationem; non verò realiter, & quo ad entitatem, aut quoad alias denominationes necessarias: nam quo ad esse, tam indefectibilis est ea denominatio, ac ipse Deus; quo ad taliter verò denominare, aut denomina-

ri; defectibilis est virtualiter, sicut & ipse Deus: quia hoc non est aliud, quam posse realiter non denominare, aut non denominari sic volentem, ac scientem: non verò quoad denominare, aut denominari essentem, Omnipotentem, &c.

89 Quod si in usitato modo loquendi sæpè admittimus Deum, eiusvè perfectiones necessarias non posse deficere; liberas verò, earumvè denominationes posse deficere; non ideo esse putes, quia eodem illo modulo, scilicet quoad talem denominationem, non possint similiter deficere perfectiones necessariae, cum realiter possint pro libito Dei sic non denominare, nec denominari, quo pacto, & non aliter dicuntur posse deficere perfectiones, seu denominationes liberæ; sed quia ex usu vocum illum modulum iam significamus nomine denominationis liberæ; non verò sic nomine Omnipotentis, Immensitatis, Paternitatis, aut alterius perfectionis necessariae.

90 Atque hinc est, quod nunquam dicimus, Deum posse deficere, Omnipotentiam posse deficere, nec alia huiusmodi: quia sonaret Deum posse non esse Omnipotentem. Neq; ego admittam unquam, actus liberos Dei posse deficere: quia sic absolute dictum sonat realiter, quod est falsum: dicimus autem actus liberos Dei posse deficere virtualiter: hoc est, posse esse in Deo taliter ac si non essent, quo ad hoc quod est denominare Deum realiter sic volentem, aut sic scientem; & quia ex usu vocum omnem hanc modificationem significamus, quando dicimus, talem denominationem posse virtualiter deficere; ideo admittimus identidem, denominationes illas posse sic deficere: quamvis reverà illæ ipsæ denominationes eodè prorsus modo sint indefectibiles, scilicet quoad entitatem, quoad esse Deum, & quoad esse Omnipotentem; ac est indefectibilis ipse Deus; & defectibiles dumtaxat quoad talem denominationem sic volentis, ac est etiam ipse Deus, potens esse quin taliter à suis necessarijs, aut à liberis denominetur sic volens, aut sic sciens: & hoc quidem pro solo libito suo. Hæc nimirum est eminentia libertatis divinæ, absque vestigio contradictionis, ac proinde nec distinctionis virtualis inter illam ipsam denominationem liberam, & divinam necessitatem essendi.

91 Mysterium scilicet est, cui f. ultra simi.

simile quæras. Defenditur autem, & aliquid declaratur stylo Scholastico per eiusmodi defectibilitatem virtuales liberorum: sicut per distinctionem virtuales trium Personalitatum ab Essentia defenditur, & declaratur Mysterium Trinitatis. Dices intelligibile videri, reperiti conceptum defectibilitatis virtualis, sine conceptu distinctionis virtualis: defectibilitas enim vnus præ alio, præsertim à fortiori supparem distinctionem vnus ab alio. At certe in primis id nequit intelligibile videri doctissimo Patri Borrull: quippe *disp. 8. de Volunt. Dei*: sine conceptu distinctionis realis inter libera, & nec scaria admittit inter illa conceptum defectibilitatis realis. Si ergo stat conceptus defectibilitatis realis vnus præ alio absque conceptu distinctionis realis vnus ab alio; cur non similiter stabit conceptus defectibilitatis virtualis, absque conceptu distinctionis virtualis?

92 Deinde neque mihi videtur id intelligibile: quippe ex vna parte conceptum distinctionis virtualis pono cum communi sententia in verificatione contradictoriorum cum idemitate reali, aut, si mavis, illud pone in reali distinctione in vno tertio, vt retulimus *disp. 7. num. 67.* neutrum autem horum reperitur inter libera, & necessaria: quæ quidem nec vlla suscipiunt contradictoria, vt nuper vidimus, nec distinguuntur realiter in aliquo tertio, vt omnibus est in confesso. Ex altera verò parte conceptus defectibilitatis virtualis stat in eo quod forma, seu quasi forma sit intimè communicata subiecto capaci, & quoad præstantiam aliquam formalem sui denominationem, sit ibi, quasi realiter non esset, quia est, quin realiter præstet talem denominationem: hic autem conceptus reperitur in prædicatis constituentibus Mysterium diuinæ libertatis: ac proinde est in illis conceptus defectibilitatis, aut defectibilitatis virtualis. Qui conceptus cum nihil detrahat de idemitate, nec vllatenus tollat vnum esse aliud, nec importet, quod in sensu reali verificetur de vno, quod negatur de alio; non importat conceptum distinctionis virtualis.

93 Si tandem ex aduerso opponas nobis ad homines: ex defectibilitate vnus, non deficiente alio, saltem arguitur inferitur rectè, vnum distingui realiter ab alio: ergo ex defectibilitate, seu defectibilitate, seu defectibilitate vnus, non defi-

ciente virtualiter alio, saltem arguitur inferitur rectè, vnum distingui virtualiter ab alio. Atqui multa libera Dei, vt nolitio huius mundi, & visio enuncians eum non existere, deficiunt virtualiter; multa verò, vt volitio huius mundi, & visio enuncians eam existere, potuerunt deficere virtualiter, non deficientibus, nec potentibus virtualiter deficere necessarijs Dei: ergo inter libera, & necessaria Dei rectè inferitur distinctio virtualis. Respondetur, concedendo cum antecedente primam consequentiam: negando tamen minorem subiunctam. Quia nunquam concedam, libera Dei deficere, nec posse deficere aliquo modo, quo eodem modulo non deficiant, aut possint deficere ipsa quoque necessarissima Dei, scilicet virtualiter quoad eandem denominationem sic liberè volentis, & scientis. Unde hoc modulo vtraque deficiunt, aut possunt virtualiter deficere; alio autem modo, & absolutè, neutra, vt satis explicui. Et de illis ipsis denominationibus, quantumcumque reflectas, id ipsum dicam cum eadem modificatione, & distinctione, & non aliter. Quas modificationes in his quæstionibus semper adhibeo, vel ex consensu disputantium suppono. Sicque falsa est consequentia.

94 Propter hæc alij doctissimi, quibus aliquando subscripsi, alià viâ sibi persuadent probari posse virtuales distinctionem inter libera, & necessaria Dei. Quia nempe, quamvis vt vidimus nulla prædicata contradictoria de necessarijs, & liberis Dei verificentur; at saltem libera, & necessaria contradictoriè verificantur de eodem Deo. Perinde autem est ad distinctionem virtuales adstruendam, de aliquibus realiter identificatis verificari alioquin contradictoria; ac de eodem subiecto verificari alioquin contradictoriè aliqua prædicata realiter identificata: cum sine distinctione virtuali vtrumque pariter repugnet: ergo hac saltem viâ arguitur distinctio virtualis inter libera, & necessaria Dei. Probatur maior: quia hæc prædicationes sunt absolutè veræ in sensu reali: *Deus est Deus. & Omnipotens: Deus non est nolens, seu discernens hunc mundum: & similiter ista: Deus est necessario volens hunc mundum.* Ergo illa prædicata, *Deus, & Omnipotens*: & illa prædicata, *nolens, seu discernens hunc mundum*: illudque prædicatum necessarium, *Deus*, & illud prædicatum liberum, *volens*.

P. Theodorus Maurus

lens hunc mundum; verè prædicantur in sensu reali de eodem Deo contradictoriè, scilicet affirmando vnum, & negando aliud.

95 Hac, inquam, viâ mihi videbar aliquando benè probari virtuales distinctionem inter libera, & necessaria Dei. Postea tamen deprehendi, hac viâ probari similiter posse distinctionem virtuales inter multa necessaria Dei, inter quæ distinctio virtualis ab omnibus negatur. Nullus enim virtualis distinctor, quem ipse viderim, admittit eiusmodi distinctionem virtuales inter Naturam Dei, & communicabilem tribus Personis; nec inter Paternitatem, & distinctam realiter à Filio, & Spiritu Sancto: nec inter alia multa his similia in Trinitate. Atqui eiusmodi prædicata verificantur similiter affirmatiue, & negatiue de eodem subiecto, vt cernere est in his propositionibus absolutissimè veris in sensu reali: *Natura est communis tribus: Paternitas non est communis tribus: Essentia est realiter Paternitas: Essentia non est realiter distincta à Filio, & Spiritu Sancto*: vel ergo ex his modis affirmandi, & negandi de eodem subiecto prædicata realiter eadem, non arguitur distinctio virtualis talium prædicatorum; vel certè arguitur eodem iure vbi admittitur à nemine.

96 Unde neque hac viâ, quamvis ingeniosius excogitata, duci tutò possum, vt admittam virtuales distinctionem inter libera, & necessaria Dei: nec consequenter duci potuit supra laudatus Magister, qui alibi docet ex professo, ex his, & similibus prædicationibus adiectivis: *Essentia communicatur: Paternitas non communicatur*, non probari virtuales distinctionem inter Essentiam, & Paternitatem: nisi aliunde probaretur per illas substantivas absolutas in sensu reali, & identico verissimas: *Essentia est Filiatio: Paternitas non est Filiatio*: quia, inquit, vis sensus adiectivi, seu denominativi tollit contradictionem illarum priorum propositionum.

97 Ad argumentum autem positum num. 94. respondetur distinguendo maiorem: libera, & necessaria contradictoriè verificantur de eodem Deo in sensu absoluto, & substantivo nego: nunquam enim verificabitur, quòd Deus non est nolitio huius mundi: nolitio namque huius mundi necessariò est semper identificata realiter cum Deo, quamvis pro libito Dei non sit denominans Deum nolentem mun-

dum: in sensu adiectivo, & denominativo, concedo maiorem. Et hoc solum convincit eius probatio: in qua illæ propositiones negatiue: *Deus non est nolens hunc mundum: Deus non est necessario volens hunc mundum*: in sensu substantivo absolute significante realem idemtitatem cum nolitione, & cum volitione huiusmodi, verè non essent: cum verè Deus sit realiter ea nolitio, quamvis non denominet, nec denominetur nolens mundum, sicut nec ea nolitio denominat nunc, nec denominatur nolens mundum: & realiter sit necessariò volitio mundi, quamvis non denominet, nec denominetur necessariò volens mundum, sicut nec ipsa volitio, nec ipsa denominatio, denominat, aut denominatur necessariò volens, sed liberè volens mundum. Non quia illa nolitio, eiusque denominatio non existant in Deo, nec quia illa volitio, eiusque denominatio non existant necessariò in Deo, cum sint ipse Deus, ipsaque existentia necessaria Dei; sed quia illa nolitio, eiusque denominatio non denominant Deum nolentem mundum, quod est virtualiter deficere: hoc est, quod ad sic denominare esse quasi realiter non sint: & quia illa volitio, eiusque denominatio non denominant Deum necessariò volentem, sed liberè volentem mundum: quod est posse virtualiter deficere, & posse esse quasi realiter non sint, quoad sic denominare. Et hoc quidem pro solo mirabili libito Dei, beneficio scilicet defectibilitatis virtualis, inservientis ad Mysterium diuinæ Libertatis, sine distinctione virtuali, sicut distinctio virtualis inservit Mysterio indiuiduæ Trinit. sine defectibilitate virtuali.

98 Sic distincta, & partim concessa maiori, distinguo quoque minorem: perinde est ad distinctionem virtuales, de aliquibus realiter identificatis verificari alioquin contradictoria, ac de eodem subiecto verificari alioquin contradictoriè aliqua prædicata realiter identificata; si verificarentur in sensu absoluto, & substantivo, concedo; si solum in adiectivo, & denominativo, nego. Et ratio est clara, & solida: quia propositiones sensus absoluti, & substantivi præcisè significant idemtitatem subiecti cum prædicato directo: quæ stante, verè sunt affirmatiue, & falsæ negatiue: & quæ non stante, falsæ sunt affirmatiue, & verè negatiue, vt patet in his: *Petrus est rationalis: Petrus non est brutum: Paternitas est Essentia: Paternitas non est Filiatio*.

liatio: unde cum præcisè, & signanter significent idemnitatem, regulatur earum veritas, aut falsitas per idemnitatem, aut distinctionem terminorum.

99 Cæterum propositiones sensus adiectivi, præter significare idemnitatem subiecti cum prædicato directo, consignant indirectè, seu obliquè adiacentiam, seu denominationem aliquam denominantem prædicatum directum: qua adiacentia, seu denominatione non stante, quantumvis persistet tota idemnitatis quam significabant, falsæ sunt affirmativæ, & veræ negativæ, ut patet in his: *paries est albus: Petrus non est sapiens*: quarum prior affirmans, stante tota idemnitatis falsa est, eo solum quod albedo non adiaceat parieti, seu non denominet, ut potest non adiacere, seu non denominare; quamvis nequeat non stare idemnitatis parietis cum pariete, qui est subiectum, cui cõiungenter abest, vel adest albedo; posterior autem negans, quæ falsa esset de Petro docto, vera est de Petro idiota; non quidem per accessum, vel recessum idemnitatis subiecti cum prædicato directè significato: nam quæ semel idemnitantur, semper idemnitantur, sicut quæ semel distinguuntur, semper distinguuntur, quandocumque, vbiicumque, & quomodocumque sunt; sed propter accessum, vel defectum sapientiæ adiacentis, & denominantis, seu non denominantis eundem Petrum.

100 Unde est, quod veritas, vel falsitas harum propositionum non regulatur penes solam idemnitatem, vel non idemnitatem subiecti cum prædicato directo, quæ idemnitatis semper est eadem, sive adfit, sive absit contingenter albedo; sed etiã penes adiacentiam, seu denominationem obliquè significatam: ideoque dicuntur propositiones sensus adiectivi, & denominativi; & non substantivi, ac merè idemnitatis: de inesse, & non præcisè de esse: ideoque negativæ sunt veræ, quamvis nihil adimatur de idemnitatis terminorum directè significatorum, eo solum quod deficiat adiacentia, seu denominatio obliquè significata.

101 Porro propositiones illæ negativæ nobis obiectæ: *Deus non est nolens, seu decernens hunc mundum: Deus non est necessarid volens hunc mundum*: sensum adiectivum, seu denominativum imitantur: sicut illæ etiam, quas nos obijcientibus opposuimus: *Paternitas non est communis*


*tribus: Essentia non est distincta realiter à Filio, & Spiritu Sancto*: de quibus aut similibus iam id animadverti *disp. 7. sect. 9.* <sup>Supra disp. 7.</sup> Unde est quod pro ipsarum veritate non opus sit recurrere ad idemnitatem terminorum, sed ad denominationem, quã virtualiter deficiente, id est, realiter non denominante, quamvis non virtualiter distincta, est verum dicere adiectivè Deum non esse nolentem hunc mundum: ac proinde quin inde arguatur distinctio virtualis terminorum, sed deficiente virtuali quoad hoc quod est taliter denominare pro libito Dei. Id quod ab ipsis etiam adversarijs dici oportet in illis alijs propositionibus sensus adiectivi, & denominativi: *Paternitas est Essentia: Paternitas non est communis tribus: Essentia est Paternitas: Essentia non est realiter distincta à Filio, & Spiritu Sancto.*

102 Dices: hæ propositiones, quamvis non vndeque probent distinctionem virtualem; illam tamen supponunt aliunde probatam: & beneficio illius verificantur. Occurro tamen: quia quamvis illam supponant inter Essentiam, & Paternitatem; ac non inter Essentiam, & communem tribus, nec inter Paternitatem, & distinctam realiter à Filio, & Spiritu Sancto: & quod in his sit beneficio distinctionis virtualis repertæ inter Paternitatem, & Essentiam inservientis explicando, & defendendo Mysterio Trinitatis sine recursum ad deficientiam virtualem; in illis alijs nobis obiectis sit beneficio deficientiæ, seu defectibilitatis virtualis quoad taliter denominare, inservientis explicando, & defendendo Mysterio Libertatis divini, sine recursum ad distinctionem virtualem. Et quidem ad non denominandum æquè, imò multò magis facit deficientia virtualis à nobis exposita, quàm distinctio virtualis: cum sæpè sapius, nec realis distinctio obstat denominationi à forma, seu quasi forma.

103 Conclusio igitur præsentis difficultatis, & clausula huius, ac præcedentis Disputationis, sit: inter libera, & necessaria Dei solam dari distinctionem rationis; nullatenus verò distinctionem virtualem: & in univèrsum, nec in creatis, nec in divinis admittendam esse distinctionem virtualem, nisi dumtaxat inter Relativa, & Absoluta Dei, quæ inter se realiter idemnitata, distinguuntur realiter in aliquo tertio. Constat hoc ex hætenus disputatis. Et ratio firma est: quia verificatio

con-

contradictoriorum nullibi præter in absolutis, & Relativis, cogit nos ad eiusmodi distinctionem Mysterio plenam admittendam, ut visum est. Admitti autem non potest, dum & vbi vitari potest, ut omnes supponimus.



## DISPUT. IX.

DE OMNIPOTENTIA  
DEI.

**I** MNIPOTENTIA Dei Fide creditur in Symbolo: *Patrem Omnipotentem*: & Genes. 17. *Ego Deus Omnipotens*. Et naturaliter demonstratur: quia omnia posse est perfectio simpliciter

Symbol.  
Genes. 17.

simplex, ideoque Deo tribuenda. Insuper: solus Deus est ens à se; reliqua, ab alio, cuius beneficio accipiunt esse: Deus igitur est prima causa, causarum causa, & omnia potens. Circa modum, quo Deus omnia potest, quærentur multa. Primò: an immediatè ad omnes effectus concurrat: in quo affirmat communis sententia contra Durandum, & Dolam, graviter à multis propterea notatos: de quo Suar. *disp. 22. Metaph. sect. 1.* Secundò: an saltem possit pro libito suo ad aliquem effectum causatum à creaturis immediatè non concurrere: in quo subdubitant Hurtadus, & Arriaga; non tamen ausi id affirmare contra communem, & veram sententiam, & contra naturam Omnipotentis Divinæ: cui non minùs repugnat non concurrere ad cuncta quæ fiunt; ac repugnet Immensitati non adesse cunctis, quæ sunt. Tertio: an & quomodo concurrat ad effectus peccaminosos? in quo sunt qui promoveant sententiam negantem Deo immediatum concursum physicum ad illos, contra ferè omnes illum concedentes. Quarto: an concurrat ad effectus causarum creaturarum etiam ad liberos, imò & ad peccaminosos, per qualitatem præviè prædeterminativam ad ipsos? in quo illud hinc minimè tacuerim, minùs mihi displicere negantes Deo immediatum concursum ad effectus peccaminosos, quàm concedentes prædeterminativum. Quintò: an possit cum qualibet creaturà, secum per elevationem concurrente facere Deus quidquid solus facit? in quo sententiam negantem tenui in Physicis cum Vasquez, adversus multos, cuicumque creaturæ concedentes Potentiam obedientialem ad quoscumque effectus: de quo nonnihil inferius *disp. 18.* vbi obiter de Potentia obedientiali. Sextò: an possit solus facere quidquid cum creatura facit? in quo respondetur negativè propter multos effectus per se essentialiter dependentes à causis secundis: quales esse iudico actus nostros vitales, utpotè idemnitatos cum sui actione, & passione. Cæterum has & alias difficultates prætereo, quas partim tractatas suppono ex Philosophia, partim ad alios Theologiæ Tractatus remitto.

Vasq.

Z

SECTIO

## SECTIO J.

QV ID SIT? AD QVEM  
terminum sit? & quam proprium  
Dei sit Attributum Om-  
nipotentia?

2 Quoad primum: Omnipotentia est, *Virtus omnium factibilium ex nihilo productiva*. Dixi: *productiva*: quod est proprium causae effectivae: cum certum sit, Deum non esse causam receptivam, nec informativam. Dixi: *ex nihilo*: id est ex nullo alio ad se praeposito, à quo vel cohiberi, vel adjuvari possit. Unde, dato adhuc, & nunquam concessio, quod dabilis esset creatura elevabilis ad omnes omnino effectus producendos, adhuc non esset Omnipotens: quia adjuvari, imò, & elevari ad id egeret à superiori virtute, & ab eadem posset cohiberi. Ob similem rationem repugnare dicam *sect. 8.* creaturam creativam: ubi ulterius id explico. Dixi: *Factibilium*: ut excluderem à conceptu Attributi Omnipotentiae divinam virtutem producendi ad intra duas Personas procedentes, quae nec factae sunt, nec factibiles, ut est de Filio in Symbolo Niceno: *Genitum non factum*: & de Spiritu Sancto in Symbolo Aethiopi: *Non factus, nec creatus, nec genitus*. Non dixi in definitione: *Virtus à se*, seu, *Virtus simpliciter infinita*, ut relinquerem locum tertio dubio proposito in titulo Sectionis.

3 Quoad secundum; terminus ad quem est Omnipotentia sunt omnia possibilis extra Deum; non verò impossibilia. Ex priori parte: quae certa est, sequitur, quod si creaturae possibiles sunt, uti reor, numero infinite, habebit pro termino divina Omnipotentia multitudinem infinitam; secus si infinitae possibiles non sint. Posterior pars constabit ex *sect. 3.* Solum hic adnoto quod ait S. Tho. *q. 2. de Potentia, art. 3. Conventius dicit, quod impossibilia non possint fieri, quam quod Deus non possit ea facere.* Ceterum in rigore metaphysico verum est etiam, quod non est in Deo Potentia ad impossibilia: ut loquitur etiam S. Tho. *1. contra Gentes cap. 84. & lib. 2. cap. 22. & 25. & qu. de Potentia, art. 7. & 1. Sent. dist. 42. quest. 2. art. 2.*

4 Obijcies, Omnipotentia est Attri-

butum in sua linea simpliciter infinitum: ergo est ad terminum simpliciter infinitum: nam specificatur à termino suo: non posset autem specificari Omnipotentia simpliciter infinita à termino simpliciter finito: sed omnia factibilia, seu possibilis extra Deum non sunt terminus simpliciter infinitus: ergo praeter ista, debet Omnipotentia Dei habere quoque pro termino Personas divinas producibiles, & constitui per virtutem etiam productivam ad intra. Sic Hemelmanus *vol. 2. tit. 10. d. sp. 5. & Gonet. 15. num. 1531. factique Montoya disput. 101. de Trinit. aliter contendens, nomine Omnipotentiae intelligi non solum Potentiam Dei productivam ad extra; sed etiam ad intra.*

5 Hoc tamen deviat à vero, & à communi loquutione Theologorum, teste Suarez *lib. 3. de Trin. cap. 10. ex S. Tho. 1. p. q. 25. art. 3.* Vix enim, cum loquimur in Scholis de Omnipotentia Dei, invenietur vnus vel alter, qui per Omnipotentiam intelligat virtutes Dei ad intra generativam, & Spirativam, proprias, & notiones Personarum; sed solum virtutem illam omni-factivam ad extra communem tribus Personis, quae tres sunt *vnus Omnipotens*. Ad summum dici posset limitativè cum S. Tho. *q. 2. de Pot. art. 5.* Potentiam producendi ad intra pertinere ad Omnipotentiam Personarum ad intra producendum. Videatur Granad. *de divina Potentia, Granad. disp. 6.*

6 Ad obiectionem ergo facile respondeo, concessio antecedente, negando consequentiam. Nam Omnipotentia (sic de alijs in simili) non haurit suam perfectionem, seu infinitudinem à termino, quem respicit; sed illam habet à se, & ab idemitate reali cum omni divino: & hoc quidem in ordine ad quemcumque terminum extrinsecum: ita nempe, ut eminentia productiva formica sit in ordine ad formicam simpliciter etiam infinite perfectissima. In probatione consequentiae vis ponitur in verbo specificandi: quod aliquibus magni solet esse; mihi verò levisimi ponderis. Distinguo enim: Omnipotentia specificatur à termino suo, intrinsecè, & constitutivè, nego; extrinsecè, concedo: extrinsecè autem potest infinitum à finito, & finitum ab infinito specificari: hoc enim, si monstra vocabulorum demas, nihil est aliud in re, quam infinitum habere suam speciem suam.

sum esse, suam essentiam, respectivè in ordine ad finitum: & finitum in ordine ad infinitum: quod utrumque verissimum est, & mihi nullius ferè negotij: quidquid in his specificativis coequandis suis specificativis labore impensè citatus Lumbier. Unde concessa tandem minori subiuncta, nego ultimam consequentiam.

7 Quoad tertium, ita proprium Dei est sine dubio Attributum Omnipotentiae, ut nulli creaturae possit convenire. Probat: quia implicat creatura omnium factibilium ex nihilo productiva: ergo & creatura Omnipotens. Ans. probatur. Primum, quia saltem sui non esset productiva: cum iuxta Philosophiam, nequeat dari causa effectiva sui ipsius, non solum connaturaliter; sed nec divinitus. Secundò, quia dabilis non est creatura, quae perfectior alia non sit possibilis, quamvis dixerim in physicis, & invenio nunc apud Granad. *sect. 5.* debilem esse, quae imperfectior esse non possit: ergo nulla potest assignari connaturaliter productiva omnium factibilium: saltem enim non posset producere connaturaliter omnes alias se perfectiores: ac proinde illas non ex nihilo, ut supra explicuimus, sed ex virtute principali elevante produceret. Tertio universalitè, & praecipue: quia Omnipotentia non est utcumque virtus omnium productiva; sed ex nihilo productiva: hoc est non ex alterius virtute, quae adjuvari egeat, aut quae cohiberi possit, ut explicuimus *num. 2.* & explicabimus amplius *sect. 8.* Hoc autem certum est nulli creaturae competere posse, cum ex conceptu suo supponat causam sui à qua adjuvari egeret in quacumque operatione, & à qua cohiberi potest, ne quidquam operetur.

8 Obijcies: possibilis est creatura omnium cognoscibilium cognoscitiva: ergo & omnium factibilium productiva. Hae obiectiones non impugnant conclusionem; sed primam, & secundam rationem conclusionis. Pro quibus in sua veritate tuendis respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Quia magis est producere, quam utcumque intentionaliter attingere: illud enim dicit continentiam eminentialem producibilium; istud verò non cognoscibilium, sed cognitivum. Non autem valet argumentum à minori ad maius. Insuper: vnum potest se ipsum cognoscere, & amare; non verò producere: usque adeo ut Deum ipsum possi-

mus cognoscere, & amare: quin inde rationabile possit fieri argumentum ad posse producere.

9 Addo: nec posse creaturam denominari formaliter Omnipotentem, ab Omnipotentia sibi vnica, quamvis ex ipsa Omnipotentia, talique creatura constaret suppositum quod per communicationem idiomatum esset Omnipotens: ut de facto est homo in Christo. Ratio est, quia creatura est incapax denominari Omnipotens, ut multis probat P. Borrull *disp. 8. de Attrib. sect. 3.* & clarius constat ex nuper adhibitâ à nobis definitione Omnipotentiae. Ex qua constat, inesse cuicumque creaturae ex conceptu suo repugnantiam denominationis Omnipotentis. Siquidem formalis ista denominatio negat essentialiter virtutem aliam, qua adjuvari egeat, aut qua cohiberi possit in operando: quam tamen virtutem supponit essentialiter supra se qualibet creatura; ergo est eo ipso essentialissimè incapax ut denominetur Omnipotens: quantumvis haberet sibi vnica totam divinam Omnipotentiam: sicut nec denominari posset ens à se ab Aseitate divina sibi vnica.

10 Dices. A Subsistentia, & à Sanctitate Dei sibi vnitis denominatur creatura, nempe Humanitas Christi, subsistens, & sancta: ergo & Omnipotens ab Omnipotentia. Negatur consequentia: & hoc quidem quamvis verum sit, Unionem Hypostaticam immediatè vnire Humanitati, non solum relativum Verbi; sed etiam illius perfectiones absolutas: quod ego de facto admitto; alij communis, de possibili: ideoque pro casu saltem possibili non evitant hanc difficultatem.

11 In reddendâ ratione, & disparitate incumbunt enixè Prudentius *tom. 2. de Incarn. tract. 1. disp. 1. sect. 3.* & Godoy *disp. 21. à num. 219.* Ratio mihi est expedita: quia denominationes subsistentis, & sanctae nihil involvunt in sui explicatione repugnans conceptui creaturae: at denominatio formaliter omnifactivi, & multo potius denominatio Omnipotentis, involvit multa quae repugnant conceptui cuiuscumque creaturae, ut visum est, & clarius constabit ex dicendis *sect. 8.* Quomodo enim non est incapacissimum essendi formaliter Omnipotens subiectum, quod ex intrinsecis suis dicit supra se virtutem à qua cohiberi potest ne quidquam agat? Ob similem incapacitatem, & intrinsecam repugnantiam

Infra  
sect. 8.  
Symb.  
Nic.

Athan.

Infra  
sect. 3.  
S. Tho.

S. Tho.

Lumb.

Hemel.  
Gonet.  
Montoy.  
Lumb.

Suar.  
S. Tho.

Granad.

Granad.

Borrull.

Prudentius  
Godoy.

Humanitatis ad varias denominationes non denominatur relata, nec Filia à relatione divini Verbi, à qua denominatur subsistens, & sancta: ut omnibus esse debet in confesso.

12 Insistes: ergo saltem ab Omnipotentia Dei sibi unita posset denominari creatura potens intrinsecè aliqua, imò & multa producere. Non renuit hanc consequentiam Magist. Lumbier q.27. de Incarn. art.6. Nec mirum. Si enim ab Omnipotentia extrinsecè applicata per decretum, denominatur sapè creatura divinitus elevata potens ad multa, quæ alioquin non poterat; cur non id habeat intrinsecè ab Omnipotentia sibi intrinsecè applicata, & unita. Hoc autem longissimè distat à denominatione Omnipotentis, ut perspicuum est ex dictis,

SECTIO II.

AN, ET QUOMODO OMnipotentia distinguatur ab alijs Dei Attributis; & Perfectionibus: præsertim ab Intellectione, & Volitione.

13 Constat ex disput. 5. sect. 4. Omnipotentiam non distinguere formaliter adæquatè ab Essentia metaphysica Dei: in qua scilicet formaliter, & constitutivè imbibitur, non minus quàm intellectio, & volitio, seu quæ intellectivum, ac volitivum. Quinimò sunt qui dixerint apud Suar. disp. 6. Met. sect. 17. à num. 45. & non sine fundamento in S. Tho. Omnipotentiam esse de conceptu Essentiæ Dei, etiam si extra illum essent intellectio, & volitio.

14 Constat 2. ex disp. 7. sect. 7. Omnipotentiam, utpotè prædicatum absolutum, distinguit virtualiter à Relativis. Nec obstat quod Ioan. 1. dicatur specialiter de Verbo: Omnia per ipsum facta sunt: & Psal. 3. Verbo Domini Cæli firmati sunt. Non enim id dicitur, quia Omnipotentia, quæ omnia facta sunt, sit prædicatum notionale proprium Relationis Verbi: sed quia Pater, cui modo quadam appropriationis tribuitur Omnipotentia, iuxta illud Symboli: Patrem Omnipotentem; sicut Filio Sapientia, & Spiritui Sancto amor; in ratione Omnipotentis, & prudenter operativi ad extra præ requirit, & completur per notitiam factibilibus, cui notitiæ

specialiter correspondet ad intra Verbum, ut expressio loquuti subsistens, & exemplar notionale factibilium. Videndus Montoya disp. 111. Ubi similiter explicat modum, quo aliquando adscribitur etiam specialiter Omnipotentia Spiritui Sancto iuxta illud: Et Spiritu eris eius omnis virtus eorum: emitte Spiritum tuum, & creabuntur. Veni creator Spiritus: quia scilicet Pater in ratione Omnipotentis, & voluntariè operativi ad extra completur per volitionem cuius terminus specialis, & notionalis est Spiritus Sanctus, qui est amor notionalis.

15 Superest in præsentia difficultas: quomodo Attributū Omnipotentia sumptæ pro virtute omnium factibilium productiva, distinguatur, nec ne, ab Attributis Intellectus, & Voluntatis, seu Intellectionis, & Volitionis necessariæ?

16 Quadruplicem invenio sententiam. Prima distinguit Omnipotentiam virtualiter ab intellectione, & volitione, sicut istas inter se. Martinonius disp. 22. de Deo, sect. 1. Aldè in Select. disput. 2. cap. 10. Bernal in Manuscriptis, pro quibus citari solet P. Suar. ubi supr. in Metaph. Secunda distinguit virtualiter Omnipotentiam ab intellectione, & non ita à volitione. Amicus tom. 1. disp. 17. Quiròs disp. 62. sect. 2. Borrull d. sput. 8. de Attrib. sect. 4. graveque Recentiores, pro se citantes Scotum, Molinam, & Herize. Tertia distinguit virtualiter Omnipotentiam à Volitione, & non ita ab Intellectione. Arriaga tom. 1. disp. 40. Aldrete disp. 26. de Incarn. sect. 6. favetque Godoy tom. 1. in 1. part. disp. 32. à num. 55. Quarta identificat realiter etiamque formaliter Omnipotentiam æquè cum Intellectione, & Volitione. Hemelman vol. 2. tit. 10. doctique Juniores: quamvis distinguant virtualiter Intellectionem, & Volitionem inter se.

17 Prima conclusio. Omnipotentia distinguitur ab Attributis Scientiæ, & Voluntatis. Dei eo modo, quo hæc Attributa distinguntur inter se. Unde si hæc distinguntur inter se virtualiter, virtualiter quoque ab ipsis distinguitur Omnipotentia: solâ tamen ratione ab illis distinguitur, sicut solâ ratione distinguntur illa inter se. Probat, quia par omnino est, vel non est fundamentum distinctionis illarum ab Omnipotentia, ac inter se: ergo distinguitur Omnipotentia ab ipsis eodem modo quo ipsæ inter se. Antecedens probatur: quia

Montoy.

Psal. 32.

Psal. 103.

Hyman.

Martin.

Aldè.

Bernal.

Suar.

Amic.

Quiròs.

Borrull.

Scot.

Molin.

Herize.

Arriag.

Aldrete.

Godoy.

Hemelm.

quæ, si verum est, quod in sensu reali Verbum procedit per Intellectum, & non per Voluntatem: & Spiritus Sanctus per Voluntatem, & non per Intellectum; eodem modo verum erit, quod neuter procedit per Omnipotentiam: hæc enim, nec magis, nec aliter est principium Verbi, quam Voluntas: nec magis, nec aliter est principium Spiritus Sancti, quam Intellectus: ergo par omnino est fundamentum contradictorium, ac proinde par distinctio virtualis in Omnipotentia ab Intellectu, & Voluntate, ac inter Intellectum, & Voluntatem adinvicem.

18 Quoniam verò vidimus disput. 8. sect. 1. & 2. nulla eiusmodi contradictoria in sensu reali verificari de Intellectione, & Volitione, nec de intellectu, & Voluntate; nulla etiam verificantur inter ipsas, & Omnipotentiam: nam in sensu reali non solum per Intellectum, quin etiam & per Voluntatem, & per Omnipotentiam procedit Verbum; & Spiritus Sanctus in sensu etiam reali non solum per Voluntatem, sed & per Intellectum, & per Omnipotentiam, & per alia Attributa constituentia Naturam divinam, ut diximus ibidem. Quod autem in sensu formali dicatur potius Verbum procedere per Intellectum, vel per Intellectionem, quàm per alia: & Spiritus Sanctus potius per Voluntatem, aut per Volitionem, quàm per Omnipotentiam, & per alia; nullam fundat contradictionem, ut vidimus ibidem: ergo sicut propterea diximus ibi, non distinguere virtualiter Attributa Intellectus, & Voluntatis inter se; eodem iure dicendum est, non distinguere virtualiter ab illis Omnipotentiam; sed per rationem dumtaxat ex modo nostro concipiendi.

19 Obijcies. Voluntas, seu Intellectus Dei, dirigit, & imperat; & Omnipotentia imperatur: Omnipotentia operatur, quia Voluntas Dei vult, & non è contra: & hoc quidem à parte rei: ergo à parte rei datur prioritas, & distinctio virtualis inter Voluntatem, & Omnipotentiam. Concesso antecedente, negatur consequentia: nam ipsa quoque Voluntas imperat, & imperatur tam in Deo, quàm in nobis absque distinctio virtuali à se ipsa. Hoc enim genus imperij non est politicum, aut æconomicum respiciens alios; sed monarchicum, quo vnus sibi ipsi imperat, quod non est aliud nisi operari, quia vult. Neque ex hac causali, seu quasi causali, operatur quia

vult; arguitur prioritas aliqua, aut distinctio plusquam rationis, ut vidimus in eadem disp. 8. sect. 1. Et dato quod argueretur; non perinde argueretur inter Voluntatem, & Omnipotentiam; sed inter volitionem, & operationem Omnipotentia: quæ quidem realiter distinguatur: cum illa sic ipse Deus, & ista sit operatio ad extra, & quid creatam.

20 Mirum est quod lego apud aliquos: qui cum nobiscum intellexerint, quomodo intellectio dirigat volitionem absque virtuali distinctione inter illas; nunc intelligere nolunt quomodo Voluntas absque distinctione virtuali ab Omnipotentia imperet Omnipotentiam. Profecto ipsum exercitium suæ Voluntatis sibi intrinsecum habet Deus, quia vult: imò & nos quando Voluntate liberè operamur dicimur sic operari, quia volumus: non tamen ea causalis, seu quasi causalis, quia, denotat præcedentiam volitionis ad operationem Voluntatis, quæ est ipsummet velle: alioquin cum quodcumque velle liberum habeamus, quia volumus; ad hoc velle præcedere deberet aliud velle imperans, & sic in infinitum: solum ergo denotat talem modum habendi illud velle, ut posset pro libito non haberi: ut exponit rectè Quiròs disp. 62. sect. 3.

21 Secunda conclusio. Omnipotentia non magis distinguitur ab Intellectu, quàm à Voluntate Dei, aut è converso; sed æquè ratione, & solâ ratione ab illis tam simul, quàm seorsum sumptis. Imprimis, quod sola ratione distinguatur constat ex dictis. Quod autem ratione saltem distinguatur ab illis satis ostenditur per ea quæ dicit S. Tho. 1. p. q. 25. art. 1. Ad quartam dicendum, quod potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens à Scientia, & Voluntate secundum rem, sed secundum rationem: in quantum scilicet potentia importat rationem principij exequentis id quod Voluntas imperat, & ad quod Scientia dirigit. Et art. 5. ad 1. Potentia intelligitur ut exequens, Voluntas autem ut imperans, Sapientia ut dirigens. Sic igitur formamus diversos, seseque excludentes conceptus de his tribus Attributis: ac proinde ratione nostrâ distinguntur mutuo inter se.

22 Obijcies aliqua Scripturæ loca, tribuentia specialiter divinæ Voluntati operationes ad extra, ut Psal. 148. Omnia quæcumque voluit fecit. Unde dixit Leo Mag.

Quiròs.

S. Tho.

Psal. 148.

S. Leo.

Lumb.

Supra disput. 5. sect. 4.

Suar. S. Tho.

Supra disp. 7. Ioan. 1. Psal. 32.



*Damas.* & Damascenus: *Ipsius Dei potentia nihil aliud est, quam bona ipsius Voluntas: & August.* Augustinus: *Omnia quæ ex nihilo creasti, solâ Voluntate fecisti:* ergo Omnipotentia, seu virtus executiva Dei ad extra est formaliter ipsa Voluntas. Sic Authores secundæ sententiæ. Respondetur, ea & similia loca solùm velle, quòd Deo ad exequendum quod vult non desunt vires, sicut sapè creaturis, multa volentibus affectivè efficaciter, & ob defectum virium executivarum non assequentibus. Ut autem divinæ Voluntati vires non desint, sufficit, quòd Omnipotentiam habeat secùm identificatam: quòd verò illam habeat distinctam, sive indistinctam ratione nostra à Voluntate potius quàm ab Intellectu, nihil prorsus refert ad veritatem solidam doctorum testimoniorum: nec de hoc curant Ss. Patres. Iuxta quorum phrasim de potentissimis etiam hominibus dicere solemus, suum velle esse suum operari: non quia potentia factiva non sit in illis distincta à Voluntate; sed quia cum cætera omnia ad executionem sint illis in promptu, sola videtur expectari illorum Voluntas, ut res fiant.

23 Obijcies secundò. Distinguere in Deo potentiam exequentem à suis decretis derogat istorum efficacitati, & perfectioni: ergo nullatenus distinguenda est. Antecedens probatur: nam inde fit, divinam Voluntatem decernentem secundum se concipi à nobis sine virtute executivâ perfectâ, & infinitâ: siquidem necessaria illi est alia facultas ad exequendas res. Respondetur, negando antecedens: non enim nisi per errorem potest à nobis concipi Voluntas, sive decretum Dei, sine virtute executivâ, hoc est, illi negando ex parte obiecti virtutem executivam, cum re ipsa illam habeat secùm identificatam, & non quasi emendicatò illi advenientem. Quod verò possit à nobis concipi Dei Voluntas, seu decretum volens, quin ex illo modo concipiendi affirmemus, aut negemus esse virtutem executivam, sed præcisivè nos habendo; non est imperfectio divinæ Voluntatis, sed humani Intellectus imperfectiè concipientis res perfectissimas, sicut temporaliter res æternas, & limitatè res infinitas.

24 Obijcies tertio. Eo præcisè, quòd intelligamus Deum efficaciter volentem,

seu decernentem rem tali tempore produci, seclusâ per impossibile quacumque alia virtute, produceretur res: sed non sine aliqua virtute productivâ: ergo per virtutem productivam, quæ sit formaliter etiam ratione nostrâ ipsum decretum, seu volitio efficacis Dei. Respondetur negando maiorem: in eo enim casu ficto nihil produceretur, nec esset efficacis quoad effectum ea volitio, sed quoad affectum, sicut nunc sunt multæ volitiones nostræ de rebus, quas non possumus exequi. Dices: hoc fore imperfectiorem in Deo. Fateor: longè tamen est Deus à tali imperfectiõne, non nisi in casu ficto, & impossibili, potente Deo competere. Nunc autem Dei decreta habent ex se formaliter, & adæquatè intrinsicè efficacitatem affirmativam; affirmativam verò formaliter ab Omnipotentia potente facere, & faciente, quod Voluntas decernit. Et patitur obiectio instantiam manifestam in Scientiâ divina de Petro existente: quæ, quamvis sit intrinsicè vera, & ad hoc necesse sit Petrum produci; non tamen necesse est produci formaliter à Scientiâ, sed ab Omnipotentia formaliter distinctâ per rationem. Tandem videre debuissent sic obijcientes, hoc pacto constitui ab ipsis Omnipotentiam inter prædicata Dei in suo esse formali libera; quod absolute est.

### SECTIO III.

*AN OMNIPOTENTIA INTRINSECÈ, ABSOLUTÈ, & SECUNDUM SE, SIT AD SOLA POSSIBILIA; AN ETIAM AD IMPOSSIBILIA, SI FIERENT POSSIBILIA.*

25 **C**elebris est, & vtrò citòque pugnaciter exagitata præfens controversia, communiter confundi solita cum alia disputandâ *sect. 5.* quasi idem sit, Omnipotentiam essentialiter esse ad sola possibilium, ac connecti essentialiter cum possibilibus; & idem sit, Omnipotentiam esse ad possibilium & simul ad impossibilia, si fierent possibilium, ac inconnecti cum possibilibus. Quod, quia mihi imprimis falsissimum est, & occasio multarum æquivocationum in hac materia; ideo seorsim has duas difficultates propono, & resolvo in hac, & sequentibus sectionibus.

Pa.

*Vasq.* 26 Pater Vasquez, quem Gillius, vterque Hurtadus, Ripalda, Raynaudus, Basilius Legionensis, Borrull *disp. 8. sect. 5.* alijque complures sequuti sunt, contendit Omnipotentiam ex intrinsicis suis esse quoque ad impossibilia si possibilium fierent; ac proinde non taliter esse ad sola possibilium, ut si hæc fierent impossibilia desineret esse Omnipotentia: quinimò maneret cum eadem intrinsicè virtute, quam nunc habet. Et hoc vocant Omnipotentiam inconnecti cum creaturis possibilibus, seu cum possibilitate creaturarum.

*Suar.* 27 P. Suarez, quem Montoya, Herizze, vterque Perez, Ribadeneyra, Fasolus, alijque communis sequuntur, contendit oppositum: scilicet, Omnipotentiam nullatenus esse ad impossibilia, sed ita ad sola possibilium, ut si hæc possibilium non essent, nulla foret virtus in Omnipotentia, & proinde non esset Omnipotentia. Et hoc vocant, Omnipotentiam essentialiter connecti cum creaturis possibilibus, seu cum possibilitate creaturarum.

28 Conclusio. Omnipotentia intrinsicè, & absolute est virtus ad sola possibilium, & nullatenus ad impossibilia: taliter nimirum, ut si possibilium fierent impossibilia, aut impossibilia possibilium, ad neutra esset virtus, nec esset Omnipotentia, nec esset Deus. Hæc est in re sententia Patris Suarez. Quamvis hoc nec sit, nec vocari possit connectio Omnipotentia cum possibilibus, ut seorsim evincemus in sequentibus.

29 Nunc ex duplici fundamento solidissimo probo præsentem conclusionem. Unum est ex eo quòd Deus ita essentialiter est hic Deus, ut Deus, cui desset aliquod prædicatum necessarium, aut cui conveniret aliquod prædicatum repugnans huic Deo; non esset Deus, quia non esset hic Deus; ac proinde esset chimericus, utpote Deus distinctus ab hoc Deo, qui unice possibilis est. Alterum est ex eo, quod ad impossibile nec datur, nec dari potest potentia.

30 Ex priori fundamento arguo pro conclusione sic. Deus ita essentialiter est hic Deus, ut si illi desset aliquod ex prædicatis necessarijs, quæ nunc habet, aut si haberet aliquod ex prædicatis, quæ ipsi repugnant; non esset Deus, quia iam non esset hic Deus: sed si possibilium fierent impossibilia, aut è contra, desset Deo aliquod ex prædicatis necessarijs, quæ nunc habet, &

haberet aliquod ex prædicatis, quæ ipsi repugnât: ergo desineret esse hic Deus, & consequenter desineret esse Deus. Maior est innegabilis. Probo minore. Scientia, qua Deus videt, se habere potentiam absolutam creandi mundum, & angelos: & scientia simplicis intelligentia, qua cognoscit Angelos esse possibilium, & chimeram esse impossibilem: & impossibilium esse suppositiones, quòd angeli essent impossibilium, & quòd chymera esset possibilium, alia quæ huicmodi; sunt prædicata necessaria Dei: quia omnium voto sunt scientia necessaria, à differentia aliarum scientiarum liberatæ, seu contingentium: sed tales illæ scientia desset Deo, & loco illarum haberet Deus scientias oppositas sibi nunc repugnantes, si possibilium fierent impossibilia, aut è contra: ergo desset Deo aliquod ex prædicatis necessarijs, & haberet alia, quæ nunc ipsi repugnant.

31 Probatur hæc minor. Nam in eo casu, iuxta sensum, & modum loquendi Adversariorum, quamvis quoad sufficientiam esset Deus potens ad omnia; absolute tamen, & quoad efficaciam non esset absolute potens creare mundum, & Angelos, siquidè essent impossibilium: & esset absolute potens creare aliqua, quæ nunc sunt impossibilia, & chimeræ, siquidem essent possibilium: ergo desset Deo scientia, qua nunc videt se habere potentiam absolutam creandi mundum, & Angelos, aliaque nunc possibilium, & scientia simplicis intelligentia, qua nunc cognoscit, Angelos esse possibilium, & chimeram esse impossibilem, & impossibilium esse prædictas suppositiones: & loco istarum scientiarum necessariarum haberet oppositas sibi repugnantes: scilicet scientiam, qua videret, se non posse absolute, & quoad efficaciam creare mundum, & angelos: & scientiam simplicis intelligentia, qua cognosceret mundum, & Angelos esse impossibilium, & chimeras esse possibilium, & possibilium quoque esse dictas suppositiones.

32 Unde, nec Pater divinus generaret hoc Verbum: neque per hanc generationem generaret: cum generet Verbum ex cognitionibus saltem necessarijs, quæ nunc habet. Multa igitur ex prædicatis necessarijs, & indefectibilibus, quæ nunc habet Deus, desset in Deo: & multa haberet ex sibi nunc repugnantibus, si possibilium fierent impossibilia, aut impossibilia possibilium: sicque desset hic Deus, & hæc Omni-

pa.

potentia in eo casu. Cum autem Deus ita essentialiter sit vnicus, vt nec sit, nec esse possit alius; absoluté, & omnino nec esset Deus, nec Omnipotentia in illo casu: ergo Omnipotentia, & Deus ratione suorum prædicatorum necessariorum, & indefectibiliū taliter respiciunt possibilia, & impossibilia, vt si possibilia fierent impossibilia, aut é contra, non daretur virtus Omnipotentia ad illa producenda: atque adeo essentialiter, & absolutissimé est virtus ad sola possibilia, & nullatenus ad impossibilia, æqué per locum intrinsecum repugnans cum eo quod possibilia definant esse possibilia, & cum eo quod impossibilia definant esse impossibilia.

33 Confirmatur. Si possibilia essent impossibilia, vel daretur in Deo scientia, quæ nunc absoluté quoad denominationem, & quoad efficaciam, necessariò cognoscit esse possibilia; vel daretur scientia opposita: vel daretur vtraque: vel neutra. Si primum, daretur in Deo scientia falsa: tunc enim falsum esset dicere, ea esse possibilia: quod est chymera. Si secundum, daretur in Deo scientia, quæ nunc ipsi repugnat ex prædicatis suis necessarijs: quod etiam est chymera. Si tertium, darentur simul in Deo scientia contradictoria: quod etiam est chymera. Si quartum: daretur in Deo inscitia summa: cum é duobus contradictorijs neutrum scire: quod est quoque chymera. Quocumque igitur te veritas, esset tunc Deus chymericus, & impossibilis, atque adeò non Deus, si possibilia fierent impossibilia, aut impossibilia possibilia: ergo taliter est Deus verus Omnipotens ad sola possibilia, vt per locum intrinsecum repugnet ex prædicatis suis necessarijs cum impossibilitate possibilium, & cum possibilitate impossibilium.

34 Ex posteriori fundamento arguo sic. Implicat virtus productiva, & vera potentia ad impossibile: ergo etiam si creaturæ possibiles essent impossibiles, implicaret virtus productiva, & vera potentia ad ipsas: esset enim potentia ad impossibile, & virtus productiva improducibilium: ergo Omnipotentia totusque Deus taliter est vera virtus ad sola possibilia, vt implicaret, si possibilia non essent possibilia: definirer enim esse vera virtus: quod est vnum ex intrinsecis suis prædicatis.

35 Solennis responsio est: ad impossibile implicare veram potentiam, & virtutem productivam, absolutam, quoad effi-

ciam, seu quoad denominationem; non verò quoad sufficientiam, & quoad entitatem quantum est ex se. Sicque ad ea quæ nunc sunt possibilia, & ad ea quæ in eo casu essent impossibilia, inest Deo vera virtus quoad sufficientiam, vel, vt aiunt alij, quoad entitatem, & quantum est ex intrinsecis Dei: hoc est, vera potentia quantum est ex se productiva eorum, si ex parte ipsorum non daretur repugnantia, aut si purgarentur impossibilitate, vel, vt alij loquuntur, sub conditione semper, quod essent possibilia. Firmant hoc doctrina celebri de potentia obedientiali, quæ est, inquit, virtus ad effectus supernos; taliter tamen inconnexa cum ipsis, vt perstaret eadem, ipsis quoque impossibilibus: ne dicatur cum ipsis connecti.

36 Imprimis infirmisimum est totum hoc, quod ex P. Ripalda asseritur de potentia obedientiali, & mihi falsissimum, malæque causæ peius patrocinium. Neque enim quidquam maneret potentia obedientialis, si effectus supernaturales essent impossibiles: neque hæc est connexio, quæ vllatenus repugnet inter naturalia, & supernaturalia, vt ostendam *disp. 18.* Eadem ibi subeunt difficultatem Authores isti: quam ibi declarant per hanc doctrinam de Omnipotentia, & nunc hanc doctrinam de Omnipotentia declarant per illam de potentia obedientiali, vitiosissimè, & insufficientissimè circumuendo.

37 Deinde contra primò. Ex intrinsecis Omnipotentia Dei seorsim à possibilitate Angeli, & impossibilitate chymera, vel datur in Deo eadem potentia, & virtus entitativa, & quoad sufficientiam ad producendum Angelum, & chymeram; vel non? Si secundum: ergo si Angelus fieret impossibilis, deesset Deo ea specialis potentia, & virtus intrinseca, quæ nunc est, ad Angelum præ chymera: in eo enim casu haberent se Angelus, & chymera, sicut nunc se habet chymera. Si dicatur primum: ergo nunc de facto ex intrinsecis Dei non plus potestatis, dominij, & libertatis inest Deo ad producendum Angelum, quam ad producendam chymeram: & sicut verum est, quod ex intrinsecis suis est Deus potens, & liber quantum est ex se ad producendum, vel non producendum Angelum intellectivum, & spiritualem; sic etiam ad producendum Angelum materiale, & irrationale: & sicut Angelus intellectivus, & spiritualis continetur eminenter in

Ripald.

Infr. disp. 18.

Omnipotentia Dei; sic pariter ex ipsdem intrinsecis continetur Angelus materialis, imò, & creatura aliqua destructiva Dei. Nec perinde sequeretur, Deum esse destructibilem iuxta has doctrinas: sicut nec sequitur, aliquid esse producibile ex eo quod Deus possit ex intrinsecis suis illud producere: posset ergo Deus producere creaturam destructivam Dei: quæ scilicet tantam haberet vim Dei destructivam quamvis Deus sit indestructibilis, quantum habet Deus vim talis creaturæ productivam, quamvis ipsa sit improducibilis. Si dicas ad cuncta hæc dari in Deo potentiam, & virtutem intrinsecam, pro casu quo essent possibilia, & sub conditione solum, quod purgarentur impossibilitates.

38 Contra secundò. Casus, quo chymera essent possibiles, vel est casus possibilis, vel impossibilis. Si possibilis: ergo possibile est, impossibile fieri possibile: quod esset iam nunc esse possibile. Si impossibilis: ergo virtus hæc Omnipotentia quoad sufficientiam producendi impossibilia solum est ad illa producenda pro casu impossibili: ergo nunquam est ad producenda impossibilia ita purgata impossibilitate, vt non involvant ipsam impossibilitatem in eo ipso casu, sicut involvunt ipsum casum, & in eo essentiam rei impossibilis: ergo implicans est in suis ipsis terminis data responsio. Insuper: casu quo aliqua impossibilia essent possibilia, essent possibilia aliqua impossibilia: quod est idem ac esse simul impossibilia, & possibilia: sed hoc est non minus impossibile, & chymericum, quam quodlibet aliud impossibile, cum sit chymerarum chymera: ergo virtus illa, quæ iuxta datam responsionem tribuitur Omnipotentia ad impossibilia, est ad impossibilia pro casu non minus impossibili, ac est impossibilis de facto casus præsens impossibilium, & chymerarum: ergo si ad impossibilia, & ad chymeras pro præsentis casu, & statu, quem nunc habent suæ impossibilitatis, non datur in Deo potentia; similiter nec datur pro eo casu, & statu implicatissimo responsionis: & consequenter pro nullo. Sicut ergo nulla datur in Deo potentia ad possibilia si fierent impossibilia; sic nec ad impossibilia: quia in vno casu possibilia essent impossibilia; & in alio impossibilia essent possibilia; quod æqué implicans est. Itaque ad sola possibilia datur virtus in Omnipotentia, & nullatenus ad impossibilia:

quæ virtus ex intrinsecis suis æqué pugnat cum eo quod impossibilia sint possibilia, ac cum eo quod possibilia sint impossibilia: quia essentialiter pugnat cum omni chymera.

39 Contra tertio. Si ea conditio chymericæ possibilitatis impossibilium pro eo casu responsionis, ita purgaret impossibilia impossibilitate, vt dari possit, ac detur in Deo vera potentia ad illa producenda, si essent possibilia; similiter conditio chymericæ bonitatis peccatorum, si nempe mentiri esset bonum, purgaret mendacium suæ turpitudine, ita vt dari possit, & detur in Deo facultas intrinseca, entitativa, & quoad sufficientiam ad mentiendum, si nempe mentiri esset bonum: sicque iuxta Theologiam Adversariorum, ex intrinsecis Dei æqué prorsus daretur in Deo facultas ad falsiloquium, ac ad veriloquium: ad revelandam quaternitatem, ac Trinitatem Personarum divinarum, & ad alia similia, quæ recensere pudet. Aut cur non ita? Stet ergo neque ad ista turpia, neque ad illa impossibilia dari in Deo potentiam, sed essentialissimam repugnantiam, ita vt non esset Deus si talia posset, sicut si cuncta possibilia non posset.

40 Obijcies primò. Deus, eiusque Omnipotentia constitui debet modo perfectissimo: sed perfectius constituitur talis, vt eadem permaneret absolutissimè, casu etiã quo possibilia essent impossibilia, aut é contra: ergo sic constituenda est: atque adeò cum virtute quoad sufficientiam non solum ad possibilia, quin etiam ad impossibilia. Probatur minor. Primò, quia sic constitueretur magis inconnexa cum creaturis. Secundò, quia sic esset magis immutabilis, magis necessaria, & magis indefectibilis, vt pote permanens pro hypothese etiam, quod creaturæ repugnarent. Tertio, quia sic esset Deus magis independens, magis sibi sufficiens, minusque aliorum egens, iuxta illud Davidis: *Bonorum meorum non eges.* *Psalm. 131.* Quarto, quia sic constitueretur cum maiori latitudine suæ infinitissimæ virtutis, ex se, & quoad sufficientiam, ad impossibilia, & chymeras vsque pertingentis.

41 Respondetur negando minorem. Ad primam probationem, ego quidem inconnexissimum defendo Deum cum omni non Deo, excludens omne omnino eius necessariū præter Deum, vt stabilivi *disp. 2. sect. 2.* & firmabo sect. seq. contra multos, *Supra disp. 2.* qui nescio quo ausu divina se inconnexio-

nis vindices iactant, postquam Deum essentialissimè connexum cum innumero carentiarum actualiter existentium grege asserere non verentur. Dico ergo, fallum mihi esse quòd ita constituatur Omnipotentia magis inconnexa, per ea quæ de ipsius inconnexione cum omni non Deo dicemus *sect. seq.* Quòd si prædictum modum constituendi Omnipotentiam ita ut tota intrinseca, & entitativa ipsius virtus perstaret casu etiam impossibili quòd possibilia fierent impossibilia, appellare velis maiorem inconnexionem; dicam esse inconnexionem chymericam, quam Deus, nec habet, nec amat, sicut nec inconnexionem mutuam divinarum Personarum, similiter chymericam.

42 Ad secundam probationem, nego etiam sic fore Omnipotentiam magis immutabilem, magis necessariam, & magis indefectibilem: nihil enim magis immutabile, necessarium, & indefectibile, quàm quòd in nulla hypothese possibili deficere potest. In hypothese autem impossibili, & chymericà nihil est quod defectibile non sit, casu nempe, quo desideret esse. Aut quid, precor, derogat immutabilitati, necessitati, & indefectibilitati divinæ Paternitatis, quòd deficeret, casu impossibili, quo Filiatio deficeret? Quid inde contra perfectissimam divinæ Paternitatis indefectibilitatem, aut necessitatem essendi?

43 Ad tertiam dico, nec perinde fore Deum magis independentem, magis sibi sufficientem, minùsque aliorum egenum: nihil enim esse potest independentius, sibi que sufficientius illo, qui cunctis alijs non existentibus permaneret in summa felicitate: hoc autem habet Deus, cum omni non Deo essentialiter inconnexus, & nullius omnino egens extra se. Nec possibilitate quidem intrinsecà creaturarum eger, quàm scilicet non existente, perstaret Omnipotentia, ut explico *sect. seq.* Quòd autem casu etiam impossibili, quo ea possibilitas non esset possibilis, perstaret Omnipotentia, non est independentia realis, sed chymérica: sicut & illa, quàm perstaret Pater divinus casu etiam impossibili, quo possibilitas Filij non existeret, aut quo existentia Filij non esset possibilis.

44 Ad quartam dico, quòd sic constitueretur Omnipotentia cum maiori latitudine; chymericà tamen: sicut si se extenderet potestas Dei ad peccandum, aut ad se destruendum. Certè tanta perfectio est

non posse ista, sicut posse alia: ideoque Omnipotentia sicut est essentialis possibilitas possibilium, ita & essentialis impossibilitas impossibilium. Nec esse potest Omnipotentia obsequium constituere illam tam potentem ex intrinsecis suis ad impossibilia, quàm ad possibilia: hoc enim ipsum est non constituere illam ex intrinsecis suis magis potentem ad possibilia, quam ad impossibilia: quod est de medio tollere Omnipotentiam, imò & quamcumque potentiam: cum ad impossibile nulla potentia dari possit.

45 Obijcies secundò. Omnipotentia est ens magis necessarium, quàm possibilitas creaturarum: ergo quamvis non daretur possibilitas creaturarum, daretur Omnipotentia: ergo daretur eadem Omnipotentia, quamvis creaturæ possibiles essent impossibiles; sicque esset tunc, ac proinde est nunc etiam virtus ad impossibilia. Confirmatur: quia si impossibilibus his creaturis, non maneret Omnipotentia, tam necesse esset has creaturas esse possibiles, ac est necesse dari Omnipotentiam.

46 Respondetur concedo antecedens, & primam consequentiam, loquendo de possibilitate intrinsecà creaturarum, quæ est in vnaquaque creatura sua essentialiam si sermo esset de possibilitate extrinsecà, quæ est ipsa Dei Omnipotentia productiva creaturarum, totum esset fallum: hæc enim possibilitas extrinseca creaturarum est tam necessaria, ac ipse Deus, cum sit ipse Deus. Concessis, inquam, antecedente, & primam consequentiam de possibilitate intrinsecà creaturarum, quæ est quid creatum utpote ipsamet essentia creaturæ; nego secundam consequentiam. Aliud enim est, non dari possibilitatem creaturarum, quod est contingens, & verum, quoties verum est non dari creaturas, cum ea possibilitas intrinseca sint ipsa prædicata essentialia cuiuscumque creaturæ; & aliud est, creaturas possibiles esse impossibiles, quod nec est possibile, nec verum; sed impossibile, & chymérica: quàm data, sequeretur alia chymericà, scilicet Omnipotentiam non existeret: nihil autem est absurdum, quòd ex vno impossibili sequatur aliud impossibile.

47 Ad confirmationem, distinguo: tam necesse esset has creaturas esse possibiles, ac est necesse dari Omnipotentiam: tam necesse, inquam, necessitate quæ sit ipse Deus concedo: necessitate, quæ sit aliquid necessariò existens extra Deum, nego.

Cum

Cum enim dicimus, necesse esse, creaturas esse possibiles, nihil absolutè necessarium significamus extra Deum; sed vel necessitatem absolutam possibilitatis extrinsecæ creaturarum, quæ est ipse Deus, & tam necessaria ac ipse Deus: vel necessitatem respectivam, quàm creaturis necessarium est prædicatum suæ possibilitatis intrinsecæ, quatenùs sine ipso, sicut nec sine sua essentia, esse non possunt. Hoc autem (quod solum potuit intendere P. Suar. *lib. 9. de Trin. cap. 6. num. 19.* quamvis aliò distractus à Stumelio *to. 1. contr. 15. q. 4. S. 1.*) non est affirmare absolutè aliquid necessarium extra Deum; sed affirmare conditionatè, quòd si creaturæ existant, existent cum sua possibilitate, utpote prædicato essentiali ipsarum, & nullam ex sua existentia inferendo contradictionem. Ex quo nullius omninò rei inferitur absoluta necessitas, sed solius Dei necessariò existentis, sibi que identitatis repugnantiam actualem essentialem impossibilitatis possibilium, & possibilitatis impossibilium.

48 Obijcies tertio. Si non esset in Deo virtus ad impossibilia, nec ad possibilia in casu etiam, quo repugnant; chymericæ essent improducibiles ex defectu virtutis Omnipotentia ad ipsas: sed hoc est absonum: ergo est in Deo ea virtus ad impossibilia: atque ad eam casu etiam, quo possibilia fierent impossibilia, staret Omnipotentia cum eadem virtute, quam nunc habet, ad ea producenda. Confirmatur: nam per nos ipsa Omnipotentia est extrinseca repugnantia impossibilium: ergo essent improducibilia ex defectu Omnipotentia.

49 Respondetur, distinguendo maiorem: chymericæ essent improducibiles ex defectu virtutis, qui sit defectus Omnipotentia, nego: qui sit summa Omnipotentia perfectio, concedo. Cum enim Omnipotentia, quæ est essentialis repugnantia chymerarum, repugnet omnibus chymericæ, sicut ipsi repugnat ipsius destructio, & operari peccatù; summa eius perfectio non est habere virtutem ad chymeras, sicut nec ad sui destructionem, nec ad peccandum. Nego autem in minori, hoc absonatè: & falsa est consequentia: & qua posses ulterius subinferre, dari in Deo similem virtutem ad se destruendum, aut ad peccandum, ne dicatur Deus ista non posse ex defectu virtutis suæ Omnipotentia. Ad confirmationem, concessio antecedente, nego consequentiam. Aliud enim est, quòd Omnipoten-

tia desit virtus ad impossibilia, & chymeras: aliud est quòd iste sit defectus Omnipotentia. Primum est verum: nec solum desit illi virtus ad chymeras, quinimò eius infinita virtus est ipsissima repugnantia, & essentialis exclusio chymerarum. Secundum est fallum: nam hoc non reddit Omnipotentiam defectuosam, sed absolutissimè perfectam, sicut nec defectus potentia peccandi, aut se destruendi, aut in Spiritu Sancto defectus potentia generandi aliam Personam.

#### SECTIO IV.

AN OMNIPOTENTIA SIT  
essentialiter connexa cum creaturis  
possibilibus, seu cum possi-  
bilitate creatura-  
rum.

50 Conclusio est negativa cum  
P. Vasquez: cuius modum *Vesq.*

loquendi hic teneo, quamvis rem sententia contraria tenuerim *sect. præcedenti.* Quia experimento didici, multos ita pingui Minervâ intelligere connexionem Omnipotentia cum possibilibus, ut propterea Deum connecti essentialiter putent cum aliquo ente necessariò extra Deum, quod vocant possibilitatem intrinsecam creaturarum, uti iam cautè monui *disp. 2. sect. 2.* Contra quos iterum pronuntio, Deum unice ens necessarium, cum nullo omninò ente à se distincto essentialiter connecti, ac proinde neque cum possibilitate intrinsecà creaturarum. Dixi *intrinsecà*: quia extrinseca, ut nuper notavi, est ipse Deus. Postquam hoc sic tradideram cum sapientissimo, & amicissimo Commagistro, vidi doctissimum Tractatum de *Scientia Dei* Patris Nicolai Martinez, ubi multa, & præclara edices pro hac veritate, *Contraversa 2. disput. 1.* Aliqua dedi *disput. 2. sect. 2.*

51 Probatum conclusio perspicuè explicatione terminorum. Unum connecti essentialiter cum alio est non posse esse sine illo: sic creaturæ connectuntur cum Deo, vna divina Persona cum alijs, actio cum termino, unio cum extremis, & alia huiusmodi. Sed Omnipotentia, omni que perfectio necessaria Dei, potuit esse, & fuit ab æterno usque ad creationem mundi, & quidem connaturalissimè, sine omni prorsus ente à se distincto: ergo cum nullo prorsus

sus ente a se distincto essentialiter connectitur: atque adeo neque cum creaturis possibilibus, neque cum earum intrinseca possibilitate, quam secum identificant. Aliter, implicat ens necessarium, & in defectibile essentialiter connecti cum ente defectibili, & contingente: sed Deus, eiusque Omnipotentia est ens necessarium, & indefectibile; & omne distinctum a Deo est defectibile, & contingens, ut ostendi *disp. 2. sect. 2.* & est constans ex SS. Patribus: ergo implicat essentialis connexio Dei cum non Deo, seu cum ente quolibet distincto a Deo, ac proinde cum possibilitate intrinseca creaturarum. Maior patet: nam eo ipso esset Deus ens necessarium, ut supponitur, & non esset ens necessarium, utpote connexum cum ente defectibili, quo deficiente, illud quoque deficere necesse esset ex conceptu essentialis connexionis, uti cernere est inductione facta per omnia essentialiter connexa apud omnes.

52 Dices, per hæc probati, Omnipotentiam non connecti cum creaturis existentibus, aut cum existentia, & actualitate creaturarum, quæ contingens est; non verò probari, non connecti cum creaturis, ut possibilibus, aut cum possibilitate intrinseca creaturarum, aut cum creaturis quo ad ipsarum essentias, quamvis non quo ad existentias, & actualitates: quandoquidem earum essentia, ut aiunt æternæ sunt, & indefectibiles, quamvis earum existentia, & actualitates sint contingentes.

53 Scater ista responso verbis lubricis, ne dicam, periculosis. Imprimis hoc postremum ita dissonat à verò, ut scripserit eximie Suarez *disput. 31. Metaph. sect. 3. Non potuisse in mentem alicuius Doctoris Catholici venire, quod essentia creaturæ ex se, & absque efficientia libera Dei sit aliqua vera res, aliquod verum esse reale habens distinctum ab esse Dei.* Ibidemque statuit ut Fide certum, quod essentia creatura priusquam a Deo fiat nullum habet in se esse reale: citatque Uvaldensem numerantem inter errores Uvichephi, creaturas habere ab æterno aliquod esse reale distinctum a Deo. Quocirca S. Thoma *1. p. q. 16. art. 7. & q. 1. de Verit. art. 5. & in 1. d. 19. q. 4. art. 3.* monstrat, nullam veritatem obiectivam distinctam a Deo dari ab æterno. Et S. Bonav. in *2. quæst. 23.* meminit, damnatam à Parisiensibus fuisse hanc propositionem: *Multa fuerunt veritates ab æterno, quæ non erant Deus: & subdit:*

Suar.

Uvalde.

S. Tho.

Bonav.

*Hi omnes errores sunt tanquam pestifera vitandi.* Hæc & alia habere debent oculos qui sensum terminorum lapsu deducuntur ut dicant, creaturarum essentias, & possibilitates intrinsecas esse indefectibiles, æternas, & ab æterno, & ante earum existentias esse aliquid rei.

54 Quam longè ab ista mente fuerint plures antiqui, quibus tribui solet, examinat eruditè Martinez dicta *disput. 1. sect. 1.* non satis ab illa liberans. P. Albertinum *tom. 2. in 1. Princip. Philosoph. disp. 1. q. 1. num. 12.* Sicut neque ego satis libero doctum Stumelium, quantumvis variè tergiversari videatur *tom. 1. controu. 15. diffusè id pertractans, & pro illa referens q. 2. Basil Legionen. in suis Varijs, & aliquos alios: & deinceps q. 4. eventilans acro. iurgium inter celebres Scotistas Maltrium, & Ponciū: quorum alter contra alterum defendit rerum possibilitatem esse ens quoddam actuale mediū inter ens reale, & rationis: & quidem æternum, ac necessarium, & usque adeo a Deo independens, ac imparticipatum, ut videri potuerit Maltrio fomentum erroris Uvichephi. Quo iure, ipsi viderint. Mihi quidem ens quodcumque æternum necessarium a Deo distinctum, quantumvis diminutum, nequit eo ipso non videri ens rationis, & quidem minimè diminutum, sed ingens, ac immane.*

Martin. Albert.

Stumel.

Legion. Malt. Poncius.

55 Nec curæ nobis esse debet Aristoteles, cuius circumfertur effatum: *Quod essentia rerum sunt æterna, sive ab æterno,* Quippe id dixit confectariè ad errorem suum de creatione, seu de existentia mundi ab æterno: ideò falsò sibi persuadens, rerum species, quas vocat essentias, ab æterno cum mundo extitisse, & in æternum fore, quamvis indi vidua decursu temporis generentur, & corruptantur. Itaque corrigendus potius est per Fidem Aristoteles in hac parte, quam interpretandus: & absolutè dicendum, rerum creaturarum essentias, & possibilitates intrinsecas, neutiquam fuisse æternas, nec ab æterno, nec esse indefectibiles; sed defectibiles, & contingentes, non secus ac dicitur de ipsarum existentijs: ut patefecimus *disp. 1. sect. 2. & 2.*

Arist.

Supra disp. 2.

56 Deinde arguo contra responsonem pro conclusione sic. Intrinseca possibilitas creaturæ sunt ipsa prædicata essentialia, seu ipsa essentia creaturæ; & essentia creaturæ apud nos est, ipsa existentia creaturæ: & ut Thomistas, hoc ultimum negantes, feriat pariter argumentum, illud ponam

in prædicatis essentialibus modi, quem vocant existentiam, quæq; distinguunt ab essentia creaturæ, non verò ab ipsius modi essentia, seu quidditate. Ergo nunquam est possibilitas intrinseca creaturæ, donec est essentia creaturæ, nec essentia donec est existentia, ut est luce clarus: ergo implicat esse defectibilem, vel æternam essentiam, vel possibilitatè intrinsecam creaturæ, quin eodem prorsus modo sit indefectibilis, & æterna, fueritque ab æterno, existentia creaturæ: ergo & quod existentia creaturæ sit defectibilis, contingens, & temporanea quin eodem prorsus modo sit defectibilis, contingens, & temporanea essentia, & possibilitas intrinseca eiusdem creaturæ. Omnes istæ consequentiæ liquidissimæ sunt. Ex quibus non minùs liquidò subinfertur nostra conclusio, quod nempe eodem prorsus modo, quo Deus, eiusque Omnipotentia non connectitur essentialiter cum existentia, & actualitate creaturæ; neque connectitur cum essentia, aut cum possibilitate intrinseca eiusdem.

57 Respondent: connecti Deum pariter cum utraque, non ut existente, sed ut possibili: quod non est aliud, nisi Omnipotentiam ad sui existentiam requirere creaturas, earumque existentias esse posibles, quatenus si posibles non essent, non daretur Omnipotentia: quæ fuit in re doctrina nostra *sect. præced.* Hic sese prodit iuanitas huius scētæ, cui propterea loquendi modum post annos aliquot deserui, expertus utique, has voces veras sensum in multis peperisse falsissimum, & absurdum. Aliud est, Omnipotentiam ad sui existentiam requirere essentias, aut possibilitates creaturarum, aut creaturas posibles esse: & hoc, quod esset connexio, falsissimum est: nam Omnipotentia, ut sit, non requirit quod essentia, & possibilitates intrinsecas creaturarum sint, aut quod creaturæ posibles sint. Aliud est requirere, essentias, & possibilitates creaturarum, & creaturas, esse posibles: & hoc, quod fuit doctrina scētionis præcedentis, verum est: quia sic non requiritur in ipsis esse, sed modificativè, esse posibles: quod non est affirmare de ipsis absolutè aliquid quod actu sit; sed conditionatè, quod si essent, non inferrent contradictionem: id quod nihil ponit in rebus. Sicut hæc affirmatio: *Si haberem gratiam, essem sanctus:* nec ponit in me gratiam, nec sanctitatem: nec me denotat connexum cum gratia, & sanctitate;

sed gratiam, & sanctitatem connexas, vel identificatas inter se. Sic ergo ea affirmatio: *Omnipotentia requirit creaturas posibles, esse:* denotaret connexionem Omnipotentia cum creaturis possibilibus: & falsa est: hæc autem affirmatio: *Omnipotentia requirit, creaturas esse posibles:* vera quidem est; at non denotat connexionem cum creaturis possibilibus; sed Omnipotentiam requirere, quod hæc creaturæ si sint, non inferant contradictionem: quod nec est requirere aliquid actu essens extra Deum, nam obiectivum illud conditionatum, & eius obiectiva conditio, nihil est quod actu sit, sed quod esset: nec quidquam ponit, aut supponit actu in rebus extra Deum: ac proinde totam suam verificationem habet sine connexionem Dei cum aliquo extra Deum.

58 Quod si, hac luce non obstante, id vocare velis connexionem; sic certè tam cum essentia, existentia, & actualitate, quam cum possibilitate rerum, poteris, ac debetis Deum connexum asserere. Imò, & omne ens connectitur sic cum quolibet ente: quia nullum est quod ad sui existentiam non requirat Omnipotentiam, ac proinde, quod omnia possible sint possible. Hoc autem dici nequit, nisi abusivè alienando, & extendendo vocabulum essentialis connexionis ad omnes res: cum tamen conceptus connexionis inter illas tantum sit, quarum vna existere nequit sine alia existente: vna autem existit sine alia quando existit non existente alia, quamvis non quin alia possit existere; & existit, destructa alia, quamvis alia non fiat impossibile. Unde nomine connexionis Omnipotentia non maiorem connexionem significant hi Authores, quam quæ datur inter lapidem, & Angelum, inter frigus, & calorem, inter gratiam, & peccatum, inter saltationem Turcæ, & conversionem Pauli, inter naturalia, & supernaturalia, & inter alias res inconnexissimas.

59 Obijcies primò. Omnipotentia dicit transcendentalem ordinem ad possible: ergo essentialiter connectitur cum illis: nam transcendentalis ordo, & essentialis connexio, idem sunt. Nego consequentiam, & probatiunculam: nam quamvis omnis connexio sit ordo transcendentalis; non è contra. Aqua exigit, & respicit transcendentaliter frigiditatem actualem, quam scilicet in statu actualitatis appetit: cum qua tamen actuali non essentialiter connectitur.

Etur, cum sepe sine illa actuali sit: conne-  
ctitur tamen connaturaliter, quia sine illa  
connaturaliter esse nequit: ut clarius pateat  
connexionem, eo modo quo connexio est,  
dicere unum non posse esse sine alio: si  
connaturalis, nequit connaturaliter; si  
essentialis, nec divinitus. Dices, nomine  
connexionis essentialis cum possibilibus  
solum hic intelligi, Omnipotentiam taliter  
respicere possibilia, ut deesset Omnipoten-  
tia, si possibilia desinerent esse possibilia.  
Respondeo tamen, id non sic bene, sed si-  
nistrè, & abusivè prorsus intelligi: require-  
retur enim ad connexionem, quod deesset  
Omnipotentia, si possibilia desinerent esse:  
quod tamen falsum est, quin quando pos-  
sibilia non existunt, desinunt esse, quin  
perinde desit Omnipotentia. Ubinam est  
ergo conceptus essentialis connexionis, vel  
per umbram?

60 Obijcies secundo. Multa sunt  
Dei prædicata essentialiter connexa cum  
creaturis etiam existentibus: cur igitur non  
sic Omnipotentia? Antecedens probatur  
in decretis, & in Scientia visionis, præser-  
tim quæ essent de existentia ab æterno, &  
pro semper alicuius creaturæ. Respondetur  
distinguendo antecedens: quoad suum esse,  
nego: nam quo ad esse omnia divina ne-  
cessaria sunt; ac proinde essentialiter in-  
connexa cum contingentibus: quoad ali-  
quam denominationem contingentem in  
denominando, concedo antecedens: & hoc  
dumtaxat probat illud de decretis, & de  
Scientia visionis. Nego autem absolutè, sic  
evenire in Omnipotentia. Nam hæc quoad  
esse, & quoad denominationem omni-  
factivæ, prædicatum necessarium est, eã-  
dem necessitate, quæ Deus est Deus. Nec  
benè satis vtuntur obijcientes eã paritate  
Scientiæ, & decretorū contingentium: quippe  
iuxta illam inferrent connexionem Omni-  
potentiæ cum creaturis, vt existentibus. Me-  
lius nos ex illa inferimus, nihil nisi eo mo-  
do quo contingens est, posse essentialiter  
connecti cum contingentibus: atque adeo  
Omnipotentiam, quæ quoad entitatem,  
& quoad denominationem necessaria est,  
non posse connecti cum prædicato  
extra Deum: cum omnia  
extra Deum contingen-  
tia sint, & intrin-  
secè defecti-  
bilia.

## SECTIO V.

EX RELIQUARUM OBIE-  
ctionum solutione præcedentes doctri-  
na solidantur, & eluci-  
dantur.

61 Obijcies tertio. Nequit esse  
Omnipotentia sine possi-  
bilitate intrinsecâ creaturarum; ergo con-  
nectitur cum illa. Antecedens probatur:  
quia nequit esse: quin creaturæ sint intrin-  
secè possibiles: si enim esset intrinsece im-  
possibiles, non esset Omnipotentia, vt nos  
ipsi tenuimus *sect. 3.* ergo nequit esse sine  
intrinsecâ earum possibilitate. Confirma-  
tur. Possibilitas intrinseca creaturarum  
idem est, ac creaturæ esse intrinsecè possi-  
biles: sed Omnipotentia connectitur cum  
eo, quod est, creaturæ esse intrinsece pos-  
sibiles: ergo & cum possibilitate intrinsecâ  
creaturarum. Probatur minor: quia si non  
connecteretur cum eo quod est creaturæ  
esse possibiles; non est cur deesset, si crea-  
turæ non essent possibiles. Confirmatur se-  
cundo. Si repugnarent intrinsecè possibilia,  
deesset Omnipotentia: ergo est connexa  
cum eo quod creaturæ intrinsecè non re-  
pugnant: ergo cum non repugnantia, seu,  
quod idem est, cum possibilitate intrinsecâ  
creaturarum. Probatur prima consequen-  
tia: ex eo quod deesset Omnipotentia, si  
possibilia intrinsecè repugnarent, sequitur,  
Omnipotentiam opponi essentialiter cum  
repugnantia, & cum impossibilitate intrin-  
secâ possibilium: ergo & essentialiter con-  
necti cum non repugnantia, seu cum possi-  
bilitate intrinsecâ possibilium: idem enim  
est opponi cum impossibilitate, ac conne-  
cti cum possibilitate.

62 Respondetur, negando antece-  
dens: quando enim fuit Deus sine creatu-  
ris, fuit Dei Omnipotentia sine intrinsecâ  
ipsarum possibilitate, vt potè realiter idem-  
tificata cum ipsarum essentia, sicut & cum  
existentiâ. Ad probationem concessio ante-  
cedente, negatur consequentia: solum enim  
ex illo sequitur, quod Omnipotentia non  
esset, nec posset esse, si intrinseca creatura-  
rum possibilitas non esset possibilis, sicut si  
earum essentia, seu existentia non esset pos-  
sibilis: quippe tria hæc realiter identifican-  
tur: *essentia, existentia, & possibilitas in-  
trinseca eiusdem rei: cum omnia hæc sint  
ipsamet prædicata essentialia rei non infe-  
rentis contradictionem, vt est planum  
apud*

apud nos in omnibus, & apud Thomistas  
etiam in illo suo modo existentie distincto  
ab essentia rei; non verò ab essentia, seu  
quidditate eiusdem modi.

63 Ad primam confirmationem ne-  
go minorem: nam, quamvis creaturas esse  
sit aliquid actu, sine quo stare potest Om-  
nipotentia; ac creaturas esse intrinsecè pos-  
sibiles non est aliquid actu; sed quod si es-  
sent, non inferrent contradictionem: quod  
nihil ponit actu in rebus secundum esse,  
quamvis secundum dici videatur aliquid in  
actu affirmari, nisi modo debito exponatur  
talis affirmatio per suum modum affirman-  
di conditionatum, vt vera sit. Unde falsa  
est absolutè consequentia. Ad probatio-  
nem minoris, dico, quod quamvis Omni-  
potentia non connectatur cum possibilitate  
intrinsecâ creaturarum, nec cum eo quod  
est creaturæ esse intrinsecè possibiles; est  
verum quod diximus *sect. 3.* Omnipoten-  
tia desit, si creaturæ non essent in-  
trinsecè possibiles: quia si non essent intrin-  
secè possibiles, non solum non essent tales  
creaturæ, & earum intrinseca possibilitas,  
quin etiam nec illæ possent esse, nec posset  
esse illarum intrinseca possibilitas, vt potè  
cum ipsis idemificata: sequi autem defe-  
ctum vnus ex eo quod aliud non possit es-  
se, non est connexio; sed sequi defectum  
vnus ex eo quod aliud deficiat, aut non sit:  
alioquin res etiam inconuenientissimæ conne-  
cterentur, vt vidimus *num. 58.*

64 Itaque in eo casu impossibili, quo  
creaturæ non essent possibiles, deficeret  
quidem Omnipotentia: non ob connexionem  
cum aliquo termino à se distincto, qui  
tunc deficeret; sed ob repugnantiam in-  
trinsecam quam habet cum impossibilitate  
talis termini, qui tunc deficeret, & nunc  
possibilis est. Dices: perinde est, Omnipoten-  
tiam habere repugnantiam cum impossi-  
bilitate intrinsecâ creaturarum, & habere  
connexionem cum possibilitate intrinsecâ  
creaturarum. Hoc nego: quia Omnipoten-  
tiam habere repugnantiam cum impossi-  
bilitate creaturarum solum dicit, non posse  
coexistere cum tali impossibilitate, quod  
est verissimū: ac habere connexionem cum  
tali possibilitate dicit, non posse existere,  
nisi coexistendo cum tali possibilitate, quod  
est plusquam falsum: sicut & non posse  
existere nisi coexistendo cum essentia, &  
existentia creaturæ: cuius scilicet prædicata  
essentialia pariter sunt eius essentia, eius  
existentia, & eius intrinseca possibilitas. Sic

ex eo quod Omnipotentia habeat repug-  
nantiam idemificandi se cum impossibili-  
tate intrinsecâ possibilium, non sequitur  
habere necessitatem idemificandi se cum  
eorundem intrinsecâ possibilitate: quod  
exemplum est clarum, & appositissimum.

65 Ad secundam confirmationem  
concesso antecedente, nego primam con-  
sequentiam: quia hoc quod est, possibilia  
intrinsecè non repugnare, est idem ac esse  
possibilia: & hoc est idem ac intrinseca eor-  
um possibilitas, cum qua vidimus non  
connecti Omnipotentiam; & dedimus ra-  
tionem sub iisdem terminis *num. 63.* ad pri-  
mam minorem ibi negatam. Unde nego  
secundam consequentiam. Ad probatio-  
nem primæ consequentiæ concedo antece-  
dens, & nego consequentiam, eiusque ra-  
tionem, ob rationem claram, quam dedi-  
mus, & firmavimus in fine *num. præceden-  
tis.* Nec ex eo quod non detur intrinsecâ re-  
pugnantia alterius mundi, sequitur dari in-  
tram ipsius non repugnantiam, seu possibi-  
litate: nam hæc propositiones: *datur in-  
trinseca repugnantia: datur intrinseca non  
repugnantia;* cum utraque sit affirmativa  
non sunt contradictoriæ, ac proinde ex eo  
quod vna sit falsa, non sequitur alteram  
esse veram. Est igitur vtraque falsa. Contra-  
dictoria illius affirmatiuæ: *datur intrinseca  
repugnantia;* est hæc: *non datur intrinseca  
repugnantia:* ex his autem prior est falsa;  
posterior vera.

66 Obijcies quartò. Possibilitas in-  
trinseca creaturæ est quid necessariò essens  
ab æterno: ergo non est cur Omnipotentia  
non connectatur essentialiter cum illa. An-  
tecedens, in quo manifestius proditur absur-  
ditas sententiæ contrariæ, probatur à suis  
Authoribus multipliciter.

67 Primò: quia verè dicimus nunc,  
& diceremus ab æterno: *alter mundus est  
intrinsecè possibilis:* imò &: *ab æterno  
possibilis:* ergo nunc est, & ab æterno fuit  
eius intrinseca possibilitas, à qua denomi-  
netur intrinsecè possibilis: implicat enim  
actualis denominatio, sine actuali formâ,  
seu quasi formâ. Confirmatur. Non datur,  
nec potest dari intrinseca repugnantia alte-  
rius mundi: ergo datur, & necesse est, quod  
detur eius intrinseca non repugnantia: sed  
intrinseca non repugnantia alterius mundi  
est idem ac eius intrinseca possibilitas: er-  
go datur, & necesse est quod detur eius in-  
trinseca possibilitas: ergo eius intrinseca  
possibilitas est ab æterno necessaria.

Se.

68 Secundò: quia hæc propositio: *alter mundus est intrinsecè possibilis*: est necessariò vera nunc: & etiã ab æterno, si sic affirmaretur: ideoq; dicitur propositio æternæ veritatis: ergo eius verificativum, quod est possibilitas intrinseca alterius mundi, est necessarium, & ab æterno: iuxta proloquium: *ex eo quod res est, vel non est, propositio est vera, vel falsa.*

69 Tertiò: quia veritas obiectiva eius propositionis: *alter mundus est intrinsecè possibilis*; est veritas necessaria, & non contingens: sed veritas obiectiva talis propositionis est possibilitas intrinseca alterius mundi: ergo hæc intrinseca possibilitas, est necessaria, & non contingens. Maior probatur: quia circa veritates contingentes nequit dari propositio necessariò vera.

70 Quarto: Deus ideo est potens ab æterno producere alterum mundum præ altero Deo, quia alter mundus ab æterno possibilis est: ergo quia alterius mundi, & non alterius Dei intrinseca possibilitas ab æterno est: imò & necessaria est; quia Deus necessariò est ab æterno potens producere alterum mundum præ altero Deo.

71 Quintò: quia si ab æterno non esset possibilitas intrinseca mundi, fuisset ab æterno eius impossibilitas: sed hæc non: ergo illa fuit ab æterno. Maior probatur: quia sunt essentialiter oppositæ: ideoque idem est non dari intrinsecam possibilitatem, & dari intrinsecam impossibilitatem rei: sicut idem est rem non esse intrinsecè possibilem, & esse intrinsecè impossibilem.

72 Sextò: quia Deus nec esset, nec posset esse, si mundus non esset intrinsecè possibilis: ergo necessarium est Deo, mundum esse intrinsecè possibilem. Probatum consequentiã: ex eo quod si mundus non esset possibilis, mundus non esset, sequitur, necessarium esse mundo mundum esse possibilem: ergo ex eo quod si mundus non esset possibilis, Deus non esset, sequitur, necessarium esse Deo, mundum esse possibilem: ergo tam necessarium est Deo, mundum esse intrinsecè possibilem, ac est necessarium ipsi mundo: ergo sicut mundus identificatur cum intrinseca mundi possibilitate, Deus, qui cum illa non identificatur, saltem cum illa utpotè sibi necessarissimã, essentialiter connectitur. Confirmatur. Illud est necessarium, cuius impossibilitas repugnat: sed impossibilitas intrinseca mundi opposita intrinsecæ possibili-

tati eiusdem mundi repugnat: ergo intrinseca mundi possibilitas est necessaria. Maior probatur: quia illud est necessarium, cuius oppositum est impossibile: ergo illud est necessarium, cuius impossibilitas repugnat: idem enim est eius oppositum esse impossibile, ac eius oppositum repugnare.

73 Acuta sunt hæc, & ad Tyrones conturbandos idonea; non tamen à vero deturbatura terminorum gnaros: cum sint contra solidam, & apertissimam veritatem de nullius omnino entis absolutã necessitate extra Deum, à nobis constabilitam *disp. supra disp. 2. sect. 2.* Respondetur ergo negando constantissimè antecedens. Pro cuius probationibus oportet sedulo discernere inter modos significandi, & res significatas, & quandoque meminisse regulas alienationis terminorum, & propositionum exponibilibus, quibus manuducimur in Summulis ad veritates indagandas inter vocum involucria. Quã præcautione adhibita.

74 Ad primã probationem ex *num. 67. cõcedo* totum antecedens, & nego consequentiã: nam in antecedente verbum *est* modificatur, seu alienatur per terminum illum, *possibilis*: ita ut faciat expositivè sensum conditionatum: scilicet hunc: *Si alter mundus nunc sit, aut ab æterno esset, nulla inferretur contradictio*: hoc enim, & nõ aliud dicimus, dum verè dicimus: *alter mundus est, & ab æterno fuit, intrinsecè possibilis*. At in consequentiã Verbum *est* non sic modificatur, sed absolutè sonat, *existit* intrinseca possibilitas alterius mundi; quod semper est, & fuit falsum: quia ab æterno nihil omnino existit præter Deum: neque nunc existit quidquam identificatum cum altero mundo, qualis est eius intrinseca possibilitas. Ad probationem consequentiã dico implicare sine actuali formã actualem denominationem, quæ actualis sit secundum esse; non verò, quæ solum secundum dici actualis est: at denominatio *intrinsecè possibilis*, applicata alteri mundo, secundum esse non est denominatio actualis, quia nihil est, nec tribuit actuale; sed solum est aliquid conditionatum, quod nempe, si alter mundus nunc, aut ab æterno esset, nullam inferret contradictionem: quod, ut patet, nihil actuale ponit, aut supponit in rebus: quamvis secundum dici, per aliquem modum dicendi significetur ad modum rei rethualis. Quemadmodum sæpè perfectiones positivas significamus admodum negativi, ut cum dicimus

Deum

Deum immensum: & negativas ad modum positivi, ut cum dicimus dari tenebras: quæ videtur affirmatio, & re vera est negatio.

75 Ad secundã ex *num. 68. cõcedo* quoque totum antecedens, & nego consequentiã. Quia eius verificativum est eius veritas obiectiva, quæ cum quid creatum sit, ab æterno non est. At quomodo, inquis, à veritate obiectivã, quæ ab æterno non est, denominaretur actu vera ab æterno propositio enuncians eam veritatem? Respondet; id in denominationibus extrinsecis intentionalibus, ut ad alias in præfati non divertam, esse frequens. Certè denominatio non minus dicit subiectum denominatum, quàm formam denominantem: & tamen videmus, dari actualiter cognitum, & amatum, quin actu detur subiectum, supra quod casunt eiusmodi denominationes, eo ipso quod actu sit cognitio cognoscens obiectum, quod nondum est, aut amor actu amans rem non existentem. Quia nempe terminus ille, *actualiter*, denotat ibi actualitatem cognitionis, nõ verò actualitatem obiecti: quã si denotaret, non verè, sed falsò id diceremus: ut falsò dicimus: *cognitum, est actualiter: amatum, est actualiter*: quãdo obiectum, quod cognoscimus, vel amamus actu non est, quamvis actu cognoscat, vel ametur.

76 Quemadmodum ergo in his denominationibus subiectum actu non existens dicitur actualiter cognitum, & amatum; quia vox illa *actualiter*, non significat actualitatem subiecti, sed actualitatem cognitionis, & amoris; ita vice versã in illis alijs denominationibus propositionis veræ, vel falsæ; dicitur verè propositio actualiter vera, quamvis forma, vel quasi forma extrinseca verificativa, quæ est eius verificativum actu non sit: quia vox illa *actualiter*; non significat actualitatem verificativi, seu veritatis obiectivæ; sed actualitatem propositionis, quæ est subiectum talis denominationis, non semper existentis ad sui veritatem, quod veritas obiectiva absolutè sit; sed quod sit, vel non sit, eo modo quo asseritur esse, vel non esse. Ea autem propositio: *alter mundus est intrinsecè possibilis*: non asserit alterum mundum esse; sed esse possibilem: id est: quod, si esset, non inferret contradictionem: quod, ut vidimus, nihil ponit, aut supponit esse in rebus: sicut hæc: *Si haberem quatuor, & quinque nummos, haberem novem*: nec po-

nit, nec supponit actu absolutè in me ad sui veritatem novem, nec quinque, nec quatuor nummos.

77 Proloquium illud *ex eo quod res est, &c.* sic intelligendum est, ut tonet: *ex eo quod res est, vel non est, sicut dicitur esse, vel non esse, propositio est vera, vel falsa.* Ex quo verissimo sensu confirmatur potius, quàm infirmatur nostra respo. nso. Nam ea propositio nobis obiecta non dicit veritatem obiectivam alterius mundi esse, sed esse possibilem: id est expositivè, quod, si esset, non inferret contradictionem.

78 Ad confirmationem, concedo antecedens, & nego consequentiã: & concessã minori iunctã, nego duas subillationes. Nec enim verum est, dari alterius mundi repugnantiam, nec verum est dari non repugnantiam intrinsecam: nec istæ propositiones: *datur repugnantia intrinseca alterius mundi: datur non repugnantia intrinseca alterius mundi*; sunt contradictoria, cum sint ambæ affirmativæ, ideoque possunt esse ambæ falsæ. Contradictoria illius prioris affirmativæ est hæc negativa: *Non datur repugnantia intrinseca alterius mundi*: quæ verissima est, & nihil infert contra nos.

79 Ad tertiam, ex *num. 69.* distinguo maiorem: veritas obiectiva eius propositionis est necessaria necessitate absolutã, nego: absolutè nãque contingentissima est, sicut quodlibet aliud ens extra Deum, qui unice est ens absolutè necessarium: ea enim veritas obiectiva alterius mundi potest actu esse, & actu non esse; sicut ipse alter mundus, cuius nempe ipsissima essentia est ea veritas obiectiva: est necessaria, necessitate respectivã, & secundum quid, concedo: est enim ea veritas obiectiva necessaria alteri mundo, sicut cuilibet rei sua essentia, quatenus sine illa existere nequit, sicut nec homo sine rationali, quamvis tam homo, quàm rationale non sint ens absolutè necessarium, sed absolutè contingentissimum potens esse, & non esse à parte rei pro Deo libito. Hinc, concessã minori, distinguo consequens: hæc intrinseca possibilitas alterius mundi est necessaria, necessitate absolutã, nego: necessitate respectivã, quatenus necessaria est alteri mundo, utpote non potenti existere sine illa, sicut neque sine sua essentia, & existentia absolutè contingentem, cõcedo. Et similiter distinguo probationem maioris: circa veritates contingentes, eo modo absoluto quo contingentes

Bb

ab

absolutè sunt, nequit dari propositio necessariò vera, concedo: eo modo quo respectivè necessariè sunt, nego. Illa ergo propositio: *alter mundus est intrinsecè possibilis*, est necessariò vera, quia quamvis sit circa veritatem absolutè contingentem, versatur circa illam enunciandam necessitatem respectivam iuxta modum quo ea possibilitas est necessaria alteri mundo: exponitur enim sic: *Si alter mundus existat, nullam inferet contradictionem*: quod respectivè necessarissimum est, cum impossibile sit inferri contradictionem ex existentia alterius mundi. Sicque propositio illa, quandocumque proferatur, est necessariò vera, quamvis circa veritatem obiectivam absolutè contingentem.

80 Ad quartam ex *num. 70.* concedo antecedens: dummodò sit etiam vera à pari alia quasi causalis, idèò alterum mundum esse possibilem, quia potens est Deus illum producere: sunt enim veritates sese mutuò inferentes. Et nego consequentiam: hoc enim non idèò est, quia alterius mundi intrinseca possibilitas ab æterno sit; sed quia si ab æterno esset, existente ab æterno altero mundo, nulla inferretur contradictio; sicut inferretur, si existeret alter Deus, aut eius possibilitas. Unde & à fortiori nego eam possibilitatem absolutè necessariam esse, quamvis respectivè necessariam sit, quod si esset ab æterno alter mundus, esset etiam ab æterno ea intrinseca possibilitas non inferens contradictionem: est enim respectivè necessaria alteri mundo, quamvis absolutè contingens sit, sicut alter mundus, quocum ipsa realiter identificatur, est absolutè contingens. Quinimò & illa ipsa necessitas respectiva absolutè contingens est, sicut alter mundus, eiusque essentia, & possibilitas; quia ea necessitas respectiva, qua alteri mundo est necessaria eius possibilitas, est ipse alter mundus, eiusque essentia, imò & existentia.

81 Ad quintam ex *num. 71.* nego maiorem. Ad probationem concedo possibilitatem, & impossibilitatem intrinsecas mundi esse essentialiter oppositas: hoc est, sibi invicem essentialiter repugnantes: ex quo quidem sequitur, non posse simul coexistere; non tamen sequitur, debere alterutrum existere. Sic gratia, & peccatum, utpote essentialiter opposita, nequeunt in subiecto coexistere: quin tamen perinde inferatur, debere alterutrum illorum in su-

biecto existere: cum possit esse subiectum sine utroque. Nego etiam, idem esse, non dari intrinsecam possibilitatem, & dari intrinsecam impossibilitatem: nam illud priùs esset verum, si nihil omninò daretur à parte rei; istud verò posterius, ut sit verum, requirit dari aliquid à parte rei, quia affirmat aliquid dari. Rem verò esse intrinsecè possibilem, & non esse intrinsecè impossibilem, idem est saltè arguitivè: quia rem esse intrinsecè possibilem, est, quod si existat nullam inferat contradictionem; & hoc idem est, rem non esse impossibilem.

82 Ad sextam ex *num. 72.* concedo antecedens, & nego consequentiam: Et ratio est clara. Quia ad veritatem antecedentis nihil requiritur, quod actu sit extra Deum, ad hoc ut Deus sit: nam mundum esse intrinsecè possibilem, aut impossibilem, nihil affirmat actu esse. At ad veritatem consequentiam, ad hoc ut Deus sit, requireretur, aliquid extra Deum actu esse: nam affirmat aliquid extra Deum esse Deo necessarium, ac proinde debere esse quandocumque Deus est: quod est plusquam falsum. Ad probationem consequentiam nego antecedens. Non enim sequitur, necessarium esse mundo, mundum esse possibilem, ex eo præcisè, quod si mundus non esset possibilis, mundus non esset; sed ex eo, quod mundus non esset, si actu non esset hoc quod est mundum esse intrinsecè possibilem: quod est ipsa possibilitas, & essentia mundi, sine qua actu existente mundus existere nequit, cum esse nequeat sine sua essentia. Unde nego primam consequentiam: quia Deus esse posset, & fuit ab æterno, quia actu esset hoc quod est mundum esse intrinsecè possibilem, quod est ipsamet essentia mundi; sicut fuit, quin actu esset mundus. Nego quoque secundam consequentiam: nam ipsi mundo taliter est necessarium, mundum esse intrinsecè possibilem, ut nequeat esse actu, quin actu sit hoc quod est mundum esse intrinsecè possibilem, cum intrinseca hæc possibilitas sit ipsa essentia mundi; at Deus actu existit ab æterno, quin actu extiterit hoc quod est mundum esse intrinsecè possibilem: quia existit sine mundo, qui est hæc ipsamet intrinseca sui possibilitas. Nego tandem ultimam consequentiam: neque enim Deus connectitur cum illa intrinseca mundi possibilitate, neque hæc est Deo necessaria, cum extiterit Deus absque illa, quandiu

ex-

existit sine mundo, quocum illa realiter identificatur, ut est certo certius.

83 Ad confirmationem ex eodem *num. 72.* nego maiorem. Nam impossibilitas etiam intrinseca alterius Dei repugnat, cum sit ipse alter Deus: quin perinde alter Deus sit quid necessarium. Non est ergo necessarium nisi quod nequit non existere, quod solius Dei est: possibilitas autem intrinseca mundi potest non existere, sicut ipse mundus, quocum essentialiter identificatur. Unde concessa minori, quia si poneretur à parte rei impossibilitas mundi, sequeretur contradictio; nego consequentiam: quia, cum intrinseca possibilitas mundi sit ipse mundus, potest deficere, sicut ipse mundus: ac proinde non est necessaria, cum mundus sit contingens, quamvis sit necessaria, & essentialis respectivè, ut diximus, mundo. Ad probationem maioris nego antecedens: nam cuiusvis etiam entis contingentis oppositum, nempe eiusdem intrinseca impossibilitas, impossibilis, & repugnans est, quin perinde ens contingens sit ens necessarium.

84 Aut, si mavis, claritatis gratia, distinguo antecedens. Illud est necessarium, cuius omne oppositum est impossibile, concedo: nam ex eo quod impossibile sit omne ipsius oppositum, sequitur nihil esse posse impediens, aut excludens à rerum naturâ existentiam talis entis; ac proinde tale ens esse necessarium. Illud est necessarium, cuius aliquid oppositum est impossibile, nego: nam, aliquo opposito impossibili, posset ab alio opposito possibili excludi à rerum naturâ tale ens, quod sufficit, ut non sit ens necessarium. Porro impossibilitas intrinseca mundi est aliquid oppositum possibilitati mundi: non tamen ex impossibilitate talis impossibilitatis sequitur impossibilitatem mundi esse ens necessarium: quia aliud oppositum est possibile, nempe decretum Dei de non producendo mundo: quo decreto expelleretur, seu impediretur æquè essentialiter à rerum natura possibilitas mundi, sicut essentia, & existentia mundi. Exinde nego consequentissimè consequentiam: & concludo, non utcumque esse verum, illud esse ens necessarium, cuius oppositum est impossibile; sed cuius omne oppositum est impossibile, aut, cui repugnat existere, eo quod ex eius existentia sequeretur contradictio. Si dicas: illud est impossibile, cuius aliquid oppositum est necessarium: ergo illud est necessarium,

cuius aliquid oppositum est impossibile. Negabo consequentiam. Nam ad aliquid excludendum, seu impediendum, sufficit vnum essentialiter impediendum: ac ad aliquid inducendum, non sufficit tolli vnum impediendum, si manet aliud. Sic certè ad excludendam, seu impediendam gratiam, sufficit vnum peccatum; ad inducendam verò non sufficit tolli vnum peccatum, si manet aliud.

85 Infert ex his optimè P. Martinez *disp. 2. sect. 3.* nec esse necessariam, nec dari possibilitatem alterius mundi, nec eius impossibilitatem, nec impossibilitatem alterius Dei. Non primum: quia possibilitas alterius mundi est ipse alter mundus, ac proinde eo non dato, non datur eius possibilitas, atque adeò eius possibilitas non est necessaria. Non secundum: quia nihil datur, quod inferat contradictionem ex eo quod alter mundus existeret: ergo non datur impossibilitas alterius mundi: atque adeò necessaria non est. Non tertium: quia impossibilitas alterius Dei est ipse alter Deus, quatenus ex eius positione inferretur contradictio: ac proinde, non ensente, nec potente esse altero Deo, nec est, nec potest esse eius impossibilitas: atque adeò necessaria, seu quid absolutè necessarium non est. Hæc intellige de possibilitatibus, & impossibilitatibus rerum intrinsecis: nam loquendo de extrinsecis, quamvis non detur impossibilitas extrinseca alterius mundi, dantur tamen possibilitas extrinseca alterius mundi, quæ est ipse Deus essentialiter potens illum producere: & datur impossibilitas extrinseca alterius Dei, quæ est etiam hic ipse verus Deus per se repugnans alteri Deo.

86 Dicis: ergo tam impossibilis est impossibilitas alterius Dei, quam impossibilitas alterius mundi. Distinguo: intrinseca, concedo; extrinseca, nego. Unde quando dicimus, impossibilitatem alterius Dei esse necessariam, verum est de impossibilitate extrinseca, quæ est hic Deus: loquendo autem de intrinseca, falsum absolutè: & dumtaxat verum in sensu respectivo, quatenus ea impossibilitas est necessaria alteri Deo: taliter quod esse nequit alter Deus, sine illa impossibilitate: ideoque ex utriusque positione inferretur contradictio.

87 Nec obest, quod sic impossibilitas intrinseca alterius Dei esset simul necessaria, & impossibilis. Dico enim, esse impossibilem absolutè, idest non poten-

Bbz

tem

tem esse à parte rei; & esse necessariam secundum quid, & respectivè, scilicet alteri Deo: quatenus alter Deus nequit esse sine sua impossibilitate intrinseca: ex cuius positione, sicut ex positione alterius Dei, quocum ipsa idemificatur, inferretur contradictio. Hoc autem modo, & cum hac distinctione, nihil dicimus implicatorium, sed consequentissimum.

## SECTIO VI.

AN OMNIPOTENTIA DEI  
possit facere quod præterita  
non fuerint.

87 **O**ccurrunt in præopto Axiomata illa: ad præteritum non datur potentia: Quod factum est, in factum fieri non potest. Unde Hieronymus: cum Deus omnia possit, hoc solum non potest, Virginem post ruinam suscitare.

88. Hinc ad quæstionem solet responderi negativè iuxta S. Tho. 2. contra Gentes, cap. 25. cum nequeat Deus nunc facere, quod Adamus non extiterit. Et ratio est: quia quamvis hodie Deus velit subtrahere concursum conservativum Adami, hoc quidem faciet, quod hodie non existat; non verò quod antea non extiterit: & quidquid Deus ponat à parte rei oppositum existentia hodiernæ Adami, non faciet, quod heri non extiterit: nam opposita non pugnant pro diverso tempore: ergo non apparet modus, quo possit facere Deus quod præterita non fuerint.

89 Explicatione res indiget. Est enim in contrarium ratio solidissima. Potestas enim factiva Dei, sicut de Dei libertate eadem est ratione dicendum, est permanentissima, utpotè perfectio necessaria Dei: & non est defectibilis, & transitoria, ut sæpè in creaturis: quibus advenit interdum potestas, quam non habuerunt, & deficit potestas, sicut & libertas, quam semel habuerunt: ergo potestas intrinseca factiva, quæ semel in Deo fuit, semper in Deo est, & erit: sed fuit aliquando in Deo potestas ad faciendū, ne Adamus esset præteritus, nam faciendū, quod nunquam existeret, fecisset, ne fuisset præteritus, ut est per se notum: ergo est nunc in Deo eadem potestas: ergo potest nunc Deus facere ne Adamus fuerit præteritus: ac proinde ad faciendum quod præterita non fuerint.

90 Rem compono trimembri conclusionem. Deus absolute loquendo potest facere, quod præterita non fuerint: & id etiam potest ex suppositione, quod fuerint; non verò potest facere quod non fuerint ex suppositione quod fuerint. Ubi sedulo nota discrimen secundæ partis conclusionis à tertiâ: quod nempe secunda coniungit suppositionem: quod fuerint, cum posse facere, quod non fuerint; tertiâ verò coniungit suppositionem, quod fuerint, cum, facere quod non fuerint.

91 Prima pars conclusionis convincitur ratione posita num. 89. Quæ saltem evincitur, absolute posse Deum nunc quod semel potuit: alioquin eius potestas intrinseca præterisset: quod dici nequit: ergo potest nunc facere, quod præterita non fuerint eo modo, quo semel id potuit: ergo absolute nunc potest, siquidem absolute potuit aliquando: ne dicatur aliquid divinæ potentia per rerum vicissitudines fuisse imminutum.

92 Secunda pars probatur. Quia suppositio quod præterita fuerint, sunt ipsæmet res, quæ præterierunt: ergo sicut existentia, & mox non existentia rerum præteritarum nihil addit, aut adimit potestatis divinæ Omnipotentia; ita nec suppositio quod fuerint: ac proinde cum ista suppositione coniungitur optimè posse Deum facere, quod non fuerint: quia suppositio illa contingens, sicut nec eius opposita, non pugnat cum potentia, seu cum posse necessario Dei intrinsece indifferente ad alterutram suppositionem: quamvis una ex illis suppositionibus pugnet cum alterâ.

93 Tertia pars est certa. Quia facere, quod præterita non fuerint ex suppositione quod fuerint, est coniungere suppositionem quod fuerint cum eo, quod non fuerint: hoc autem semper fuit, est, & erit implicatoriū: ad quod nec est nunc, nec unquam fuit in Deo potestas: Deus enim nunquam potuit facere, quod præterita non fuerint ex suppositione quod fuerint: hoc est, coniungendo suppositionem quod fuerint cum facere quod non fuerint: esset enim coniungere, quod simul fuerint, & non fuerint: ad quod implicatissimum, & chymericum, nec est, nec fuit, nec potuit unquam esse potestas.

94 Per hæc satis facile fiet rationi posita num. 89 concedendo primum enthymema, & distinguendo minorem subiunctam: fuit aliquando in Deo potestas ad

faciendum, ne Adamus esset præteritus, absolute, & faciendo ne Adamus extiterit, concedo: ad faciendum ne Adamus esset præteritus ex suppositione quod extiterit, coniungendo suppositionem quod aliquando extiterit cum facere, quod non fuerit existens, & nunc fuerit præteritus; nego: ad hoc enim sic explicatum, utpote implicatorium, nunquam fuit in Deo potestas. Unde, concessa primâ subillatione de eadem potestate; distinguo secundam: absolute, sicut semper id potuit, concedo: ex suppositione, sub qua nunquam id potuit, nego. Sicque salvatur permanentissimè potestas Dei semper eadem, & inanimabilis, quocumque se vertant vicissitudines rerum contingentium.

95 Ad fundamenta verò pro communi modo loquendi posita num. 88. respondetur axiomata illa intelligenda esse, & explicanda de Deo iuxta tertiam partem nostræ conclusionis: alioquin absolute forent falsa, intellecta quoad divinam potentiam immutabilem: quamvis intellecta quoad potestates creatas, iam advenientes, iam deficientes creaturis, possint absolute esse vera: ut est verum nos hodie non habere libertatem ad multos actus ad quos heri illam habuimus: quia libertas nostra transitoria est, & non permanens, sicut divina.

96 Sic etiam intelligo Hieronymianū illud ex n. 87. non posse Deū Virginē post ruinam suscitare: hoc est facere, ut simul cum iacturâ virginitatis retineatur virginitas.

97 Ad rationem subiunctam in eodem num. 88. dico, quod casu, quo Deus vellet hodie, quod Adamus non extiterit ante diem hodiernum, semper id voluisset: ac proinde nunquam voluisset Adami existentiam ante diem hodiernum; imò noluisse, ut potuit, & potest nolle, illum producere ante diem hodiernum, sicque Adamus non præterisset. Nec esset necesse, Deum producere aliquid contrarium existentia Adami, sed habere in se aliquid essentialiter oppositum, & excludens existentiam Adami, seu pro semper, seu pro tempore antecedente hodiernum diem, qualis esset nolitio existentia, seu præexistentia Adami: sicque posset, & nunc potest absolute facere, quod Adamus non fuerit, sicut & quod nunquam futurus esset. Unde negatur consequentia: cum satis clarus appareat iam modus, quo possit facere Deus, quod præterita non fuerint.

98 Quod usque adeo verum est, ut in creaturis sic etiam sæpè aliquomodo potestas ad præterita: scilicet et ut aliqua, quæ fuerint, non fuerint; aut quæ non fuerint, fuerint. Explico, & probō in libertate hodiernâ nostrâ, quam dum libere loquimur, habemus ad loquendum, vel silentium. Eo enim ipso, quod possumus silere, possumus facere, ne in Deo unquam extiterit scientia contingens, quæ de facto est, & ab æterno fuit, de nostrâ loquutione libera: & quod fuerit in Deo scientia, quæ non est, nec fuit de nostro silentio. En igitur innegabilem in nobis aliqualem potestatem etiam ad præterita: quatenus nempe sunt à nobis libere impediabilia, seu evitabilia, quamvis fuerint æterna. Non tam quod res creatæ temporaria protendant aliquam suam virtutem in eas perfectiones Dei æternas; quam ex eo quod eiusmodi perfectiones Dei æternæ protendant se intentionaliter ad omnia existentia. De quibus perfectionibus Dei æternis essentialiter connexis respectivè ad certas differentias creaturæ durationum, cum creatis liberis temporaneis, intelligendum venit, quod ait Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 10. *Illam necessitas formidanda est, quæ non est in nostra potestate: non tamen timenda, nec libertatem destruens, quæ est in nostra potestate: utique potente pro libito illam evitare, aut impedire.* Sed de his alibi fusiùs.

99 Quod quia noluit intelligere Petrus de Rivo, ut constat ex causâ ipsius Romam delata à Lovaniensibus apud Patrem Aldrete disp. 23. de Scientia Dei, sect. 2. negavit Deo præscientiam futurorum contingentium, asseruitque: *quod Deus non vult res priusquam fiant: & generaliter: nihil præcedere per lineam successionis eventum futuri contingentis, quod eiusmodi eventum inferre posset per necessariam consequentiam: ideoque specialiter: non esse verum dicere modò: mortui resurgent: quod generale iudicium erit, &c.* Hos autem errores à Lovaniensibus delatos, & ab ipso Rivo postea iussu Sixti IV. retractatos, probabat Rivus, sic: *ex quo ad præteritum non est potentia, illud esset inimpedibile: id est, illud connexum cum eventui contingentis, nempe præscientia Dei, vel prædictio essentialiter vera: sed ex inimpedibili per consequentiam necessariam non sequitur nisi inimpedibile: unde inferebat, eventum inde illatum fore omnino inimpedibilem, ac proinde nullatenus liberum.*

Huic



100 Huic callidæ argumentationi Lovanienses, quibus favit contra Rivum Pontifex, non respondebant negando minorem, ut finistrè molitur post Franciscum Silvium, Ioan. à S. Tho. *disp. 20. de Scientia Dei, art. 6.* quem alij noviores anilibus hinc narratiunculis potiùs, quàm ratione decertantes, ut iacent contra nos, eam minorem, qua percelluntur à contendentibus è diverso, decreta intrinsecè efficacia à nobis pro libito inimpedibilia adversari libertati nostræ, fuisse damnatam in Petro de Rivo. Nihil planè falsius. Quinimò, Lovanienses, relicta in sua veritate aucta minori, quam intactam quoque reliquit Pontifex, negabant contra Rivum maiorem: rectè expicantes modum, quo ad præteritum datur potentia, & quod non omne præteritum sit inimpedibile per aliquid temporarium: ut videre est in ipsorum Lovanensium verbis apud Aldrete citatum, & apud P. August. de Herrera *quest. 17. de Scientia Dei, sect. 2.* Hæc obiter pro re nostra.

## SECTIO VII.

AN AB OMNIPOTENTIA Dei minori influxu physico pendeant effectus creati in conservari, quàm in primò produci.

101 Sunt res, quæ à solo Deo primò producuntur, ut Angelus, & anima rationalis. Sunt quæ à Deo simul, & à causa secunda, ut lux à Sole, & Deo. Sunt quæ post primam productionem fluentem à Deo, & à causa secunda; conservantur deinde à Deo sine causa secunda, mox nimirum aut recedente, aut pereunte: ut Filius productus à Deo, & à Parentibus, & ijs semotis, aut emortuis, à Deo sine illis conservatus. Sunt quæ conservantur à Deo simulque ab alia causa secunda: ut lux à Sole, & calor ab igne permanente prope.

102 Fuere nonnulli, quorum suppressis nominibus meminit Lessius *lib. 10. de Perfect. divin. cap. 4.* existimantes, ad rerum productarum conservationem requiri quidem influxum Omnipotentia; minorem tamen, quàm fuerit influxus primò productivus: ita videlicet, ut quamvis ad effectum aliquem primò producendum à Deo necessarius fuerit specialis influxus; ta-

men ad conservandum deinceps eundem effectum sufficiat concursus, seu influxus generalis: quasi nimirum res ipsa iam primò producta ita de suo conferat ad sui permanentiam, & conservationem, ut propterea possit tantumdem divini influxus quodammodo imminui.

103 Moventur dupliciter. Primò: quia facilius est aliquid conservare, quàm primò producere: ergo minori influxu opus est: ac proinde, etiam si ad primam productionem requireretur specialis Dei concursus totalis, & plenus; ad conservationem sufficere poterit generalis, & ut ita dicam, semiplenus, & dimidiatus. Secundò: quia sicut multæ res ex natura sua habent virtutem ad aliquid operandum, quæ valent effectus suos connaturales producere cum solo generali concursu Dei; cur non habeat si mel productæ virtutem aliquam ad sui conservationem? quæ virtute, accedente concursu generali Dei, valeant conservari, etiam si ad primam productionem opus fuerit speciali fortiorique Dei concursu.

104 Confirmant. Si enim ex eo quod videmus res aliquas, ut sunt actus vitales, cessante ab ipsarum conservatione causa secunda, statim perire; alias verò, ut sunt calor, & frigus, non ita statim, sed sensim perire; alias diu, alias semper permanere; non licet nobis colligere, discrimen istud provenire ex maiori, vel minori, vel nulla virtute, quam inæqualiter habent ex naturis suis ad sui conservationem; sequeretur, nullâ experientia ex effectibus posse à Philosophis colligi vim, & conditionem causarum creaturarum: scilicet, ignem esse calidum, & habere virtutem intrinsecam calefactivam; aquam esse frigidam, & frigefactivam: ceram esse mollem, & mollificativam, &c. Nam in promptu esset dicere, ignem non calefacere virtute intrinsecâ, sed Deum solum ad præsentiam ignis sic exigentis producere calorem: & similiter de cæteris: Quod Philosophicum non est. Dicendum est ergo: quod, sicut ex varijs effectibus, quos experimur, arguimus in causis secundis dissimiles, & inæquales virtutes intrinsecas ad sic, vel sic operandum; ita ex prædictis varijs rerum conservationibus arguere possumus, & debemus dispares etiam virtutes in rebus ipsis in sui conservationem: quin totâ vim conservativam devolvamus ad Omnipotentiam Dei adhuc semotis causis secundis rerum permanentium: cum possit attribui cum distributione

ne accomodâ virtutibus etiam intrinsecis imparibus rerum ipsarum.

105 Confirmant rursus. Nam alioquin tota ratio durationis rerum esset unice referenda in solam voluntatem Dei: & nullatenus in nativas diversarum rerum conditiones. Unde non poterit alia reddi ratio, cur lux, subtractâ causa secunda, statim pereat, & calor non ita; nisi quia vult Deus illam, & non istum conservare. Idemque dicendum esset de anima hominis, & bruti. Sequeretur ulterius, quod si subtractâ causa secunda calor, nempe igne, conservat Deus calorem influxu suo specialiori, nihil omnino conferente in id virtute ipsius caloris ad sui conservationem; deberet calor deinceps semper durare: si enim ignis semper adest, semper duraret calor: ergo cum vicem ignis in conservando calorem subeat sola Dei Omnipotentia indefectibilis, & indefessa; semper calor duraret, & conservandus esset: contra quod experimur. Sequeretur insuper. Quod, si Deus, subductis causis secundis, deberet specialem concursum præstare ad conservandum se solo effectus, qui priùs à causa secunda dependebant; idem dicendum esset quoad habitus vitiosos priùs ab actibus generatos, & postea subductis actibus, à Deo in anima conservatos. Unde esset Deus specialis causa conservationis habituum vitiosorum.

106 Confirmant tertio. Cuicumque rei inest appetitus naturalis conservandi se in suo statu naturali, & resistendi suæ destructioni: sed omnis appetitus supponit, aut involvit aliquam potentiam ad id quod appetit: ergo appetitus ille rerum se conservandi, supponit, aut involvit aliquam virtutem, seu potentiam se conservandi.

107 His tamen non obstantibus, communis & vera sententia tenet è contra, effectus omnes creatos cæteris paribus non minùs, nec minori influxu, aut concursu, pendere à divina Omnipotentia in conservari, quàm in primò produci. Dixi: cæteris paribus: id est, nisi accedat, vel recedat concursa aliqua secunda eiusdem effectus. Quod dicimus est, nihil imminui divini influxus in effectum intuitu virtutis intrinsecæ, quam habeant res ipsæ creatæ ad sui conservationem.

108 Sic S. Tho. *1. p. q. 104. art. 2. ad 2.* Sicut nulli effectui præstari potest, ut sit causa sui ipsius; potest tamen ei præstari, ut sit causa alterius; ita etiam nulli effe-

ctui præstari potest, ut sit sui ipsius conservativus; potest tamen ei præstari, ut sic conservativus alterius. Unde ait postmodum ad 4. Conservatio rerum à Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem act. onis, qua dat esse; sicut conservatio luminis in aere per continuatum influxum à Sole.

109 Hinc sapienter Scotus in *2. d. 1. q. 5.* res, inquit, potest dici semper creati quantum diu manet, quia semper accipit esse à Deo: & dist. 2. q. 2. probat ex August. quod sicut aer respectu Solis non est factus lucidus, sed sit lucidus; ita creatura respectu Dei nunquam est ultimè facta, sed semper fit: unde infert semper esse quasi in fieri formaliter. Sic etiam Doctor Eximius *Suar. disp. 21. Metaph. per totam Molina 1. par. q. 10. art. 5. disp. 1. & Vasquez 1. p. disp. 72. Vasq.*

110 Ex Sanctis Patribus Chriost. *Homil. 2. in Epist. ad Hebræos: non minus est continere mundum, quam fecisse: sed si oporteat aliquid admirandi dicere, adhuc amplius est.* Ambros. ad illa verba Hebr. portans omnia verbo virtuti sue; glossat: amplius esse mundum continere, & conservare in suo esse, quàm initio creare. Iterum Chriost. *Homil. 3. in Epist. ad Coloss. Ne putes, Filium esse ministrum; dicit, eum omnia conservare, quod non minus est, quàm omnia creare.*

111 Ratione autem probatur, diruendo fundamentum contrarium de virtute illa intrinseca rerum, conferente ad sui ipsarum conservationem. Dupliciter in terminis S. Tho. *1. p. q. 104. art. 1. & 2.* potest res aliqua iuvare ad sui conservationem. Primò, directè: ut si Sol in sui conservationem ageret, sicut agit in conservationem lucis. Secundò indirectè, sicut gutta aquæ consultit suæ conservationi: non per virtutem immediatè tendentem ad substantiam aquæ; sed colligendo se in globulos cum alijs guttis, ne statim diffuat: & intendendo suum frigus, ut resistat calori ipsius destructivo: aut sicut viventia fovent suam calorem nativum adversus intemperiem ipsis inimicam. Prior ille modus ab omnibus ferè negatur: quia esset ad instar physici influxus rei in se ipsam: qui non minùs repugnat quoad conservationem, quàm quoad primam productionem: propterea ab illis dumtaxat tolerandus, qui causam sui ipsius non respuunt contra principia Philosophica, & Theologica. Posterior autem modus verus est: ac minimè sufficiens

ad intentum aduersariorum. Cum enim non imparet directum influxum, quem physicè, & immediatè conferat: res in se ipsam; non est cur perinde dimidiari, aut imminui debeat physicus, & immediatus concursus, seu influxus Omnipotentia in res conservandas intuitu virtutis quam ipsa habeant ad sui conservationem.

112. *Supra*: nec posterior iste modus, nisi relabatur in priorem, coheret doctrinae Adversariorum. Quippe ex vna parte nequeunt admittere conservationem rei in se ipsam per modum actionis; seu effectivi influxus in se ipsam: vt autem quoquo modo explicent istas rerum conservationes à semetipsis, adducunt exemplum rupis se ipsam conservantis in loco ne trudatur, aut hominis erecti se in loco firmantis. At certè rupes sic se in loco conservat per veram actionem, qua producit impulsum deorsum: & homo se conservat erectus medijs spiritibus verà actione physicà productis ab anima. Non aliter quidem ac in exemplis adductis nūm. præc. modus ille se indirectè conservandi est per actionem verà, qua res producit aliquid à se distinctum, quo resistit suis destructivis. Igitur hi Auctores, vel solum tuentur in rebus modum illum se indirectè conservandi, quem non negamus; vel relabi coguntur in modum se conservandi per actionem physicam sui in se ipsas: quod ipsi negant.

113. Præterea. Vis illa, quæ iuxta hanc sententiam rebus inest se ipsas conservandi, tribuitur præsertim rebus simplicibus, aut magis permanentibus, vt Angelis, Coelis, mater. iæ primæ, &c. Atqui in ijs non sic est locus modo se indirectè conservandi, quæ explicuimus, & admisimus in rebus alijs obnoxij corruptioni: ergo veniri necesse est ad modum se conservandi directè per veram actionem in se ipsas: qui repugnans est non minùs quàm causa physica sui ipsius.

114. Dies: eam vim in eo ipso stare, quod eiusmodi res talis sint naturæ, quæ non patitur contraria corruptentia: ad modum quo in ferro durities, & constipatio, ipsum conservant, ne facile incalescat, & dissolvatur. Contra tamen: quia hoc ipsum nihil est aliud, nisi indirectè consulerè suæ conservationi, scilicet resistendo, aut difficulter dando locum impressionibus ab extrinseco corruptivis. Nec id reperitur nisi in rebus, quæ ab alijs causis creatis corrumpi possunt: nec suppleri valet pro intima, &

directà conservatione à divinà Omnipotentia: cum iuret dumtaxat, ne causæ contrariæ citius agant in rei destructionem. Unde ex eiusmodi vi nulla petitur ratio, qua imminui, debeat aut possit influxus physicus conservativus directus Omnipotentia, dum illæ res permanent. Quare in rebus alijs, quæ periri nequeunt à causis creatis non est vnde eiusmodi vim agnoscamus. Frustra enim adhiberentur præsidia resistiva arci per se inexpugnabili.

115. Frustra, inquis, poneretur in ijs vis ea se conservandi contra alias res creatas à quibus periri nequeunt; non tamen frustra contra subtractionem divini influxus, & contra pondus innatum, quo ex se feruntur ad suum nihil, eo influxu ex toto subtracto: ideoquæ habent vim perstandi in suo esse, eo influxu ex parte subtracto, supplente scilicet eà sua vi aliam partem influxus divini. Caterùm: hoc iam est relabi in virtutem directam se conservandi per influxum physicum rei in se ipsam: quod vidimus repugare. Pondus autem illud rei ad suum nihil, revera nihil est aliud, quàm rem non habere esse necessariò ex se, sed dependenter essentialiter ab alio: vnde est, quod subtracto influxu alterius, perire necesse est: quantumvis alioquin res sit eximie incorruptibilis, vt Angelus, & anima. Nulla igitur perinde sumitur ratio pro eiusmodi vi taliter conferente in sui conservationem, vt propterea minorari possit influxus Omnipotentia in conservationem rei permanentis.

116. Argumentor deinde, à paritate aliarum rerum assiduò dependentium à suis causis creatis à quibus primò effluerunt, vt lux à Sole, & actus vitales ab anima: quas quidem S. Tho. alijsque passim adducunt in exemplum dependentiæ creaturarum ab Omnipotentia in fieri, & conservari: quasi totum Vniversum sic pendeat à Deo, sicut lux in aere à Sole. Atqui lux sic pendet à Sole, vt semper indigeat influxu Solis æquè potente in conservari, ac in fieri: ergo similiter res omnes ab Omnipotentia Dei. Nec est vestigium rationis, cur intuitu virtutis inest rebus ad sui conservationem non debeat minorari influxus physicus directus causarum secundarum in effectus pendentes ab ipsis in fieri, & conservari; & debeat minorari influxus physicus Omnipotentia.

117. Quæ nostra doctrina clariùs patet in sententia multorum sapientum, quam

*Infra*  
*disp. 12.*

proponam *disp. 12. sect. 3.* existimantium actiones productivas, & conservativas rerum, tam ab Omnipotentia, quàm à suis causis secundis, non esse permanentes, sed continuo fluxu pro singulis instantibus successivas. Sic enim meliùs perspicitur, pro singulis instantibus durationis rerum permanentium variari saltem numero influxum physicum, quo à suis causis dependent: & de novo conari earum causas ad novum influxum, haud minorem certè, quàm fuerit in primo instanti, seu in primo fieri. Alia vitia interijciuntur inter respondendum ad motiva contraria.

118. Ad primum motivum ex *n. 103.* respondetur, distinguendo antecedens: faciliùs est aliquid conservare, quàm producere intrinsecè, quoad conservationem directam per influxum physicum in rem conservatam; nego, cum SS. Patribus supra pro nobis allegatis: & claret in luce, pari influxu Solis conservata, & producta. Extrinsecè quoad conservationem indirectam per remotionem destructivorum, vel adhibitionem iuvantium, concedo antecedens: vt patet in ove, vel equo sic faciliè conservato ab homine, à quo non posset primò produci. Nego autem consequentiã: quia hæc indirecta conservatio, cum non sit influxus physicè, & immediatè terminatus in rem sic conservatam, non per se minuit influxum directum causarum in talem rem.

119. Ad secundum ex eodem *num. 103.* respondetur rationem esse claram, quia loquendo, vt par est, de virtute directæ rei ereatæ ad sui conservationem, cum debeat esse per influxum activum physicum immedie diatum in se ipsam, repugnat ex iisdem rationibus, quibus ostenditur in Philosophia, repugnare causam sui ipsius. At in effectus à se distinctos non repugnat influxus physicus causarum secundarum in consortio causæ primæ. Quod si loquantur arguentes de virtute indirectè conservativa, quæ inest rebus, quatenùs sibi producant iuvantia ad sui conservationem, & à se repellunt destructiva; hoc quidem in multis rebus libenter admittimus: non tamen est ad intentum argumenti.

120. Ad primam confirmationem ex *num. 104.* respondetur, ex illis experientijs non fieri legitimum discussum à virtute, quam in multis rebus experimur variorum effectuum, ad virtutem quam experiri non possumus sui conservativam. Et patet: nam

virtus ad varios effectus est directè productiva eorundem; ex argumento autem, & coniecturis Adversariorum, aut similiter inferretur in multis rebus virtus sui conservativa per aditionem physicam directè influentem in se ipsas, quod ipsimet recusant; aut solum ad indirectam sui conservationem supra explicatam, ex quo nihil concludunt contra nos pro minoritate influxus Omnipotentia in rerum conservationem. Dicant ergo, ad id similiter inferendum ob stare, quod nequeat dari activus influxus directè, & immediatè rei in se ipsam. Verè. At indidem dicemus nos, discussum confirmationis infirmari. Concedimus, ex illis experientijs rectè à Philosophis inferri in multis rebus virtutem ad varios effectus, ne omnia quæ videmus ad præstigia reducamus: at nec ex illis, nec ex similibus inferri potest in re vlla virtus directè conservativa sui ipsius: quia ex principijs Philosophicis repugnat quidquam directè agere in se ipsam; nec vlla est, nec esse potest experientia in oppositum. Ex illa autem experientia maioris, vel minoris variarum rerum permanentiæ, seu durationis, non colligitur in rebus maior, aut minor virtus directè sui conservativa, cum non minùs repugnet, quam primò productiva; sed maior, aut minor virtus indirectè conservativa per maiorem, aut minorem dispositionem, quam ita se producant ad resistendum suis destructivis: vel ob speciales exigentias, vt aliæ præ alijs diutiùs à Deo conserventur. Ex ijs in forma neganda est sequela antecedentis: & exinde consequentia.

121. Ad secundam confirmationem ex *num. 105.* nego perinde sequi, totam omninò rationem diutioris durationis quarundam rerum præ alijs devolvendam esse ad Dei voluntatem nullatenùs inspectis varijs naturis rerum. Quamvis enim ipsis rebus nulla inest vis, qua se directè conservent; inest tamen aliqua ratio cur soleant à Deo conservari, brevius, vel longius, vel etiam semper. Porrò, vt rectè Suarez *disp. 20. Met.* quæ talis sunt indolis, vt pendeant à causa creata in fieri, & non in conservari, vt multæ formæ substantiales, & accidentales, quæ perdurant cessante influxu causæ secundæ; ex natura sua exigunt à Deo conservari: alioquin frustra fierent, si statim essent periturae. Quæ verò ex natura sua pendent non solum in fieri, sed etiam in conservari à sua causa secunda effectrice, vt lux; non postulant cessante influxu causæ

secundæ, à Deo solo conservari.

122 Conservat ergo Deus solus calorem, & non lucem: quia nativa caloris conditio, & non lucis, postulat durare amotâ suâ causâ secundâ. Cuius ratio ab experientijs dari potest: quia calor est solida qualitas eiusdem rationis in agente, & passio; lux verò est quasi imago alterius lucis præsentis, sicut species sunt imagines obiectorum: idèò pendendum à præsentia suæ causæ; sicut species, quibus interdum aer variè depingitur à præsentia colorum à longè adstantium. Similiter actus vitales cum ratione vitalitatis postulent naturâ suâ procedere continuò à suo principio cui immanent, non postulant conservari amoto influxu principij: quia eo ipso desinerent esse vitales. Hinc miraculum esset conservari lucem in aere absente Sole; non verò conservari calorem ab eodem Sole primò productum. Quòd facit doctrina S. Tho. 1. p. q. 104. à num. 1. & 2.

S. Tho.

123 Nego deinde secundam sequelam. Nec enim Deus sic debet semper concursu suo calorem conservare: nec ipse ignis adsistens semper conservaret calorem in passio; sed tamdiu dumtaxat donè cederet potentiori contrario. Quemadmodum ergo suscipit Deus illam conservationem ad exigentiam alicuius rei creatæ; sic ad exigentiam aliarum rerum ab illa desistit, ita postulante conditione Universi ad vicissitudines actionum, & passionum. Unde est, quòd calori sensim, & gradatim subtrahat suum influxum, modò ad exigentiam intrinsecam ipsius passio, modò ad præsentiam causæ externæ pugnantis pro introductione frigiditatis. In quo notandum est etiam discrimen ignis, & Dei conservantis in passio calorem: quòd ignis, ut potè causa particularis, in id solum pro viribus intendit, ut calorem conservet, quoad potest; Deus autem causa universalis operatur intentus ad omnia: & non agit quantum potest pro conservatione caloris, sed quantum expedit, circumspèctis quoque aliarum rerum naturis, & exigentijs, cuncta disponens in pondere, & mensura.

124 Ad tertiam sequelam dico, eiusmodi concursum, seu influxum physicum Dei, ut causæ generalis in conservationem habituum vitiosorum non dedecere Deum: quippe id facit ad exigentiam rerum creatarum pro mune causa primæ: quæ sicut decentissimè physice concurrat cum actibus ad primum esse habituum, imò & ad

esse actuum cum voluntate creatæ; sic deinceps subtractis actibus concurrat novo influxu in conservationem habituum cum ipsa etiam anima, donec aliqua causâ secundâ non postulat subtractionem talis concursus. Nec propterea dicetur Deus specialis causa vitiorum: nã id sonat morale cooperationem ad vicia, & causâ per se, quòd longè abest à divina sanctitate. Solum dicimus, Dei Omnipotentiam, sicut ex munere causæ primæ concurrat ad actum positivum peccati cum voluntate, & ad productionem habitus vitiosi cum actibus illum generantibus; sic postea destructis actibus, suo influxu physico, & quidem novo, concurrere cum anima ad conservationem habituum, id exigentibus ipsis habitibus postulantibus sic durare, donec à contrario expellantur.

125 Tandem ad tertiam confirmationem ex num. 106. respondetur, maiorem absolutè, & generaliter esse falsam, aut æquivocam. Nam, quamvis multis rebus præsertim substantijs insit appetitus conservandi se in suo statu connaturali indirectè, scilicet media productione suorum accidentium obersistentium contrarijs; non tamen sic ipsis inest appetitus conservandi se ipsas directè in suo esse: cum hoc repugnet: neque resistendi contrarijs, cum multæ contrario careant, ut Angeli, Cœli, & materia prima. Unde istæ res, licet habeant appetitum semper essendi, non tamen se ipsas conservandi; sed ut conserventur ab Omnipotentia, à qua pendunt, quamque non possunt villo modo adhuc indirectè iuvare, sicut res corruptibiles, quæ saltem indirectè iuvant ad sui conservationem. Minor etiam falsa est: appetitus enim eiusmodi rerum incorruptibilium, ut perdurent, non supponit, aut involvit in ipsis aliquam potentiam se ipsas conservandi; sed hanc potentiam supponunt in Deo, à cuius influxu totaliter pendet assidue: qui influxus lege naturæ est perpetuus, ipsisque necessarius, eo quòd nec contrarium habeant, nec ab aliquo contrarium habente dependeant. Unde nego consequentiam.

126 Quo manet incontestum, nullo influxu, quem præstare in se ipsas possint; nullaque virtute, quam in suum esse exerceant, pollere res creatas, ad sui conservationem: cuius virtutis intuitu minor, aut debeat, aut possit esse influxus, aut concursus Omnipotentia ad ipsarum conservationem, quàm ad primam productionem fuerit.

SECTIO

SECTIO VIII.

AN, ET IN QVO SENSU

Theologico creare sit ut proprium

solius divine Omnipotentia,

ut nulli creatura

convenire

possit.

Arriag.

127 Sicut qui audacter, indistinctè, & indistinctè affirmant, posse Deum creare creaturam creatricem. Quis, cū in eo quòd creatura creet, aut creare possit, nulla, ut aiunt, appareat repugnantia, seu contradictio; non est, inquit cum Arriaga, cui nimis detulerunt, cur absolutæ potentia Dei id possibile denegetur. Quis videlicet obsequium esse possit Omnipotentia, nobilissimam suam prærogativam ad extra, communem fere suis creaturis: & titulum præcellentiissimum ac decantatissimum Dei Creatoris taliter abijcere, ut in consortium secum creandi, nihilitatem creatam admittere, nec repugnet, nec dedecet, contra ingeminata præconia Sanctorum Patrum identidem proclamantium, creare solius esse Dei Omnipotentis privativè ad omnem omnino creaturam.

S. Tho.

128 Quocirca, ut rem verissimam à turpi æquivocatione secernamus, distinguere oportet ex S. Tho. ad calcem allegando, duplicem sensum, seu acceptionem creationis. Uno modo sumuntur Philosophicè, & utrumque, pro productione, seu effectione rei independētis, seu independentè à subiecto in hætionis: contrapositè scilicet ad educationem, quâ producitur res dependens, seu dependenter à subiecto in hætionis. Alio modo sumitur creatio Theologicè pro effectione rei ex nihilo: non solum, inquam, ex nihilo subiecti, seu absque subiecto in hætionis; sed omnino ex nihilo: hoc est: ex nulla alia re præsuppositâ, conferente ad talem effectionem.

129 Priori illo modo creationis Philosophicæ contrapositæ educationi, existimo, creare non esse proprium solius Dei taliter, quòd nequeet participari ab aliqua creatura. Quinimò reor, in illo vulgari sensu, aliquas creaturas de facto creare: ut in Disputationibus de Eucharistia dico, ignem, aut solem debite applicatum speciebus consecratis, efficere ibi calorem per productionem, quæ cum illum producat non igne-

rentem, ac proinde non sit educio, est creatio. Et ut opinor, si cunctæ actiones effectivæ rerum non sunt instantaneæ, eadem numero actio, quæ ante consecrationem esset educio accidentium, post consecrationem est creatio. Uique deò scilicet exigui momenti est hoc genus creationis; ut vna numero actio possit extrinsecè denominari, iam educio, iam creatio, ut cum Læasio, & Lynceo philosophabar. In quem sensum accipio Tertullianum lib. de Resurrectione carnis sub initium, oicentè. *Quòd enim interest ex nihilo quid preferri, an ex aliquo dum quòd non fuit fiat, quando etiam non fuisse nihil sit fuisse?* Quasi dicat, differentias illis præsuppositi, vel non præsuppositi subiecti exiguæ considerationis esse debere ad virtutem creatam effectivam, sive per educationem, sive per creationem educationi contrapositam, iuxta vulgarem sensum Philosophorum.

Læsius.  
Lyncus.  
Tertull.

130 Posteriori autem, & præcipuo modo creationis Theologicæ, certum mihi est, creare ita esse proprium Omnipotentia divinæ, ut nullatenus valeat vili creaturæ convenire, adhuc de potentia Dei absoluta. Ratio est, & simul ostenditur repugnantia, quæ nonnullis, hac distinctione non ventibus, videtur non apparuisse. Quia hoc modo, & sensu perfectissimè abiciuntissimo, Theologico, atque Dogmatico, creare est efficere, seu producere aliquid ex nihilo: id est: ex nulla alia re præsupposita conferente ad effectionem, etiam activè, ut explicat S. Tho. adducendus n. 134. Sic autem in ipsis terminis implicat creaturam creare. Nequit enim creatura quidquam efficere ex nihilo: nam eo ipso quòd creatura sit, supponit creatorem, ex quo omnia: quas Apostoli voces ad genus causæ efficientis vertit Cornelius ibi: cum omnia fieri ex Deo tanquam ex materia, seu quasi materia ex qua, nec venire præverit in mentem Apostoli, nec dici, nec intelligi possit.

Rom. 11.  
Cornel.

131 Dices: sic intellectâ, & explicatâ Theologicè proprietate creationis, multas esse creaturas, quæ nec à Deo dici possent creari: nam actus nostros vitales, nec Deus solus efficere potest ita ex nihilo, ut necessarid non esse debeant ex aliquo alio præsupposito: nempe à potentia vitâ. Respondetur tamen, Deum omnium Creatorem esse ex Apostolico Symbolo: *Creatorem Cœli, & terræ: hoc est iuxta Nicænum, visibilium omnium, & invisibilium.* Nec

Symbol.

obest explicationi nostræ illud de actibus vitalibus. Quamvis enim verum sit, quod illos non efficiat Deus, nisi ex potentia præsupposita ad actus; non tamen ex præsupposita ad Deum, ex quo omnia ducunt originem, & aliter ex nihilo. Ad rationem autem creationis à nobis expli atam opus est, quod creans efficiat terminum creatum ita ex nihilo, ut nihil omnino præsupponat ante se, & ante terminum creatum, ex quo terminus illud suum esse, quodcumque sit, accipiat. Hoc autem nulli creaturæ producenti competere potest, Deoque competere necesse est circa omnia quæ producit, sive solus, sive cum creatura, sive in subiecto, sive extra subiectum: ideoque omnium Creator singulariter dicitur, & est.

132 Sic morem gerimus, uti par est, Sanctis Ecclesiæ Patribus, uno ore conclamantibus ex Fidei Symbolis, Deum omnium Creatorē visibilium, & invisibilium: unaque docentibus, nullam omnino creaturam creare posse. Quia nimirum singularis hæc Omnipotentia divinæ prærogativa repugnat essentialiter conceptui creaturæ. Id quod sedulo discerni, atque in turo relinquere deberet à Philosophis modernis in obsequium Sanctorum Patrum, Theologicæ, & dogmaticæ loquentium, quando in sensu suo Philosophico incipiunt disputare, an creatura creare possit.

Symb.

S. Tho. Suar. Vasq. Petav. Athan.

Cyrril.

133 Legantur S. Tho. 1. p. q. 45. art. 5. Magnus Suarez disp. 20. Metaph. P. Vasq. tom. 2. in 1. p. disp. 176. cap. 2. & 3. & ex Athanasio Dionysio Petavio tom. 1. Dogmat. lib. 3. cap. 6. num. 2. Audiantur insuper Athanasius serm. 3. contra Arianos: Administrare, creaturarum, ac servorum est; condere autem, atque creare, solius Dei. Et Cyrillus lib. 2. contra Iulianum: Effaciter posse operari, ut creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant, esse unum ex ijs, quæ propria sunt solius, & omnium summa substantia. Quo excluditur prorsus à quacumque creatura, sive actuali, sive possibili, sive principaliter, sive instrumentaliter, aut obedientialiter, facultas creandi. Quæ omnia comprehendit ratio, & explicatio nostra creationis, Theologicæ, ac dogmaticæ sumptæ, expeditè sic consulens extimæ huic prærogativæ Omnipotentia summæ Creatoris.

S. Tho.

134 Né autem videamur eam strictè creationis explicationem de nostro nobis effugisse, legatur iudem S. Tho. q. 45. art. 5.

de Creatione, art. 4. in corpore, sic scribens: Dicitur enim creari quod ex nihilo sit: quod etiam non præsupponat aliquam priorem causam agentem: & citato in eadem mentem Augustino, ut totam nostram doctrinam complectatur, subiungit: Si igitur sic strictè creatio accipitur, constat, quod creatio non potest nisi primo agentis convenire: nam causa secunda non agit nisi ex influentia causæ primæ. En conceptissimè conclusionem, & rationem nostram.

SECTIO IX.

QUOMODO DIVINA OMnipotentia appl. cetur preparativè in actu primo ad operationes creaturas.

135 Dixi, in actu primo: nam applicatio formalis Omnipotentia, sicut & cuiuslibet alterius causæ in actu secundo, est ipsum exercitium, ipse influxus, ipsa causalitas, ipsa actio, qua producit effectus: sive distincta, sive indistincta à termino, sive instantanea, sive permanens, sive adæquatè interdum identificata cum actione causæ secundæ: de quibus disidijs nunc non curo.

136 Est ergo sermo de applicatione præparativa in actu primo. Cum enim Deus, quamvis sit virtus ad omnes effectus possibilis: & quamvis in omnium, quæ re ipsa fiunt, effecione exerceatur: non ex absoluta necessitate; sed pro libito, & ex perfectissimâ libertate omnium prædominativâ, ut supponimus contra errorem illorum, qui Deum ad extra ex necessitate naturæ operantem effinxerunt; sequi necesse est, eius Omnipotentiam, antequam prodeat in actum secundum, debere liberè à divina Voluntate præparari, quod vocant applicari in actu primo ad actum secundum.

137 In quo autem consistat hæc applicatio præparativa Omnipotentia, est præsens difficultas. In qua, varia varij: quarum quot, & quanta circumferantur disidia legi per otium potest, apud Ribadeneyrâ disp. 9. de Prædest. Izquierdum disp. 52. de Deo, à num. 63. Bournall disp. ult. de Volunt. Dei, & novius apud ingeniosum P. Andream Lunium sect. 7. de Prævidentia per multa capita eruditione, & subtili.

elicitibus plena. Ad quos Tractatus remittam etiam ipse plura, quibus hic parcere consultius iudicavi.

138 Effectus creati alij sunt à solo Deo; alij à Deo concurrente simul cum causa secunda: alij necessarij à causis secundis necessarij operantibus; alij liberi à causis secundis liberè operantibus; alij moraliter boni, & honesti. Pro quibus omnibus adhibenda est explicatio applicationis Omnipotentia.

Thomist. Bañez.

139 Scitissima est doctissimorum huius temporis Thomistarum sententia post Magistram Bañez, Omnipotentiam proximè applicari præviè à Deo per decretum prædeterminativum inducens qualitatem physicè prædeterminantem, quam vocant concursum prævium ad actum secundum operationis creaturæ: tam necessariæ, quam liberæ, tam bonæ, ac honestæ, quam malæ, & peccaminosæ, quoad ipsius materiale. Quamvis in hoc postremo dissentiat bona Thomistarum pars.

140 Hæc doctrina placere nobis non potest. Eam refutam effeciter alibi, uti veræ Philosophiæ, ac Theologiæ repugnātem: cum ex capite lætæ libertatis creaturæ, quæ parte concernit operationes creaturæ liberæ: tum ex capite lætæ Sanctitatis divinæ, quæ parte concernit operationes moraliter malas, & peccaminosæ. Quoad istud specialius de prædeterminatione divina ad materialia peccatorum, illam gravitet censuram graves Theologi, etiam Thomistæ: ut legere est apud Paulum Leonardum part. 2. sect. 3. & apud Gasparem de Ribadeneyrâ disp. 11. de Prædest. cap. 1. & ex Philadelpho refert Quirós tom. 1. in explic. questionum, S. Tho. quæst. 19. art. 9. nu. 106. In Generalibus Comitij Ordinis S. Dominici visam esse hanc opinionem repellendam à publicis Assertionibus. Generalius verò quoad illud de prædeterminatione divina ad actus liberos creaturarum illam refutat noviter, & impensè per totum integrum, quasi à mente S. Tho. longissimè aberrantem, doctissimus Magister F. Iosephus Vita Siculus, ex inclytâ, multisque mihi titulis venerandâ Patrum Prædicatorum Familia.

Leonar.

Ribad. Quirós. Philadel.

Vita.

141 Ob easdem rationes, nec placere nobis potest applicatio Omnipotentia proximè per decretum intrinsicè effecax præfinitivum cuiuscumque operationis creaturæ: si tale decretum, sive antecedens, sive concomitans vocetur ad operationes crea-

tas, habetur à Deo independentè à divina Scientia Media, & omnino inevitabiliter pro libito voluntatis creaturæ, ut à multis Scotistis subtiliter defenditur. N. m. æque pugnat cum libertate operationis creaturæ, ac decretum prædeterminativum. Quod si ad materialia etiam peccatorum extenditur, non minus dedecet Sanctitatem divinam, ut latè prosequor in Tractatu de Providentiæ: ubi etiam de decreto comitante condeterminativo intrinsicè effecax aliter adstruio à Patre Ribadeneyrâ quoad operationes liberæ bonas.

Scotist.

Ribad.

142 Quærendus ergo nobis est suavior alius modus applicandi Omnipotentiam ad operationes præterim liberæ creaturarum, quantum ad præsens institutum, pro intelligenda divinæ Omnipotentia perfectione, & naturâ, conducere potest.

SECTIO X.

COMMUNIOR NOSTRARUM Opinio exagitat.

143 EA est: Omnipotentiam ad effectus, seu operationes à solo Deo pendentes applicari in actu primo per actum liberum effecacem suæ voluntatis volentem, & decernentem, ut producantur. Ad effectus pendentes à causa secunda necessaria necessario operante, ut lux à Sole, & à Deo; applicari per decretum liberum, quod sit volitio cooperandi, seu concurrendi cum tali causa ad talem effectum, simulque sit absoluta volitio talis effectus determinati, & cooperationis etiam causæ secundæ ad illum. Ad effectus autem creaturis liberos, applicari per decretum, quod sit volitio non intrinsicè effecax concurrendi in actu secundo, cum voluntate creata sub conditione, vel quasi conditione, si voluntas velit, ac determinet; non tamen quod simul sit volitio absoluta, & effecax volitionis, ac determinationis voluntatis creaturæ; ne scilicet creaturæ libertati præiudicet: nevé, quando volitio, seu determinatio creaturæ turpis est, & peccaminosa; dicatur Deus, illam severè prohibens, illam absolute velle, contra Davidicum illud: non Deus volens iniquitatem in eis.

Psalma 5.

144 Ex duplici capite duplicet ista doctrina sic explicata quoad hoc postremum (in quo stat actor difficultas) de applicati.

plicatione Omnipotentiae pro effectibus liberis voluntatis creatae. Primò, ex inanitate eiusmodi applicationis. Secundò ex indecentia repugnantissimâ cuiusvis decreti divini adhuc inefficaciter, & modo illo conditionato, seu quasi conditionato, volentis concursum suum in actu secundo identificatum realiter, ut cum ijs Authoribus suppono, cum actione ipsa peccaminosa creaturæ.

145 Ex primo capite disputo sic. Illa conditio: *si voluntas velit*, vel afficit decretum reddens illud ex parte sui conditionatum, & pendens conditionaliter in suo esse à positione talis conditionis: quasi dicat: *si voluntas velit ego volo*: vel afficit obiectum decreti, reddens concursum Dei in actu secundo pendentem à positione talis conditionis, habentibus se conditione, & conditionato ex parte obiecti talis decreti: quasi dicat: *ego volo, ut si voluntas creata velit, Omnipotentia concurrat*. Sed utrolibet modo sit, est inutiliter, & inaniter ad applicationem Omnipotentiae: ergo inutilis, & inanis est eiusmodi applicatio.

146 Probatur minor quoad primum modum. Sic enim decretum illud in suo esse penderet ab absoluta positione illius conditionis: *si voluntas velit*, & præsupponeret voluntæ nostrâ volentem: ac proinde, & Deum concurrentem: cum volitio ipsa creaturæ sit concursus ipse Omnipotentiae in actu secundo, aut illum involvat, aut præsupponat essentialiter: ergo eiusmodi decretum esset ineptum ad applicandam Omnipotentiam ad concurrendum: imò, supponens ex parte conditionis concursum, supponeret applicationem ad cõcursum. Præterea: Omnipotentia est, & esse debet, applicata in actu primo ad multos actus, qui te ipsa non fiunt: quando scilicet constituitur voluntas creata indifferentem potens ad utramque partem libertatis, quam utramque non ponit: per eiusmodi autem decretum non posset sic applicari: si enim decretum in suo esse pendet à conditione illa: *si voluntas creata velit*; casu quo voluntas non vult, non est in Deo eiusmodi decretum, ac proinde non applicatur per illud Omnipotentia pro ea volitione, quam voluntas non vult esse: ut per se est clarum. Igitur eiusmodi decretum hæc priori modo explicatum ineptum est & prorsus inane ad applicandam Omnipotentiam.

147 Probatur eadem prima minor quoad secundum modum, ad quem veni-

neesse est. Quia voluntatem creatam vellem, ac se determinare, est operatio decretum, quod sit volitio concurrendi cum voluntate, *si voluntas operetur*, est inane ad applicationem Omnipotentiae: ergo inane pariter est decretum, quod sit volitio concurrendi, *si voluntas velit, ac determinet*. Consequutio liquida est. Maior innegabilis. Probatur autem minor: quia Deum concurrere in actu secundo cum voluntate, est realiter operatio ipsa creaturæ, si aulque Dei: quippe Deus & creatura actione efficaciâ influunt realiter eadem: sicque in re volitio concurrendi cum voluntate, si voluntas operetur; est volitio concurrendi si concurrat: quo quid inanius, & ad applicandam Omnipotentiam ineptius? Præterea non secus ac si pro applicanda divina Immensitate ad essendum præsentialiter in hoc mundo, adhiberetur decretum, quo vellet Deus, suam Immensitatem adesse huic mundo, si mundus hic ponatur à parte rei: aut si decerneret Deus, quod peccatur homo à parte rei, si ponatur animal rationale: aut quod ponatur operatio vitalis, si ponitur actus voluntatis: aut quod Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedat: aut quod duo & tria sint quinque.

148 Hinc urgeo ulterius. Quamvis contingens sit, & liberum, Omnipotentiam cõcurrere cum creatura; at Omnipotentiam concurrere cum creatura, si creatura operetur, neque liberum est, neque contingens; sed metaphysicè necessarium: sive Deus cõcurrat per ipsammet actionem per quam concurrat creatura; sive etiam per aliam: quod ad præsens partem refert. Quomodo quavis absolutè contingens sit, Immensitatem adesse huic arbori; at immensitatem adesse huic arbori, si hæc arbor existat, neque liberum est, neque contingens; sed metaphysicè necessarium. Ex eo scilicet, quod ex intrinsicis suis repugnet Immensitati Dei quidquam effici à parte rei, cui ipsa præsentissimè non adsit: sicut etiam ex intrinsicis suis repugnat Omnipotentiae Dei, quidquam effici à parte rei, ad quod ipsa immediatissimè non concurrat. Igitur, sicut decretum Dei volens, Immensitatem adesse arbori, si arbor existat, esset prorsus inane pro applicanda in actu primo Immensitate ad præsentem essendum arbori existenti; similimè decretum Dei volens, Omnipotentiam concurrere cum creatura, si hæc operetur, erit prorsus inane pro applicanda in actu

pri-

primo Omnipotentia ad concurrendum cum creatura operante, volente, aut se determinante.

149 Respondent: verum id fore, si eiusmodi decretum esset volitio conditionata: at non est, inquit, in re conditionata, quamvis grammaticaliter explicetur ad modum volitionis conditionatæ. Sic dicimus non inaniter, sed verissimè, habitum concurrere, & esse ex natura sua applicatum ad concurrendum cum voluntate, si voluntas velit, sequè, & habitum determinet ad operandum: quamvis habitum concurrere, sit realiter ipsum operari voluntatis. Quapropter ait etiam aptissimè Tridentinum *sess. 6. can. 4. liberum arbitrium posse dissentire si velit gratiæ excitanti*: quamvis velle dissentire sit ipse dissensus. Ubi per eiusmodi quasi conditionales nihil aliud significatur, quam penes voluntatis arbitrium esse liberè operari, concurrentibus ad operationem habitum, & Omnipotentiam, per illam ipsam volitionem creaturæ; non tamen per ipsam formaliter volentibus, ideoque non se per ipsam formaliter liberè determinantibus.

150 Rem vellem; non verba. Aliud est eiusmodi conditionales, seu quasi conditionales, esse veras: aliud est, adhiberi decretum, sive conditionatum, sive grammaticaliter quasi conditionatum, ad applicandam Omnipotentiam pro illis veritatibus in suo casu ponendis. Illud prius verissimè est; istud posterius inanissimum. Certè verissimum est, quod si ponantur in rebus duo & tria, ponantur quinque; at inanissimum esset decretum Dei, imò, & volitio nostra quomodocumque explicata, quasi à Tripode decernens, quod si ponantur in rebus duo & tria, ponantur quinque. Quin imò, quod necessarios sunt eiusmodi veritates; eo inania sunt circa ipsas sic explicatas eiusmodi decreta sic etiam explicata.

151 Præterea. Sive decretum eiusmodi sit volitio concurrendi conditionata, sive non; prout à suis Assertoribus explicatur, nihil præstat in ordine ad applicandam in actu primo Omnipotentiam, quod Omnipotentia ex intrinsicis, & essentialibus suis prædicatis non habeat: ergo prorsus est frustraneum, & inane. Probatur antecedens: quia nihil quoad hoc præstat, nisi quod Omnipotentia sit parata ad concurrendum, vel cooperandum, si creatura operatur: atqui ad id ex intrinsicis suis est pa-

ratissima, imò & necessitatissima Omnipotentia: cui utique ex intrinsicis suis metaphysicè repugnat non concurrere, aut non cooperari, si creatura operatur: haud secus ac repugnat Immensitati, non adesse præsentem creaturæ, si creatura est: ergo eiusmodi decretum in ordine ad applicandam Omnipotentiam in actu primo nihil omnino præstat, quod Omnipotentia ex suis intrinsicis non habeat: ergo pro hoc munere applicationis Omnipotentiae in actu primo prorsus est inane: haud secus ac pro munere applicandi Immensitatem in actu primo inane foret decretum, quo similiter vellet Deus adesse præsens creaturæ, si creatura esset à parte rei.

152 Quid quod decretum divinæ voluntatis, quod investigamus pro applicatione Omnipotentiae ad concurrendum, est quid Deo formaliter liberum: ratione cuius est Deo absolutè liberum concurrere, vel non concurrere, poni, vel impediri operationem cuiuscumque creaturæ. Atqui eiusmodi volitio, prout nuper explicata, si est in Deo, non est libera, imò necessaria, sicut necessarius est Deo amor Omnipotentiae suæ: ergo nequit per eiusmodi decretum aprè constitui, nec explicari applicatio Omnipotentiae investigata à Theologis in præsentem quæstione. Probatur minor: nam volitio, cuius oppositum est impossibile, necessaria est: cuiuscumque enim entis non necessarii est aliquid oppositum possibile: sed oppositum eiusmodi volitionis sic explicatae est impossibile: ergo illa, si est, necessaria est, ac minimè libera. Minor hæc patet: nam oppositum illi volitioni; *volò concurrere si creatura operatur*: est hæc: *volò non concurrere si creatura operatur*: at hæc: *volò non concurrere quamvis creatura operetur*: aut alia ijs æquivalens: omnes autem istæ volitiones sunt Deo impossibiles: utpote de re impossibili, & chymericæ: cum impossibile sit Deum non concurrere creaturæ operante, & in ipsa sua operatione imbibente, aut supponente Dei concursum.

153 Ex secundo autem capite disputo sic. Repugnat sanctitati, & puritati divinæ Voluntatis velle peccatum: sed applicatio prædicta Omnipotentiae circa operationes etiam peccaminosas creaturarum esset Deum velle peccatum: ergo omnino repugnat Deo, non secus ac Deum peccare. Maior decantata est à Davide: *quoniam non Deus volens iniquitatem in es.* Minor præ-

probatur: nam ea applicatio est decretum Dei volens concurrere cum creatura: etiam ad operationem peccaminosam, si creatura peccans velit operari: ergo & volens eo ipso modo concursus suum in actu secundo: hic enim Dei concursus est ipsum concurrere Dei, ut est notissimum. Atqui concursus Dei in actu secundo, cum sit actio Dei identificata realiter, iuxta Authores quibuscum agimus, cum actione creaturæ, est pro casu peccati realiter identificatus cū actione ipsa peccaminosa prava, & turpi creaturæ, quæ actio est ipsissimum peccatum creaturæ: ergo ea applicatio per eiusmodi decretum, prout à suis Authoribus, explicatur, esset Deum velle peccatum: quod dedecet, & repugnat puritati, & sanctitati divinæ Voluntatis.

154 Tertia responsio est: id esse, Deum velle peccatum, seu concursum realiter identificatum cum actione peccaminosa; non efficaciter, sed inefficaciter; non absolute, sed conditionate; (nunc recidunt avidè Responsores in illud, quod nuper refugiebant, de decreto conditionali) non ut peccatum est, aut secundum formalem malitiam, seu quatenus malum à creatura est; sed ut ens est, secundum entitatem materialem, & quatenus concursus Dei est. His autem modis, aut sub istis formalitatibus præscindentibus à malitia, seu à peccaminositate, nec dedecet, nec repugnat Deo id velle. Quidquid sit de doctrinæ incohærentia, sive inconstantia, quam expendam *num. 161.* acquiescere non possum effugijs minimè turis vulgarissimæ huius responsionis.

155 Primò namque: sive decretum illud sit volitio intrinsecè efficax, conditionata tamen, ut loquitur Izquierdo à *num. 79.* sive non intrinsecè efficax, sed tantum extrinsecè, & denominative à positione concursus sic voliti, ut communius alij; certè iuxta utroque est actus voluntatis divinæ prosequutivus volens obiectum, quod realiter est nostrum peccatum: scilicet concursum Omnipotentis in actu secundo, qui concursus est actio Dei identificata realiter cum actione nostra peccaminosa. Hoc autem ipsum dedecere, ac repugnare voluntati sanctissimæ Dei dubitare non possum: cum absolute sit velle peccatum ipsum: cuius volitio etiam inefficax dedecet Deum hæc minùs, quàm nos, & infici necesse est ab obiecto malo, quod prosequitur.

156 Porro quod Deum dedecet, Deo sanctissimo repugnat, quamvis nobis peccatoribus multa non repugnent, quæ dedecent. Unde est, ut expendit dignè Ribadeneira, quod in nobis non solum sit malum, & turpe, velle efficaciter, verum etiam & inefficaciter, peccatum, seu actionem peccaminosam alterius, de illa simpliciter complacere, de illa inefficaciter lætari, illam consulere, aut desiderare, adhuc inefficaciter, ob quemcumque finem, etiam bonum, ut in moralibus est certum. Quia nempe omnes eiusmodi tendentiæ, quamvis inefficaces, sunt prosequuti vā obiecti materialis realiter turpis: à quo inficitur, & deturpatur moraliter quæcumque voluntaria ipsius prosequutio etiam inefficax nostra; & à quo, ne similiter inficiatur ac deturpetur divina, longius multò fecernendus est sanctissimus Deus, qui non Deus volens iniquitatem est: ac proinde à quacumque volitione etiam inefficaci talis obiecti. Si autem eiusmodi Dei volitionem, quia divina esset, eximere contendas ab eiusmodi infectione; similiter, quia divina esset, eximere posses volitionem Dei absolutam efficacè obiecti realiter turpis, in ó & ipsius malitiæ formalis. Sanè prerogativa divinæ sanctitatis essentialissimè, est non posse habere similes volitiones, sive efficaces, sive inefficaces; nõ verò posse illas habere, quin malæ sint: hoc enim esset posse illas habere sine turpitudine, quæ ex sua speciali tendentia prosequutiva obiecti realiter mali nequeunt non habere: quod in terminis implicat, ut ex terminis patet. Ego quidem quemlibet omnino effectum prosequutivum periurij nostri nobis illicitum; sanctitati, ac rectitudini divinæ infinite magis repugnantem concipio: nec propter vllum finem honestum impingere audeam divinæ voluntati lætitiæ, gaudium, delectationem, quantumvis inefficacem, nec minimam velleitatem peccati materialis nostri: ut potè prorsus extra sphaeram divinæ voluntatis prosequutivæ; non minùs quam extra sphaeram voluntatis creatæ licitè prosequutivæ.

157 Secundò: quia similiter, nec conditionalitas illa honestate valeret eiusmodi decretum. Nam neque velle peccatum alterius, si alter, aut ex suppositione quod alter illud liberè perpetret, licitum nobis est: ergo multò potius repugnans Deo. Eo vel maximè, quod volitio conditionata, purificatâ conditione, transit in absolutam saltem imputativè, & in consideratione moralitatis.

figo

ergo si Deus certò præsciens purificationem talis suppositionis, seu conditionis, sive latè, sive strictè dictæ decernit, ac vult actionem suam ad extra identificatam realiter cum actione peccaminosa nostra, si voluntas nostra id velit; purificatâ iam conditione, decretum illud Dei transit in absolutum saltem imputativè, & in consideratione moralitatis. Si igitur repugnat Deo absoluta volitio sui concursus, tuæ actionis realè identitatè habètis cū peccato nostro; eadem ratione repugnat ipsi ea conditionata volitio, seu conditionatum decretum concurrenti, cui adscribi solet munus applicandi Omnipotentiam in actu primo pro liberis operationibus etiam peccaminosis voluntatis creatæ.

158 Tertio. Nec in tuto est prædicta responsio per illas formalitatus obiecti illius realis: non ut peccatum est, aut, secundum formalem malitiam, seu, quatenus malum à creatura est; sed, ut ens est: secundum entitatem materialem: & quatenus concursus Dei est, aut, prout à Deo: sive, ut alij, quò magis ænigmaticè loquantur: secundum lineam entitatis; non secundum lineam tortuosa talitatis.

159 Sive enim formalitates istæ virtualiter, sive obiectivè, sive ex natura rei, sive ex modo tantum concipiendi, in obiecto realiter eodem fecernantur: sive formalis malitia peccati in positivo, sive in privativo consistat: sive distincta, sive indistincta realiter sit à materiali positivo actionis liberæ peccaminosæ; sunt tamen ea omnia in illo obiecto, aut realiter identificata, aut inter se connexissima: taliter ut tota operatio peccaminosa, quæ est averfio à Deo, iniuriosa Deo, contemptiva Dei, ideoque prohibita à Deo, realiter mala sit: quod autem realiter malum est, ideoque à Deo prohibitum, sub nulla formalitate, ex nulla ratione, & nullo ex fine aut motivo potest honestè amari. Deus igitur velle non potens, nisi quod honestè amari potest, sub nulla formalitate, & ex nulla ratione, nulloque ex fine, seu motivo velle poterit operationem peccaminosam creaturæ, atque ad eam nec concursum suum in actu secundo realiter cum illa identificatum. Ergo voluntas Dei præparativa Omnipotentis in actu primo, nequit vlla tenus, aut sub vlla formalitate realiter mala esse volitio concursus in actu secundo circa operationes intrinsecè peccaminosas, & intrinsecè pravas, ideoque à Deo prohibitas.

160 Profectò, si eiusmodi præcisione: quæ quidquam prodesse in præsentis pro responsione ad argumentum nostrum, eodem iure prodesse possent, ut possemus honestè, & licitè velle, consulere, & desiderare peccatum alterius, aut in illo complacere, quoad materiale, quoad entitatem, in ratione entis, prout est dependentè à Deo, aut secundum similes formalitates: quin perinde ab eiusmodi obiecto malo inficeretur affectus noster prosequutivus peccati alieni. Quinimò neque nostri: quippe non amamus peccatum, nec obiectum malum, quia malum est, neque ut malum est, nec secundum formalem malitiam, in quocumque ista consistat, cum nemo intendens ad malum operetur, ut ex Aristotele, Sanctisque Dionysio, & Thoma docent omnes; sed potius malum materialitè amamus sub aliqua ratione boni: & tamen peccant homines, dum sic volunt obiectum peccaminosum, & dum sic volunt, aut desiderant peccatum alterius: ergo eiusmodi præcisiones prodesse non possunt ad hoc ut affectus quicumque prosequutivus obiecti materialis mali, ideoque à Deo prohibiti, non inficiatur, & deturpetur: & consequenter, ne Deo essentialissimè repugnet.

161 Mirum deinde est, evanida hæc effugia per supradictas formulas distinguendi, ac respondendi, placere potuisse Authoribus solitis easdem aspernari in prædeterminationibus ad materiale peccati, ubi frustra ingeminantur. Si enim sufficientes sunt ut eximant à malitia voluntati vllam Dei prosequutivam actus, sive obiecti mali; quocumque Dei decretum, & quemcumque nostrum affectum ad turpia similiter eximere possent. cum nullus amet malum quia malum, nec propter, aut secundum malitiam, sive ratione malitiæ: nullusque licitè possit amare malum propter bonum, ut furtum ad erogandam elemosynam, aut periurium suum, nec alienum ad salvandam vitam innocentis.

162 Nec est ad rem exemplum speciosum, quo præfidenter utitur. P. Izquierdo à *num. 79.* duorum hominum, vnius sani, & alterius ægri, portantium idem pondus: quo ipso exercitio sanus suam auget sanitatem, & æger suum morbum: sicque idem exercitium est vni bonum, & alteri malum. En, inquit, quomodo vna, & eadem realiter actio, potest esse bona Deo, mala creaturæ; bona, sicque rectè volibilis à Deo

Dd

à Deo

á Deo, prout à Deo; mala, sicque non re-  
ale volibilis á creatura, prout á creatura.

163 Mitto discrimen palmare, vel  
lippis oculis conspicuum: quod nempe in-  
commodum gravioris morbi, vel mortis  
proveniens ægro ex illo pondere, est quid  
realiter distinctum à comodo firmioris  
sanitatis proveniente sano: unde est quod  
licité possit alterari, aut alius tertius velle  
commodum vnius, & nolle incommodum  
alterius. Et ut à fortiori ratio nostra firmetur,  
rogo: an propterea possit alterari illo-  
rum, aut alius tertius procurare iniungere,  
seu desiderare simultaneam illam gestio-  
nem ponderis vni mortiferam, alteri salu-  
tiferam, volendo totum id, quia bonum  
alteri, aut ex fine comodi alterius? Cer-  
tum est quod non. Certius igitur debet  
omnibus esse, quod præcisio illa formalita-  
rum realiter identificatarum in operatione  
realiter peccaminosa, nequit prodesse, ut ea  
operatio realiter mala possit esse obiectum  
alicuius volitionis licitæ ipsam volentis se-  
cundum aliquam ex prædictis formalita-  
tulis.

164 Et ratio est: quia aliud est, idem  
obiectum esse vni bonum, & alteri malum,  
ad modum quo in physicis idem calor est  
bonus igni, & malus aquæ; aliud est,  
volitionem, quæ simul realiter est opera-  
tio voluntatis per illam peccantis, & con-  
cursus Dei illam coefficientis, posse amari,  
intendi, desiderari, seu quoquo modo pro-  
sequuti vé terminare volitionem sui, quin  
obiectivè realiter refundat malitiam in for-  
malem volitionem sui, quantumvis ea vo-  
litio præcindat formalitates in operatione  
volitã, aut intellectus noster in ipsa formali  
volitione. Illud prius verum est: sed non  
ad rem præsentem: non enim contendimus,  
quod illa operatio, quæ est realiter  
volitio creaturæ, & peccatum creaturæ, si-  
mulque realiter concursus Dei, sit pecca-  
tum Dei: cum non sit volitio, quæ vult  
Deus, nec sit actus voluntatis divinæ; sed  
quod volitio illius operationis nostræ divi-  
nique concursus cum illa realiter identifi-  
cati, quæ volitio esset actus voluntatis Dei,  
& denominaret formaliter Deum liberè  
volentem obiectum realiter pravum, esset  
peccatum Dei eo ipso quod sub quacum-  
que formalitate esset volitio peccati nostri:  
ideoque quod esset divinæ sanctitati om-  
nino repugnans: non secus ac sanctitati  
creatæ nostræ velle quoquo modo pecca-  
tum mortale alterius.

165 Unde est quod sapienter obser-  
vat Iunius *cap. 2. nu. 3.* ut labefactet exem-  
plum P. Izquierdo; repugnare in ipsis ter-  
minis, quod vnus actus, qui realiter esset  
volitio duarum voluntatum prosequuti va  
peccati alieni; sit vni illarum duarum vo-  
luntatum moraliter bonus, & alteri mora-  
liter malus: quia nempe vtraque per illum  
formaliter vellet obiectum malum. Si ergo  
actus ille divinæ voluntatis, qui dicitur esse  
applicatio Omnipotentia, esset volitio ob-  
iecti, quod realiter est peccatum volunta-  
tis creatæ; eo ipso esset formaliter malus  
etiam respectu Dei, essetque peccatum di-  
vinum: quod implicat, & aures offendit.  
Hoc autem nec impugnat, nec attingit  
exemplum, quo se suaque frustraneas illas  
formalitates non satis protexit Izquier-  
dus.

### SECTIO IX.

#### RECENS IVNIORVM EXCO- GITATIO DISCUTITUR.

166 **P**ater Iunius, postquam *cap. 2. à nu. 24. & cap. 8. à nu. 2.*  
benè contra alios reiecit, ut fatuum, inuti-  
le, Deoque repugnans, decretum Omni-  
potentia applicativum, quod sit volitio di-  
sunctiva contradictoriorum: v. g. *volo ut  
ponatur, vel non ponatur concursus in  
actu secundo;* docet, applicari Omnipoten-  
tiam, etiam circa operationes peccami-  
nosas creaturæ, per decretum aliter disun-  
ctivum: quo scilicet vult Deus disunctivè,  
quod Omnipotentia concurrat, fiatque il-  
lud opus malum, aut aliud non malum, si-  
ve contrarium, sive disparatum.

167 Inter alia discrimina, quæ ponit  
inter hoc suum decretum sic disunctivum,  
& aliud disunctivum contradictoriorum  
quod reiecerat; præcipuum illud est, quod  
decretum illud disunctivum contradicto-  
riorum vellet obiectum eo præcisè modo,  
quo necessarissimum est: scilicet, quod ea  
operatio ponatur, aut non ponatur: quod  
est metaphysicè necessarium, ac proinde  
non nisi inutiliter, fatuè, & inaniter sic de-  
cernibile: haud secus ac si quis decernat  
ambulare, vel non ambulare; & orer, ut sal-  
vetur vel non salvetur: & præcipiat servò,  
ut laboret vel non laboret: & quasi vellet,  
duo, & tria esse quinque. At non sic suum  
illud decretum disunctivum contrariorum,  
seu disparatorum: cum enim vtraque pars  
di-

disuncti possit non poni, non decernit, nec  
vult obiectum adhuc sub ea disunctio-  
ne necessarium: cum non solum necesse non  
sit alteram partem disuncti determinate  
poni; sed nec necesse est alterutram disun-  
ctivè poni, cum possit vtraque non poni,  
etiam stante illo decreto sic volente: quia  
nempe intrinsecè efficax non est. Si hoc in  
re non dicit Iunius, supra captum meum  
fatebor esse quod dicit.

168 Impugno sic. Atque imprimis  
qui fatuum toties vocat pro applicatione  
Omnipotentia decretum illud disuncti-  
vum contradictoriorum, *volo concurrere,*  
*vel non concurrere;* timere iure debuit, ne  
vicissim vocaretur ridiculum, & imperti-  
nens, decretum disunctivum contrari-  
orum, & disparatorum: *volo concurrere ad  
anorem turpem, vel ad odium honestum  
blasphemiam: volo concurrere ad actum su-  
perbia, vel ad actum bonum, seu ad indiffe-  
rentem ambulationis, seu saltationis.* Mihi  
certè omnia hæc videntur pro applicatione  
Omnipotentia circa peccatum minimè ne-  
cessaria, ne dicam impertinentia: & maie-  
stati divinæ voluntatis ex ipsa terminorum  
apprehensione minimè digna, & omnino  
repugnantia.

169 Impugno deinde: quia modus iste  
decernendi involvit aliquem affectum pro-  
sequuti vum erga concursum ad peccatum,  
qui concursus est ipsa actio nostra pecca-  
minosa. Sed omnis omnino affectus prose-  
cutivus, seu omnis volitio peccati, quo-  
cumque modo talis sit, repugnat puritati  
sanctitatis divinæ: quia quocumque modo  
sit, sive efficax, sive inefficax, sive condi-  
tionata, sive absoluta, sive ex malo, sive ex  
bono fine, depravatur, & inficitur à mali-  
tia obiecti voliti, ut expendimus *sect. præde-  
denti:* ergo modus iste decernendi repug-  
nat puritati sanctitatis divinæ. Maior in-  
qua posset aliquis hæerere; probatur. Quia  
affectus iste quantumvis inefficax: *volo ut  
periores, vel ores:* potius afficit voluntã-  
tem, & quidem prosequuti vè, erga periurium,  
& erga orationem, quam erga homi-  
cidium, vel studium: sed ex tali suo modo  
tendendi, & volendi æquè afficit erga peri-  
urium, ac erga orationem, ut per se pateti  
ergo involvit aliquem affectum prosequu-  
tivum erga periurium: ergo simillimè mo-  
dus ille decernendi *volo concurrere ad ac-  
tum peccati, vel ad actum virtutis:* ali-  
quem involvit affectum prosequuti vum  
circa concursum, qui concursus realiter  
est ipsum peccatum.

170 Nec refert, quod aliunde per alios  
affectus aliter, & aliter habeat se Deus er-  
ga actum peccati, quem odit, detestatur, &  
prohibet; ac erga actum virtutis, quæ amat,  
suadet, & plerumque præcipit. Etenim hoc  
non tollit, quominus ex vi, & modo suo  
volendi decretum illud disunctivum æquè  
afficiatur prosequuti vè erga vtrumque: ac  
proinde, nec quominus a parte mala di-  
suncti sic volitã reddatur malus totus ille  
affectus: quia *malum ex quocumque defe-  
ctu.* Quemadmodum in exemplo argumen-  
ti nostri: quamvis aliunde per alios affectus  
aliter, & aliter me haberem erga orationem,  
& periurium: ille tamen affectus: *volo ut  
periores, vel ores:* æquè me afficeret erga  
periurium, ac erga orationem. Nec quidè  
alij affectus boni, faciunt ut iste non sit ma-  
lus ex suo modo tendendi prosequuti vè, &  
quoquo modo volendi obiectum realiter  
malum: sicut multi alij affectus boni erga  
veritatem, qui possunt coniungi cum aliqua  
volitione mentiendi, non faciunt quod ista  
volitio non sit mala. Hinc neminem fore  
iudico, qui turpes non iudicaret in homine  
hos modos volendi disunctivos: *volo dita-  
ri per fas, vel nefas: cupio rem alienam  
adipisci, sive iusto pretio sive precibus, si-  
ve furto, sive rapina: vellem monachus  
fieri, vel grassator:* & alia huiusmodi.

171 Nec item refert dicere, Deo su-  
premo proprietatis, & iurisdictionis Domi-  
no, multa licere, quæ nobis non licent, ut  
hominem pauperare, exhonorare, occide-  
re, &c. Verissimum. At hoc fit, & intelli-  
gitur, circumscriptã realiter pro circumstan-  
tijs turpitudinis obiectiva ab illis malis phy-  
sicis: unde est, quod non solum disunctivè  
inefficaciter, sed efficaciter & determinatè  
decerni, & causari possint à Deo: qui ta-  
men alia mala, retinentia turpitudinè suam  
obiectivam, ut retinetur in sua parte di-  
suncti, de quo processit argumentum,  
velle non potest, sicut nec facere sibi lici-  
tum mendacium, aut blasphemiam. Igitur  
aut responso ista non est ad rem ex præ-  
dicto discrimine inter nos, & Deum su-  
premum Dominum; aut eodem iure pro-  
barer improbabilia: qualia sunt Deum posse  
sibi facere licitum velle determinatè par-  
tem illam malam disuncti, velle mentiri, &  
blasphemare; & velle etiam efficaciter de-  
tractiones, furta, & homicidia a nobis illi-  
cite perpetrata: quasi summa Dei authori-  
tas in eo sita esset, quod possit velle, ut nos  
has actiones præstemus authoritate privata



aut in eo quod possit indulgere sibi, ut illicita cuncta licita sibi fiant. Quod non minus dissonat, quam quod auctoritate supremâ possit Deus facultatem sibi facere ad iudicandum de rebus aliter ac sunt: faciens utique, aut quod tale iudicium difforme rebus, eo ipso quod divinum esset, non esset falsum; aut faciens sibi licitam falsitatem.

172 Impugno rursus. Volitio disiunctiva est saltem æquivalenter conditionata, seu quasi conditionata: qui enim vult ut fiat hoc vel illud, vult quod fiat hoc, si non fit illud, & illud, si non fit hoc: quemadmodum qui disiunctivè præcipit ut detur elemosyna, aut ieiunetur; eo ipso præcipit elemosynam, si non ieiunatur; & ieiunium, si non fit elemosyna: & obligatus disiunctivè à confessario ad poenitentiam flagellationis, vel recitationis; obligatur eo ipso ad flagellationem si non recitat: & ad recitationem, si non flagellatur. Igitur, si Deus decernit, & vult, ut fiat actus peccati, vel actus virtutis; vult saltem æquivalenter, ut fiat actus peccati, si non fit actus virtutis. Atqui volitio conditionata, positâ sua conditione transit in absolutam saltem, interpretativè, & æquivalenter, ut arguebamus *sect. præd. num. 157.* ergo volitio illa Dei decernens actum peccati, vel actum virtutis, quæ est quasi conditionata actus peccati, si non fit actus virtutis, positâ ea conditione rectè Deo notâ, quod non fit actus virtutis, transit, & devolvitur in absolutam saltem interpretativè, & æquivalenter; efficacem quidem, sive inefficacem, iuxta efficaciam, sive inefficaciam volitionis disiunctivæ. Omnis autem volitio, sive efficax, sive inefficax actus, qui realiter est peccatum, præsertim, vel interpretativè, vel æquivalenter determinatâ iam, & absoluta perpositionem suæ conditionis depravatur, & inficitur ab obiecto moraliter turpi; quod sic prosequitur, & vult: ut contra sententiam communem urgebamus *sect. præd.* Quapropter quoad hoc recedit singularis ista Iuniorum excoꝛtatio in inconvenientia, & absurda sententiæ communis superius relectæ.

173 Inquit demum excutere exemplum, quo se protegit Iunius *sup. 9. num. 3.* & sæpe alibi; affirmationis disiunctivæ v.g. *Petrus loquitur, vel dormit:* ad cuius veritatem sufficit quod vnum extremum ita sit. Tam incapax est, inquit, divinus intellectus iudicandi falsum, quam divina volun-

tas amâdi peccatû: cû non minus pugnet Dei sapientia cû errore, quâ Dei sanctitas cum peccato: sed tamen Deus disiunctivè absque falsitate iudicat opposita quorum alterum est falsum. v.g. *Petrus loquitur, vel dormit,* loquente, & non dormiente Petro: ergo potest disiunctivè abque malitia, & peccato suo velle duo, quorum vnum est malum. Sicque decretum applicativum Omnipotentia, quo disiunctivè velit Deus, fieri actum peccati, vel actum virtutis, non esset malum, nec peccatum, nec ex hoc capite dedecens sanctitatem divinæ voluntatis.

174 Permissis pro nunc Deo modis illis disiunctivè, & vage tendendi tam intellectualibus, quam affectivis; si standum omninò est paritati actuum intellectus, & voluntatis; cave, ne dixeris, quod, sicut de perfectione divinæ sapientia est æquè cognoscere bona, & mala; sic est de perfectione divinæ voluntatis, & sanctitatis, æquè velle, & amare bona, & mala.

175 Quod si veritati standum est, potius dicerem, in actibus voluntatis frustrationem correspondere falsitati, & infustrationem veritati actuum intellectus; affirmationem, & negationem volitioni, & nolitioni; & simplicem apprehensionem simplicis amoris, aut velleitati: cuius æquiparantia est ratio multo congruentior: ex eo quod tam veritas, & falsitas iudiciorum, quam frustratio, & infustratio affectuum dicuntur partim ab obiectis; affirmatio autem, & negatio, pariterque nolitio, & volitio dicuntur adæquatissimè à modis tendendi actuum. Sic autem tenebit satis apte paritas; at contra ipsos, qui se illa protegere satagebant. Quippe probabunt, quod vltro fatebor: quod nempe, sicut iudicium disiunctivè affirmans, existere hoc vel illud, salvat suam veritatem; si alterutrum existat; quamvis hoc determinatè non existat; sic decretum disiunctivè volens, existere hoc vel illud, salvat suam infustrationem si alterutrum ponatur, quamvis hoc non ponatur.

176 Stet tamen, insequendo accommodè paritatem initam, quod sicut propterea iudicium illud disiunctivum, non definit cognoscere duo illa extrema sui disiuncti, nec definit de illis iudicare, nec definit illa modo suo vago affirmare, potius quam alia quæ non attingit, & quidem taliter affirmare, ut eo ipso æquivalenter iudicet, & affirmet, vnum ex illis existere, si non existit

fit aliud; simillimo modo dicendum est de decreto illo disiunctivo, quod quamvis ad suam infustrationem sufficiat poni vnum ex extremis sui disiuncti, non propterea definit illa duo attingere, nec definit illa duo velle, & modo suo vago illa duo desiderare, potius quam alia, quæ non attingit: & quidem taliter illa velle, ac desiderare, ut eo ipso æquivalenter decernat, velit, ac desideret, vnum ex illis poni, si non ponitur aliud: ac proinde poni peccatum si non ponitur actus virtutis, ut re ipsa sæpè non ponitur: pro quo casu sapissimè contingente, absolutè, & iam determinatè, Deus saltem interpretativè, & æquivalenter voliturus esset peccatum: quod erat argumentum nostrum, ea ipsa paritate nobis obiectâ roborandum potius, quam infringendum.

177 Ex his ad probatiunculam prædictæ paritati subnixam nobis oppositam *num. 172.* concessâ maiori de falsitate in modo iudicandi: & concessa minori de falsitate obiectivâ: nego consequentiam: utpote illegitimam ob eam variationem significationis eiusdem termini in præmissis. Nam in maiori, *iudicare falsum,* sumitur pro falsitate *in iudicando:* quæ semper repugnat Deo: cui tamen non repugnat verè iudicare de rebus falsis, affirmando determinatè esse falsas, aut, si mavis disiunctivè, esse veras, vel falsas. In minori autem ly: *quorum alterum est falsum:* loquitur, de falsitate obiectivâ, seu de non existentia alterius extremi affirmationis disiunctivæ: circa quam non existentiam, quam Adversarius vocat falsitatem, seu *falsum:* habet Deus multa iudicia vera, quorum vnum esset iudicium illud disiunctivum. Ecce nullitatem consequentia.

178 Ipsi autem falsitatem ex eo deprehendes, quod omne velle malum, est falsum; at non omne iudicare falsum est falsum; neque in hoc est paritas inter iudicium, seu affirmationem intellectus, & volitionem voluntatis; sed in eo quod, sicut intellectus per illud iudicium disiunctivum duo illa extrema disiuncti cognoscit, iudicat, & affirmat suo modo disiunctivo, quin falsò cognoscat, iudicet, aut affirmet ex vno non existente; sic voluntas per suam volitionem disiunctivam duo extrema sui disiuncti vult, & desiderat suo modo disiunctivo, quin tamen frustretur, ex vno non posito. Nam, ut præmonuimus, veritas, & falsitas iudicij non æqui-

parantur formaliter volitioni, aut nolitioni voluntatis; sed affirmatio volitioni, negatio nolitioni; falsitas autem, & veritas frustrationi, & infustrationi volitionis, aut nolitionis.

## SECTIO XII.

NOSTRUM IUDICIUM  
quatuor Conclusionibus exp-  
positum.

179 Prima conclusio. Pro effectibus, qui à solo Deo fiunt, applicatur Omnipotentia per decretum, quo liberè vult illos fieri. Cum enim liberè à Deo fiant, ab aliqua voluntate Deo formaliter liberâ venire debet, quod fiant. Cum autem ex se honestè volibiles sint, quia nihil à solo Deo factum turpe est; nihil vetat, quominus ea Dei voluntas, qua in actu primo præparativè applicatur ad ipsos Omnipotentia; sit volitio prosequitiva ipsorum, ac proinde sui concursus in actu secundo ad ipsos: qui concursus est ipsa actio, quâ à Deo solo Omnipotentia fiunt.

180 Secunda conclusio. Pro effectibus, qui fiunt à Deo simul, & à causa secundâ, distinguenda est duplex applicatio Omnipotentia. Una intrinseca, & omninò necessaria: quæ est quidditas essentialissima ipsius Omnipotentia ex intrinsecis necessitatissimæ ad *concurrendum, si creatura operetur:* quatenus nempe repugnat Omnipotentia, quidquam à creatura effici, ipsâ immediatissimè non concurrente: non secus ac Immensitati repugnat, quidquam existere, cui si existat, ipsa præsentissimè non adfit: ut expendimus *sect. 10.*

Alia applicatio est quasi extrinseca, contingens, Deoque formaliter libera, ac proinde actus aliquis liber divinæ voluntatis, ratione cuius quidquid à creaturis, & ab Omnipotentia fit, ipseque concursus Omnipotentia in actu secundo, subiacet non solum divinæ potestati, verum etiam divinæ libertati, potenti absolutissimè pro dominio, & libito suo supremo finire quod id fiat, aut impedire liberè, ne fiat. Nec respere meritò potest communior nostrorum sententia priorem illam usurpationem, & nomenclaturam applicationis intrinsecæ: cum decretum illud conditionatum, seu quasi conditionatum, quod communiter vocant præparativum, & applicativum

Supra  
*sect. 10.*



tivum Omnipotentia; nihil amplius præstet Omnipotentia erga concursum suum, & operationem nostram, quam præstat applicatio ista intrinseca, & necessaria ex formalioribus suis prædicatis competens Omnipotentia: ut ibidem expendimus.

181 Tertia conclusio. Hæc quasi extrinseca, & contingens Omnipotentia applicatio, pro effectibus non moraliter malis à Deo & creatura immediate physicè pendentibus; est decretum Dei volens absolute suum concursum, & creaturæ operationem. Ratio est: quia cum eiusmodi obiectum non sit moraliter malum, nihil est quod veteri, quominus divina voluntas feratur prosequitive in ipsum, sicque applicet Omnipotentiam suam. Quod si talis operatio sit actus liber voluntatis creatæ, debet etiam tale decretum velle instruere voluntatem requisitis ad actum oppositum, vel potestate sibi adquirendi pro libito requisitum, quo fortè non sit actu instructa: debetque simul nolle in alterutram partem libertatis creatæ impedimentum vllum ineluctabile, & inevitabile pro libito creatæ voluntatis. Horum una ratio est: quia libertas creatæ in actu primo, sine qua ponitur nequit nostræ actus secundus liber, nec divinus concursus ad ipsum; ea omnia dicit essentialiter, ut aliunde suppono: ergo ea omnia dicit etiam essentialiter talis concursus in actu secundo in ratione exercitij liberi: ac proinde circa ea omnia debet respectivè providere applicatio præparativa Omnipotentia in actu primo libertatis.

182 Quarta conclusio. Pro effectibus, seu actibus liberis moraliter malis voluntatis creatæ, ea contingens Deoque formaliter libera Omnipotentia applicatio, nequit esse decretum vilo modo volens tales effectus; quia nempe turpes sunt, ideoque à Deo nullo modo volibiles: ac proinde nequit esse volitio divini concursus exercitij in actu secundo, utpote realiter identificati cum actione turpi nostra, ut constat ex dictis sect. 10. & 11. Sed est præcisè volitio efficax requisitorum in actu primo, aut potestatis illa adquirendi pro libito nostro; simulque efficax volitio omnium impedimentorum in alterutram partem libertatis nostræ, pro libito nostro ineluctabilem, seu seu inevitabilem. Ratio est: quia in ea libera Dei volitione, & nolitione nulla est repugnantia, aut indecentia: & per eam est pro libito Dei sufficientissimè præparata, & in actu primo applicata Omnipoten-

tia ad operationes etiam nostras malas, determinanda in actu secundo formaliter ad concurrendum per illud ipsum quod sit determinatio causæ secundæ: quidquid istud sit. Sic salvatur aptissimè, & limpidissimè tota applicatio Omnipotentia, absque vlla volitione divina operationis nostræ malæ à Deo prohibita: imò cū volitione seriâ, quamvis inefficaci, bonæ omisionis, seu operationis opposita à Deo præcepta: ut ex objectionum solutione clariùs patefiet.

183 Hæc est in re, ni fallor, sententia sapientum Magistrorum, quorum suppressis nominibus meminit Ribadeneyra citatus: quamque Lynceus, & Izquierdus apud Junium cap. 4. num. 21. tribuunt magna ex parte Patribus Raynaudo, Herize, & Hurtado. Placuit postea prædictis Magistris nostræ Provinciæ.

184 Sic intelligitur rectè quod scripsit S. Anselmus cap. ult. de casu diaboli: non solum hoc habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat; sed etiam quod iniuste rapit Deo permittente: videlicet concursum ad malas etiam operationes, quem Deus non vult, sed Deo liberè permittente, & nolente, ut poterat, impedire; voluntas malè ac iniuste operans, quasi rapit: hoc est, secum affert præter intentionem Dei, nullatenus intendentis, nec volentis talem operationem, nec concursum cum ipsa identificatum; imò illum seriò nolentis, (licet non omninò efficaciter,) & severe prohibentis, ne sic cum concursu suo operemur contra eiusmodi suam voluntatem, & prohibitionem: quamvis aliunde honestissimè volentis efficaciter relinquere voluntatem in manu consilij sui, ideoque nolentis impedimenta inevitabilia, quæ poterat, adhibere: essent enim necessitantia.

185 Sic etiam intelliges, quo sensu dicitur verissimè cum S. Tho. peccatum potius esse Deo involuntarium, quam voluntarium: quippe illud nullo modo vult: imò quando fit, fit nolente Deo quod fiat, & prohibente ne fiat, & volente ut evitetur.

186 Habes insuper, quo sensu peccatum per accidens, & non per se fit à Deo. Non certè quia casu & fortuito respectu Dei sapientissimi eveniat; sed quia evenit præter intentionem quod eveniat, & nullatenus volente Deo, quamvis rectè præsciēte talem eventum, talemque concursum, quem tamen potuit impedire, & noluit: quinimò ex intentione operationis bonæ

Ribad.  
Lynceus.  
Izquier.  
Raynau.  
Herize.  
Hurtado.

Anselm.

S. Thom.

liberæ opposita voluit applicare sic in actu primo Omnipotentiam suam, sicque constituere voluntatem creatam in libertate, exercendâ iuxta suam determinationem quandoque pravam, ideoque nullatenus volibilem à Deo, qui non Deus volens iniquitatem est. Solum autem id dicitur causa per se peccati, quod ex inclinatione sua innatâ; vel elicita infert peccatum.

Montoy. De quo Montoya disp. 1. de Provid. sect. 7.

187 Cave autem, ne propterea dixeris, quod Deus, modo dicto applicans Omnipotentiam suam pro operationibus ab ipsa, & à voluntate creatæ immediate pendentibus, donat nobis Omnipotentiam suam, ut eâ utamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum: aut ne dixeris, quod Deus subijcit nobis suam Omnipotentiam. Nam hæc duæ propositiones in istis terminis prohibita sunt nuper ab Innoc. XI. sub censurâ novitatis, & temeritatis 23. Novemb. 1679. Meritissimè quidem.

Innoc. II.

188 Prima: quia sonat, Deum abdicare à se dominium, & usum suæ Omnipotentia, ad modum quo qui donat villam, aut librum abdicat se à dominio ipsius, ita ut Donatarius possit deinceps de re sibi donata disponere independenter à Donatore, ipsoque prorsus invito. Quod plusquam falsum est: cum Deus semper absolutissimè prædominetur cuicumque operationi creatæ.

189 Secunda: quia sonat inferioritatem, & quasi servitutem Omnipotentia divina ad arbitrium creatum: quod etiam est plusquam falsum: cum libertas Dei semper retineat primatum super omnes libertates creatas infinite sibi inferiores: & potestas Dei, à quo omnis potestas in Cælo, & in terra, super omnes potestates creatas semper ab illa essentialissimè dependentes in operari, & in esse: non est enim potestas nisi à Deo.

Rom. 13.  
Isai. 43.  
Alapid.

190 Nec obest illud Isaïæ 43. servire me fecisti in peccatis tuis. Sensus enim genuinus est apud Cornelium: quasi conqueratur Deus de Populo qui peccatis suis ipsum offendit, & gravavit: uti servos solent Domini ponderibus onerare. Quod si moraliter adaptentur ea Dei verba, iuxta eundem Cornelium, ad concursum Dei circa peccata quibus offenditur, est modus loquendi hyperbolicus, non significans propriam servitutem, & subiectionem divinæ Omnipotentia ad voluntatem crea-

tam; sed tropice sic exaggerans enormem gravitatem mali vsus beneficij divini, qualis est applicatio suæ Omnipotentia, in offensam, & iniuriam Omnipotentissimi Benefactoris. Alias expositiones longè distitas à concursu Dei habes apud eundem Cornelium post Hugonem Cardinalem.

Cornel.  
Hugo.

### SECTIO XIII.

#### OBJECTIONVM SOLVTIONE

inducium nostrum magis declaratur, & defenditur.

191 **O**bjicitur primò ex P. Junio cap. 2. num. 8. multæ Scripturæ. Sap. 11. & 12. Subest enim tibi, cum volueris, posse. Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Apoc. 4. Propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Ephes. 1. Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Iob. 23. Quodcumque voluit hoc fecit. Psalm. 113. & 148. Omnia quacumque voluit fecit. Ipse mandavit, & creata sunt. Ex quibus concludi videtur nihil fieri sine volitione Dei quod fiat, ac proinde, nec sine decreto aliquo applicativo Omnipotentia, volente concursum in actu secundo: unde nullum decretum, quod non sit positiva volitio talis concursus, sufficere potest ad applicandam Omnipotentiam in actu primo.

Sap. 11.  
& 12.

Apoc. 4.

Ephes. 1.  
Iob. 23.

Psalm. 113.  
& 148.

192 Respondetur, neutiquam id concludi. Non ex primo loco: quia ut posse nostrum, seu potentia qualibet nostra, subsit Deo, sufficit, quod à Deo sit, & quod à Deo pendeat semper immediatissime in esse, & in operari, & quod pro voluntate, seu libito Dei sit velle, vel nolle cum posse creato concurrere indivisibiliter ad operationem, quando scilicet operatio non est turpis: seu velle, vel nolle eam suumque concursum permittere, aut impedire, quando ea turpis est. Quocumque enim ex ijs modis subest perfectissimè qualibet potentia, & operatio nostra non solum Omnipotentia, sed Voluntati etiam divinæ.

193 Non ex secundo. Nam sine volitione vlla, & sine potestate ad volitionem rei turpis intelligitur optimè, nihil posse permanere nisi Deus voluisset: scilicet aut nisi voluisset illud poni: aut nisi voluisset illud permittere: quod posterius intelligitur optimè absq; volitione quod illud ponatur, Non

194 Non ex tertio, & 4. Nam quamvis Deus nō habeat voluntatem, quæ ullo modo velit peccatum; est verissimum quod omnia quæ operatur, & ad quæ concurrat, operatur, seu concurrat ad illa, *secundum consilium voluntatis suæ*: voluntatis, inquam, aut volentis illa fieri, aut volentis illa permittere, seu malè à creaturis faciendā non impedire: quod non est velle opus, sed velle permissionem, seu velle nolitionem impediendi.

195 Non ex 5. & 6. Nam ex eo quod Deus *quodcumque voluerit fecit*; sequitur, nihil efficaciter voluisse facere, quod non fecerit; non verò sequitur nihil ipso concurrente factum fuisse, quod non voluerit: dummodò permiserit.

196 Non ex septimo. Nam sermo ibi est de creatione mundi, quam Deus sanctissimè voluit. Nec phrasis illa Psalmi extendi patitur ad peccata, quæ nimirum sanctissimus Deus, qui *non Deus volens iniquitatem est*, nequaquam mandavit, nec mandata, nec mandare potest: in quocumque sensu non incongruo sumatur *mandare*: imo ferri nō voluit, & prohibuit ne fierent: & tamē ipso concurrente facta sunt.

197 Obijcitur secundò ex eodem. Fieri aliquod opus à creatura, concurrente Omnipotentia, sine ullo decreto Divino volente tale opus, aut volente talem concursum, & Voluntatis Divinæ: ergo quia Omnipotentia debet applicari à Voluntate Dei ad concurrēdū ad operationes etiā malas creaturæ per aliquā volitionē operis etiā mali, seu divini concursus ad ipsum. Antecedens probatur in primis quoad imperfectionem Omnipotentia. Nam esset taliter Omnipotentiam constituere, ut sibi relicta, si nēpe Deus ab omni decreto suæ voluntatis purè omisivè abstineret, omnia possibilia tumultuariè produceret; quasi non aliter indigens liberā Dei voluntate, nisi veluti frangē, nē præceptis in omnia facilibilia rueret; aut veluti repagulo, nē ultra metas exundans mundos omnes possibiles collectim effunderet. Hoc autem esset imperfectio.

198 Probatur deinde idem antecedens quoad imperfectionem Divinæ voluntatis. Nam cum Deo liberum sit Omnipotentia præparare, vel non præparare ad concurrēdum, præparatio ista debet esse Deo immediatè voluntaria, & libera: ergo consistens formaliter in aliqua volitione Divina: nam

Montoy.

ex Scripturis, & SS. Patribus apud Montoyā

*disp. 11. & 14. de Volunt. sect. 4. & 1. & apud Izquier.*  
Izquier. *disp. 31. de Deo num. 195.* ideo res sunt, quia Deus vult: ergo, quia vult illas esse, & ad illas concurrere. Sentiunt igitur SS. Patres esse contra summam perfectionem Divinæ Voluntatis, quod eas non aliquomodo velit Deus, quasi subterfugerent iurisdictionem, & ambitum divinæ voluntatis: ad cuius perfectionem spectat cuncta, quæ fiunt, im mediatè velle; non minùs, quā ad perfectionem Omnipotentia, ad cuncta, quæ fiunt, im mediatè concurrere.

199 Respondetur negando antecedens. Ad primam partem probationis dico, illam constitutionem Omnipotentia, quæ ab obijciente gratis describitur, non sequi ex nostra sententia. Cum qua stat optimè, quod Omnipotentia aliter perfectissimè constituitur. Taliter nimirum, ut suspenso per impossibile omni decreto positivo divinæ Voluntatis, nihil omnino produceret Omnipotentia: cum ex natura sua non agat ex necessitate, & essentialiter prærequirit aliquod exercitium liberum Divinæ voluntatis, ut operetur, & non nisi ex libertate operetur. Ex eo autem quod prærequirit aliquod exercitium liberum Divinæ voluntatis, nō infertur prærequirere exercitium liberum, quod sit volitio cuiuscumque rei, quæ fit: ut explicio in sequentibus.

200 Ad secundam partem concedo antecedens, & primam consequentiam: nā omnis volitio Divina, imò & nostra, est formaliter volitio; non quidem volitio rei nolita, sed volitio nolitionis: quippe qui liberè eligit nolle rem, præ velle; eo ipso vult nolle, quamvis nullatenus velit rem nolitam. Loquutio illa Sanctorum PP. verissima est: *ideo res sunt, quia Deus vult*: cum accommodā tamen distinctione: scilicet, vel *quia Deus vult*, illas esse, quando nempe res turpes non sunt: vel *quia Deus vult* illas non impedire: quando nempe res turpes sunt, ut peccata à Deo involubilia. Hæ, inquam, res sunt quia Deus vult: non quia Deus vult illas esse, cum potius id nolit, & prohibeat; sed quia Deus vult illas non impedire, seu vult permittere: quod non est velle res, sed velle permissionem, quæ est actus sanctissimæ suæ voluntatis. Hinc planè nego secundam consequentiam generaliter prolata de rebus etiam turpibus.

201 Nec contra id senserunt Sancti Patres; quorum proloquium iam cum accommodā distinctione explicuimus. Neque hoc est, res illas subterfugere iurisdictionem,

nam, & ambitum divinæ Voluntatis: nam præterquam quod subiacent divinæ libertati ea potenti impedire, & volenti permittere; immediatissimè terminant divinam nolitionē, quamvis non intrinsicè efficacē. Eise autem extra spheram divinæ volitionis illarum, non est esse extra totum ambitum divinæ Voluntatis, exercentis se per volitiones, & nolitiones: quemadmodum existentiam secundæ Dei esse extra spheram divinæ cognitionis affirmativæ, non est esse extra totum ambitum divini Intellectus, seu divinæ Sapientia, exercentis se per affirmationes, & negationes. Neque de perfectione divinæ Voluntatis est velle cuncta quæ fiunt, sicut de perfectione Omnipotentia concurrere ad cuncta, quæ fiunt: quia voluntas, cum se exercent per velle, vel nolle, quamvis non velit cuncta quæ fiunt, se exercet circa cuncta, quæ fiunt, volendo vel nolendo; Omnipotentia verò, si non se exerceret concurrente, non se exerceret; quia solum se exercet agendo, sive seorsim, sive simul cum causis secundis.

202 Obijcitur tertio nervosius ex P. Borull. *Borull disput. & sect. ultim. de Volunt.* Non dedecet Deum velle ea quæ decet operari, seu ad quæ decet concurrere: sed decet Deum concurrere ad operationes etiam malas creaturarum: ergo & eas velle saltē ineffaciter.

203 Respondetur in primis, in Deo circa peccata cavendum esse à Verbo *operari*: quia sonat moralitatem, quasi peccatum nostrum esset imputativè opus Dei. Unde sub illo termino *operari* posset concedi maior: & concessa minori de concursu: nulla esset consequentia de volitione. Ideo disiunxi in maiori: *quæ decet operari, seu ad quæ decet concurrere*. Sic autem distinguo maiorem: quando ea ad quæ concurrunt sunt bona, concedo: quando mala sunt & turpia, nego maiorem: & consequentiam. Quia si Deus vellet tale malum ipsum velle formale Dei esset malum: sicut est malum velle nostrum quando volumus turpia. Id autem dedecet, & repugnat Dei nihilo seciùs ac peccare. Addo, quod in eadem forma argui posset contra sic arguentes, Deum posse non solum ineffaciter, verum etiam efficaciter velle peccatum, cum decet ad illud efficaciter concurrere. Quod meritò reputant absurdum.

204 Obijcitur quartò. Bonum est Deo, ac perneccesarium, concurrere ad peccatum, si creatura illud operatur: ergo po-

test decentissimè Deus decernere, & velle suum illum concursum, quantumvis realiter identificatum cum actione peccaminosa, eo modo quo ipsi bonus est, & necessarius: ac proinde eo ipso modo potest decentissimè velle peccatum. Respondetur distinguendo antecedens: bonum est Deo, & perneccesarium, si creatura id operetur, concurrere ad peccatum, non volendo peccatum, nec talem concursum, concedo: volendo nego. Nam concurrere sic volendo, nec est Deo necessarium, nec possibile, nec bonum; sed sanctitati suæ repugnans, & indecens. Secus verò concurrere non volendo, seu permettendo: nam sic concurrere nullum importat actum divinæ Voluntatis, quo fieret Deus peccator, aut peccati author: solum enim importat volitionem permissionis, quæ bona est, & nolitionem peccati similiter bonam.

205 Infites. Non dedecet sanctitatem Omnipotentia Dei ferri in peccatum illud concursivè producendo: ergo neque dedecet sanctitatem Voluntatis Dei ferri in peccatum, eiusque concursum illud, aut istum, aut utrumque volendo. Redarguo subinferendo: ergo nec dedecet Voluntatem Dei ferri in peccatum, aut in concursum ad ipsum, efficaciter, & absolute volendo: addam, & præcipiendo. Aliter: non dedecet sanctitatem divinæ nolitionis ferri in peccatum, & in ipsam peccati malitiam, efficaciter illud & istam nolendo: ergo nec dedecet sanctitatem divinæ volitionis ferri in peccatum, eiusque malitiam, efficaciter illud, & istam volendo. Hæ consequentiæ falsæ sunt arguentibus ex antecedentibus veris.

206 Respondetur pro omnibus, commendando discrimen grande inter operationem, exercitium, seu concursum Omnipotentia; & exercitium, seu operationem Voluntatis divinæ: quod scilicet illud est, quid creatum, utpote actio ad extra Deo extrinseca, atque adeò capax plurimarum imperfectionum; istud verò, est quid increatum, & realiter ipse Deus, qui nihil habet imperfectionis secum identificatū. Porro, quando concursus ille Omnipotentia est ad actum voluntatis nostræ, ille concursus exercitus in actu secundo est quidem actio Dei, & actio nostra. Caterum, sicut est vita nostra, & non Dei; sic est volitio nostra, & non Dei; actio voluntatis nostræ, qua reddimur formaliter viventes, & volentes; non vero actio Voluntatis Dei,

Ec

qua

qua Deus reddatur formaliter vivens, aut volens: ac proinde nec malè volens: sicut redderetur malè volens per actum suæ voluntatis, quo vellet illud velle nostrum turpe: non formaliter ab hoc obiecto turpi volito; sed formaliter ab illa volitione sua obiecti turpis: eo modo, quo quando nos volumus aliquid turpe reddimur formaliter malè, & turpiter volentes: non ab obiecto turpi; sed à volitione obiecti turpis, quæ eo ipso formaliter turpis est.

207 Hinc ad argumentum, concedo antecedens, & nego consequentiam. Et ratio disparitatis est perspicua. Quia Omnipotentiam Dei ferri in peccatum concurrentivè non est quid intrinsecum Dei, nec est formale velle Dei; sed est realiter velle nostrum, habens secum identificatas multas imperfectiones físicas, & morales, ideoque nec dedecet Omnipotentiam Dei, nec Voluntatem Dei, earumque sanctitudinem. At Voluntatem Dei ferri in peccatum volendo illud, aut volendo concursivè identificatum realiter cum illo, importaret quoddam Dei velle rei turpis, & peccaminosæ: quod velle Dei eo ipso esset turpe, ideoque Deo repugnans, summeque dedecens sanctitatem; tam Voluntatis, quam Omnipotentia divinx, ut probatum est affatim *sect. 10. & 11.* Non quod peccatum nostrum sic à Deo volitum faceret Deum formaliter peccatorem; aut malè volentem; sed obiectivè, & terminativè: quod autem in eo casu redderet formaliter Deum malè, & turpiter volentem, esset sua illa volitio peccati nostri, & concursus sui realiter identificati cum actione peccati nostri.

208 Insistes adhuc. Vel Deum concurrere cum creatura ad peccatum, est quid Deo bonum, vel malum. Si malum: ergo non concurrat Deus: quia malum esset concurrere. Si bonum: ergo posset id Deus velle: non enim esset velle nisi bonum.

209 Respondetur, esse quid Deo malum: hoc est, iniuriam, ideoque displicens: illud enim ipsum concurrere Dei est actio peccaminosa creaturæ, per ipsam formaliter volentis malum, ideoque peccantis: quod peccatum est iniuria creaturæ contra Deum: malum creaturæ, & malum Deo: cum eo tamen notissimo discrimine, quo furtum est malum furi peccanti, & Domino rei non peccanti: illi, quia infert iniuriam, quod malum est; isti quia illam patitur, quod etiam malum est: sed quidem

diversimodè malum: quia respectu unius est malum ab ipso volitum, quæ volitio facit illum peccatorem; quia velle malum morale, est formaliter ipsum peccatum; ac respectu alterius est malum ab ipso non volitum, sed potius nolitum: quæ volitio, utpote nolitio mali, cum bona sit, non facit nolentem peccatorem, cum potius ea nolitio sit recessus, & fuga peccati.

210 Sic ergo explicatà, & admittà priori parte dilemmatis, distinguo illius consequens: non concurrat Deus, velendo concurrere, concedo: quia hoc esset reddi Deum formaliter peccatorem; non à concursu, qui non est volitio Dei, & est ipsa volitio peccaminosa creaturæ; sed à volitione concursus: quæ esset formale peccatum Dei, sicut volitio creaturæ identificata realiter cum concursu Dei est peccatum creaturæ. Non concurrat Deus, non volendo concurrere, nego consequentiam: quia sic concurrere nullam importat divinam volitionem peccati, quæ mala esset, sed volitionem peccati, quæ bona est. Iam hinc vide, quomodo sit, & non sit malum concurrere, quod quidem concurrere est concursus ipse in actu secundo identificatus realiter cum actione voluntatis peccantis. Est, inquam, malum creaturæ, quia est realiter actio, qua creatura vult, & peccat; est malum Deo; quia creatura eo ipso concursu peccat contra Deum: non tamen est malum Dei sicut creaturæ: quia illud concurrere, sive ille concursus, qui est velle creaturæ; non est velle Dei: quo scilicet denominetur Deus volens, sed concurrere.

211 Obijcitur quintò. Non potest Deus nolle concurrere ad peccatum, si creatura peccat: quia creaturam peccare, non concurrente Deo, impossibile est: ergo necesse est, Deum velle concurrere ad peccatum, si creatura peccat: quia Deum concurrere, si creatura peccat, necessarium est, ut arguebamus nos *sect. 10.*

212 Respondetur concedendo antecedens. Nam quamvis serivò nolit Deus creaturam peccare, & sic Omnipotentiam ad peccatum concurrere; nequit tamen nolle Omnipotentiam concurrere, si creatura peccat. Et nego consequentiam. Quia, quamvis velit, & amet Deus necessitatem illam suam concurrere, si creatura peccat, quæ necessitas est ipsamet Omnipotentia; non tamen amat, nec vult ipsum suum concurrere in actu secundo, si creatura peccat: quia illud ipsum Dei concurrere

est

est realiter actio volitionis creatæ peccaminosæ, non volibilis honestè. Nec ex eo quod nequeat Deus nolle concurrere si creatura peccat; sequitur debere velle concurrere si creatura peccat, ut in simili observat rectè P. ipse Borrull *disp. 5. de Voluntate, sect. 3.* agens de amore divino peccati, ut possibilis, illumque negans Deo. Utrumque ergo illud repugnat Deo; illud prius, quia esset nolitio obiecti necessarii, quæ non minus Deo repugnat, quam volitio obiecti impossibilis. Itud posterius, quia esset volitio obiecti turpis: quæ non minus Deum dedecet, quam peccare.

213 Urgebis. Deum non concurrere cum creatura operante si operetur, esset quid Deo malum: ergo concurrere cum creaturâ operante est quid Deo bonum: ergo volibile à Deo, ac proinde decessibile per decretum applicativum Omnipotentia. Respondetur distinguendo antecedens: Deum non concurrere cum creatura operante, si operetur, esset quid Deo malum morale, nego: ad id enim esse deberet ille concursus actus Voluntatis Dei: esset quid Deo malum physicum, concedo, saltem arguitivè, seu illativè: quia argueret deficere in Omnipotentia essentiali necessitatem concurrere cum omni creatura operante, si operatur: quæ necessitas est essentialis perfectio Omnipotentia.

214 Hoc autem modo illativè, & arguitivè, etiam concedi potest in consequentia, concurrere cum creatura operante, si operetur, quamvis sit quid moraliter malum, esse bonum physicum Deo: quatenus nempe arguit in Omnipotentia necessitatem concurrere cum creatura operante, si operatur: quæ necessitas bona est, & unum ex prædicatis perfectissimis Omnipotentia. Nego autem secundam consequentiam: hæc enim aliqualis bonitas physica arguitiva, non reddit honestè volibile, aut amabile obiectum realiter turpe, & prohibitum: alioquin omnia turpia licitè amare possemus, quia aliquam boni physici rationem habent: Deusque posset amare, seu velle malitiam formalem peccati, quia arguit in Deo perfectissimam notitiam illius.

215 Obijcitur sextò. Non dedecet Deum volitio interpretativa peccati: ergo nec formalis: malum enim, quod inficit formalem sui volitionem, inficit etiam sui volitionem interpretativam, seu virtualem. Probatur autem antecedens: quia non de-

decet Deum permittere, quod est nolle omnino impedire peccatum, cum omnino possit: sed hoc est velle interpretativè peccatum: ergo. Respondetur negando antecedens. Ad probationem, nego minorem; quia Deus nullatenus tenetur omnino impedire peccatum: tunc autem dumtaxat nolle impedire peccatum est interpretativè, imputativè, seu virtualiter velle peccatum, quando volens impedire, tenetur illud impedire, tunc enim imputatur illi, quasi formaliter vellet peccatum.

216 Obijcitur septimò. Determinare voluntatem creatam ad peccatum quoad individuum, est solius Dei, quamvis voluntatis creatæ sit determinare se quoad speciem: sed determinatio ad peccatum quoad individuum importat aliquam volitionem determinandi ad peccatum quoad individuum: quod stare nequit sine aliqua divina volitione peccati: ergo aliqua est divina volitio peccati, saltem in individuo, quæ non dedecet Deum.

217 Respondetur, maiorem, quamvis à multis etiam Antithomistis sub illis terminis indistinctè usurpatam, esse mihi absolutissimè falsam, ut alibi probe. Ad summum admitto, Deum determinare, ne fiant alia individua peccatorum, manente libertate voluntatis ad ponendum, vel non ponendum hoc peccatum in individuo. Quod non est Deum determinare ad ponendum hoc individuum, nec est velle hoc individuum peccatis; sed est determinare ne ponantur alia, quod est nolle alia individua poni. Hoc voco, Deum determinare negativè quoad individuum, manente voluntati determinatione positiva non solum ad peccandum, vel non peccandum quoad speciem; sed etiam quoad ponendum, vel non ponendum hoc numero peccatum in individuo. Hoc autem non est impingere Deo volitionem huius numero peccati; nec sui concursus ad ipsum; sed efficacè volitionem aliorum subtrahendo suum concursum ad alia individua peccata eiusdem speciei. De quo fusiùs alibi.

218 Obijcitur tandem. Si id, quod diximus conclusione quarta pro operationibus creaturarum moraliter malis, sufficere posset ad applicandam Omnipotentiam in actu primo, absque decreto volente concursum ipsum in actu secundo; sequeretur contra tertiam conclusionem, similiter etiam dici posse de applicatione Omnipotentia pro operationibus, sive

Ecce libe-

liberis, sive non liberis non moraliter malis: quia etiam & pro moraliter bonis, ac honestis: scilicet applicari sufficienter à Deo posse Omnipotentiam per simile decretum, quod sit volitio prærequisitorum, & volitio impedimentorum, causæ secundæ ad operandum, absque decreto volente ipsum concursum in actu secundo. Hoc autem esset habere se Deum mere permissivè ad opera nostra bona, sicut dicimus se habere ad mala: quod est absurdum, & non satis consonum Concilio Tridentino sess. 6. can. 6. anathematizanti: *Si quis dixerit, mala opera ita ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se.*

Trid.

Ribad.

219 Relictâ solutione, quam meditari quis possit ex P. Ribadeneira *disp. 9. num. ult.* respondetur, sequelam, aut non esse legitimam, aut non esse absurdam. Non est legitima, quamvis sit absurda, si procedit iuxta præsentem Dei providentiam, in qua loquuntur Tridentinum, & nostra conclusio: cum constet, Deum velle, desiderare, & interdum præcipere opera bona: & nihil horum præstare posse circa mala. Atque hinc est, quod mala purè permittit: quæ alioquin, ut inde quoque firmetur nostra sententia, non purè permitteret, si illi positivè velle esset enim plusquam non impedire, & quasi per se, & non per accidens efficere. Non est absurda, quamvis sit legitima, si procedat ex natura rei ex præciso munere, & conceptu applicandi Omnipotentiam in alia providentia possibili. Ex hoc enim capite sufficeret eiusmodi Dei decretum, quod non esset volitio concursus sui, nec operationis nostræ: cum hæc, quantumvis bona, non necessitet ex natura sua Deum ad volitionem, nec suasionem ipsius. Contra hoc autem nihil habet Tridentinum, loquens utique prout de facto iuxta præsentem providentiam nobis ex Scripturis notam. Sic etiam loquuta est tertia nostra conclusio: ideo nullatenus opposita quarta.

220 Adde, quod, quamvis verum sit, quod Deus necessitatus esset ad aliquem effectum prosequitivum boni operis nostri; id non esset ex conceptu præciso applicationis Omnipotentia; sed aliunde petitum. Adde insuper, quod adhuc in ea Dei providentia possibili, non diceretur Deus causa per accidens: & purè permissiva bonorum operum, sicut nunc dicitur per ac-

cidens efficere mala concursivè, & purè permissivè. Nam ad opera mala nostra, nec appetitum elicatum, nec innatum habet Deus; ad opera verò bona sibi placita habet aliquem appetitum saltem innatum; subordinatum tamen in operari divinæ libertati: ideoque bonorum operum semper est, & esset Omnipotentia causa per se.

221 Si quispiam roget: cur pro effectibus, qui à solo Deo fiunt, non applicatur satis Omnipotentia sine decreto liberè volente illos fieri, & ad illos concurrere iuxta primam conclusionem; pro effectibus verò, qui fiunt à Deo, & à causa secunda, non est necesse ex conceptu sufficientis applicationis, quod hæc habeatur à Deo per decretum volens illos fieri, iuxta conclusionem tertiam, & quartam?

222 Respondetur, rationem esse: quia pro illis prioribus effectibus à solo Deo pendentibus non intervenit causa secunda, cui permittat Deus illorum inductionem, & effectiorem: ideoque illos debet Deus inducere, & ad illos unice determinare: quod fieri nequit sine electione libera suæ Voluntatis volentis illos fieri ab Omnipotentia, ex se non necessitate ad agendum. At pro istis posterioribus, in quorum effectiorem intervenit causa secunda ex se inductiva; cum sola permissione, seu non impeditio libera Dei, quæ simul sit volitio instruendi causam secundam cæteris prærequisitis in actu primo, præparatur Omnipotentia in actu primo, ad concurrendum in actu secundo: cum ex propria perfectione præsupponatur iam necessitatissima ad concurrendum si creatura operetur. Idcirco nihil pro absolutissima sui applicatione, requirit, nisi quod causa secunda Deo sic volente, instruat, sinaturque operari, & inducere. Hoc autem sufficientissimè præstat Deus volens instruere causam secundam omnibus prærequisitis ex parte actus primi, & nolens apponi impedimèta inevitabilia, ut explicui *num. 181.* Prærequisitis, inquam, necessitantibus, si causa secunda necessaria est; indifferentibus verò, si est libera.

Supra  
sect. 12.

223 Placet tamen exceptio, quam sapienter insinuant Alarcon, & Herize apud Iunium *cap. 4. num. 1.* pro effectibus aliquibus miraculosis pendentibus causa secunda, aut non satis instructâ prærequisitis ex parte actus primi, aut contra prærequisitorum exigentiam interdum divinitus operante. Nam ad agendum hoc modo mi-

ra-

raculoso, requiritur specialis Voluntas Dei volentis, quod creatura sic operetur, ac proinde quod Omnipotentia concurrat, & specialiter concurrat: quandoquidem ad sic operandum non determinat, nec satis instruit causam secundam prærequisita naturalia pro eiusmodi effectibus. Fostè propter hoc opera miraculosa dicuntur specialiter opera Dei, ideoque specialiter volenda, & inducenda à Deo, ut fiunt, & ut ad ipsa præparatur Omnipotentia contra, vel supra rerum creaturarum ordinem.

August.

224 Prætermissi inconsulto testimonium magni Augustini, quod doctrinam nostrarum responsum labefactare possit: ex Eucheridis *cap. 95. non sit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Ubi clarè legere est, Deum velle fieri cuncta, quæ fiunt: ac proinde velle fieri peccatum quod à creatura fit, & consequenter velle suum concursum ad illud, qui concursus est ipsum fieri peccati. Non est ergo cur refugere debeamus, Deum applicare suam Omnipotentiam pro effectibus etiam peccaminosis, ab ipso, & à creata voluntate pendentibus, per decretum, quod sit volitio divini concursus: ad peccatum, imò & volitio ipsius peccati. Alia omitto ex Iunio *cap. 3. num. 7.* & ex Montoya *disp. 11. sect. 14 de Volunt. sect. 4. & 1.* quia minus negotij facessunt, & per ea, quæ respondimus ad primam objectionem facilem intellectum habent.

Iunius.

Montoy.

225 Respondetur: priorem partem testimonij Augustiniani adversariam nobis è diametro fore, si per posteriorem nobiscum non exponeretur. Distinguit Augustinus in posteriore parte duo membra: Unum, *vel sinendo ut fiat:* & hoc applicatur peccatis: quæ iuxta doctrinam nostram purè permittit Deus, sinens, id est, nolens impedire, ea fieri à creaturis. Aliud: *vel ipse faciendo:* & hoc applicatur operibus non peccaminosis: quæ


quidem Deus ipse facit, & operatur. In phrasi autem, & moralitate scitissimè Augustini super illud Ioan. 1. *sine ipso factum est nihil:* hoc est peccatum (factum scilicet, Deo non faciente, quamvis non, Deo non concurrente;) Deus absolute non facit peccata: quia *facere*, sicut de operari observabam *num. 203.* sonat circa peccata causam per se moralem, & plusquam permissivam, ac proinde volentem peccatum. Augustinus ergo distinguens ibi ex vna parte circa peccatum, *vel sinendo ut fiat;* & ex alia parte circa non peccatum, *vel ipse faciendo;* supponere videtur nostrum discrimen: quod nempe peccata finit, aut permittit Deus fieri à creaturis, quin ipse velit fieri, & alia opera non peccaminosa vult ipse facere.

226 Hinc lucem accipiant necesse est priora illa verba: *non sit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit.* Nisi scilicet, aut velit è directo ipsum fieri, seu ipsam effectiorem, ut est in operibus bonis; aut velit permittere fieri, seu permissionem effectiorem, ut est in operibus malis: quod est velle è directo permissionem bonam, sinendo, ut à creatura fiant mala, concurrente Deo ad eorum effectiorem, & hanc purè permittente.

227 Hæc expositio aliqualem vim facere videtur prioribus illis verbis Augustini secundum se sumptis; sumptis verò cum posterioribus necessaria, & genuina videtur. Iuxta illam negandum est, dici perinde ab Augustino; Deum velle peccata, quæ à creatura fiunt, aut concursum suum ad peccata. Quo manet inconcussum iudicium nostrum, quod Omnipotentia Dei præparatur, & applicatur in actu primo ad concurrendum pro operationibus nostris peccaminosis, absque decreto, quod sit volitio peccati, aut concursus in actu secundo ad peccatum, iuxta quartam nostram conclusionem.



DIS-



# DISPUTATIO X.

## DE IUSTITIA DEI.

Psalm. 118.



**D**EVM iuxta ebuscinat Fides. Psal. 118. *Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum:* sive iustitia sumatur generalius pro sanctitate, in quo sensu nunc non loquimur; sive sumatur, ut in presenti; pro virtute speciali una ex Cardinalibus: quæ est: *Constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi:* seu: *Virtus voluntatis inclinans ad tribuendum unicuique, quod illi iure competit.* Dividi solet Iustitia in Commutativam, quæ versatur circa ius obiectivum proprietatis strictum; quod unusquisque habet ad res proprias suas: in distributivam, quæ versatur circa ius minus strictum, quod particulares titulo aliquo rationabili habent ad bona communitatis: in legalem, quæ versatur circa bonum Reipublicæ in condendis, & observandis legibus: & in Vindicativam, seu Punitivam, quæ versatur circa malum pœnæ reddendum pro malo culpæ propter commune bonum. Hæc nunc summam pro intelligentia terminorum ex ijs quæ disputantur in Tractatu de Iustitia, & Iure: ubi videndus doctissimus Læsius lib. 2. cap. 1.

### SECTIO J.

**AN DEVS SIT PROPRIE Iustus Iustitiæ legali, seu Legislativæ, Distributivæ, & Vindicativæ, seu Punitivæ.**

**T**otum affirmo: & per partes probo. Primò de Iustitia legali. Hæc enim residet potissimum in Principe, ad condendas, & in observantia retinendas leges pro bono Reipublicæ: cui ex parte Subditorum correspondet etiam observantia legum ex motivo honestatis reluctantis in eo quod quilibet communitati coniunctus communi bono consulat titulo talis coniunctionis, ut explicat Læsius disp. 1. de Iust. num. 68. Deus igitur, supremus Princeps, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui mirabili providentiâ cuncta gubernat, necesse est, quod emineat

etiam in prædictâ virtute Iustitiæ Legalis, seu Legislativæ.

3. Secundò de Iustitiâ Distributivâ. Hæc enim, vel stat in servandâ æqualitate geometricâ proportionaliter inter multos habentes ius ad bona communia, ut volunt aliqui magis inherentes ethymologiæ vocis: vel stat, ut iuxta veritatem vult melius P. Suarez, *Opusc. de Iust. Dei, sect. 3.* in servando unicuique, (sive alij adsint, sive non) iure suo minus stricto secundum propriam dignitatem ad bona Communitatis, ut latius explico in *Tract. de Iustitia, & Iure.*

4. In quocumque autem istorum stet Iustitia distributiva, reperitur optimè in Deo. Quippe, iuxta priorem explicationem, cum rectè noverit Deus merita, & dignitatem singulorum, nec sit acceptor Personarum, in promptu illi est, servatâ quacumq; proportionem, distribuere inter illos bona communia Reipublicæ rationali ab ipso

Suar.

Dionys.

instruæ ad benemerendum. Hinc dixit S. Dionysius cap. 4. de Div. Nomin. *Iustitiâ rursus Deus laudatur, quod sua cuique pro dignitate tribuat: & iterum: quod cuique accomodatam est tribuit pro eâ quâ unumquodque eorum, quæ sunt, attingit dignitate.* Iuxta posteriorem verò explicationem, nihil prohibet, quominus Deus supremus Princeps, attentâ dignitate aliquarum creaturarum nondum fundante ius strictum suavitatis ad bona communia, sed quandam proportionem; largiatur illis iuxta dignitatem aliquid de ærario suorum donorum: imò sic fecisse videtur erga Matrem ratione tantæ dignitatis, & erga alios cum proportionem ultra ius strictum meritorum. Unde est quod ait Granadus, ex hac Iustitia superaddere Deum iustis aliquos gradus gratiæ, & gloriæ ultra condignum, sicut intuitu etiâ dignitatis Christi Capitis nostri. Exercet ergo Deus propriè Iustitiam distributivam.

Granad.

Suar. Hurtad. Ripalda. Vasquez. Alarc. E. parza

Infra sect. 2.

5. Iti Suarez, Hurtad. Ripalda, & alij, contra Vasquez, Alarcon, & Esparzam *quæst. 19. de Iust. & Iure.* Ex quibus obijciunt: quod hæc etiam Iustitia distributivâ importat aliquale debitum in eo, qui illam exercet: Deus autem nullius debitor esse potest. Secundò: quod bona Dei sunt infinita: in infinito autem nequit servari proportio geometrica: ergo nec ratio Iustitiæ distributivæ Dei ad creaturas. Respondetur ad primum, negando, Deum non posse esse debitorem, ut à fortiori constabit ex dicendis pro Iustitia Dei commutativa. Ad secundum, concessa maiori, distingo minorem: nequit dari proportio finiti ad infinitum, permitto finiti ad alia finita, quæ reperiuntur in ipso infinito, nego minorem, & consequentiam: nam in ipso infinito sunt multa finita, inter quæ servari potest proportio geometrica: & talia sunt bona, quæ Deus distribuit, & distribuet multis creaturis: in hoc igitur servari potest proportio sufficiens ad rationem Iustitiæ distributivæ.

Rom. 12.

Rom. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

buam: & Ephes. 5. *Venit ira Dei in filios diffidentia.* Ubi nomine iræ intelligitur iusta punitio ex affectu boni resultantis inde Reipublicæ rationali: nam sistere in ratione mali resultantis inde particulari punitio, esset vitium inordinatæ ultionis potius quam virtus ordinatæ Iustitiæ punitivæ. Imò nec ira propriè concedi solet Deo, prout importat imperfectionem doloris, vel alicuius perturbationis animi, ut notat Suarez *sect. 5.*

Suar.

7. Perfectio Iustitiæ Vindicativæ reducitur potius ad Iustitiam legalem, seu ad virtutem aliam gubernativam, vel providentialem, ut bene Suarez; quàm ad Iustitiam commutativam, ut volunt alij, seu quàm ad distributivam, ut alij malunt. Nam tam Commutativa, quàm Distributiva Iustitia dicit in eo qui illam exercet aliquod debitum, & in eo erga quem exercetur, aliquod ius ad materiam talis Iustitiæ: ad materiam autem Iustitiæ Vindicativæ, nempe ad punitorem, nec datur ius in eo erga quem exercetur, scilicet in delinquentem, cui vitique nulla fieret iniuria, si non puniretur: nec datur debitum in Deo, qui illam exercet: quidquid aliter loquatur Mont *ya disp. 60. de Volunt. Dei, sect. 3.* cum possit iure supremi dominij omnia condonare citra iniuriam. Quodsi in hoc interest aliqua ratio debiti, est potius erga Reipublicam rationalem, quàm erga particularem delinquentem, qui nullum prorsus habet privatum ius ad punitorem. Igitur exercitium Iustitiæ Vindicativæ non tam spectat ad genus Iustitiæ Commutativæ, aut Distributivæ, quàm ad Iustitiam legalem, aut virtutem aliam providentialem.

Suar.

Mont.

8. Observa, non solum dari in Deo affectus virtuosos prædictarum Iustitiarum exercibilium effectivè in creaturis: quatenus nempe sibi complacet in eo quod creaturæ illas effectivè exerceant, sicut in eo quod obediant, & adorent; sed exercendorum etiam affectivè ab ipso Deo tanquam in ipsarum subiecto. Non sic contingit in obedientia, & adoratione: quippe Deus nemini potest obedire, neminem adorare, cum nemini excellentiori subijciatur: quamvis ex affectu honestatis reluctantis in eo quod subditi obediant, & adorent, amet in subditis exercitiū obedientiæ, adorationis, & similiarum virtutum.

### SECTIO

SECTIO II.

**AN DEVS SIT PROPRIE,**  
Iustus Iustitiã rigorosè Commu-  
tatiua, illam strictè exer-  
cens erga crea-  
turas.

9 **H**Æc est præsentis Disputa-  
tionis potissima difficultas

circum Iustitiam scilicet Commutativam  
strictè obligantem Deum ex Iustitiã rigo-  
rosà ad aliquid præstandum. In quo com-  
munis est sententia affirmans contra com-  
munem etiam negantem.  
Suar. circa Iustitiam scilicet Commutativam  
Valent. strictè obligantem Deum ex Iustitiã rigo-  
Granad. rosà ad aliquid præstandum. In quo com-  
Raguf. munis est sententia affirmans contra com-  
Hurriad. munem etiam negantem.  
Arriag. 10 Affirmativam tucntur magnus Sua-  
Martin. rez in Opusc. de Iustitia Dei, Valentia,  
Mout. Granadus, Ragufa, Hurtadus, Arriaga  
Prudent. tom. 1. disp. 30. Martinon tom. 1. disput. 17.  
Aldrete. Montoya disp. 60. de Volunt. Prudent.  
Alvar. tom. 1. de Incarn. tract. 1. disp. 3. Aldre-  
Perez. te ibi disp. 11. uterque Perez ibidem, Illu-  
Godoy. strisimi Alvarez, & Godoy disp. 5. Lum-  
Lumb. bier quæst. 12. & alij, citantes Magistrum  
Sent. Sanctosque Thomam, & Bonaven-  
turam.

11 Negativam; P. Vasquez 3. part.  
Vasq. disput. 8. Laësius, Molina, eminentissimus  
Laësius. Delugo disp. 3. de Incarn. Bernal disp. 7.  
Molin. Oviwed. contr. ult. de Mer. Arrubal, Me-  
Lug. ratur, Coninch, Amicus tom. 6. disp. 6. El-  
Bern. parza remissivè quæst. 12. de Incarn. &  
Oviwed. Requiesceniopus. de Iust. Dei, sect. 2.  
Arrub. citantes Scotum, Durandum, & alios apud  
Merat. Ripaldam disp. 85. de Ente supernaturali:  
Coninch. cuius bipartitam assertionem proponemus  
Amic. sect. 3.  
Esparz. 12 Placuit in varijs Theologiæ Tracta-  
Reques. tibus pars affirmans, & denuò perplacet.  
Ripald. Primò propter Scripturas, & Ss. Patres.  
Deus enim præmiaturus introducitur in  
sacris litteris tanquam Paterfamilias red-  
dens denariū mercenarijs pro labore diu-  
rno: & dicens vni Mat. 20. Tolle quod tuum  
est: quo indicatur strictum fuitatis ius me-  
rentis ad præmium, sicut operarij ad mer-  
cedem: qui totus est Iustitiã rigor.

13 Hinc Deus gloriæ solutor vocatur  
ab Apostolo Iustus Index; & gloria voca-  
tur, corona Iustitiã, 2. Timoth. 4. Reposi-  
ta est mihi corona Iustitiã, quam reddet  
mihi Dominus in illa die iustus Index:  
vbi glossat S. Tho. Corona Iustitiã dici-  
tur, quam Deus ex sua Iustitiã reddet; &  
S. Bern. S. Bernardus Tract. de lib. arbitrio exponit

sic: promissum ex Misericordia, sed ex  
Iustitiã persolvendum: est ergo quam  
Paulus expectat corona Iustitiã; sed Ius-  
titia Dei, non sua: iustum quippe est, ut  
reddat quod debet. Sicè similiter August. August.  
in Psal. 83, ad eadem verba Pauli: Quid  
tibi reddet, nisi quod tibi debet? unde tibi  
debet? debitorem ipse fecit se, non accipien-  
do, sed promittendo: quia nempe quicquid  
acciperes citra promissionem, & pactum,  
nec debitum, nec Iustitiam fundaret. Idem  
Paulus ad Romanos: ei qui operatur mer-  
ces non imputatur secundum gratiam, sed Rom. 4.  
secundum debitum. Loquitur autem de de-  
bitio Iustitiã, ut indicat vox, merces. Et 2. 2. Tim. 2.  
Timoth. 1. Vocat gratiam, seu gloriam, de-  
positum suum: potens est depositum meum  
servare: quo punctum indicatur strictum  
suum ius ad illam, tanquam ad depositum:  
quæ vox strictam Iustitiam sonat. Nec est  
cur non propriè, uti sonant, accipiantur  
harum Scripturarum verba. Ex quibus li-  
quiddò conclusit S. Tho. 2. 2. q. 61. art. 4. for-  
mam divini iudicij esse secundum Iustitiam  
Commutativam: & Proclus Archiepisc.  
Constantinopolit. in Conc. Ephestino, cap. 4.  
exactum debitum ad Iustitiã amussim ex-  
equatum fuisse in Christi Domini satisfac-  
tione. Nescio equidem quibus verbis  
potuerit præsius, & expressius significari  
commutativæ Iustitiã rigor.

14 Responderi nihilominus solet ea,  
& similia testimonia non esse intelligenda  
de rigore strictæ Iustitiã: quia debitum, quod  
Deus contrahit reddendi mercedem bene  
operantibus, non est debitum proprium  
Iustitiã, sed fidelitatis ex promissione: tale  
videlicet, ut Deus mercedè nõ reddens, esset  
quidem infidelis; non verò propriè inius-  
tus.

15 Contra tamen. Tum ex Sanctorum  
Patrum expositionibus: quatum aliquas  
exhibuimus, & aliæ videri possunt apud  
Authores citatos. Tum ex eodem Paulo ad  
Hæbreos dicente: non enim iniustus est  
Deus, ut obliviscatur operis vestri: quæ August.  
verba sic usurpat Augustinus cap. 2. de Na-  
tura, & Gratia: Non enim iniustus est Deus, qui  
Deus, qui iustos fraudet mercede Iustitiã. Grat.  
Quo fit, Deum non modò infidelem, quin  
etiam, & iniustum fore, si oblivisceretur, &  
non redderet gloriam benemerentibus:  
ergo quia non utcumque eam debet,  
sed ex Iustitiã debet. Tum ex Tridentino  
definiente, gloriam adultis proponendam  
esse, ut hæreditarem, & mercedem: con-  
cap. 16.

transpositè scilicet ad parvulos; quibus sine  
respectu ad ipsorum merita confertur, ut  
hæreditas. Unde sic: si Deus ex fidelitate  
dumtaxat titulo præcisè promissionis debe-  
ret gloriam adultis; non aliter deberet illis,  
quam parvulis: nam ex fidelitate parvulis  
etiam debet, quibus utique gloria etiam  
promissa datur: ergo deberi adultis ut mer-  
cedem, aliquid amplius sonat quam debi-  
tum ex fidelitate: ergo sonat debitum Ius-  
titia supra fidelitatem: etiam proinde strictam  
Iustitiam inducit.

16 Dices, in ratione debiti pariter se  
habere ex sola fidelitate, tam erga parvulos,  
quam adultos titulo promissionis: quia ve-  
rò in adultis sunt insuper merita, ideo glo-  
ria respectu adultorum vocatur merces.  
Contra. Condignitas meritum, vel in-  
fert in Deo post promissionem maiorem  
obligationem, aut maius debitum, quam  
ex fidelitate, vel non. Si primum: ergo in-  
fert obligationem, & debitum Iustitiã, nul-  
lo alioquin ex capite repugnans Deo, ut vi-  
debimus, & hoc Iustitiã nomine idem-  
tatem compellitur à Ss. Patribus. Si se-  
cundum: ergo non obstante discrimine illo  
meritorum, non aliter debet Deus gloriam  
adultis, ac parvulis: nec magis quam par-  
vulis primam gratiam ex Baptismo, ad cu-  
ius susceptionem pariter illis prima gratia  
promissa est. Probatur consequentia: quia  
condignitas meritum, iuxta datas respon-  
siones, nullatenus augetur, aut mutaret in Deo  
obligationem, nec debitum: quod nõ con-  
sonat Tridentino statuenti, quòd benè ope-  
rantibus proponenda est vita æterna, &  
tanquam gratia Filijs Dei misericorditer  
promissa: ecce titulum fidelitatis: & tan-  
quam merces fidelitè reddenda: ecce titu-  
lum Iustitiã, quamvis pendentem à pro-  
missione, ut in humanis strictæ Iustitiã con-  
tractibus idemdem accidit iuxta inferius  
dicenda. Hunc titulum denotat in Apосто-  
lo verbum, reddet: quod etiam esse de mè-  
te Concilij suadet ex eo quod in eo cap.  
16. ad suum intentum vitur isdem Apo-  
stoli verbis: non enim iniustus est Deus, ut  
obliviscatur operis vestri.

17 Secundò probatur conclusio ratio-  
ne à priori, quam ex P. Suarez sic instruo.  
Conceptus Iustitiã Commutativæ nihil  
imperfectionis importat: ergo non est cur  
Deo denegetur. Antecedens probatur: Ius-  
titia abstractè definita est, constans, & per-  
petua voluntas ius suum unicuique tribuen-  
dis; contracta verò ad strictè commutativã,  
est virtus unicuique tribuendi ius suum  
propriam, prout contraponitur iuri minus  
proprio Iustitiã distributivæ: cum enim  
specificentur ex obiecto, & obiectum earum  
Iustitiarum sit ius, hæ Iustitiã diversæ  
constituendæ sunt erga diversa iura. Atqui  
prædictus conceptus virtutis unicuique tri-  
buentis ius suum proprium, nihil imperfe-  
ctionis importat: ergo neque conceptus  
Iustitiã Commutativæ. Probatur minor: si  
aliquid imperfectionis importaret, esset,  
quòd creaturæ competeret strictum ius in  
aliquam rem versùs Deum: hoc est, obli-  
gans Deum ad exequationem talis iuris, ita  
ut, nisi exequaret, foret iniustus, & propriè  
iniurius tali creaturæ: sed hoc nihil est im-  
perfectionis: ergo. Maior consistet funda-  
mentum sententiæ contrariæ.

18 Ad probationem huius ultimæ mi-  
noris præmittendū est, ius versùs aliquem  
haberi posse dupliciter. Uno modo cum  
imperfectione illius contra quem habetur,  
si nempe illo invito, aut infcio, aut aliquid  
proprij dominij deperdente, acquirit alius  
ius in illum, vel in res illius, ut capè con-  
tingit in humanis, dum vnus alium capti-  
vat, aut cum Princeps, vel Iudex iustis de  
causis dat vni ius in alterius reventis bona,  
aut dum quis commutat cum alio ma-  
nens spoliatus demitio rei, quæ sua fuit.  
Alio modo sine imperfectione: si nempe  
quis manens plene Dominus rerum, spon-  
te velle dare alicui ius in aliquam rem: sic  
enim absq; vi coactivâ superiori daret alte-  
ri ius proprietatis in res suas: & maneret  
sponte obligatus isti alteri ad illas tanquam  
iam debitas, tradendas, absq; diminutione  
plenæ suæ libertatis, ac supremi dominij.  
Nunc probò minorem. Quamvis priori  
modo redolente imperfectionem nequeat  
Deus obligari creaturæ, nec possit creatura  
habere ius versùs Deum: posterior tamen  
modus nullam præfert vmbream imperfe-  
ctionis. Atqui posterior iste modus suffi-  
cit ad conceptum strictè Iustitiã Commu-  
tativæ, abstractantis utique in sua formali ra-  
tione ab hoc, vel illo modo habendi ius  
proprium versùs aliquem: ergo quantum  
est ex conceptu formali, essentiali, & ab-  
stracto Iustitiã Commutativæ, potest Deus  
strictè obligari, & debere ex Iustitiã crea-  
turis, absque sui sic sese spontè obligantis,  
dominiumque suum plene retinentis, im-  
perfectione.

19 Confirmatur. Deum habere ali-  
qua iura, quibus pro libito sine imperfe-

August.

S. Tho.  
Proclus

Trident.

Suar.

Trident.

cap. 16.

Ff

qto.

tionem cedere possit, non est dubium: quippe Dominus actualis est, & in actu secundo Legislator creaturarum: quibus iuribus in exercitio, & vlti cedere posset pro libito, nullam producens creaturam: & post peccatum habet speciale ius ad punitionem, quo iure pro libito cedit sponte condonans. Sic ergo posterior ille modus dandi alteri ius, & dominium in rem aliquam versus ipsum Deum, quo ad hoc sponte, vt potest, cedentem, per se spectatus non dicit imperfectionem, imò arguit altissimum. Dei dominium in res suas: quæ, vt ex inferius dicendis constabit, nec propterea desinunt esse sue. Igitur nihil prohibet, aut indecet, quòd possit Deus ex pacto sponte invito dare creaturæ tale ius in res aliquas, vt perinde obligetur Deus, fiatque debitor ex stricta Iustitia, facturus contra Iustitiam, si tali obligationi postea deesset: sicut contra fidelitatem, si post simplicem promissionem rem non præstaret vt promissit.

## SECTIO III.

ILLUSTRATIO, ET FVLCI-  
TUR præcedens doctrina contra limi-  
tationem Patris Ri-  
paldæ.

Ripald.

20 **Q**ui disp. illa 8 s. sect. 3. eam limitat ingenie. dicens: Deum posse ex Iustitia constitui obligatum, & strictè debitorem iuri creaturæ secundum potentiam suam ordinariam, quæ vt Creator, & Dominus vniuersorum, consuli creaturis; non verò secundum potentiam suam absolutam, qua titulo supremæ excellentiæ, & absolutissimæ potestatis est specialissimè omnium Dominus.

21 Hæc iura, seu dominia, sive has potestates morales explicat exemplo potestatis physicæ ordinariæ, & absolutæ Dei. Nam ordinaria accommodat se rerum exigentijs; absoluta verò eas prætergreditur. Et exemplo quoque Christi: qui, si aliquid sibi proprio labore compararet, haberet circa id speciale dominium, & ius, quale habent ceteri homines in res suas: & insuper haberet in idipsum ius, & dominium supremi omnium Domini: illud prius posset obligare per contractus humanos; non verò istud posterius: per quod posset semper absolutè vt pro libito rebus, quas à se iuxta illud prius ius ordinarium, & vulgare abdicaverat. Et tandem exemplo Princi-

pis' habentis in res suas ius peculiare proprietatis, & insuper ius altum, quale habet in res Vassallorum: propterea, inuens contractum de rebus peculiariter suis cum aliquo vassallo, abdicat à se ius peculiare proprietatis circa res illas; non verò ius altum, quo semper posset vt rebus illis, sicut alijs rebus Vassallorum citra iniuriam pro certis circumstantijs, & vsibus Reipublicæ.

22 Ad hunc igitur modum, ait Ripalda, posse Deum exercere Iustitiam, vt de facto exercet præmians creaturas factus illis debitor, & obligans ex Iustitia potestatem suam ordinariam; non verò absolutam. Ita nimirum, vt quamvis spectatâ potestatem suâ dominatiuâ, non possit denegare id ad quod sic obligatur; posset tamen, spectatâ potestatem suâ dominatiuâ absolutâ, id citra creaturæ iniuriam denegare: quamvis enim creatura possit acquirere ius versus potestatem illam Dei ordinariam, obligans ordinarium Dei Dominium; non verò verò us potestatem istam absolutam, hanc etiam obligans ex Iustitia. Sicque sibi videtur hic Author conciliare sententias oppositas, saluus ex vna parte, quòd Deus exerceat Iustitiam Commutativam præmians ex debito, vt probant argumenta nostra; & ex alia parte, quòd conservetur Deus in supremo, & absoluto dominio: quo si velit vt, nemini faciat iniuriam, quocumque posito pacto possibili, nec erit iniustus.

23 Subtilia sunt hæc, & speciosa. Non tamen sic intentum à Ripalda obtineri existimant Aldrete sect. 6. & Oviédus p. 8. Nam testimonia adducta pro nostra sententia, & alia similia ex alijs Scripturis, & Patribus, absolutè dicunt, iniustum fore Deum, si post promissiones suas, & merita nostra præmium denegaret: quod ingemnant SS. Patres ad nostrum solamen, spemque nostram firmius erigendam, vt intelligamus, ita debere nos esse securos de præmio stantibus meritis, sicut de eo quod Deus non erit iniustus. Tota autem hæc firmitas nostra innixa Dei Iustitiæ vacillaret, si absque iniustitia Deus de potestate absolutâ posset negare præmium posito merito: sicut vacillaret firmitas Fidei, si Dei veracitas solùm obligaret Deum ad non mentiendum, aut ad non fallendum de potentia ordinaria, sibi tamen retentâ ad id absolutâ potestate.

24 Insuper. Homo, cui Deus fecit promissionem fundantem post merita, iux-

Aldrete.  
Oviéd.

ta Ripaldam, hoc ius obligans Deum ex Iustitia ad reddendam mercedem; non solum obligat Deum, ne auferat mercedem iam possessam, sed etiam, vt illam primò conferat. Vel ergo obligat, vt Deus mercedem conferat per illam potestatem ordinariam, vel non. Si primum: ergo per nullam aliam potestatem poterit Deus denegare mercedem: nequit enim merces per vnam potestatem concedi, simulque per aliam denegari: aut si potest per potestatem absolutam denegari: ergo & auferri post primam collationem: sicque rueret securitas æternæ gloriæ. Si dicatur secundum: ergo nullâ prorsus obligatio Iustitiæ Deo imponitur: sicque, cum præmiat, nullatenus præmiat Deus ex obligatione Iustitiæ.

25 Dices, obligari ex Iustitia ad non denegandam mercedem ex vi illius potestatis ordinariæ, quæ consulit bono creaturarum. Contra. Deum sic consulere bono creaturarum est non vt potestate absolutâ, quâ posset denegare mercedem, imò conferre mercedem, prout res humanitas, & ordinariè exigunt: dicere ergo, quòd creatura merens acquirit ius, vt Deus non denegat ipsi mercedem ex vi potestatis ordinariæ, quâ consulit bono creaturarum; est dicere, quòd acquirit ius, vt non denegat ipsi mercedem, quando ipsius bono consulens reddit mercedem: quod est dicere omnino nihil.

26 Hæc ferme, pluraque Oviédus. Nec acquiescit exemplis speciosè conquisitis à Ripalda. Quamvis enim teneant interdum in illis, qui ab alio accipiunt ius altum, nempe à Republica, vel à Deo; non sic in ipso Deo: qui certè, cum se obligat ex Iustitia, omnem suam potestatem obligat: idque dicerem similiter in Christo ob eandem rationem. Ratio autem, cur id aliquando valet in alijs, esse potest: quia in alijs sunt moraliter, & in iure diuersæ voluntates, quarum vna, quæ scilicet representat potestatem altiorem, ex qua dimanat iurisdicctio in alios, potest velle suum retinere ius altum; quamvis alia cedere velit iure suo proprio, & speciali: quæ ratio cessat in Deo: & consequenter discursus P. Ripaldæ.

27 Quidquid tamen de his sit, probo contra limitationem Ripaldæ, posse Deum obligari ex Iustitia à iure creaturæ secundum vtramque illam potestatem: ita vt neque de absolutâ possit sine iniustitia negare præmium post promissionem suam, & meri-

tum nostrum, futurus propterea iniustus, si de quacumque potestate illud denegaret: & arguo à paritate fidelitatis, mihi clarissima, quam prosequitur Aldrete sect. 6.

Aldrete.

28 Deo non minus repugnat esse infidelem, quam iniustum: nec minus absolute competere facultas disponendi de rebus suis, absque infidelitate, quàm absque iniustitiâ: sed non est contra perfectissimam Dei facultatem disponendi de rebus suis absque infidelitate, se taliter obligare ex promissione simplici, vt nec de potentia absolutâ possit rem promissam stante promissione denegare, futurus alioquin infidelis: ergo nec est contra perfectissimam Dei facultatem disponendi de rebus suis absque iniustitia, se taliter obligare ex iure alterius fundato in ipsius promissione, vt nec de potentia absolutâ possit rem ex Iustitia debitam denegare, futurus alioquin iniustus. Maior, & minor videntur innegabiles. Et in forma simili ex potestate physicâ ordinariâ, & absolutâ, argumentor sic. Non est contra perfectissimam potestatem physicam Dei Omnipotentissimi circa productiones rerum, taliter se sponte obligare, & impedire, vt nec de potentia sua physica absoluta possit rem, stante ea obligatione, & impedimento producere, vt cum revelavit, vel decrevit, se non producturum: ergo nec est contra perfectissimam potestatem moralem Dei supremi Domini circa dispositionem rerum pro suo absolutissimo iure citra alterius iniuriam, taliter se sponte obligare per promissionem, vel pactum onerosum iuri alterius, vt nec de potentia sua ordinaria morali dominatiuâ, nec de absolutâ possit rem alteri, stante pacto denegare, absque iniuria alterius. Antecedens videtur etiam innegabile.

29 Probo nunc ambas consequentias, & do rationem totius doctrinæ. Ideò illud non est contra perfectissimam Dei potestatem disponendi de rebus, absque infidelitate, nec contra perfectissimam potestatem physicam producendi res; quia Deus sponte se obligans, promittens, discernens, aut revelans, semper manet cum potestate libertatis non sic se obligandi, discernendi, & revelandi, & impeditâ prout libito tali obligatione, disponendi prout vult de rebus citra iniuriam, illasque non producendi: sicut qui liberè amat conservat amans potestatem non amandi, vt alibi sæpius explico. Eadem autem est ratio in præsentem: cum enim Deus sponte, ac liberè

se obliget, ineratque pro libito pactum cum creaturis, semper est penes ipsum plena, & absoluta potestas se non sic obligandi, ac proinde disponendi de rebus sine creaturæ iniuria, impediendo videlicet, non quidem exhibitionem rei positâ obligatione, quod omnino repugnat; sed exhibitionem rei, & obligationem eam exhibendi, quod semper est Deo liberissimum: ergo obligari, ut diximus Deum ex Iustitia secundum utramque potestatem ordinariam, & absolutam, nullatenus est contra perfectissimam Dei potestatem disponendi pro libito de rebus sine iniuria creaturæ: id quod in solutione obiectionum apertius patebit.

*Aldret.* 30 Dicat aliquis quod olim placuit Patri Aldrete id consenti *sect. 7. num. 12.* disparitatem esse: quod obligatio pura fidelitatis solum est conformandi facta verbis promissivis, quia perinde præferatur promissarius Domino promittenti circa rem promissam, quamvis circa illam faciat Dominus sibi illicitum aliquem usum; nepe retentionem rei positâ promissione: at obligatio Iustitiæ non solum facit illicitum Domino aliquem usum rei, verum etiam in subiectione talis rei præfertur priori Domino ille in cuius favorem fit obligatio Iustitiæ. Cum autem dedecet, & implicet, creaturam vilo modo præferri Deo in subiectione alicuius rei; hinc est quod specialius implicet Deum obligari ex Iustitia.

31 Occurro tamen improbando prædictam prælationem, quando qui obligatur ex Iustitia ita sponte, & liberè obligatur, ut retineat circa eandem rem sibi semper subiectam perfectius dominium, quam sit ius quod alteri concedit, ut contingit in Deo, & dicemus in fine *sect. sequentis.* Unde, bene percepta totâ nostrâ doctrinâ, nulla sequitur prælatio creaturæ ad Deum in subiectione talis rei: semper enim tam res, quam creatura, cui concedit Deus ius in illam rem, manent magis subiectæ Deo, quam talis res subiciatur creaturæ.

32 Unde procedo sic. Si ex eo quod Deus sic obligatus ex Iustitia reddit sibi illicitum aliquem talis rei usum, qui licitus fit illi cui fit obligatio, iste diceretur Deo præferri in subiectione talis rei; similiter diceretur præferri promissarius promittenti interventu solius obligationis ex fidelitate: quatenus nempe promittens reddit etiam sibi illicitum aliquem rei promissæ usum,

qui licitus est promissario, scilicet rem sibi promissam alteri promittere: nihilo tamen minus Deus citra imperfectionem obligatur ex fidelitate secundum potentiam ordinariam, & absolutam: ergo pariter poterit ex Iustitia secundum utramque potentiam: nam quod vsus ille fiat illicitus, quia oppositus Iustitiæ, sive quia oppositus fidelitati, parum refert, cum omne illicitum æquè repugnet Deo fidelissimo, iustissimo, & vndeque sanctissimo.

#### SECTIO IV.

##### PRÆCIPVÆ OBIECTIONIS expeditione Commutativa Dei Iustitia constabatur.

33 **O**bjicitur primò. Deus nemini potest obligari ex Iustitia: ergo nec Iustitiam Commutativam exercere. Antecedens probatur. Primò ab Autoritate. August. 1. de lib. arbit. c. 16. *August.* *Deus nulli debet aliquid.* Et 1. Confess. 4. ait ad Deum: *supererogatur tibi ut debeas: & quis habet quidquam non tuum? reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens.* Bernardus Serm. 1. de Annuntiat: *neque talia sunt hominis merita, ut propterea vita aeterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* *Basil.* Basilus in Psal. 114. *manet requies sempiterna illos, qui in hac vita legitime certaverunt: non tanquam debitum operibus redditum; sed ob munificentissimam Dei gratiâ.* Anselmus in Prologo cap. 10. *ita iustus es, non quia nobis reddas debitum. sed quia facis, quod decet te summe bonum.* S. Thom. 1. p. q. 21. à 1. *S. Tho.* *Licet Deus debitum alicui det; non tamen ipse est debitor: & 1. 2. q. 114. à 1. Quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione divina ordinationis; non sequitur quod efficiatur simpliciter debitor nobis.*

34 Secundò à ratione ex Card. Delugo. Si Deus obligaretur ex Iustitia homini: homo acquireret ius strictum contra Deum: sed hoc implicat: ergo. Maior patet: nam obligatio Iustitiæ est respectiva ad aliquod ius personæ cui faver obligatio, contra personam quam gravat. Minor probatur. Homo essentialiter est servus Dei debens Deo iure servitutis omnes actiones, resque suas: quæ scilicet, eo ipso quod

fiant, sunt Dei: sed implicat servum acquirere ius contra Dominum per ea, quæ Domino debentur iure servitutis: ergo & quod homo, aut alia creatura contra Deum. Minor probatur: quia illud ipsum ius, eo ipso quod esset servi, esset Domini: sed implicat ius Domini esse contra ipsum Dominum: ergo & quod servus acquirat ius contra Dominum: & à fortiori creatura contra Deum.

*Ripalda.* 35 Tertiò ex Ripalda. Deus habet perfectissimum dominium in quemlibet effectum creatum: ergo quoad potestatem ipsius absolutam nequit obligari ex Iustitia ad illum præstandum: scilicet ad gloriam conferendam. Probatur consequentia: quia de ratione dominij est, posse Dominum vi re pro libito suo, illam videlicet ponendo, vel non ponendo, citra iniuriam alterius: obligatio verò Iustitiæ ad ponendam, seu præstandam rem, dicit in habente talem obligationem non posse non ponere, seu non præstare rem citra iniuriam habentis ius ut res ponatur, aut præstetur: sed hæc duo, utpote sibi invicem contradicentia, stare simul non possunt: ergo nec perfectissimum Dei dominium cum obligatione Iustitiæ præstandi rem, quam saltem de potestate absoluta nequeat Deus citra hominis iniuriam non præstare.

36 Confirmatur. Sic obligatus quo ad potestatem etiam absolutam, iam non posset, positâ obligatione, vi re, illam denegando habenti ius, sine istius iniuria: sepositâ verò obligatione, posset: ergo per eiusmodi obligationem amittitur aliquid de dominio rei: cum enim dominium sit potestas utendi re citra iniuriam alterius, quantum amittitur de hac potestate, tantumdem amittitur de dominio. Atqui Deus nihil amittere potest de dominio, circa creaturas essentialiter suisissimas, quarum scilicet Dominus est absolutissimus: ergo nihil amittere potest de illa potestate: ergo nec potest cuiquâ obligari ex Iustitia. Nec par est, quoad hæc, exemplum fidelitatis, quâ obligatur Deus post promissionem. Hæc enim obligatio fidelitatis, quamvis opponatur cum potestate denegandi rem promissam sine vitio infidelitatis; non verò sine vitio iniuriæ; cum ex solâ violatione promissionis nõ fieret iniuria promissario, quavis promittens deesset suæ fidelitati. At obligatio iniustitiæ opponitur cum potestate denegandi rem sine iniuria alterius: quod obstat rationi perfecti dominij, utpote con-

sistentis, non in potestate utendi rebus sine nota infidelitatis; sed in potestate utendi rebus sine alterius iniuria.

37 Hæc obiectio cum suis ingenicis adminiculis multas extorsit responsiones videndas apud Ripaldam, & Aldrete citatos. Quibus magnâ ex parte prætermisissis.

*Ripalda.* *Aldret.* 38 Respondetur, negando antecedens. Ad primam probationem miratur Arriaga quod obijciantur nobis dictæ Auctoritates: præsertim Bernardi, eatenus ibi negantis in Deo debitum gloriæ, quater us negare videtur operibus nostris cõdignitatem: quam tamen tueri debemus, & exponere Bernardum de operibus seorsim à gratia condignificante. Dignior est admiratione Ripalda, eas Auctoritates nobis obijciens: cum, si vim aliquam habent, sint etiam contra ipsum admittentem in Deo debitum, & obligationem Iustitiæ, quamvis cum supra explicatâ limitatione: cuius tamen ne leviter quidem meminere Sancti PP. Dicendum est ergo, Auctoritates nobis obiectas, nè dicantur adversari alijs, quas *sect. præcedenti* pro nobis retulimus; solum negare Deo debitum, & obligationem Iustitiæ seorsim ab ipsius libero, & gratuito pacto; non verò dependenter ab illo: quod satis indicat S. Tho. ultimò allegatus. Posse autem resultare debitum, & obligationem Iustitiæ ex gratuito, & indebito pacto, alioquin non resultaturam, patet in humanis: nam si sponte, & sine obligatione paciscendi paciscaris cum Petro de venditione libri tanto pretio; dato pretio obligaris ex Iustitia tradere librum, non obligandus circa pactum: & similiter Dominus debet ex Iustitia mercedem operarijs laborantibus in vinea conventionem factâ; non verò alijs æquè in eadem vinea laborantibus, quibuscum nulla fuit inita conventio, ut rectè *Suar.* *sect. 2. à. num.*

39 Ad secundam probationem concedo maiorem: temperans tamen terminum illum *contra Deum* pro eo quod est ius obligans Deum, ne sonare videatur acquiriti per vim invito Deo: & nego minorem cum eodem temperamento. Nam ut bene Arriaga etiam ex simplici Dei promissione acquirimus facultatem petendi rem promissam contra, id est versus Deum: taliter exinde obligato Deo, ut nec de potestate absoluta possit rem, stante promissione, denegare: quo apud omnes intellecto, parum refertur videtur, quod obligatio illa sit



ex Iustitia, vel ex fidelitate. Ad probationem minoris concessa maiori, distinguo minorem: si Dominus eas res, vel actiones exigat titulo servitutis sine pacto de retributione cum servo, concedo: si non exigat titulo servitutis, & sponte paciscatur de retributione, nego. Potest autem Deus sic cum servo sponte pacisci, sicque servus acquirere ius obligans Deum ad retributionem. Ad probationem huius minoris distinguo maiorem: illud ipsum ius servi esset Domini obiectivè, & terminativè, concedo: hoc est, esset ius, cuius etiam Deus est Dominus; cum sit Dominus omnium: illud ipsum ius esset Domini constitutivè, & formaliter, nego: hoc est, non esset ius, quo Deus est Dominus: ius enim servi, quo nempè servus ex pacto Domini fit Dominus talis actionis, non est ius, quo Deus est Dominus; quamvis sit ius, cuius Deus est Dominus, ius scilicet cadens sub iure, & dominio Dei. Sic libertas nostra est Dei, non quidem qua Deus liber sit, sed qua nos liberi sumus: est tamen Dei, sicut & omnia nostra sunt Dei. Ad minorem dico, implicare quòd ius Domini constitutivè, quo nempè Dominus in esse Domini constituitur, sit contra Dominum; non verò, ius Domini obiectivè, quo nempè servus fit Dominus alicuius rei, seu actionis suæ ex pacto Domini ultro concedentis servo tale ius, sit contra, seu, ut melius loquar, sit versus Dominum, ut explicui. Et nego consequentiam.

40 Ad tertiam probationem primam, antecedentis, nego consequentiam. Ad probationem distinguo primam partem maioris: de ratione dominij est posse Dominum uti re pro libito suo citra iniuriam alterius, coniungendo omnem usum rei citra iniuriam cum obligatione sibi ultro imposita, nego: hic enim usus est, semperque fuit chimericus, ac proinde procul à ratione veri dominij: sicut à ratione Omnipotentis potestas faciendi coniunctivè, quòd res dum est non sit: distinguendo à se, & à rei usu obligationem suam sic non utendi, atque adeo illationem iniuriæ alterius, concedo: sicut cum res non sit, conceditur Omnipotentis potestas faciendi rem: faciendi, inquam, distinctam, seu divisivè ab eo quod res non fiat. Cum hac autem ratione dominij sic debite explicata bene stat quòd dicitur in secunda parte maioris, scilicet in Domino obligatio præstandi talem rem, seu non posse non præstare rem citra iniuriam ha-

bentis ius, ut præstetur: coniunctam scilicet cum illa obligatione: si verò, impedita pro libito tali obligatione, res non præstaretur, impediretur eo ipso ius alterius, ac proinde citra iniuriam denegaretur res. Nego autem minorem: nam ea duo modo explicata bene sibi constant: ex una parte, quòd in tali Domino sic sponte obligato non sit potestas denegandi rem sine alterius iniuria simul cum tali obligatione, simultate, inquam, talis obligationis, & denegationis rei sine iniuria: & ex alia parte, quòd sit in eodem potestas rem illam sine iniuria denegandi, seposita, seu impedita pro libito tali obligatione sua, & iure alterius. Sic sibi constant in voluntate consentire, & posse dissentire: non quidem posse dissentire simul & consentire; sed posse, dissentire seorsim, & divisim à consensu, impedito scilicet ad nutum consensu: nec aliter stat nostra, nec Dei libertas cum determinatione, seu libero exercitio actus secundi. Hoc voluerunt dicere peritiores Theologi per terminos celebris distinctionis sensus compositi & divisi: à quibus tamen terminis abstinent imò & abhorrent iam multi, postquam aliqui vulgares illam suis sinistris explanationibus, & applicationibus detorserunt.

41 Ad confirmationem, distinguo similiter antecedens: sic obligatus iam non posset, posita obligatione, uti re, illam denegando sine iniuria, coniungendo hanc denegationem sine iniuria cum illa obligatione sponte suscepta, concedo: id enim nec iam potest, nec unquam potuit, quia chimerica est: distinguendo liberè denegationem sine iniuria ab illa obligatione, nego: id enim iam potest, & semper potuit: nam illa libera susceptio obligationis, quamvis pugnet cum denegatione rei sine iniuria, non pugnat cum potestate impediendi obligationem, sicque denegandi rem sine iniuria: sicut neque consensus liber pugnat cum potestate dissentiendi. In eiusmodi autem potestate stat ratio pleni dominij. Itaque nego consequentiam. Quia, sicut per consensum, quo exercetur libertas nihil minuitur de libertate, cum nihil minuat de potestate dissentiendi; sic per ultrotraneam illam obligationem, quæ exercetur dominium Dei potentis se pro libito obligare, vel non obligare, nihil minuitur de dominio, eum nihil minuat de potestate se non obligandi, &, impedita liberè obligatione sua, & iure alterius, denegandi rem sine alterius iniuria. Hinc constat ad reliquum confirmationis, Nec

42 Nec est abs re fidelitatis exemplum. Nam, quidquid sit de disparitate ibi assignata, semper tenet quoad id quod intendimus: quatenus scilicet Deus rem promittens, & ex fidelitate obligatus ad eam præstandam, quamvis nec iam possit, nec unquam potuerit denegare rem, coniungendo denegationem rei cum sua promissione, quod est chimericum; bene verò potuit, & potest denegare rem impediendo liberam promissionem, quam potestatem non minuit promissio: sicut nec minuit potestatem non promittendi, nec consensus minuit potestatem dissentiendi: ideoque absolutissimè liberè præstat rem promissam, utpote cum potestate absolutissima denegandi, simulque non promittendi.

43 Insurgens. Inde sequitur, posse duos esse simul Dominos in solidum eiusdem rei: quod tamen est contra iuris axiomata notum ex terminis, & implicat ab intrinseco. Dominium enim est potestas, quæ potest Dominus uti re sua pro libito sine iniuria alterius: hæc autem potestas nequit esse penes duos in solidum: alter enim posset pro libito facere sibi iniuriam, ac proinde alteri illicitum usum alterius, utpote suæ dispositioni contrarium. Sequela probatur: quia Deus rem præstans, scilicet conferens gloriam obligatus ex Iustitia, cum per nos nihil amiserit de suo dominio, etiamnum est verè Dominus gloriæ: & simul homo est Dominus cum vero saltem, strictoque iure ad gloriam obligante Deum ex Iustitia ad illam conferendam: ergo essent simul Domini.

44 Confirmatur. Quando homo constitutus in libertate facit actum, quem pro libito potest absque Dei iniuria ommittere, esset verè Dominus talis actus: simulque Deus est ipse Dominus, quippe rerum omnium dominium habet: ergo simul essent Domini. Nec dicas Deo inesse dominium altum, quod dominium simul cum dominio basso, seu inferiori alterius bene compatitur etiam in humanis, ubi Principes habent dominium altum in res ipsas quorum habent Vassalli dominium bassum proprietatis. Quippe Deus non solum habet dominium, seu ius illud altum, seu iurisdictionis, quale habent Principes humani in res Vassallorum; verum etiam strictissimum ius proprietatis, & absolutissimæ sinitatis: ergo essent Deus, & homo simul Domini cum iure stricto proprietatis, & sinitatis: ut dici solet de duobus hominibus

in instanti quo unus alteri dat librum: quorum uterque esset simul Dominus libri in solidum: unus, quia ut Dominus librum dat; alter quia in eo ipso instanti fit Dominus librum acceptans.

45 Tangitur hic acris difficultas, quæ locum obtinet suum ex professo in Tractatu de Iustitia, & Iure, de possibilitate dominij duorum in solidum eiusdem rei: quò remitto solutionem obiectionum, quæ contra eiusmodi dominium simultaneum fieri solent. Ex ijs, quæ ibi vberius scribo, respondeo nunc, admittendo sequelam, & doctrinas suarum probationum cum Lugo, Hurtado, Arriaga, & alijs contra Ripaldam, Bernal, Elparzam, & alios communis: qui, me iudice, numquam se satis expediunt ab exemplo illo donationis instantaneæ, in quo dicimus, & probamus, pro illo instanti reali donationis, & acceptationis, librum esse simul in solidum duorum Dominorum: donantis quidem, quia tunc dat, exercens in eo instanti propriissimum actum dominij donans rem suam: non autem exercetur dominium quod non est: accipientis verò, quia tunc acceptat, ita ut in eo instanti posset ut iam verè dominus disponere de libro acceptato in alium tertium. Id quod etiam videre est in contractu matrimonij, vi cuius in instanti, quo contrahitur, quilibet coniugum esset iam adulter si in eo instanti concupisceret non suam; vel non suam: quia nimirum in eo ipso instanti suum corpus iam sit alterius.

46 Nec obstat axioma Iuris negans duorum simul dominium in solidum eiusdem rei. Loquitur enim, ut bene Lugo, seorsim ab his subtilitatibus metaphysicis, in ordinario sensu Iuris peritorum vocantium Dominium in solidum, illum dumtaxat, qui independenter ab actuali alterius beneplacito potest disponere de re: quo modo fateamur, donatarium in eo instanti non fore Dominum, cum non possit licitè disponere de re, nisi dependenter ab ultrotraneâ donatione Donatoris tunc donantis. Loquendo tamen iuxta veritatem subtilius examinatam in rigore metaphysico, ea dependentia nihil minuit de ratione essentiali dominij, posito iam beneplacito donantis: alioquin nullius rei haberet dominium creatura, cum nullum habeat dominium nisi dependenter à Deo. Insuper Iuris periti loquuntur de dominio duorum hominum penes utrumque in solidum permanentem.

Tract. de  
Iust. &  
Iure.

Lug.  
Hurtad.  
Arriag.

Delug.

## SECTIO V.

## RELIQUÆ OBJECTIONES.

Supra  
disp. 9.

nente; non verò de instantaneo, & transeunte inter homines pro illo solo instanti donationis. Sicquæ salva manet à sensu dicti axiomatis nostra doctrina; advertendo tamen, id quod verum est in humanis transeunter pro instanti donationis, & simultaneæ acceptationis; esse verum in Deo pro semper: quia in Deo semper viget eadem libertas, & potestas, quæ semel fuit, ut in simili obiervavimus *disp. præc. sect. 6.* ac proinde permanet eadem facultas disponendi de rebus pro libito citra iniuriam, sicut & non se obligandi, nec tale ius creaturis concedendi.

47. Ad reliqua, quæ pro implicantia simultanei duorum dominiij proponuntur à n. 43. dico nullam esse contradictionem, quòd alteruter illorum dominorum possit pro libito in eo instanti facere illicitum alteri usum rei: diverso scilicet modo, quamvis sufficientissimo in utroque respectivè ad verum dominium, seu ius. Donator enim id possit absolutè, quatenus liberè donans, aut se obligans, potest pro libito non donare, aut se non obligare, & non dare alteri ius, sicquæ facere ne donatarius possit pro libito de re disponere citra iniuriam. Donatarius verò non nisi dependenter, & supposità vltroneà donatione, seu obligatione alterius, à quo ipse accipit ius: quam suppositionem, tamen non sit penes ipsum pro libito eam ponere, vel non ponere; iam tamen habet vltro positam à donatore in instanti donationis, seu obligationis: ac proinde iam est constitutus verè Dominus, habens strictum ius in illam rem. Nec eiusmodi dependentia, aut subordinatio dominiij donatarij ad dominium donatoris, vel sese vltro obligantis, tollit, ut diximus, rationem dominiij, seu stricti iuris in donatario: sicut nec tollit rationem libertatis creaturæ dependentia, & subordinatio ad libertatem Dei: quatenus nempe hæc dependentia, & subordinatio non tollit quominus semel collata creaturæ pro libito Dei libertas, seu semel datum dominium & ius, verè habeatur à recipiente. Plura in

Disputationibus de Iu.

stitia, &amp; Iu.

re.

48. **O**bjicies secundò. In exercitio Iustitiæ Commutativæ intervenit reciprocè contrapassum: cum enim ius obligans faveat uni, & gravet alterum, præferat gravamen, & iacturam illius qui solvit, aut debet ex Iustitia: sed Deus à creaturis nihil potest pati, nec strictè gravari, nec iacturam sentire: ergo nec erga illas exercere Iustitiam Commutativam. Confirmatur. In exercitio Iustitiæ Commutativæ, cum interveniat datum, & acceptum, solvens abdicat à se dominium rei, illud transferens in acquirentem ius: sed Deus nullius rei potest à se abdicare dominium: ergo. Instatur imprimis tota hæc argumentatio in obligatione fidelitatis.

49. Deinde respondetur, negando maiorem. Nam, quamvis rigor ille contrapassi interveniat ut plurimum in exercitio Iustitiæ inter creaturas, non tamen est de conceptu essentiali Iustitiæ in genere, ut videre est ex eius definitione. Unde concessa, vel omis à minori, nego consequentiã. Ad confirmationem similiter dico, maiorem esse veram prout in plurimum inter creaturas; non in Deo, nec id esse ex ratione essentiali Iustitiæ in genere. Quamvis ergo ut in plurimum ratio dati, & accepti importet translationem, dominiij, quæ sit abdicatio dominiij; hoc tamen non est de ratione dati, & accepti ut sic: sufficit enim quòd unus det alteri rem suam, seu verum ius in illam, modò abdicet à se dominium rei datæ, ut ordinariè sit inrer creaturas; modò non, ut sit semper in Deo, & pro instanti donationis transeunter fieri etiam potest in creaturis, ut superius explicuimus. Unde concessa minori, negatur consequentiã.

50. **O**bjicies tertio. Iustitia Commutativa semper est ad alterum iure: hoc est ad alterum habentem ius independens ab alieno iure: ergo non est in Deo ad creaturas non habentes ius nisi dependens à Deo. Probarur antecedens: quia non ob aliã rationem in Domino ad servum, & in Patre ad Filium nequit dari stricta Iustitia. Confirmatur: qui ex Iustitia stricta obligatur, independenter à quovis gratuito pacto obligatur: ergo cum Deus non nisi dependenter à gratuito pacto obligetur creaturæ, nequit ex Iustitia stricta obligari.

Ref.

51. Respondetur distinguendo explanationem antecedentis: hoc est, ad alterum habentem ius independens, quo nempe possit uti sine iniuria, concedo: quod non emanaverit ab alieno iure, seu dominio, nego: nam ius emptoris emanat à iure venditoris: & tamen de re eadem, quam emit, potest denuo contrahere ex Iustitia cum priore venditore: imò & de fructibus, quos percipit rei alienæ apud me existentis, potest interdum contrahere ex Iustitia cum Domino rei, à cuius tamen iure pendet tuum ius. Sufficit ergo ad exercitium strictæ Iustitiæ Commutativæ ea iuris alteritas, qua alter possit disponere de re sine iniuria alterius, quamvis hæc potestas emanet, seu dependeat ab altero. Ad probationem nego, non dari interdum strictam Iustitiam Domini ad servum, & Patris ad Filium in aliquo genere bonorum. Ad confirmationem, nego antecedens: nam, ut vidimus, bene stat rigor Iustitiæ subsequenti fundatus in favore gratuito antecedente: postquam enim quis tibi dedit gratis monetam, potest cum Donatore inire contractus strictæ Iustitiæ per eandem monetam, radicatos in illa priori ipsius liberalitate, & gratuitate.

52. **O**bjicies quarto. Quidquid boni facit creatura, debetur Deo titulo servitutis: ergo per nullum opus creaturæ potest Deus obligari onerosè ex stricta Iustitia: nullus enim ex stricta Iustitia obligatur per id quod ipsi iam debebatur ex Iustitia: alioquin solvens alteri quod debet, possit per ipsam debiti solutionem constituere alterum sui debitorem ex Iustitia. Respondetur, concessa antecedente, negando consequentiã: quia multa potest servus præstare Domino, quæ quamvis debita iure servitutis, potest Dominus non exigere titulo servitutis, & in his possit erga servum obligari ex Iustitia. Quia tamen, quæ Deus præcipit, exigit iure servitutis, & tamen illa præmiat ex Iustitia; do aliam rationem: quòd nempe interdum per unum opus fit satis duplici titulo, seu obligationi Iustitiæ, ut cum quis vna Horatum recitatione implet duas obligationes ex duplici beneficio. Unde infert Arriaga *disp. 31. sect. 4. nu. 31.* opera etiam præcepta, quæ ex obedientia facimus, præmiari à Deo ex Iustitia, quantumvis alioquin ex Iustitia debita. Potest enim Dominus iure servitutis iniungere servò aliquod opus, promittens insuper, & se obligans ex Iustitia ad reddendam mer-

cedem, si obediat: tunc ergo, quamvis servus non haberet ius ad non obediendum; præstita obedientiã, haberet ius ad exigendam mercedem à Domino qui promissit: sicque non videtur inconveniens, quòd per ipsam debiti solutionem, scilicet per illam obedientiam, constituat Dominus debitorem ex Iustitia, post supradictam Domini promissionem. Quemadmodum enim, ut vidimus, unum opus satisfacit interdum duobus simul obligationibus Iustitiæ in favorem duorum creditorum; cur non poterit satisfacere uni, in favorem creditoris, & simul inducere aliam in favorem ipsius satisfaciendi?

53. **O**bjicies quinto. Ut unus obliget alterum onerosè ex stricta Iustitia, debet exhibere alteri aliquid ex proprijs, quòd non erat sub dominio alterius: sed quidquid creatura potest ex proprijs exhibere Deo, est de suo sub dominio Dei: ergo per nullum opus suum potest creatura obligare Deum ex Iustitia. Probatur minor: quia non illud exhibet creatura antequam illud sit: dum autem est, iam est sub dominio Dei potius quàm creaturæ: ergo nihil exhibere potest ex proprijs, quòd non sit sub dominio Dei, eo ipso quòd sit. Respondetur, data maiori, distingo minorem: est de suo sub dominio Dei, ex libera inrerdum positione creaturæ, & stante promissione Dei de præmio, si id ponat, concedo semper sine his, nego minorem, & consequentiã. In probatione minoris similiter dico ad posteriorem partem antecedentis, illud opus liberè exhibitum à creatura, esse interdum actu sub dominio Dei non aliter nisi ex positione liberæ creaturæ, & sub Dei promissione de præmio propter illam positionem. Quando ergo creatura constituta in libertate potest ponere, vel non ponere opus, fit à Deo quasi usufructuaria libertatis, qua bene utens, exhibet in obsequium, & sub dominio honorifico actuali Dei opus illud sui boni usus. Sicquæ quamvis nihil exhibeat de suo, quòd prius, aut potius sit suum, quàm Dei; liberè tamen facit id actu esse suum, & Dei, ponitque sub dominio Dei quòd sic positum non erat: cui positioni obsequiosa, accedente Dei promissione, correspondere potest præmium ex Iustitia.

54. **O**bjicies sexto. Si circa rem aliquam possit Deus obligari ex Iustitia alicui creaturæ; possit circa omnes res creatas, similiter omnes alicui promittens: sicquæ

Gg

fieri

fieri creaturæ servus: ita nimirum creaturæ devinctus, ut omnia sua ipsi deberet ex iustitia: hoc autem dissonum, & implicans est. Respondetur, concedendo priorem partem, nisi forte in aliqua re creata obstaret specialis repugnantia: nec perinde Deus subijceretur: nā aliud est subijcere se; aliud subijcere sua. Et potest instari tota vis in obligatione puræ fidelitatis, si Deus cuncta alicui promitteret. Nego deinde posterius illud de servitute: hæc enim dicit insuper inferioritatem personæ, & subiectionem iurisdictioni alterius, quæ repugnant excellentiæ summæ Dei supra omnes: sicut in quocumque altero vis coactivâ supra Deum, propria etiam Domino supra servum. Sic Aldrete *sect. 7.* Hurt. *sect. 12. sub. sect. 7.* Prudentius *sect. 7.* & Arriaga *sect. 3.*

55 Objicies tandem. Deus nequit agere, nec pati strictam iniustitiam: ergo nec strictam iustitiam Commutativam exercere. Prior pars antecedentis est de fide: nam agere iniustitiam iniquum est. Posterior pars probatur. Primò: quia, si aliquid, nempe peccatum, esset iniustitia stricta, quam pateretur Deus; singulis peccatis inesset hæc iniustitiæ circumstantia: quæ, utpote speciem mutans, deberet specificari in confessione. Hoc autem est contra praxim. Secundò: quia in humanis non omnis violatio præcepti Regis, aut Prælati est respectu illorum stricta iniustitia: imò nec omnis inobedientia servi ad Dominum iniustitia stricta est: ergo nec respectu Dei. Tertiò: quia iniustitia stricta fit per incommodum, & nocivum: sed Deus nihil sentit incommodi, aut nocivi à creaturis iuxta illud Iobi: *Si peccaveris, quid ei nocebit?* ergo. Quartò: quia nemo patitur iniustitiam nisi invitus, aut saltem nolens: cum scienti, & volenti non fiat iniuria: sed Deus sciens, & volens concurrere ad peccatum offenditur, ac proinde non invitus: ergo quin patitur strictam iniuriam.

56 Respondetur, quidquid sit de bonitate consequentiæ, nego posteriorem antecedentis partem. Ad primam probationem concedo id de omnibus peccatis cum Suar. & Ripalda, sine limitatione ad sola mortalia quam ponit Aldrete, ut ad aliqua specialius, ut vult Hurtadus. Nego autem eam iniustitiæ circumstantiam, quantumvis mutantem speciem, debere specificari in confessione: quia est circumstantia generalis, sicut circumstantia inobedientiæ. Nec item tenetur propterea peccator statim post

peccatum relascire ius divinum læsum: quia cum Deus sic non præcipiat, videtur quoad hoc cessisse iuri suo: nisi forte in aliquibus peccatis, per quæ Deus specialius infamatur, & inhonoratur apud homines, ut ait Aldrete ex Suarez.

57 Ad secundam probationem, concessio antecedente, nego consequentiam. Reges enim præcipiunt, ut plurimum, ut Legistores, Prælati ut directores, & interdum, ut Domini; ac nō semper iure stricto domini in servos. Deus verò præcipit, ut strictè Dominus, ingeminans idemudem in Scripturis quando præcipit: *ego Dominus.* Unde S. Cyrillus cit. à S. Tho. in *Caten.* super illud Deuteronom. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies;* ait: *Deus petit à nobis famulatum iure servitutis.*

58 Ad tertiam nego maiorem generaliter sumptam: quamvis inter creaturas sic ordinariè fiat. Nam iniustitia essentialiter stat præcisè in læsione iuris, modò noceat, modo non: hoc enim, ut rectè Suarez, habet se de per accidens. Læditur autem à peccatore Dei ius, quamvis non incommodet, aut noceat Deo: non quia tollat à Deo ius, aut quidquam de illo imminuat; sed quia aliquid facit, aut omittit contra id quod iure suo Deus præcipit.

59 Ad quartam, datâ maiori, quæ explicationem suam habet in *Tract. de Iustitia, & Iure;* negatur minor. Non enim offenditur per peccatum Deus volens peccatum, aut volens concurrere ad peccatum: quinimò serid, quamvis non omninò efficaciter, id nolens; solumque volens id permittere, utpote creaturâ. & permittente Deo concursu Dei in offensam Dei contra ius Dei prohibentis, ut latè explicuimus *disput. 9. sect. 12. & 13.* Nec obest, quod possit Deus facile peccatum impedire, seu non permittere. Hoc enim non est velle peccatum adhuc interpretativè: quandoquidem nullo iure Deus id impedire tenetur, ut diximus ibidem. Inde negatur consequentia. Certè enim Tyranni strictâ inferunt iniustitiam Martyribus, quamvis non omninò nolentibus Martyrium, quod plerumque possent impedire si omninò vellent: ideoque illud quodammodò permittentibus. Sic etiam fur iniuriam infert Domino pecuniæ, non volenti per omnia media sibi possibilia impedire furtum, illudque propterea quodammodò permittenti, absque celsione tamen iuris sui in res suas, quis videt iniuste sibi eripi.

Aldret.  
Suarez.

S. Cyrill.

Suarez.

Supra  
disp. 9.

## DISPUTATIO XI.

DE MISERICORDIA, ET BENIGNITATE  
DEI.

**I**OEVNT in vnam Disputationem rectâ methodo post Iustitiam Dei præsertim Punitivam hæc duo amabilissima Attributa Benignitatis, & Misericordiæ Dei. Quas quidem sibimet ipsi specialiter infensus meritisimè redderet; qui eas vlatenus Deo denegare impiè aggredere contra Fidem divinam, & Rationem naturalem. Contra Fidem, inquam, propter multiplex Sacræ Paginæ testimonium: præcipue Psalm 68. *Quoniam benigna est Misericordia tua.* Et Ioelis. *Quia benignus, & misericors est:* ubi Sacri Textus insimul duas eas Dei Perfectiones contestantur. Contra Rationem autem: quia lumine naturali notum est, has duas virtutes esse addecentissimas, & propriissimas Optimi Principis erga subditos racionales subiectis multis miseris: sine quibus utique Deus, aut crudelis, aut suorum bonorum avarus, aut reverus nimis exprobraretur. Unde est illud orantis Ecclesiæ: *Deus, cuius proprium est misereri semper, & parcere.* Ubi Misericordia, & Benignitas proprium Dei Attributum compellantur.

Psalm. 68.  
Ioel. 2.Orac.  
Eusef.

## SECTIO J.

## QUID SIT SPECIALIS MISERICORDIA VIRTUS.

**2** VIRTUS moralis intenta subventioni alienæ miseriæ dicitur Misericordia. Sic nimirum ethymologicè dicta, quod pulset cor, illudque compati, & commisereri faciat alieni mali, quasi miseriæ sibi concipiat cor ex sympathia alienæ miseriæ, cuius subventioni studet.

**3** Non est facile Misericordiam à charitate proximi discernere. Vel enim movemur ad sublevandam miseriæ alterius, & ad præstandum ipsi opus aliquod misericordiæ, ut improbum alterius importunitatem à nobis excutiamus: quod fecit amicus ille Luc. 11. qui nocte surgens panes amico commodavit propter importunitatem: vel movemur ex affectu, ut illi bene

Lau 11.

fit. Si prius non est virtus erga proximum; sed potius proprius amor liberandi nos ab ipsius molestia: quod non tam est intendere commodum ipsius, quam depellere incommodum nostrum. Hoc autem virtus non est: sed ad summum quid ex genere suo indifferens si posterius; videtur esse virtus ipsissima charitatis proximi: cuius est consulere bono proximi, ut scilicet alteri bene sit. Igitur qua parte affectus sublevandi alienam miseriæ meretur nomen, & laudem virtutis, recidit in charitatem proximi: ac proinde Misericordia non est vnde à charitate satis discernatur.

**4** Confirmatur. Affectus fugæ fundantur in affectibus prosecutionis, eidemque virtuti tribuuntur: quemadmodum in virtutibus intellectus tribuitur eidem scientiæ assentiri alicui veritati, & dissentiri falsitati opposita: iuxta illud: *contrariorum eadem est ratio;* & disciplina. Ergo eadem virtus consulens bono alterius, quia bo-

Gg 2

num

Aldret.  
Hurtad.  
Prud.  
Arriag.

Iob. 35.

Suarez.  
Ripalda.  
Aldret.  
Hurtad.

nū alteri est, est charitas proximi: ergo eiusdem etiam charitatis proximi est condolere de malo alienæ miseriæ, illud averrendo, & sublevando, ut bene alteri sit: hæc autem est ipsissima Misericordia: quæ propterea recidit in virtutem charitatis. Unde est quod dilectio proximi ferè tota statuatur in operibus Misericordiæ.

Ovied.

5 Nihil tamen minus videtur alijs, Misericordiam esse specialem virtutem à charitate etiam adæquatè distinctam, ut vult cum multis Oviedus *contr. 9 de Charit. punct. 2.* in eo scilicet præcisè sitam, quòd formaliter respiciat honestatem reluctentem in sublevatione alienæ miseriæ. Sic etiam Suarez *disp. 4. de Charit. sect. 2.* Quatenus nempe rationi consentaneum est, nos minimè pati, alterum, qui eiusdem nobiscum est naturæ, miserijs consistari, dum nos bene habemus, & commodè possumus subvenire.

Suar.

6 Quocirca notandum est, quòd inter bene, & malè habere, scilicet nimirum, aut infortunatè: est status quidem quasi medius: qui præcisè est, non malè habere, quamvis non pertingat ad bene habere: ut esset in homine, nec scilicet, nec infortunato, sed præcisè non infelici: quippe nec notabilem molestiam, nec commoditatem haberet. Hic, inquit, status medius, quæ parte excludit malum miseriæ, videtur scopus specialis virtutis Misericordiæ: nam ultra id cumulare proximum bonis, non iam ut præcisè illi non malè sit, sed præterea ut illi bene sit; iam spectare videtur ad aliam virtutem: videlicet ad liberalitatem, munificentiam, seu charitatem.

7 Non perinde tollitur, quominus specialis hic affectus Misericordiæ sic explicatus imperari diversimodè possit ab alijs virtutibus; imò etiam à virijs. Possent enim quis ferri erga alterum sublevandum à sua miseria ex affectu ad Religionem Christianam, quam vna cum ipso profiteatur; ecce finem virtutis, Religionis: sive ex affectu ad Patriam: quia concivis est: ecce finem pietatis erga Patriam: sive ex affectu benevolentiae specialis erga talem Personam: ecce finem charitatis proximi, vel amicitiae: sive ex affectu purissimi Amoris Dei: ecce finem charitatis Theologicæ: sive etiam ex affectu tentandi pudicitiam miseræ sceminae: ecce finem pravum impudicitiae: & sic per alia discurrendo. Id quod commune etiam est alijs virtutibus,

quarum actus proprii ab alijs plerumque virtutibus imperantur: quamvis ex intrinsecis suis ferantur specialiter in honestates singulas suorum obiectorum: quo pacto Misericordia fertur specialiter ex intrinsecis suis in honestatem, quæ specialiter reluctet in sublevando alienam miseriæ.

8 Hæc quamvis utrinque dicta vera sint, nec tamen omninò probant, ex vna parte Misericordiam non comprehendi sub amplitudine charitatis proximi; nec probant ex alia parte, Misericordiam non habere infra charitatis ambitum specialem honestatis propriæ sphaeram seorsim ab alijs virtutibus sub charitate quoque comprehensis.

9 Dicerem itaque, Misericordiam esse virtutem specialem, non adæquatè, sed inadæquatè distinctam à charitate proximi: ita videlicet, ut omnis actus Misericordiæ sit actus charitatis proximi: ad amorem enim proximi pertinet, non solum consolare ut ei bene sit; sed etiam ne ei malè sit: & hoc convincunt quæ dicta sunt *num. 3. & 4.* Non verò è contra omnis actus charitatis est actus Misericordiæ: quia multi sunt actus charitatis, & benevolentiae erga proximum, qui non sunt actus Misericordiæ; sed vel amicitiae, vel liberalitatis, vel munificentiae: quippe multi volunt bona proximo ex amore proximi non miseri, ac proinde non indigentis à miseria sublevari. Et hoc persuadent, quæ dicta sunt *num. 5. & 6.*

10 Sic salvatur communis modus loquendi, opera Misericordiæ vocans opera charitatis: & conciliantur varia Scripturae testimonia attribuentia divinae erga nos charitati miserationes divinas erga nos: ut expendit rectè Coninc. *disp. 26. de Charit. dub. 4.* postquam *num. 32.* hanc nostram doctrinam pro sua conclusione quartà statuerit cum Bñez, & Lorca. Et similiter loquitur sapientissimus Lessius *lib. 12. de Perfeet. div. ad finem capitis primi.* Quam sententiam fatetur ipse Suarez, illi dissentiens, tribui posse S. Thomæ *2.2. quaest. 30.* & meritò: quippe Misericordiam numerat inter effectus charitatis; & non solum quatenus imperari potest à charitate: sic enim omnes virtutes possent inter effectus charitatis numerare, quatenus possunt à charitate imperari: ergo quia ferè sit, elicitivè etiam actus Misericordiæ esse actus virtutis charitatis proximi.

Coninc.

Bañez.

Lorca.

Lessius.

Suar.

S. Tho.

11 Itaque eadem virtus dilectionis, seu cha-

charitatis proximi, sicut qua parte consulit iacimiori, ac benevolentiori communicationi bonorum est amicitia; & qua parte consulit, ut proximo bene sit per elargitiones gratuitas erga ipsum, est liberalitas; sic qua parte consulit ne proximo malè sit, per sublevationem à miseria qua consistatur, est Misericordia. Unde aut proximi charitas, ut volunt inulti, est habitus generalior habens sub se quasi subalternos specialiores habitus multarum virtutum moralium, quarum vna est Misericordia: aut certè non est alius specialis habitus, sed complexum ex multis habitibus virtutum erga proximum, quarum vnus sit habitus Misericordiæ, ut malunt alij: quod mihi curæ non est in presenti.

S. Thom. Arist. Eccl. 30.

12 Inferitur ex dictis: Misericordiam non esse eiusdem ad se ipsum, sed ad alterum, ut rectè S. Tho. ex Aristotele. Nec obest monitum Sapientis Ecclesiastici 30. *Miserere anima tua placens Deo:* non enim accipiendum est in proprietate sermonis; sed secundum similitudinem & analogiam quamdam ad Misericordiam, quam strictè erga alios exercemus illis procurando ne malè sit: ut exponit S. Tho.

S. Thom.

SECTIO II.

AN IN DEO SIT PROPRIE, & STRICTE Misericordia.

August.

S. Thom.

13 Ratio dubitandi sumitur maxime ex ethymologia vocis Misericordiæ. Ex qua dixit Augustinus *lib. 9. de Civ. Dei, cap. 5. Misericordia est aliena miseria in nostro corde compassio.* Unde S. Tho. *2.2. q. 30. art. 1.* in corpore: *dicatur enim Misericordia ex eo quod aliquis habeat miserum cor super miseria alterius:* quasi nempe misericors fiat in se miser in corde suo per participationem alienæ miseriæ. Atqui hæc omnia repugnant Deo per essentiam scilicetissimo: ergo repugnat Deo propriè, & strictè Misericordia.

S. Thom. Suar. Ovied. Coninc.

14 Theologi tamen communiter cum S. Tho. *1. p. q. 21. art. 3.* ut videre est apud Suar. *disp. 4. de Char. sect. 1. num. 8.* Oviedum, & Coninc citatos; tenent & meritò, in Deo esse propriissimè, strictissimè, & perfectissimè Misericordiam: ut ex loquutionibus Scripturae adductis à nobis *num. 1.* & ex alijs passim occurrentibus sit manifestum. Quæ quidem loquutiones absolutè,

& propriè capi debent, quoties sine inconvenienti possunt, ut est Augustinianus canon vulgatissimus. Nullum autem est inconveniens in eo quod loquutiones Scripturae Deo Misericordiam identidem adscribentes, capiantur in sensu proprio, & in significatione strictà Misericordiæ.

S. Thom. supra disp. 5.

15 Quocirca observare oportet quod non semel monui ex S. Thom. præsertim *disp. 5. num. 41.* aliud esse essentiam rei, aliud ethymologiam nominis, quæ videlicet non semper ab essentia desumitur, sed interdum ab aliquo effectu extrinsecali. Hinc quamvis Misericordia ducat ethymologiam ab illis effectibus, quos in humanis cordibus ex imperfectione nostra solemus experiri dum miseremur; non tamen dicit essentialiter in conceptu suo abstracto illos effectus, & imperfectiones oppositas summæ scilicet felicitati. Itaque sine illis stat tota & adæquata essentia virtutis Misericordiæ, in effectu scilicet displicentiæ de aliena miseria, & intendente eius sublevationem, ne creaturae rationali malè sit, aut ne tam malè sit. Unde est quod ipse monuit Augustinus post suam illam explicationem Misericordiæ positam pro ratione dubitandi, se ibi declarasse Misericordiam secundum imperfectiones præsentis vitæ, quæ non erunt in caelo: vbi tamen est sine dubio perfectissimè Misericordia.

August.

16 Quare duplex est usurpatio Misericordiæ. Prima iuxta ethymologiam nominis involvens imperfectiones commiseriæ cum alio, & afflictionis cordis ex aliena miseria. Secunda iuxta conceptum essentialem rei, quæ verè Misericordia est, seorsim, vel præcisim, à prædictis imperfectionibus. In priori illo sensu ethymologico non est in Deo Misericordia: quia non est in Deo imperfectio, afflictio, nec participatio alienæ miseriæ, utpotè oppositæ summæ suæ felicitati. In posteriori autem sensu essentiali, est in Deo verè ac propriè Misericordia: quia est in Deo, citra ipsius miseriæ, & afflictionem, vera displicentia circa miseriæ quas nos patimur; veraque voluntas nos miseros ab illis sublevandi: ex qua voluntate sequitur pro suo beneplacito effectiva ipsa sublevatio quomodo, & quando efficaciter vult.

17 Sic facili negotio fit satis rationi dubitandi, concedendo maiorem de Misericordia ethymologicè sumpta per effectus aliquos imperfectionis humanæ declaratam à Sanctis Augustino, & Thoma, ut expli-

pli.

placuit se Augustinus ipse. Et concessa minori, distinguendo consequens: verum scilicet de Misericordia in sensu illo ethymologico involuente illas imperfectiones Deo indignas, suæque summæ felicitati repugnantes; falsum tamen de Misericordia in sensu essentiali nihil involuente imperfectionis, nihilque derogante summæ felicitati, aut perfectioni Dei.

18 Objicies adhuc. Sic ergo sublatis etiam imperfectionibus nostris dum concitata bile irascimur, dici poterit in Deo dari propriè iram: non quidem sumptam pro turbido animi motu, qui concitatione bilis rationem obnubilat; sed pro simplici voluntatis affectu ad ultionem accenso. Negatur tamen consequentia: quia sublatis illis imperfectionibus iam non manet ratio essentialis iræ propriè dictæ, quæ quidem passio est consistens in illa concitatione. Simplex autem purusque ab eiusmodi imperfectionibus affectus voluntatis ad iustam ultionem, vindictam, seu punitionem; iam non est ira nisi metaphoricè, & improprie dicta; sed est potius virtus Iustitiæ vindicativæ, seu punitivæ, quam explicuimus *disp. 10. num. 6.* Idcirco ira in Deo non ponitur nisi improprie, & metaphoricè, Misericordia verò propriè, & strictè.

*S. Thom. Damasc.* 19 Objicit sibi S. Tho. 1. p. q. 21. art. 1. quòd ex Damasceno Misericordia est species quadam tristitiæ, quæ Deo competere nequit. Præterea, quòd Misericordia est relaxatio quadam Iustitiæ: quam Deus violare non potest, ne dicatur iniustus: ergo repugnat Deo Misericordia.

20 Respondet tamen ipse S. Thom. Ad primum quòd præcedit de Misericordia quantum ad passionis affectum: quòd iam diximus Deo repugnare *num. 17.* Ad secundum, quòd Misericordia non relaxat Iustitiam, illam violando; sed ordinatissimè opera Iustitiæ, & Misericordiæ attemperando iuxta rectum ordinem providentiæ, & rationabilem mediocritatem inter extrema vitiosa. Sic autem Misericordia quamvis sit præter, non tamen contra Iustitiam. Quemadmodum qui debens centum dat ducenta creditori, aut qui exigere potest iustè centum, illa aut liberaliter, aut misericorditer remittit, non agit contra, quamvis agat præter Iustitiam.

Hinc nego consequentiam.

### SECTIO III.

#### QVO SENSU VERVM SIT,

quòd miserationes Dei sunt super omnia opera eius: & quòd omnes via Domini Misericordia, & veritas.

21 Miserationes eius super omnia opera eius. Placit

Deo David *Plal. 144.* Quòd non est ita intelligendum, ut actus divinus miserandi sit formaliter perfectior alijs actibus divinæ Voluntatis. Tum quia adhuc permittit aliqua inæqualitate formali perfectionis inter actus divinæ Voluntatis; non est certè cur actus miserandi creaturis suis esset in Deo villo modo perfectior actu diligendi se ipsum. Tum maximè, quia cum omnia divina sint summè perfecta, omnes actus divinæ Voluntatis sunt pariter perfectionis, tam physicæ, quam moralis: ac proinde actus miserationis divinæ non superat perfectione alios actus Voluntatis divinæ. Constant hæc ex latè disputatis supra *disp. 3. sect. 7. & 8.*

22 Nec à sententia ibi arrepta me dimovent, quæ scribit *Oviedus contr. 3. de Char. p. 2. §. 3.* frustra contendens; cum nostram doctrinam non valeat quoad perfectionem moralem actuam divinorum. Sed illi faciemus satis *disp. 16.* vbi reincidet de ijs sermo, agendo de Sanctitate Dei.

23 S. Hieronymus, cui adnumerat *Tirrin. Theodoretum, Genebrardum, & Iansenium,* exponit es Davidis verba, non comparativè, ut aliquibus sonant; sed quasi dixerit, miserationes Dei expandi, & relucere super omnia opera, id est in omnibus operibus Dei: usque adeò, ut in pœnis etiã damnatorum locum faciat Deus Misericordiæ suæ puniens citra condignum. Sic etiam *Cardin. Hug. & Bellarm. iteq; Lorinus.* Iuxta quam expositionem satis getuinam locus iste *Plal. 144.* recidit in alium locum *Plal. 24.* infra expendendum.

24 Aliter id intelligit, & exponit *S. Hieronimus,* cui videtur adherere *Lesius:* intelligendo scilicet per miserationes eius, non tam actum ipsum internum miserandi, quam opera Misericordiæ exhibita ad extra: sicquè sumendo vocem super comparativè: quasi dicatur, quòd opera Misericordiæ

cor-

cordiæ divinæ sunt excellentiora super alia opera Dei. Et ratio est: quia inter cuncta divina Misericordiæ opera ad extra numeratur Opus Incarnationis ad sublevandam lapsorum hominum miseriam: quòd opus est excellentissimum super alia quæcumque opera Dei ad extra. Utraque expositio idonea est, & plausibilis.

25 Omnes via Domini Misericordia, & veritas. Placit rursus David *Plal. 24.* de quo *S. Tho. 1. p. q. 21. art. 4.* vbi per veritatem intelligit Iustitiam: ut sit sensus, in omnibus Dei vijs, seu operibus resplendere Dei Iustitiam, & Misericordiam.

26 Sed quòd attinet ad Misericordiam, objicit sibi tria. Primum. Quædam Dei opera attribuuntur Misericordiæ, ut iustificatio impij; quædam verò Iustitiæ, ut damnatio: imò dicitur *Iacobi 2. Iudicium sine Misericordia ei qui non fecerit Misericordiam:* ergo non in omnibus Dei operibus locum habet Misericordia. Secundum *Rom. 15.* conversio Iudæorum tribuitur Iustitiæ; Gentilium verò conversio Misericordiæ: ergo non in omnibus operibus resplendet Misericordia. Tertium. Misericordia, cum sit sublevatio miseriæ, supponit miseriam: ergo in opere primitivæ rerum creationis nihil miserum præsupponentis, non potuit relucere Dei Misericordia.

27 Respondetur tamen. Ad primum, verum est; quòd opera quædam attribuuntur Iustitiæ, & quædam Misericordiæ: non quia in omnibus veræque non interveniat; sed quia in alijs excellentius apparet Iustitiæ; in alijs Misericordia: quamvis hæc in ipsa etiam damnatione impiorum locum habeat, ut dixi *num. 23.* E converso dicit hic etiam *S. Tho.* quòd in ipsa iustificatione peccatoris, quæ tribui solet Misericordiæ, suum quoque locum obtinet Iustitiæ: quatenus non sine aliqua satisfactione sibi exhibitâ remittit Deus peccata. Textus ille *Iacobi* exponitur ab *Hugone Cardinalino* quòd immisericos habeat damnationem absque vlla Misericordia; sed absque Misericordia illum liberante à damnatione: cum quo stat optimè Misericordia aliquid iustæ damnationis relaxans. Aut, si mavis, sic capere, ut immisericos non sit inventurus in iudicio Misericordiam tantam, quantum inveniret, si misericors fuisset.

28 Ad secundum ait rectè *S. Thom.* quòd Iustitia simul, & Misericordia Dei locum habent in conversione Iudæorum, & Gentilium. Quoniam verò aliqualis ra-

tio Iustitiæ apparet in conversione Iudæorum præ Gentilibus, propter speciales promissiones Iudæorum Populo in Patribus factas; ideò conversio Gentilium specialius attribuitur Misericordiæ *Rom. 5.*

29 Ad tertium; aliud est sublevatio exequutivè exercita; aliud intentivè volita: hæc non est necesse quòd supponat miseriam, sicut illa. Unde, adhuc dato, quòd in prima rerum creatione, nullam præsupponente miseriam, non resplenduerit exequutivè Misericordia; resplendit intentivè: quatenus prævidens Deus multas suarum creaturarum miseriæ eventuras, iam exinde providit sublevationem.

30 Aut si mavis, respondebis aliter, sublevationem miseriæ, etiam exequutivè, posse dupliciter esse, scilicet aut reparativam, quatenus miseria iam præsens depellitur; aut præservativam, quatenus præcavetur, ne veniat, & affligat, ex fine nemalè sit creaturæ rationali. Et hoc secundo modo, non præsupponente miseriam, resplendit Dei Misericordia erga creaturas suas rationales, etiam in primitivâ creatione: quatenus nempe ex fine dignissimo, nemalè, aut ne tam malè illis esset, prædonavit Creator optimus, & misericordissimus multa levamina contra plures miseriæ imminentes, & alioquin certò eventuras. Alia solutio legi potest in *S. Tho. 1. p. q. 21. art. 4. in resp. ad 4.*

### SECTIO IV.

#### CVIVSNAM MALI SVBLEVATIO SIT SCOPVS MISERICORDIA.

31 Sicut mala culpæ, sunt mala poenæ: sunt mala, quæ quis invitatus patitur: & sunt quæ patitur spontè, à quibus scilicet ipse patiens potest se ipsum facile liberare: sunt quæ dignè patitur in poenam, & sunt quæ patitur innocens. Ex qua malorum, seu miseriæ diversitate resultat proposita dubitatio.

32 Supponendum est, Misericordiam respicere sublevationem mali erga creaturam rationalem. Nam, quamvis interdum doleamus etiam de malis vexantibus irrationalia; eiusmodi tamen dolor non est virtutis Misericordiæ: quia eiusmodi mala non sunt propriè, & absolute miseriæ: solum enim capacia sunt miseriæ propriè dictæ, quæ capacia sunt felicitatis, & beatitudinis.

nis, qualia sunt solum rationalia.

*S. Tho.* 33 Iam circa propositam dubitationem docet S. Tho. 2. 2. q. 30. art. 1. Misericordiam debere esse de malo involuntario patienti: nam si malum est ipsi voluntarium, habet quod vult: & sic nequit ex eo dici miser: contrapositè scilicet ad felicitatem, quam expoluit Augustinus lib. 3. de Civit. Dei, cap. 4. dicens: *Beatus est qui habet quidquid vult, & nihil malè vult.* Opponit sibi, quod Deus verè miseretur peccatoribus: quibus tamen malum peccati voluntarium est. Respondet autem, peccata esse materiam Misericordiæ, quatenus habent annexum malum pœnæ ipsis involuntarium. Aliter respondet P. Ovidius contr. 9. de Char. pun. 1. num. 10. ipsum malum culpæ in peccatis esse peccatori quodammodo involuntarium: quatenus ipse nollet quod peccatum esset malum. Et hanc involuntarietatem quantumvis latissimam ait sufficere, ut peccata sint apta materia miserendi.

*Ovid.* 34 Satiùs mihi videtur dicere, nullam requiriri involuntarietatem essentialiter ad materiam Misericordiæ: quamvis certè indigniores fiant miseratione qui voluntariè patiuntur mala. Ratio mihi est: quia eiusmodi voluntarietas non tollit, quominus malum peccati sit magna miseria exclusiva beatitudinis, & veræ felicitatis: & materia potissima divinæ miserationis erga homines quantumvis voluntariè peccantes, & miserimè iacentes in peccatis suis: ergo non est cur malum, cuius sublevatio est scopus Misericordiæ, debeat esse involuntarium.

35 Nec id probat locus adductus Augustini; quinimò, si totus legatur, indicat sufficienter oppositum: *Beatus est, inquit, qui habet quidquid vult; sed exceptivè subdit: & nihil malè vult.* Quasi dixerit, quod si malè sibi vult, non est beatus, & felix; imò infelix, & miser, quamvis habeat quidquid vult: quia videlicet hoc quod est velle sibi malum, aut malè velle, ut contingit in peccatore, est infelicitas, & miseria: eo certè maior, quò magis voluntaria: ac proinde apta materia Misericordiæ sublevativæ talis miseriæ. Unde in clamamus Deum idemdem cum Publicano: *Deus, propitius esto mihi peccatori.*

*Luc. 18.* 36 Philosophus 2. Rethor. cap. 9. ait: *Cum parricida enim, ac scelerati puniuntur, nemo probus non gaudebit, cum opor-*

*teat eorum gaudere supplicio.* Unde videtur intulisse S. Tho. artic. 2. ad 3. superbos non esse misericordes, quia putant, miseros dignè pati mala, quæ sustinent. Quo innuitur, mala, quæ misericordignè patiuntur, non esse materiem virtutis Misericordiæ.

*S. Tho.* 37 Caterùm hoc est contra manifestam experientiam, qua quotidie verè miseremur eorum, qui iustè plectuntur propter sua delicta: quæ misratio non omninò repugnat cum affectu illo Iustitiæ, quo aiebat Aristoteles oportere probos gaudere de sceleratorum supplicio. Possunt enim esse duo affectus inefficaces: vnus dolens de supplicio, quatenus est malum patientis; alius de ipso gaudens quatenus est bonum Reipublicæ.

38 Cum hoc tamen stat rectè, quòd faciliùs, & propensius moveamur ad Misericordiam innocentis, quam scelerati, æquale malum pœnæ sustinentium: & hinc potest sumi aliqua ratio, cur dixerit S. Tho. superbos non misereri; id est non solitos esse misereri, aut non nisi difficulter misereri: quia putant miseros dignè pati: nam hæc existimatio est in causa cur illis fiat difficiliùs misereri: quippe vix vllum putant innocentem pati; sed dignè, & iustè digna pati.

39 Concludendum igitur est, omnes creaturæ rationalis miseras, sive sint malum culpæ, sive pœnæ, sive spontè, sive invito, sive iustè, sive innocenter, sive iniustè, sustineantur; esse materiam aptam miserendi, earumque sublevationem posse esse scopum Misericordiæ Dei.

## SECTIO V.

### DE BENIGNITATE DEI, cuiusque discrimine à Misericordia, Clementia, & Mansuetudine.

40 **B**enignitas est propensio sive facilitas superioris ad communicandum se liberà sua dignatione inferioribus. Summè competit Deo ratione suæ bonitatis diffusivæ sui, sui que amoris erga creaturas rationales: quibus sese per multiplicia dona, tam naturæ, quam gratiæ, multis ac miris modis communicat, atque diffundit.

Dis.

41 Differt à Misericordia: quia Misericordia ex conceptu suo non est semper superioris ad inferiores: cum etiam inferior condolere possit de miserijs superioris, atq; aded superiorum misereri. Benignitas verò residet dumtaxat in superioribus erga inferiores. Differt etiam: quia Misericordia sistit in eo quòd alteri misero non malè fit; Benignitas verò studet ut illi benè fit, nec supponit, nec requirit in altero miserram. Unde Benignitas respectu charitatis habet se, ut diximus de Misericordia, tanquam pars illius.

*Seneca.* 42 Clementia ex Seneca 2. de Clem. est lenitas superioris ad inferiores in pœnis infligendis Est species Misericordiæ. Differt à Benignitate; & convenit cum Misericordia in eo quod supponit, aut requirit aliquam miserram in altero, quocum clementer agitur. Differt ab alijs speciebus Misericordiæ, & convenit cum Benignitate, in eo quòd est superioris erga inferiores. Unde Misericordia Dei ipsa Clementia est in re: quia semper est Principis supremi ad creaturas sibi infinite inferiores.

43 Mansuetudo est lenitas ordinatè temperans affectum punitionis. Differt à Clementia in eo quod Clementia est semper superioris ad inferiorem; mansuetudo autem residet etiam in inferioribus ad invicem, imò & versus superiores. Et iuxta S. Tho. in eo etiam differt, quòd Clementia temperat mala, quibus alter est dignus; mansuetudo verò temperat è directo iram, sive affectum etiam iustum infligendi illa mala: quamvis ex hoc sequatur etiam sublevatio malorum regulariter.

44 Benignitas ergo convenit cum

Clementia, & differt à Mansuetudine, sicut à Misericordia, in eo quòd non est nisi in superiore ad inferiores. Differt autem ab ijs omnibus, in eo quòd non solum versatur circa mala avertenda ab altero, sed præcipuè circa bona alteri communicanda. Hæc ferè ex S. Tho. 1. 2. q. 157. & ex Lelsio lib. 9. de Perfectionibus divinis, cap. 1.

45 Hæc quatuor Attributa, sicut etiam

Attributū Iustitiæ, & alia similia, cum pertineant ad affectus liberos, & honestos divinæ Voluntatis, comprehenduntur sub Attributo generali divini Bonitatis, & Sanctitatis moralis: de qua disput. 16. sect. 3. & 4.

45 Pro coronide huius, & præcedentis Disputationis, superest assignare in linea ipsa horum singulorum Attributorum, Iustitiæ, Misericordiæ, Benignitatis, Clementiæ, & Mansuetudinis, singulas rationes speciales, quib' appropriantur soli Deo. Pro Iustitia si, essentialis inflexibilitas Dei ad extremum iniustitiæ. Pro Misericordia sit, misereri cum incapacitate essentiali propriæ miseriæ. Pro Benignitate sit, quòd omnibus sua bona diffundat nullius egens. Pro Clementia sit, quòd supremus omnium Dominus, nullique subiectus, cum subditis infinite sibi inferioribus clementer agat. Pro Mansuetudine sit, quòd temperet affectum etiam iustum punitionis cum essentiali repugnantia declinandi in extremum oppositum crudelitatis. Per hæc prædicata de linea singulorum istorum Attributorum fiunt ita propria Dei,

ut nulli creaturæ convenire possint.

(X)



DIS

# DISPUTATIO XII.

## DE IMMENSITATE DEI.

**I** DIVINÆ Immensitatis Attributum proclamat Fides. Baruch. 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* Unde Athanasius in Symbolo: *Immensus Pater, Immensus Filius, Immensus Spiritus Sanctus.* Item Hierem. 23. *Cælum, & Terram ego impleo: & Sapietia 1. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Unde Richardus Victorinus: *Erit igitur ubique locorum: & Chrysostomus: Non ambulat Deus: absit: quomodo enim ambularet, qui ubique præsens est?* Quod si dicitur interdum Deus ambulare, venire, ascendere, & descendere; est figurata, & tropica loquutio secundum varios effectus, quos Deus causat, ad nostrum modum intelligendi. Comprobat hanc Fidem ratio naturalis. Quia Ubiquitas, & Immensitas est perfectio simpliciter simplex: unde quod substantia perfectior est, eo est in pluribus, ut patet in Anima, & in Angelo: Deus ergo infinite perfectus erit in omnibus, Immensus, & Ubique. Insuper: vel Deus non præsens omnibus posset fieri omnibus præsens, vel non: hoc posterius limitatio, & imperfectio est: si autem prius, mutari loco Deus posset, ut fieret præsens rei existenti à qua aberat: quod etiam est imperfectio: unde conclusit Athanasius contra Idola, Deum esse ubique. Sicque intellexisse veteres Patriarchas, & Philosophos recenset eruditè Petavius tom. 1. lib. 3. à cap. 7. Id tamen ignoravit vulgus Iudæorū: quos imitatus est Vorstius Hæreticus docēs, Deum esse dumtaxat in Cælo, & animam in corde. Videantur Becanus tract. 1. cap. 6. & Martinonus tom. 1. disput. 5.

Baruch.  
Athanas.  
Hierem.  
23.  
Sap. 1.  
Victor.  
Chrysost.  
Hom. 27.  
in Gen.  
  
Athanas.  
Petav.  
Vorstius.  
Becanus.  
Martin.

### SECTIO I.

**Q**UID SIT IMMENSITAS?  
Quid addat ad Ubiquitatem?  
an ritè arguatur Ubiquitas ex operatione.

**2** Multipliciter est Deus in rebus. Primò in anima iusti titulo gratiæ, & amicitia: Ioan. 14. *Ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus.* Secundò in Christo titulo Hypostasiæ unitæ: Coloss. 2. *In quo habita-*

Ioan. 14.  
Coloss. 2.

*bat plenitudo divinitatis.* Tertio in Beatiss. titulo glorificationis. Quarto in Eucharistia titulo concomitantia. Quinto in Templo, titulo Maiestatis. Sexto in Ecclesia titulo regni. Septimò generaliter in rebus omnibus triplici titulo: nempe per præsentiam, per potentiam, & per essentiam, ut ait S. Tho. q. 8. art. 3. Per præsentiam, quatenus omnia intuerur: per potentiam, quatenus omnia efficit, & conservat: per essentiam, quatenus ab omnibus indistat. Hic autem postremus modus spectat ad Immensitatem, de qua nunc nobis est sermo.

S. Tho. 1. par.

Et

**3** Est igitur Attributum Immensitatis: Perfectio divinæ Essentiæ, ratione cuius Deus est in se ipso infinite, & essentialiter intimissime præsens cuilibet enti constituto à parte rei. *Perfectio*, inquam, positiva, quamvis apud nos explicetur ad modum negativi. *Intimissime præsens*: non solum per indistantiam à quolibet existente, sed per penetrationem etiam cum illo ubicunque sit. *Essentialiter*: quia nulli rei existenti potest non esse præsens.

S. Tho. 1. par.

**4** Hinc vide discrimen Immensitatis à pura Ubiquitate. Nam Immensitas dicit esse sibi essentialiter adesse cuicumque rei essenti; Ubiquitas autem non dicit id sibi esse essentialiter; sed solum dicit adesse indistanter, aut si mavis, penetrativè, omni existenti in rerum natura: quod creaturæ potest convenire. Quinimò ait S. Tho. q. 8. art. 4. *Quod granum milij esset ubique, supposito quod nullum aliud corpus esset.* Verisimè quidem: nam in eo casu possibili, nihil esset in rerum natura, cui granum illud præsens non esset: quia præter illud granum nihil esset nisi Deus, cui granum illud indistanter adesset. Quam planissimam intelligentiam nolunt percipere novi spatio-rum imaginariorum assertores: ideoque nonnullos vidi, me arguente, implicatissimos in expositione prædicti loci S. Thomæ. Usque adeò, ut mihi dixerit non nemo, illud granum in eo casu fore ubique negativè, hoc est, nullo in loco; interpretans nimirum particulam *ubique*, quam adhibet S. Thomas, pro eodem ac si dixisset: *nullibi*. Egregiè. Remisi, non sine plausu, respondentem ad Calepinum.

Martin.

**5** P. Martinon disp. 5. num. 19. ponit aliud discrimen: quòd Immensitas competit Deo essentialiter; secus Ubiquitas. Sumit videlicet ubiquitatem pro præsentia ad omnem locum, & ad omnes res: cum autem non sit essentialiter Deo esse præsentem omni rei, eo quòd necesse non sit omnes res existere; inde ait, non esse absolute Deo essentialiter esse ubique, in omni loco, & in omni re. Cæterum discrimen à nobis assignatum clariùs, & solidius est.

S. Tho.

**6** Circa postremam sectionis partem, celebris est argumentatio S. Tho. inferentis, Deum esse immensum, & ubique, ex eo quòd ubique; in rebus scilicet omnibus, operatur, eas producens, & conservans. Quam tamen illationem improbant Scotus, & Vasquez: ex eo ducti, quòd agens quòd perfectius est; eo minori eget approxi-

Scot. Vasq.

matione ad passum: ergo à fortiori Deus, cuius virtus activa infinitissima est; ex hoc agentis, seu operantis titulo, non indigeret tantà approximatione, seu præsentia: ac proinde posset à longè in distans agere, & operari: ergo ex eo quòd operetur ubique non ritè inferitur, debere adesse ubique.

Suar.

**7** P. Suarez cum agmine Thomistarum defendit illationem S. Thomæ: pro qua multa studiosè congerit Iosephus Augustinus; sed me iudice, inefficacia: multa quoque Gonetus; sed frigida. Quin momenti sit quòd distinguit inter operantem per virtutem intraneam, ut Deus, & operantem per virtutem extraneam foras emissam, ut Sol generans è Cælo metalla in visceribus terræ. Nec enim Sol, nec Deus emittit foras à se virtutem suam; sed influxum, seu actionem.

Io. Aug.

Gonetus.

**8** Contenta sit ergo ea illatio Sancto Thomæ suà probabilitate ex Authoritate tanti Doctoris. Fortè verum est quòd aiunt aliqui, ex eo quòd Deus operetur ubique, sequi adesse ubique: non tam ex exigentia divinæ activitatis præcisè, quàm ex indigentia operationum, sive effectuum: qui, sicut esse nequeunt nisi à Deo, sic nec nisi in Deo, multò strictius, quàm sicut pisces nequeunt vivere nisi in aqua propter mirabilem sympathiam.

Molina Gonet.

Ab. 7.

**9** Unde excessit P. Molina, cui applaudit avidè Gonetus, notans parum tutum in Fide negare bonitatem prædictæ illationis S. Tho. ex eo quòd eam videatur approbasse S. Paulus act. 17. prædicans de Deo: *Non longè abest ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Ubi ex eo quòd in ipso, hoc est, per ipsum ubique concurrentem operamur, videtur inferre Deum omnibus esse præsentem, ut multi exponunt apud Lorinum. Excessum Molinæ repellit meritò Ribas hic: expositionem verò verborum Pauli longè distantem à prædicto sensu vide apud Cornelium, interpretantem ex Augustino: *in ipso, scilicet, tanquam in loco*: ex quo sensu rectè inferitur Dei præsentia ad nos omnes; non verò sic ex operatione. Aliæ Scripturæ, quibus finistrè utitur Gonetus ad hoc intentum, sunt extra rem. Solidiores probationes divinæ Ubiquitatis, & Immensitatis insinuavi satis num. 1. ex Fide, SS. Patribus, & ratione firmà.

Lorinus Ribas. Cornel. August.

**10** Obijcias nunc alios SS. Patres dicentes, Deum nusquam esse, seu non esse in loco: ergo non est ubique locorum: ac-

Ariz.

Hh2

que

que adeo non est immensus. Respondetur tamen, distinguendo duplicem locum. Unus est physicus, seu Aristotelicus: alius metaphysicus, seu Theologicus. Illum physicum definit Philosophus: *Superficiesultima corporis continentis immobilis.* Ubi non est audienda nonnullorum interpretatio dicentium, Aristotelem non definitisse spatium positivum reale; sed negativum imaginarium: quod certe minus propriè est corpus, & superficies, quàm homo pictus sit homo: scilicet ineptiorem faciunt Aristotelem; quàm si per animal discretivum non definiret hominem; sed potius hominis simulacrum: quasi Philosophiæ terminos ignorasset Philosophiæ Princeps. Locus metaphysicus est quælibet entitas, prout ab ipsa aliquid intimè indistat, aut cum illa penetratur: eo enim ipso dicitur esse in illa.

11 Hinc eū negant Sancti PP. Deum esse in loco; loquantur de loco physico Aristotelico: quod verissimum est: quippe Deus nullā superficie corporis ambientis circumscriptur, ita ut ratione suæ diffusivissimæ Immensitatis non sit extra quælibet superficiem corporis. Non tamè perinde negant, Deum esse in loco metaphysico, & in omni ente, cum sit omnibus præsentissimus intimissimè, & ubique locorum: quo respexisse videtur Richardus *lib. 2. de Trin. cap. 23.* dicens. *Deum in omni loco esse præsentialiter; in nullo localiter.* Sicq; conciliatur facile quod alij dicunt, Deum esse nusquam, & esse ubique: nusquam scilicet, id est, nullā corporis superficie circumscriptus; ubique, quia omni loco, omnique rei, ubi existenti præsentissimus est. Sic & ipsum etiam Aristotelem intelligas dicentem, cælum Empireum nullibi esse, hoc est, in nullo loco corporeo ipsum ambiente, nam extra extimam ipsius superficiem, nulla superest corporea superficies ambiens: cum tamen dicat alibi: *quidquid est alicubi est: unde & Cælum Empireum, cum sit, alicubi esse necesse est: hoc est, in aliquo loco metaphysico: aut ut melius malunt alij, in suo ubi positivo intrinseco, quod volunt esse modum physicum præsentia, seu intrinsecā cuiusvis rei ybicatione.* Negatur itaq; in consequentia obiectionis, ex illa loquutione SS. Patrum inferri, Deū nō esse immensum; & ubique

## SECTIO II.

**AN DEVS RATIONE SVÆ Immensitatis sit extra Cælum in spatijs imaginarijs, ab omni, ut aiunt, positivo distinctis.**

12 **A**ffirmare dicuntur Suarez, *Suar.* Molina, Zumel, Arrubal, *Molin.* Hurtadus. Affirmat etiam Hemelman *tit. Zumel.* 10. *disp. 6. cap. 2. Quirós in Ind. q. 8. art. 2. Arrub.* & cursim P. Borrull *disp. 11. sect. 1. & ita Hemel.* fortiter Arriaga, ut singularitatis notet sententiam negantem. Eam tamen meritò Borrull. carpit Ovidius, quasi non legerit, quos & Arriag. quales Patronos habeat sententia, quæ sibi Quirós. visa est singularis. Ovid.

13 **Q**uam tenent ex adverso sapientissimus Vasquez, Monceus, Ovidius, & Vasq. præter complures alios, Granadus hic *Monc.* *disp. 3.* multis probant, sic tenuisse communiter Scholasticos post SS. PP. & deserens sententiam affirmantem, cui factur se consensisse, quando rem minus benè consideraverat. Quod & ipse de me eadem ingenuitate confiteor. Eiusmodi igitur ijs, quibus adolescens adstudui, maturius iudicium, quod iam Philosophiæ Prælector, reclamantibus frustra meis coactaneis, Turisone concepi; trimembri conclusionem vnde-quaque mihi exploratissimā declaro.

14 **C**onclusio. Deus est verè, & realiter extra Cælum: in sua ipsius intrinsecā immensitate, tanquam in loco; nullatenus verò in spatijs imaginarijs, à se, & ab omni positivo distinctis.

15 **P**rima pars, quæ communis, & extra dubium esse videtur, ut videre est apud Fasolum *q. 8. art. 2.* constat ex Scriptura *Iob. 10.* *bi 10: Excelsior Cælo, profundior Inferno.* Unde Nazianzenus Apologia 1. *Dens in universo est, & extra universum.* Athanasius ad Serapionem: *Ubique est extra omnia.* Chorthusianus in 1. *dist. 3. q. 1.* *Nec modo magis est in mundo, quam extra mundum, nisi in quantum in hoc mundo plus operatur.* Quid clarius? Elegantiùs autem Magnus Gregorius lib. 2. *Moral. c. 8.* *Greg.* *Ipsè manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem. Sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interiorius pe-*

*penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior, alia exterior, alia interior; sed unus, idemque totus ubique, præsentando sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.*

16 **S**i ergo Deus extra omnia est, supra Cælum est: si circumdat omnia: & mundum, & Cælum circumdat: atque adeo ubi nihil creatum est ultra mundum, & Cælum, Deus est. Quò facit illud Empedoclis: *Deus est circulus, cuius centrum est ubique, circumferentia nusquam:* quippe nulla rerum creaturarum magnitudine circumscribitur interminabilis eius immensitas. Et ratio est in proclivi. Quia, sicut antequam quidquam crearetur, nihil potuit creari, nisi ubi tunc erat Deus; ita, si crearet nunc Deus alium mundum, aliosque Cælum supra, aut extra istos, non posset illos create nisi ubi Deus nunc est: ergo est extra hunc mundum, & supra Cælum.

Emped.

17 **S**ecunda pars conclusionis, in qua offendunt multi, traditur in terminis à doctissimo Lesio *lib. 2. de Perfectionib. div. cap. 2. Fasol. dub. 3. & 4. Martinon. disp. 5. de Deo, sect. 4.* ubi pro hac parte citat Molinam, Suarez, Gillium, Becanum, & Zumel. Clarissimè ex antiquioribus Alrifiodorensis *lib. 1. cap. 15.* *Est enim in se ipso qui maior est mundo: Deus enim sibi propriè locus est: edoctus scilicet à Tertulliano cap. 5. ad Praxeam: ante omnia Deus erat solus, & ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* Consonant alij Patres: August. in *Psal. 22.* *Antequam faceret Deus Cælum, & Terram, ubi habitabat in se habitabat Deus.* Bernardus *lib. 5. de Consid. Ubi erat antequam mundus fieret? non est quod quæras ultra, ubi erat? præter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat.* Damascenus *lib. 1. cap. 16.* ait, Deum esse incircumscriptum, & non esse in loco: intellige de loco physico ambiente: sed ipsum sibi esse locum; intellige metaphysicum, seu Theologicum, ut distinximus num 10.

Lesius. Fasol. Martin. Molin. Suar. Gillius. Becan. Zumel. Alrifiod. Terrull. August.

Bernard.

Damasc.

18 **E**t ratio est, quia Dei Immensitas ipse Deus est, & immobilissima est, cui præsentialissimè, & instantissimè adest Deus: in illa ergo tanquam in loco suo intrinseco, & metaphysico Deus est, ac proinde in se ipso tanquam in loco. Nec mirum: cum satis sit familiare doctissimis Recentioribus dicere, res esse in suo ubi modaliter intrinseco, & hunc modum intrinsecè in se ipso ybicari. Hoc autem quod creaturis

est accidentalis modus præsentia; Deo immobili est entitativè sua Immensitas immobilis: quemadmodum Dei duratio est eius æternitas, siue aliquo superadditè: quod superadditum accidentale requirit creatura ut duret.

19 **H**inc Dionysius Carthusianus ubi supra *questionem simplicem* vocat quærendum, ubi erat Deus ante mundum? nec aliud respondet, nisi: *in se ipso:* quasi de hoc non esset dubitandum. Quod si dixit Aristoteles, nihil dici posse existeri in se ipso; intelligendus est, tanquam in loco physico ambiente: minimè negaturus, dignè interdum de Deo sentiens, Deum esse in se ipso, siue in sua Immensitate, tanquam in loco intrinseco iuxta sensum à nobis explicatum.

Carthuf.

Arist.

20 **Q**uin etiam, & res alias esse in Deo tanquam in loco, loquutio est SS. Patribus familiaris, id explicante Augustino exemplo *spongia, quam mare externis ambit, & circumfundit, interiorius penetrat, & suā vi sustentat:* ita, inquit, sumus nos in Deo. Præluxit S. Dionysius *cap. 1. de div. Nom. vocans Deum, custodiam, & domicilium omnia continens: & cap. 10. sedem, & fundamentum, in quo omnia fundantur.* Unde Arnobius *lib. 1. adversus Gentes* ait ad Deum: *prima enim tu causa es, & locus rerum, ac spatium.* In quem sensum exponit Cornelius illud Pauli: *in ipso vivimus, movemur & sumus:* scilicet: *in ipso, tanquam in continente, & loco divino: Deus enim sicut est avorum, ita spatium est spatiorum, & locus locorum: & coniecturatur, Paulum sic loquutum, ut significaret, Deum ita esse causam efficientem nostræ vitæ, ut sit etiam localis.* Sic quoque Lesius, Fasolus, & Martinon.

August.

Dionys.

Arnob.

Cornel. act. 17.

Lesius. Fasol. Martinon.

21 **E**t ratio esse potest, quia Deo immobilissimo adstunt præsentissimè, & instantissimè cuncta creata, in ipso continente collocata: ergo sunt in Deo, Deivè immensitate, tanquam in loco universalissimo ipsis metaphysico extrinseco. Quod si durus est hic sermo aliter opinantibus, mirabor hominum ingenia, qui Deum esse tanquam in loco in quibusdam inanibus caritativè avidè deglutiunt, & res creatas esse in Deo tanquam in loco, nau-ferant.

22 **T**ertia conclusionis pars, in qua segenius offendunt plures, præsertim Recentiores, si multi non essent sinistra imaginacionibus præoccupati indubia memere poterat vno audito Augustino. *Qui lib. de Fide,*

August.



*Fide, cap. 37. miram Manichæorum de-  
mentiam fuisse, ait, inquit: ubi erat Deus  
antequam essent Cælum, & Terra? quia  
cum nihil esset tunc, nisi Deus, non in  
alio, nisi in se ipso, esse poterat: univ-  
ersaliter ait: non in alio: ergo non in spatio ima-  
ginario; sed unice in se ipso.*

23 Nec est sibi contrarius L. II. de Civ.  
cap. 5. appellans vaniloquium opinionem  
negantium, Deum esse in spatijs imagina-  
rijs extra cælum. Loquitur enim ex falsilo-  
qua aliorum suppositione, quod dentur ta-  
lia spatia, sicut & tempora, ut imaginaban-  
tur. Audiatur ibi Augustinus; ut ab ipso  
saltem discamus philosphari: *si infinita,*  
inquit, *spatia temporis ante mundum cogi-  
tant; similiter ergo cogitent extra mun-  
dum infinita spatia locorum.* Has autem co-  
gitationes ab ipso nequitiam approbati,  
constat ex postremis verbis capituli, ibi:  
*Quod si dicant, inanes esse haminum co-  
gitationes, quibus infinita imaginantur  
loca, cum locus nullus sit præter mundum;  
respondetur eis, isto modo inaniter homines  
cogitare præterita tempora vacationis  
Dei, cum nullum tempus sit ante mundum.*  
Legatur ibi Augustinus, egregio suo discursu  
proscribens ad regionem solius imagina-  
tionis tam spatia, quam tempora imagina-  
ria, ut ante & extra mundum, & cælos  
nullus omnino sit locus à Deo distin-  
ctus.

24 Ratio autem est ex S. Tho. in 1.  
dist. 37. art. 4. *In quocumque est aliquid,  
illud oportet esse, quia in nihilo nihil om-  
nino est: sed supra cælos, totumque uni-  
versum à Deo creatum nihil omnino est  
præter Deum: ergo extra cælos, totumque  
universum nihil est distinctum à Deo, in  
quo Deus sit tanquam in loco, vel spatio  
imaginario. Aliter: ut Deus sit extra mun-  
dum, & cælos in spatijs, ut aiunt, imagina-  
rijs à Deo distinctis, necesse est, extra mun-  
dum, cælosque esse Deum, & spatia illa  
imaginaria: sed eiusmodi spatia verè non  
sunt: ergo nec Deus in illis. Probatur mi-  
nor: nam extra cælos non datur, præter  
Deum, aliquid ambiens extimam Empe-  
rei superficiem.*

25 Sunt qui dixerint ex Arriaga, extra  
Cælos non dari præter Deum aliquid rea-  
le ambiens; dari verò spatium imagina-  
rium, quod est ens rationis, in quo Deus  
est. Contra tamen: quia sic minus repug-  
nanter possent isti collocare Deum extra  
hunc mundum, & cælos, in altero mundo,

qui possibilis saltem est: & pariter in alte-  
ro Deo, qui ens rationis est. Dicant, hæc  
non concipi ad modum extensæ capacitatis  
continendi locata; at spatium imaginarium  
concipitur sic. Dolendum certè, quod &  
alter mundus, alterque Deus sic etiam non  
concipiantur: hortor tamen sic responden-  
tes, ut sic concipiant: id quod cuique cere-  
bro talibus figmentis assueti perfacile au-  
guror: sicque in altero mundo, & in altero  
Deo, & in quacumque chymera, non secus  
ac in spatijs imaginarijs, Deum collocare  
licebit.

26 Idcirco aliter alij communijs di-  
cunt, extra mundum, & cælos non esse  
præter Deum aliquid positivum; esse verò  
realiter infinitam purarum caritionum va-  
stiatem, quæ sunt spatium imaginarium, ut  
in illis verè collocetur Deus. Concordant  
vtriusque responsionis Authores in eo quod,  
sicut priores illi spatium illud confictum re-  
ducunt ad entia chymica, sic isti imagi-  
narium ad imaginaria: nempe ad prædictas  
puras carentias reales, ut aiunt, & verè exi-  
stentes: quas equidem, postquam sceleriter  
eiuravi, comperio indies figmento puro  
inaniore, contra ius & fas entium syllabo  
adscriptas, & sine operæ pretio in rerum  
naturam intrusas.

27 Præterea sic ad homines arguo:  
Quid negat, rogo, illa carentia, quæ dicitur  
esse spatium imaginarium? Alij dicunt, ne-  
gare corpus ibi ponibile: alij, negare repug-  
nantiam ut ibi ponatur corpus. Contra pri-  
mos est, quod vel illa carentia manet su-  
perveniente corpore ibi ponibili; vel non  
manet. Si manet, erunt simul ibi carentia  
corporis, & corpus. Si non manet, num-  
quam ponetur, nec erit ponibile corpus in  
illa carentia, recedente scilicet quantocius  
ad positionem corporis incoexistibilis cum  
ipsa: implicat ergo in ipsis terminis dicere,  
eiusmodi carentiam corporis esse capacem,  
seu esse capacitatem, ut in illa collocetur  
corpus.

28 Contra secundos est, quod in hoc  
etiam mundo, imò & in quacumque re  
datur non repugnantia, sive, ut inquit,  
carentia repugnantia, ut ibi, scilicet extra  
cælos ponatur corpus, scilicet alter mun-  
dus: sed nec in qualibet re, nec in hoc  
mundo est spatium illud vestrum imagina-  
rium diffusum extra cælos, & hunc mun-  
dum: ergo tale spatium non est præcisè ca-  
rentia repugnantia, ut extra mundum, &  
cælos ponatur corpus, scilicet alter mun-  
dus.

du. Maior probatur: quia nec in hoc mun-  
do, nec in lapide, nec in homine, nec in  
cælo, nec in angelo, datur repugnantia, ut  
extra cælos ponatur alter mundus: ergo in  
qualibet re ubilibet existente datur non re-  
pugnantia, vel, ut sic etiam loquar, datur  
carentia repugnantia, ut extra cælos ponatur  
alter mundus. Minor patet: nam alio-  
quin in hoc mundo, & intra cælos esset  
spatium illud vestrum imaginarium, in quo  
esset alter mundus, si poneretur extra cæ-  
los: quod verum esse nequit, nisi quatenus  
tale spatium imaginarium est imaginariè in  
aliquorum cerebris existentibus in hoc  
mundo.

29 Dices. Spatium illud, in quotunc  
esset alter mundus positus extra cælos,  
non esse carentiam repugnantia, ut ibi ex-  
tra cælos ponatur alter mundus, ubi exi-  
stentem scilicet in hoc mundo; sed existen-  
tem ibi extra cælos. Contra rogo: quid  
est illam carentiam repugnantia esse ibi ex-  
tra cælos? Vel enim est esse in aliquo alio  
ubi, seu spatio constituto etiam extra cæ-  
los: vel non. Si primum, idem rogo de illo  
alio spatio: quid nempe sit, illud aliud spa-  
tium spatij imaginarij esse constitutum ex-  
tra cælos. Si dicas id esse, poni in alio spa-  
tio ibi etiam constituto, idem rogabo de  
isto tertio spatio imaginario usque ad pro-  
cessum in infinitum. Et acriter urgeo: quid  
est complexum illud omnium illorum spa-  
tiorum imaginarij esse ibi extra cælos?  
iam enim non poteris refugere ad aliud  
spatium imaginarium ibi realiter constitu-  
tum: nam ultra complexum omnium spa-  
tiorum imaginarij non datur aliud  
spatium imaginarium.

30 Si verò dicas secundum, scilicet  
spatium illud reale purè caritionale distin-  
ctum à Deo esse constitutum ibi extra cæ-  
los per se ipsum, id est, sine alio simili spa-  
tio ibi substructo; quare id dignè non di-  
cemus de Deo, eiusque Immensitate, rectè  
intelligentes esse quidè extra cælos per se  
ipsam, quin necesse sit esse in substructo ali-  
quo spatio imaginario à Deo distincto, &  
extra cælos existente? Mirum est, id posse  
concipere hos Authores de vastitate illa in-  
finità inanium carentiarum, aut de illarum  
complexo; & non posse id concipere de in-  
finitissimâ Dei Immensitate, nobiscum  
dicentes, Deum ratione suæ Immensitatis  
quaquaversum in infinitum immobiliter  
diffusæ esse verè, & realiter extra cælos  
per se ipsum, & in se ipso, quin sit in aliquo

loco, seu spatio imaginario à se, & ab om-  
ni entitate positiva realiter distincto: quod  
reverà chymera chymerarum est, & fig-  
mentum purè imaginarium.

## SECTIO III.

SED ANTVR ALIQUI SCRUP-  
PULI CONTRA PRÆCEDENTES NOSTRAS DO-  
CTRINAS SUBORTI.

31 **S**crupulus primus. Quomodo  
Deus est ubique, si non est in  
spatijs imaginarijs à se distinctis in immen-  
sum diffusis extra cælum? Respondetur  
quia est præsens omni enti existenti, &  
talia spatia non sunt: cum extra cælos præ-  
ter Deum nihil omnino sit: sicut nec ali-  
cubi aliquid præter Deum realiter erat ante  
rerum creationem, ut est constans SS. Pa-  
trum loquutio. Sic non est Deus nunc in  
altero mundo, nec in altero Deo: quia hi  
nō sunt: esset tamē Deus in altero mundo,  
si crearetur extra hūc, & supra cælos. Di-  
ces: ergo in eo casu moveretur, extensivè  
Deus ab hoc mundo in alterum extra cæ-  
los. Nego: quia sicut nunc sine motu in-  
cipit Deus esse in arbore de novo produ-  
ctâ, sic tunc in altero mundo. Erat, inquit,  
iam Deus intra hunc mundum, & sic non  
mirum, quod sine motu sit in arbore pro-  
ducta in hoc mundo. At est, inquam,  
quoque Deus extra hunc mundum, in sua  
immensitate: sicque sine motu esset quo-  
que in altero mundo producto extra hunc  
mundum intra Dei Immensitatem.

32 **S**crupulus secundus. Si extra hunc  
mundum non est spatium, nec locus, nisi  
Deus; ubinam esset alter mundus, si produ-  
ceretur extra hunc mundum? Respondetur,  
incipit esse interrogationem. Vel enim  
interrogas, ubinam? id est, in quo loco phy-  
sico Aristotelico ambiente? & sic dico,  
quod in nullo: quod & ipse dixit Aristote-  
les de extimâ superficie huius cæli Empe-  
rei: quia nulla alia vltiori superficie cor-  
porèâ circumambitur. Vel interrogas de  
vocatione physica intrinsecâ: & sic sen-  
tentia iam communior inter Recentiores  
respondebit, quod esset in modo intrinsecò  
sue præsentia, taliter ex sua essentia collo-  
cantis rem, quam physicè modificat. Vel  
interrogas, in quo loco metaphysico immo-  
biliter circumfuso? & sic dico, quod esset  
in Deo, Dei Immensitate, tanquam in  
lo-

loco, sicut etiam iste mundus, & cunctæ res creatæ. Vel interrogas, ubinam? hoc est, respectivè distanter ad hunc mundum? & sic dico fore tam distanter ab hoc mundo, quanta esset dimensio corporis expenetrativè interponibilis inter hunc, & alterum mundum immortos. Elige sentiam, & responsum.

33. Scrupulus tertius. Si inter eos mundos esset præter Deum hæc tanta, vel quanta distantia; esset præter illos, & Deum aliquid intermedium: quomodo ergo non esset inter illos spatium aliquod imaginarium, in quo interponeretur, vel posset interponi tanta corporis expenetrati dimensio? Respondetur, æquivocatione laborari. Non dicimus eam distantiam fore inter mundos, quamvis sic fortè significetur male intelligentibus: nam ea distantia nihil esset medians inter illos; sed fore capacitatem ipsorum duorum mundorum intercipiendi inter illos immortos tantam dimensionem corporis interpositi, vel interponibilis. Non ergo esset inter illos spatium imaginarium, siquidem præter illos, & Deum nihil esset in rerum natura. Unde si distantiam illam, seu spatium imaginarium concipis esse tunc inter mundos, finis egregiè; si in ipsis mundis meditaris capacitatem ad capiendum inter ipsos immortos expenetrativè tantam corporis dimensionem, hoc dicimus. Quod si modos præsentia intrinsecos amas, poteris suum affigere respectivè suo mundo, quem taliter ex essentia suâ collocat: & illis modis, non quidem existentibus inter illos mundos, sed in illis mundis, respectivè attribue ex naturis suis tantam distantiam, aut intercapedinem tantæ dimensionis.

34. Scrupulus quartus. Quomodo posset ille mundus loco moveri, si non haberet locum extrinsecum à quo permanere discedat, sed solū Deū à quo discedere non posset? Respondetur: tam illum, quam istum mundum moveri posse, non à loco physico ambiente, cum talem locum neuter habeat; sed aut mutando modos physicos præsentia, qui sunt locus intrinsecus, seu ubicatio intrinseca hæc vel illa, aut aliter & aliter collocatis intra Dei semper Immenstatem immobilem, cum maiori, vel minori distantia ad invicem, seu à quibuscumque alijs punctis corporis immortis, si darentur.

35. Scrupulus quintus. Si hic mundus, & alter, cunctæque res creatæ essent

in Deo ut in loco; alter esset in loco alterius: quomodo ergo non penetrarentur? nam penetratio est præsentia multorum corporum in eodem loco. Respondetur: eo modo, quo discipuli Actor. 2. dicuntur *Act. 2.* quod *erant omnes pariter in eodem loco:* quin tamèn essent penetrati: quia nempe erant in eodem loco universalis, nempe in Cœnaculo, omnes expenetratos includente. Sic cogita, res omnes esse in Dei Immenstatem, tanquam in loco universalissimo immobiliter capiente intra se res omnes invicem expenetratas. Dices locus ille Discipulorum erat divisibilis; Dei verò Immenstatem indivisibilis est. Verisimum: at est indivisibiliter diffusa infinite latius, quam ille locus divisibilis. Anima quidem nostra indivisibilis est, & præsentissimè, ac intimè adest penetrata capiti, & pedi expenetratis: & angelus per leucam diffusus secum penetrat intra se res invicem expenetratas per semilecuam distantes inter se. Sic ergo Deus immobilis, & indivisibilis ratione Immenstatem suæ adest penetrativè cunctis corporibus, & adest tunc duobus mundis invicem expenetratis. Nam penetratio non est præsentia multorum in eodem loco universalis; sed in eodem loco speciali intrinsecos: at alter ille mundus extra hunc productus quamvis esset in Immenstatem Dei, non esset in hoc mundo, nec in loco intrinsecos huius mundi; sed in suo vbi speciali, non æquè distans ac iste mundus à quibuslibet alijs punctis corporis immortis fixis à parte rei, aut si à parte rei figerentur: prout requiritur ad adæquatam penetrationem: quæ scilicet in eo stat, quod duo æquè distent, vel indistent à quibuscumque punctis fixis positus à parte rei, aut si à parte rei ponerentur.

36. Scrupulus sextus. Si alter mundus extra hunc productus distaret ab isto: ergo locus in quo esset distaret ab isto, & à loco istius: sed Deus non distat ab isto mundo, sicut neque à nobis, dicente Paulo Actor. 17. *quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum:* ergo Deus non esset locus, in quo tunc esset alter mundus, ac proinde esset in spatio, imaginario distincto à Deo. Respondetur, cōcedendo antecedens, & consequentiam de loco intrinsecos, qui fortè sit modus specialis vocationis, seu præsentia adæquatè penetrata cum suo locato, seu vbiato. Nego verò consequentiam de loco universalis extrinsecos, qui est Dei Immenstatem: quæ non distat ab hoc mundo.

mundo, nec à nobis negativè, hoc est, ita ut non adsit intimè nobis præsentem. Et iuxta id distinguo minorei subiectam: Deus non distat, seu non est longè à nobis negativè, quatenus nempe per hoc videtur negari eius præsentia ad nos cōcedo, & hoc significant verba Pauli: non distat à nobis positivè, hoc est, præter esse intimè nobis præsentem, non est etiam distanter à nobis, nego. Nec est in hoc ulla contradictio: nam si corpus bilocaretur Barcinone, & Romæ, esset longè, & prope Barcinonem: à Barcinone positivè indistans, quia esset Barcinone; simulque positivè distans à Barcinone, quia simul esset longè, vbi Barcinone non est. Sic ait sapientissimus Lescius, Deum esse nobis coniunctissimum, simulque remotissimum: edoctus scilicet à Richardo lib. 2. de Trin. cap. 23. sic scribente de Deo comparativè ad loca creata, quæ implet: *Si essentialiter ubique, ergo vbi locus est, & vbi locus non est: erit itaque & intra omnem locum, erit & extra omnem locum: erit supra omnia, erit infra omnia, intra omnia, & extra omnia, erit in quantulacumque parte cuiuslibet totius totius, & in toto totus, & extra totum totus.* Relege, atque his adnecte vberiora verba Magni Gregorij relata *sect. 2. nu. 14.*

37. Scrupulus septimus. Quoniam tanquam de aliorum sententia loquuti sumus de modo superaddito intrinsecos præsentia pro rebus creatis, qui sit intrinsecos ipsarum vbi, seu vbiatio intrinseca; quis tandem sit noster sensus circa hoc? Respondetur, me eum modum impugnasse in Physicis; re tamen maturius consideratà, postea admisisse: non quidem modum affigentem essentialiter rem locatam loco extrinsecos ambienti, ut aliqui existimant impugnati sapienter, & acriter à Dicastillo *disp. 5. de Euchar. dub. 17.* sed modum essentialiter affixum rei locatæ, qui sit ipsa rei locatio, & vbiatio intrinseca, permanens, faciensque rem permanere hic: hoc est, taliter locatam, vbiatam, & præsentem, quamvis omnis locus extrinsecos creatus etià imaginarius amoveretur, aut annihilaretur. Nunc insuper dico, tales præsentia, seu vbiationis modos, esse ipsas rerum productiones, sic, vel sic producentes terminos suos, ut vnus modus producendi rem producat, & collocet hic, alius illic, & alius alibi, ex speciali talium modorum natura, & essentia. Unde, ne per plura fiant quæ possunt fieri per pauciora, eadem rei pro-

ductio, quæ iuxta sententiam, quam nunc amplector Cardinalis de Lugo *disp. 19. de Incarn.* est modus durationis rei productæ; est etiam modus præsentia eiusdem rei: ita nempe, ut sicut per eundem modum res producat, & nunc producat, ita etiam per eundem modum hic producat. Perpendant id, precor, otiosius curiosiores Philosophi.

38. Nec timeant perinde scrupulum octavum multiplicationis entium. Cum potius sit demonstrabile, sic per entia multo pauciora præstari quod per multo plura præstant communiores sententia. Fateor equidem, sic pro singulis durationis instantibus variandas esse successivè actiones productivas rerum creatarum: quia modus idem, qui est actio, seu conservatio est, duratio: modus autem durationis creatæ fluxilis est, & successivus: quia durare nunc non est durasse antea. Fateor etiam, pro singulis etiam motibus localibus rei permanentis variandas esse rerum se moventium productiones: quia similiter modus idem, qui est actio, & duratio, est vbiatio, seu præsentia: modus autem vbiationis, seu præsentia mutatur pro motu locali: quia vbiari hic non est vbiari illic. Unde iuxta hanc Philosophiam pro singulis punctis motuum localium, & durationum variandæ essent rerum creatarum productiones, sicut durationes, & vbiationes.

39. Nihilominus tamen ex tota ista mea Philosophia non inferuntur, nisi tot modi physici, quot sunt puncta durationis rerum: cum vnus & idem modus pro illo puncto rem producat, sive conservet, remque durantem, & præsentem formaliter faciat, ac proinde cum sola variatione actionum, sic, vel sic producentium, totum id præstetur. At iuxta sententias communiores ad faciendam tantummodò rem durantem totidem modos fluxiles durationum impendi necesse est: & insuper addunt modos distinctos vbiationum variandos frequenter pro rerum motibus: & præterea modos productionum, seu conservationum, variandos sæpenumero pro mutatione causarum: quibus utiq; si superaddas modos productionum talium modorum, innumerus ferè numerus entium coalescet. Sequitur ergo innegabiliter, & arithmetice, prædictam meam Philosophiam cum sola variatione successiva actionum per entia multo pauciora præstare eadem

munia, quæ communis sententia præstat per plusquam duplo plura: varians scilicet tæpè actiones, sæpissimè vbiicationes, & instantiæ nec durationes.

40 Non abs re hic adnotaverim, me in univèrsa Philosophia non admittere nisi duos in genere modos physicos rebus superadditos, communissimè notos, & admissos: videlicet modum uniois, & modum actionis. Ad modum uniois reduco modum, quem vocant superadditum subsistentiæ, de quo, Deo dante, in Disputationibus de Incarnatione. Ad modum actionis reduco modos, quos alij duplicant vbiicationis, & quandificationis, seu durationis. Quò manet luce clariùs, me per supra positas doctrinas potius multò minuire, quam augere numerum entium: & longius hinc abesse notam multiplicandi entitates sine necessitate. Undè meliore iure parvus nimis entium; quam prodigus, aut increpari, aut laudari possem.

41 Emergit inde nonus scrupulus. Sequeretur enim, quòd res immota, & permanens, in eodem loco mutaret præsentias: quòd videtur absurdum, & implicans. Sequela patet: nam singulis instantibus mutari necesse est actionem, quæ est modus durationis instantaneus: si igitur eadem actio, quæ est modus durationis rei, est etiam modus præsentia, seu vbiicationis eiusdem rei; sequitur etiam præsentiam mutari singulis instantibus: ergo res localiter immota per plura instantia, mutaret præsentias singulis instantibus permanens in eodem loco.

42 Occurrat tamen distinguendo sequelam: res immota, & permanens in eodem loco mutaret præsentias diversæ rationis quò ad distantiam à quocumque alio immoto, nego: eiusdem rationis quò ad hoc concedo: & hoc dumtaxat convincit probatio sequelæ: quòd nec est implicans, nec absurdum. Imò nec singulare nostræ sententia. Nam in communi quoque sententia constituyente præsentiam rei in modo superaddito speciali distincto à productione, & duratione eiusdem rei, sunt possibiles plures modi numero saltem distincti, quibus posset locari res eadem in tali puncto loci: quos posset Deus variare re immota, & permanentem cum ipsidem distantijs localib: sicut etiam superaddere plures modos durationis pro eodem puncto temporis: Hoc autem dicimus, in modis præsentia evenire de facto. Quid inde, quòd

à communi sententia non iudicetur sine absurdo possibile? Absit ergo ab hac nostra Philosophia, per unum modum physicum præstante quòd alij per duos, alij per tres præstare consueverunt, scrupulus iste absurditatis, & implicantiæ.

#### SECTIO IV.

*AN ATTRIBUTUM IMMENSITATIS SIT PRÆDICATUM TRANSCENDENS QUOMODO AB ALIJS DISTINGUATUR QUAM DEI PROPRIUM?*

43 Circa primum de transcendentia, vide quæ diximus in genere *disput. 7. sect. 12.* vbi specialiter etiam quid sentiendum, & loquendum sit de transcendentia divinæ Immensitatis deduximus *num. 178.* Et idem prædictum volo de Attributo Æternitatis pro *disp. seq.*

44 Circa secundum de distinctione constat ex *disp. 5.* Immensitatem, æquè ac Sapientiam, & Æternitatem, esse unum ex prædicatis essentialiter constitutivis Essentiæ metaphysicæ Dei: ac proinde ab adæquato conceptu Essentiæ ratione tantùm distingui inadæquatè, ut inclusum ab includente. Constat etiam ex *disp. 7.* Immensitatem, sicut & Essentiam Dei, vtpotè prædicatum Dei absolutum, distingui virtualiter à Relativis, ab alijs verò absolutis solum per rationem: & ex eadem *disp. 7. sect. 11.* formalitates, seu eminentias adæquantes Immensitatem respectivè ad diversa loca, quibus est præsens, non distingui virtualiter inter se, sed solum per rationem. Idem præhabe de Æternitate respectivè ad diversa tempora pro *disput. seq.* ex locis citatis.

45 Circa tertium, Immensitatis Attributum ita proprium Dei est, ut nullatenus possit competere creaturæ. Ratio est. Quia Immensitas dicit essentialiter ita esse interminabiliter diffusam, ut nihil possit poni usquam à parte rei, cui præsens ipsa non sit: qui conceptus repugnat creaturæ, vtpote essentialiter imbibenti desecibilitatem, ac proinde potentiam non existendi à parte rei: ipsa autem non existente à parte rei, multa possent existere, quibus præsens non adesset: ergo repugnat illi ex conceptu ipso creaturæ, conceptus Immensitatis, imbibens vti que necessitatem essendi. Si

op.

opponas actum supernaturalem creatum, essentiali veritate de se asserentem esse vbi que; dicam nec talem actum fore essentialiter vbi que, nec Immensum: quia contingenter esset à parte rei, ut in simili dicam *disp. 13. sect. ult.* de simili acta asserente de se esse æternum.

Supra  
sect. 1.

46 Loquendo autem seorsim de Ubiquitate iuxta discrimen, quòd inter illam, & Immensitatem posuimus *sect. 1. num. 4.* dicendum est, Ubiquitatem vti cumque non ita propriam esse Dei, ut nequeat creaturæ convenire. Quia non repugnat, creaturam aliquam poni à Deo præsentem omni rei, & omni loco existenti, & ponibili à parte rei: hic autem est conceptus præcisus Ubiquitatis ibi assignatus. Videndus Suar. 3. p. *disp. 32.* probans, Humanitatem Christi, sicut de facto ponitur realiter pluribi, posse poni à Deo vbi que, quia hoc nullo ex capite repugnat, postquàm ostenderit contra hæreticos Ubiquistas, Humanitatem de facto non esse vbi que, quamvis sit unita Verbo existenti vbi que: quia nempe, quamvis uniat, & sit in Immensitate Verbi, non vbi catur per Immensitatem Verbi, sicut nec unita Æternitati Verbi æternatur per Æternitatem Verbi.


Suar.

47 Iuxta explicationem verò Ubiquitatis positã *num. 5.* ex P. Martinon, dicendum esset, Ubiquitatem non posse convenire creaturæ, & posse non convenire Deo. Quia nec creaturæ repugnat non coexistere cuilibet existenti à parte rei, cum possit non existere alijs existentibus; nec Deo necesse est absolutè coexistere omnibus rebus, cum possint multæ, imò & omnes creatæ non existere: quamvis ex suppositione contingenti quòd existant, debeat illis Deus coexistere.

48 Satiùs est distinguere cum S. Tho. *S. Tho. 9. 8. art. 4.* duplicem Ubiquitatem. Unam essentialem; aliam accidentalem. Essentialis, coincidit cum Immensitate à nobis explicatã: atque adeò est tam propria solius Dei, quam ipsa Immensitas. Accidentalis est præcisè præsentia ad omnem locum, & rem existentem à parte rei: & hæc Ubiquitas potest convenire creaturæ. Quirimo dixit in hoc sensu S. Thom. ibi: *Quòd granum milij esset vbi que, supposito quòd nullum aliud corpus esset: quia nempe in eo casu præsens esset omni essenti à parte rei, ut exposui sect. 1. num. 4. & est sensus dilucidus S. Thomæ, alioquin difficilis, & arduus.*



DIS



# DISPUTATIO XIII.

## DE ÆTERNITATE DEI.

**I** BYSSVS abyssum invocat: Immensitas Æternitatem. Profecto, si de corpusculi Ubicatione, & duratione dicere possumus ingenuè, quod dicitur de quadraturâ circuli, esse quid scibile, sed nondum scitum; mirum non erit quod Dei Immensitatem, & Æternitatem interminabiles emetiri nequeat humana mens. Nihilominus tamen tērandâ nobis fuit aliqua horū Attributorū explicatio, saltem vt inexplicabilia nobis esse cognoscamus. Multa eruditè Petavius *to. 1. lib. 3. à cap. 3.*

Petav.

### SECTIO I.

STATUITUR, ET CONSTI-  
tuitur Dei Æternitas: & tempus  
imaginarium desti-  
nuitur.

**2** A Ttributum Æternitatis Dei ebuccinat Apostolus Rom. 16. *Secundum præceptum æterni Dei:* definit Ecclesia in Lateran. cap. *Firmiter:* exponunt idem SS. Patres: & probat ratio. Primò: quia summo Enti competit perfectissimus durandi modus, qui est Æternitas: vt pote perfectio simpliciter simplex: & quidem positiva perfectio, quamvis explicetur sæpè ad modum negati sine principio, & sine dationis. Secundò: quia ex eo quod Deus sit ens necessarium, à quo sumunt esse suum contingentia, deducitur esse essentialiter æternum: alioquin posset aliquando non fuisse, aut in posterum desinere esse: quod est contra summam necessitatem essendi, ac proinde repugnans conceptui entis absolutissimè necessarij.

Rom. 16.

Later.

**3** Triplex distingui solet rerum duratio: temporaria, æterna, & æterna. Temporaria est duratio rerum corruptibilium naturaliter sibi succedentium, & successivè

deficientium: & hæc est vt plurimum creaturarum materialium duratio. Æterna est duratio rerum naturâ suâ indestructibilium: ac proinde non sibi succedentium in suo esse, quatinus bene in suo perfici: quatenus nempe perfectiones intrinsecas admittunt, & amittunt cum vicissitudine, & successione: vt angelus, cuius esse, permanens naturâ suâ interminabiliter, admittit, & amittit interdum multas intrinsecas perfectiones accidentales successivè illum perficientes, tam ex parte Voluntatis, quam Intellectus, & alias. Æterna est, duratio competens soli enti omnino indefectibili, nullam in esse, nec in perfici, sui successionem, aut vicissitudinem admittenti.

**4** Prima illa duratio temporaria dicitur respectiva ad tempus. Secunda æterna, respectivè ad ævum. Tertia æterna, ad Æternitatem, vel est ipsa Æternitas: quidquid de nomine contendat Aureolus nollens Æternitatem esse durationem: impugnat tamen à Granado hic *disp. 5. conciliante etiam sect. 3. S. Thomam asserentem, Æternitatem esse mensuram durationis Dei, cum Molina, Valentia, & alijs, negantibus Æternitati vt pote interminabili rationem mensuræ: sic nempe intelligendo Sanctum Thomam, ac si solum voluerit, quod si velimus posse quoadiu duret Deus,*

Aureol.  
Granad.  
S. Tho.  
Molin.  
Valent.

non

non id emetiri, seu cognoscere debeamus per tempus, sed per Æternitatem: id quod nec Molina, nec Valentia inficiabuntur.

**5** Imaginantur multi, præsertim Moderni, seriem realem carentiarū, à Deo omnique positivo realiter distinctarum, ab æterno successivè fluentium ante rerum creationem: quibus Deus debuit successivè coexistere, ad hoc vt ab æterno extiterit: eamque seriem vocant tempus imaginarium: ad modum quo *disp. præced.* vocabant locum, seu spatium imaginarium permanentem, infinitam quaquaversum extensam carentiarum extra mundum, quibus debeat Deus præcens esse, vt immensus, & ubique sit. Iam hos philosophandi modos ad imaginationis exilium relegatos derelinquimus ibi.

**6** Pro nunc denuò rogo: illa carituncula, quæ fuerunt tempus imaginarii ante mundum, sive sint multiplex carentia motus successivi tunc exercibilis; sive sint multiplex carentia repugnantia, vt tunc exerceretur motus; vel fuerunt omnes simul, vel successivè? Si simul: ergo totum tempus istud imaginariū fuit simul, quod est contra rationē tēporis, & contra Philosophū illud definiētē: *numerus motus secundum prius, & posterius:* & potius imitaretur Æternitatem Dei intrinsecam, quæ est *tota simul.* Si successivè: ergo ex illis carentijs vna desinebat succedente alia. At quomodo desinebat: nam iuxta tritam istam carentiarum Philosophiam: carentia, cum sit præcisè non esse sui termini negati, non desinunt nisi adveniente termino negato: terminus autem negatus illarum carentiarum non advenit ante mundum: nam ante mundum, nec fuit motus successivus, nec fuit repugnantia vt tunc exerceretur motus: quomodo ergo non adveniente termino negato desinebant?

Arist.

**7** Insuper: vel illa carentia sunt non esse motus, vel sunt non esse repugnantia talis motus. Si sunt non esse motus: ergo adveniente motu abeunt, sicque motus non sit in tempore illo imaginario, vt pote non existente quando motus sit. Si sunt non esse repugnantia talis motus: ergo sunt permanentes, & nunquam abeunt: quia repugnantia motus nunquam venit, quando motus venit. Hic inverti necesse est totam eiusmodi caritionum doctrinam, & structuram, vt tempori imaginario inferire possint. Nihil consequentius quàm ex chymis chymæ;

**8** Deus, inquis, tempore præcessit mundum: quippe verè fuit ante mundum: ergo verè fuit ante mundum tempus, in quo Deus erat, & in quo mundus non erat: sed non fuit tempus positivum, cum ante mundum non fuerit motus: fuit ergo tempus negativum, sive imaginarium, situm utique in illo fluxu realium caritionum. Bone Deus! quis nullius indigens, foelicissimis illis carentiis scilicet indigeres, vt esses ante mundum. Apage.

**9** Respondetur, distinguendo antecedens: tempore, id est, duratione, concedo: tempore, id est, in tempore successivo præcedente mundum, nego. Nam ante mundum non fuit tempus, quandoquidem solus Deus erat per Æternitatem suam intrinsecam sibi sufficientissimus. Nisi velis ipsam intrinsecam Dei Æternitatem supereminētissimè excellentem omnes durationes temporarias appellare tempus imaginarium, sicut Dei Immensitatem spatium imaginarium, illam concipiens ad modum temporis, sicut istam ad modum spatij divisibiliter extensi. Hinc nego consequentiam: non enim fuit ante mundum tempus successivum, cui Deus coexistere; sed duratio permanens, qua durabat Deus, & durat, & durabit, quæ est ipsa Dei æternitas tota simul. Unde concessa minori subiunctâ, nego ultimam consequentiam.

**10** Durabat igitur, eratque Deus verè ante mundum: non in tempore villo à se distincto; sed in sua Æternitate: sicut diximus *disp. præced.* esse extra mundum, non in loco à se distincto, sed in sua Immensitate. Quemadmodum enim Immensitas Dei est extra mundum per se immensè diffusa; sic Dei Æternitas fuit ante mundum per se æternaliter durans. Cum autem dicimus, Deum fuisse multis annis ante mundum; noli intelligere annos, quibus Deus tuac coexistere; sed talem fuisse, & esse ratione suæ Æternitatis intrinsecæ, vt si ante hos annos positivos mundi, fuissent alij, & alij positivi similiter decurrentes, iam invenissent Deum existentem, & durantem: sicut cum dicimus, Deum esse longè multis leucis extra mundum; non intelligimus, si sapimus, præter Deum esse extra mundum illas leucas in quibus Deus sit; sed talem esse Deum ratione suæ Immensitatis, vt immotus adesset multis alijs leucis alterius mundi, si extra hunc mundum extendentur. Videndus Eximius Doctor *dis-*

put. Suar.

part. 50. Metaph. sect. 4.

Boetius. II Severinus Boetius lib. 3. de Consol. communiter à Philosophis, & Theologis receptus, sic definit Æternitatem: interminabilis vite tota simul, ac perfecta possessio. Locus, vita, substituant aliqui, existentie; Boetius verò dixit, vita: vel quia existentia Dei, cui vnice competit Æternitas, vita est: vel quia, vt exponit Læsius, Æternitatem concipimus ad instar motus; in vita autem apprehenditur motus quidam, & actusitas.

Læsius.

12 Dicitur interminabilis: hoc est cum repugnantiâ terminorum inceptionis, & defitionis. Per quod differt à duratione creaturæ, quæ facta fuisset ab æterno in æternum quoque duratura: talis enim creatura esset quidem interminata; non verò interminabilis: cum omne id, sicut & totum suum esse, contingenter haberet. Unde Æternitas in tota sua perfectione sumptâ inibit necessitatem essendi, seu rationem entis necessarij, qui solus est Deus. Ea autem interminabilitas, quamvis explicetur quasi per negationem inceptionis, & defitionis, positiva Dei perfectio est, vt monet Suar. num. 15.

Suar.

13 Dicitur perfecta possessio: quia cum successione excludat non solum in esse, sed etiam in perfici, identificat se cum, & possidet omnimodam perfectionem simpliciter infinitam.

14 Dicitur tota simul: quia excludit successione: non quâ aliæ res ipsi permanenti, successivè respondeant; sed quâ ipsa in se sui successione dicat. Quod si dicitur Deum de præterito fuisse, de præterito esse, & in posterum futurum esse; non est, quia Deus propriè dicat in se has differentias præteriti, præteriti, & futuri, cum permanentissimus, totique suæ Æternitati præsentissimus semper sit, & præterito propriè dicat rem defuisse, & futuritio, rem nondum advenisse; sed quis loquimur iuxta nostrum modum concipiendi comparativè ad res creatas præteritas, præteritas, & futuras, vt observat Suarez num. 12. Sed de hoc latius infra: vbi luculentius explico quomodo Dei æternitas sit tota simul, vt pote simul, & semper identificans se cum omnibus has differentias durandi.

Suar.

15 Infero nunc, non sumi Æternitatem in hoc toto suo rigore quando tribuitur rebus, vt cumque carentibus principio inceptionis, quas vocamus æternas à parte ante: vt de mundo dixit per errorem Aristoteles:

vel carentibus sine defitionis, quas vocamus æternas à parte post: vt cum infernus dicitur æternus: vel carentibus utroque, quas vndequeque æternas vocitamus: vt esset creatura, quam in æternum duraturam ab æterno Deus produxisset. Nam ipsa durationibus, cum intrinsicè contingentes, & defectibiles sint, non convenit explicatio Æternitatis à Boetio definitæ, & à nobis explicatæ ex mente Theologorum. Ideo huiusmodi durationes interminatæ potius vocantur sempiternitas, quam strictim æternitas.

16 Infero deinde, multò minus propriè, sed hyperbolicè dumtaxat sumi aliquando Æternitatem, quando attribuitur durationibus etiam, nec initio, nec fine carentibus, ad significandam illarum diuturnitatem: vt cum dicitur Deus Gen. 17. promississe Abrahamæ terram Chanaan in possessionem æternam: id est diutissimè duraturam, quamvis tandem finiendam: quam diuturnitatem significat hyperbolicè Scriptura nomine Æternitatis. Similiter est hyperbolica loquutio Michæ 4. ambulabimus in nomine Domini in æternum, & ultra: nam ultra æternitatem nihil durat. Dicitur tamen sic hyperbolicè, quasi illud ultra æternitatem duraturum esset, si quid esset ultra æternitatem: seu quia ultra id, quod nos modo nostro concipimus de æternitate, semper est aliquid æternitatis. Sic ibi Cornelius.

Gen. 17.

Mich. 4.

SECTIO II.

QUOMODO DEI ÆTERNITAS SIT TOTA SIMUL: IDEOQUE CREATURA FUTURA SINT ILLI SEMPER REALITER, & PHYSICÈ PRÆSENTES.

17 Mirum est, quantum obscuretraverint Thomistæ post Caietanum lucem S. Thomæ in hoc puncto. Dicunt, Æternitatem Dei taliter esse totam simul, vt quidquid creatum aliquando coexistat præteriti Æternitati, ab æterno sit physicè præteriti Æternitati: ac proinde futura omnia, vt pote in aliquo tempore extitura, nunc iam, & ab æterno esse physicè, & realiter præteriti Æternitati divinæ.

Caiet.

18 Quam sit hoc alienum à mente S. Thomæ, audiamus saltem ab eminentissimo Ægidio Romano insigni Augustiniano, olim

olim Parisijs Angelici Præceptoris Auditore, & deinde Romæ Propugnatore acerrimo. Qui in Defensorio S. Tho. p. 1. art. 3. numerat inter eius Corruptores eos, qui credunt, præteriti futurorum realem ab æterno fuisse doctrinam S. Thomæ: ibi: Ex his patet, quod Thomas non intendebat, prout illi imponunt sibi, & falsò, quod omnia, quæ sibi invicem succedunt in tempore in naturâ propriâ, Deo coexistant in æternitate, licet ab eo eorum præsentia æternaliter intueatur, & sic omnia dicantur sibi præsentia. Sic, inquam, scilicet obiectivè, & non aliter. Nec satis fuit aliquibus corrumpere sensum, quin etiam & verba S. Thomæ corruerunt, vt Albelda: qui ex 1. contra Gen. cap. 66. allegat hæc S. Tho. verba: Simul quidquid in quacumque parte temporis est, coexistit ab æterno, quasi præteriti eidem: cum Textus non habeat: coexistit ab æterno; sed: coexistit æterno: scilicet non realiter coexistit ab æterno; sed in tempore quando est realiter coexistit æterno, nempe Deo.

Ægid.

Albeld. S. Tho.

19 Quapropter realem hanc futurorum ab æterno præsentiam negarunt ex primoribus Dominicanis Capreolus, Hervæus, & Sylvester legendus in Conflato, q. 14. art. 16. sic scribens: In isto articulo incidenter tangitur, quomodo futura sint iam præsentia Deo? Circa quod plures Thomistæ pariuntur maximas anxietate: quia intelligere nequeunt, quomodo sint vera quadam falsa, quæ imponunt Sancto Doctori: & inferiunt: ad probanda ista non adducunt, nisi verba S. Thomæ: est autem mirabile, quod S. Tho. voluerit vno verbo realem opinionem fundare, quam quisque experitur, se non posse imaginari, vel intelligere: quod res scilicet coexistant, antequam existant; & quod sint præteriti antequam fiant: & dico, quod, vt patebit, hæc opinio non potest stare cum verbis S. Thomæ. Hæc celeberrimus Thomista Sacri Palatij Magister.

Capreol. Hervæ. Sylvest.

Ioan. à S. Tho.

Gonet. disp. 4. de Scien. Dei.

claram, vt de ea dubitare, sit tenebras, & caliginem Soli offundere, & in meridie cæcutire: hallucinari Doctores oppositos, nec intelligere differentiam æternitatis à tempore. Verba sunt, præterea nihil. Vereri saltem debuisset iudicium ipsius Eminentissimi Caietani, qui incidens in præcipuum locum S. Tho. quo nititur hæc opinatio ex 1. p. q. 14. art. 13. ait: Iste locus D. Tho. ab Adversariis indicatur plenus contradictionis, & erroris, & à sequentibus doctrinam D. Tho. reputatur adeò obscurus, vt neminem hactenus viderim, sive scripto, sive verbo, assertivè tueri hoc dictum.

S. Tho. Caiet.

21 Rigorem Thomisticum mitigare studuerunt aliqui Iesuitæ, vt Quirès disp. 48. Ribad. disp. 14. & 15. de Scientia Dei, Herrera q. 8. & novius P. Thyrsus tom. 1. disp. 4. citantes Molinam, Granad. Ripaldam, & Alphonsum Deza: sic intelligentes, & explicantes, Æternitatem Dei esse totam simul, vt per illam sit Deus simul realiter præteriti omnibus præteritis, præteritis, & futuris; quin tamen è converso præteriti, & futura, sint illi simul realiter, & physicè præsentia. Quia, inquit, Dei æternitas taliter est tota simul, vt seculum simul, & semper identificet omnes differentias durandi, explicari solitas à nobis per illos terminos: nunc, tunc, heri, hodie, cras. Ipsa namque æternitas indivisibiliter; & simul est suum nunc, suum tunc, suum heri, suum hodie, suum cras, & suum semper intrinsicum, & essentialiter: sicut Immenitas indivisibilis Dei est suum hic, suum ibi, suum alibi, & suum ubique essentialiter, & intrinsicum: quia per se ipsam est immensè ubique. Quemadmodum ergo, hic, ibi, alibi, & ubique intrinsicum Dei sunt simul in quocumque loco: quia sunt indivisibiliter ipsa Immenitas Dei; ita, nunc, tunc, heri, hodie, cras, & semper intrinsicum Dei, sunt simul in quocumque tempore: quia omnes istæ differentie durationum, sicut illæ aliæ differentie ubicationum, sunt ipsissimum esse Dei per se intrinsicè immensè, & æterni.

Quirès. Ribad. Herer. Thyrs. Molin. Granad. Ripaldam. Deza.

22 Puta, adijciunt, durationes mundi, hesternam, hodiernam, & crastinam, esse modos superadditos, & coniunge illos simul per impossibile in hoc instanti: aut finge, si mavis, tempus imaginarium hesternum, hodiernum, & crastinum, esse in isto nunc. In his certè suppositionibus, sive falsis, sive impossibilibus; heri, hodie, & cras.

cras mundi essent in hoc instanti, essent hodie in isto *nunc*. Sic autem verè citra fictionem est in Deo: cuius *heri* est eius *hodie*, & cuius *hodie* est eius *heri*, & cuius *cras* est suum *heri*, & suum *hodie* intrinsecum; ac proinde heri exitit suum *hodie*, & cras existit suum *heri*; ratione nimirum suæ Æternitatis, quæ semper est suum *semper*: cum sit suum essentialiter durare semper, & tota simul. Quæadmodum ratione suæ Immenfitatis suum *hic*, est suum *illic*; & suum *ubi* intrinsecum, quo est præsens Romæ, est simul suum ipsum *ubi*, quo est præsens Barcinone: quia per se est essentialiter suum *ubique*.

23 Unde in hypothefi impossibili, quæ Deus hodie destrueretur, non duraret hodie: quia sic supponitur; & duraret hodie: quia esse, quod heri habuisset, erat suum ipsum durare hodie. Sicut in simili hypothefi, quæ Deus essentialiter immensus non esset præsens Barcinoni existenti; non esset quidem præsens Barcinoni existenti, quia sic supponitur; & esset præsens Barcinoni existenti. Quia immensus esset, & essentialiter per se ubique locorum existentium à parte rei. Hæc assequi vix potui ex doctrinis prædictorum Authorum.

Lumb.

24 Magister Lumbier aliter temperat sententiam Thomistarum, videndus *quæst. 12. de Attrib.* cum suo Epilogo. Sed est me iudice, rem nostræ sententiæ cum modo loquendi Thomistarum velle conciliare, & sinceram veritatem obvolvère inuicili falsiloquio.

25 Studui equidem solito diligentius, si fortè possem in his tantorum Magistorum doctrinis pedem figere; ac certè præ ingenij imbecillitate non potui. Cæpio, & approbo, quòd æternitas Dei identificat secum simul cunctas illas differentias durandi sibi intrinsecas; sicut Immenfitas, cunctas differentias suarum intrinsecarum ubicationum: sicque, ne putet Gonetus à nobis non intelligi differentiam æternitatis à tempore, rectè intelligimus, quòd Æternitas Dei sit tota simul cum discrimine infinito à quacumque re, seu duratione creatâ. Creaturis enim ex accidenti advenit durare, sicut & existere, & esse. Unde fit, quòd multæ res durent hodie, & veniente die crastino, non durent cras; ac proinde, quòd suum durare hodiernum non sit suum durare crastinum. Id quod à simili videre est in Immenfitate Dei secum identificante suam præsentiam intrinse-

cam ubique: quod non competit creaturæ, potenti non existere, ac proinde potenti nullibi adesse; & præsentem hîc, simulque non præsentem illic.

26 Cæterum, quòd intrinseca Dei æternitas, quantumvis prædicto modo tota sibi simul, faciat sibi realiter, & physicè præsentem, & coexistentem res creatas futuras nondum exercitè in se productas, ut aiunt Thomistæ: aut quòd se faciat præsentem, & coexistentem physicè, & realiter eisdem rebus, nondum in se existentibus, nec productis, ut aiunt mitius aliqui ex nostris, nec approbare, nec capere possum. Est quidem Dei æternitas sibi totique suæ durationi semper simul præsens; non verò durationibus aliarum rerum: est suum *hodie*, suum *heri*, & suum *cras*: id est, est illa ipsa duratio, quæ Deus durabat heri, quæ durat hodie, & quæ durabit cras: non tamen semper coexistit ad durationes diei hodierni, hesterni, & crastini; sed successive: non quidem successione facta in durationibus Dei; sed in durationibus dierum. Unde in illâ chymericâ hypothefi, quòd Deus hodiè destrueretur, non duraret hodiè, sed durasset heri duratione sua hodierna: & hodie, nullâ. Idem dicerem ex simili suppositione in exemplo illo modorum durationis hesternæ, hodiernæ, & crastinæ, simul coeuntium in instans hodiernum: quòd nempe in hoc instanti hodierno facerent implicanter rem durantem duratione hesternâ, hodiernâ, & crastinâ; cras verò nihil facerent: quia non essent. Quæadmodum, ut exemplo etiam Immenfitatis utar, Immenfitas Dei, quamvis secum identificet suarum ubicationum differentias, non facit sibi localiter præsentem res nullibi existentes, nec se illis localiter præsentem facit: nec casu impossibili, quo non adesset Barcinoni, haberet hîc suam præsentiam Barcinonensem, sed alibi.

27 Quod innuunt aliqui, æternitatem prædicto modo constitutam totam simul, facere se ex parte sua realiter præsentem, & coexistentem, seu condurantem futuris; quatenus taliter ipsa ex parte sua permanenter se habet, ut nihil iâ desideretur ad coexistendum, & condurantem futuris, nisi istorum existentia, & duratio: hoc, inquam, præterquamquòd idem dici potest; & debet suo modo de Immenfitate; excipi aliter non debet, ac lepidum hominicionis dictum. Qui cum undecumque abiectissimus esset, iactabat matrimonium suum

cura

cum egregia Principissa iam esse penè confectum: quatenus scilicet ex parte sua iam aderat consensus, & ad mutuum duorum consensum matrimoniale, solum desiderabatur altera medietas, quòd consentiret Principissa. Argutè, & falsè. Quo sale condiri debuit illorum dictum, qui eatenus salvare vellent, Deum ab æterno coexistere physicè præsentem futuris omnibus; quatenus iam ex parte Dei datur physica existentia; expectans tamen physicam futurorum existentiam, ut mutuo coexistent.

## SECTIO III.

## NOSTRA CONCLUSIO CON-

tra realem physicam præsentiam futurorum simul in Æternitate

Dei, quantumvis tota simul.

28 Conclusio æternitas Dei, quantumvis tota simul, non præstat, quòd futura sint illi physicè, & realiter præsentia, seu coexistentia simul ab æterno. Sic Scotus, & Suarez cum suis Scholis communiter: & bona saniorque primitivorum Thomistarum pars, ut retulimus *num. 18. & 19.*

Scot.  
Suar.

29 Probatur primo ex principijs Fidei. Ut res coexistent, & præsententur realiter, & physicè æternitati ab æterno, debent esse & existere physicè, & realiter ab æterno: sed res creatæ, quæ nunc sunt, nec quæ futuræ sunt, quamvis Deus sit æternus, & eas ab æterno cognoscat, non sunt aut existunt physicè, & realiter ab æterno: ergo non coexistunt, aut præsentantur physicè, & realiter æternitati ab æterno; sed solum obiectivè quatenus ab æterno cognoscuntur à Deo eas intente existentes pro sua ipsarum duratione in suis temporum differentijs. Maior videtur ex terminis nota: nam physica, & realis duorum simultanea coexistentia, dicitur *physicam*, & *realem* duorum simul existentiam. Minor est dogma Fidei, cuius oppositum est *sicut hereticum refutandum*, ex S. Tho. q. 61. art. 2. quia non ab æterno; sed *in principio creavit Deus Cælum, & terram*. Nihil autem creatum physicè, & realiter existit antequam crearetur.

S. Tho.  
1. part.  
Gen. II.

30 Aliter. De Fide est ex multis Scripturæ locis, Deum fuisse antequam mundus esset, seu Deum existisse antequam

mundus existeret: ergo in illo tunc, in quo existebat Deus antequam mundus existeret, existebat Deus, & non existebat mundus: aut si in illo etiam tunc existebat physicè etiam, & realiter mundus, existebat mundus antequam mundus existeret, quod est contradictio. Sed illud *nunc*, in quo existebat Deus, & non existebat mundus antequam mundus existeret, est *nunc* Æternitatis divinæ: ergo in illo *nunc* Æternitatis divinæ non existebat, neque coexistebat mundus: ergo nec mundus, nec alia res futura exitit, aut fuit præsens realiter, & physicè Æternitati Dei ab æterno; sed dumtaxat in tempore quando physicè, & realiter in se existit à Deo exercitè producta.

31 Hanc soliditatem infirmare nequeunt Thomistæ; obscurare student inanum verborum tergiversationibus. Solennis est eorum evasio, futura non esse physicè, & realiter ab æterno Deo præsentia, & æternitati coexistentia in propria ipsorum mensura temporaria; sed in alienâ Æternitatis divinæ mensurâ superiori: quod non negat Fides.

32 Præcluditur tamen dupliciter. Primo: quia, si futura cuncta exitissent physicè, & realiter ab æterno in alienâ mensurâ; exitissent etiam in mensurâ propria: ergo irrita prorsus est Thomisticæ responsionis, & distinctionis evasio, nec satis salvat Fidei veritates. Antecedens probatur. Vel propria futurorum mensura est quid creatum, vel increatum: si increatum, est Deus, ac proinde in propria æternitatis mensura physicè existens ab æterno. Si creatum: ergo etiam exitit physicè, & realiter ab æterno in alienâ saltem mensurâ: alioquin non cuncta futura coexisterent physicè, & realiter in alienâ æternitatis mensura. Infero: ergo ab æterno fuerunt physicè, & realiter illa futura in propria etiam mensurâ; & propria ipsorum mensura fuit etiam ab æterno in propria ipsius mensura.

33 Probo consequentiam quæ ad priorem partem: sic enim ab æterno fuerunt physicè, & realiter in alienâ mensura non solum aliæ res futuræ, verum etiam propria ipsarum mensuræ: ergo coexistebant realiter, & physicè res non solum alienæ mensuræ, verum etiam suæ propriæ mensuræ. Si ergo modò ille physicè existendi alienæ mensuræ sufficit, ut physicè, & realiter dicantur mensuræ existere præsentem in alienâ

Kk

na

na mensura, cur similiter non sufficiat, ut physicè, & realiter existant res præsentis in propria mensura? Probatum arguitur illa consequentia quoad posteriorem sui partem. Propria, & specialis rerum futurarum mensura est propria, & specialis sui ipsius mensura: alioquin propria mensura daretur alia propria mensura, & istius alia propria, & sic in infinitum processum: ergo in mensura Eternitatis divinæ existit propria futurorum mensura, tam sibi metipsum identificata, ac est sibi metipsum identificata, quando existit in tempore: ac proinde sibi applicatissima, utpote secum identificatissima. Quomodo ergo illa propria futurorum mensura, physicè existens ab æterno in aliena mensura à se realiter distincta, non dicetur etiam physicè existens in sua propria mensura cui intimissime præsentissime, & identicè essentialiter adest physicè, & realiter?

34 Respondent: quia nec res, nec illarum mensura creatæ coexistunt propriae, & speciali ipsarum mensurae, ut exercitè illas mensuranti; sed ut coexistenti alienæ superiori mensurae divinæ æternitatis. Contra: mensura illa propria ut exercitè mensurans, eiusque res ut exercitè per illam mensurata, significat, & reduplicat supra ipsam mensurationem exercitam, & supra ipsam mensuratum, & mensurari per propriam mensuram specialem creatam: aut dicant quid significant illæ voces? Vel ergo hæc ipsa mensuratio exercita, hoc ipsum mensuratum, & mensuratum exercitè per propriam mensuram specialem creatam, existit physicè, & realiter ab æterno; vel non: Si existit: ergo ab æterno existit realiter res creata, cuiusque propria mensura, & mensuratio, & ipsum exercitè mensurare, & mensurari per ipsam: ac proinde coexistit res suæ propriae mensurae ut mensuranti: id quod in ipsa existentia reali ab æterno propria mensura creatæ, qui sui ipsius est propria mensura clarius, & fortius vrgeri potest. Quid enim illi deesset, ut adesset sibi ipsi ut se ipsam mensuranti? aut quid de novo habet in tempore ut se ipsam mensuraret? Unde fit liquida sequela, quod iuxta doctrinam Thomistarum res futurae essent ab æterno non solum in aliena, quin etiam in propria mensura contra Fidem. Si verò ea ipsa mensuratio exercita, hoc ipsum mensuratum, & mensurari exercitè per propriam mensuram non existit realiter, & physicè ab æterno: ergo aliquid creatum

verè in tempore futurum non coexistit physicè, & realiter æternitati ab æterno. Quia ruit totum Thomistarum molimentum quippe in hoc vno futuro patientur omnes anxietates, quas evadere frustra studuerunt.

35 Præcluditur secundo soleannis illa evaluatio numeri 31. & probatur secundò nostra conclusio vrgendo paritatem Immenfitatis, ab Scoto iam subtiliter tractatam, & à Thomistis nondum vel mediocriter solutam. Non minùs est tota, & intrinsecè indivisibiliter simul intrinsecè Dei Immenfitas, quam Eternitas: nec minùs Immenfitas identificat sibi omnes differentias essentialiter per se ipsam vbicandi; quam Eternitas sibi omnes differentias essentialiter per se ipsam durandi: nec minùs Immenfitas est mensura superior, & generalis propria solius Dei, & aliena respectu cuiuscumque creaturæ vbicumque ponatur; quam Dei æternitas sit mensura superior, & generalis propria solius Dei, & aliena respectu cuiuscumque creaturæ quando cumque duret: omnia enim quandocumque durat, intra Dei æternitatem durat: sicut omnia quæ vbicumque vbicantur, intra Dei Immenfitatem vbicantur: ut est omnibus indubium. Atqui, his non obstantibus, Immenfitas Dei non facit vbique realiter præsentis creaturas, quæ alicubi illi toti præsentis sunt: ita ut hæresis fuerit Ubiquitarum asserere, Humanitatè Christi, quantumvis habeat intrinsecè sibi unitam totam Dei Immenfitatem, esse vbique realiter præsentem adhuc in aliena superiori mensura: ergo nec æternitas Dei facit sibi semper durativè præsentis adhuc in aliena superiori mensura creaturas, quæ aliquando illi præsentis sunt. Hæc paritas mirificè ponit ab oculos veritatem, cui adlaboramus.

36 Et ratio firma utriusque est. Quia mensura æternitatis Dei non est mensura durationis, qua formaliter durent creature, quamvis cum formaliter durant per suas creatas durationes, illi mensurae divinæ necessario semper duranti, physicè conducerent, & coexistant: non, inquam, semper; sed quando per suas proprias durationes formaliter durant: nec mensura Immenfitatis Dei est mensura vbicationis, quæ formaliter vbicantur creaturæ, quamvis cum formaliter vbicantur per suas creatas vbicationes seu præsentias, illi mensurae divinæ necessario vbique præsentis, physicè ad-

sint,

sint, & coexistant: non quidem vbique; sed ubi per suas proprias vbicationes, seu præsentias formaliter adsunt. Quod est, me iudice, ita perspicuum, ut ad terminos clariores reduci vix possit.

Ioan. à  
S. Tho.

37 Respondent cum Ioan. à S. Tho. 1. p. q. 10. disp. 9. art. 3. hanc argumentationem esse frivolum. Verba sunt, quibus uti potest, quisquis argumento crematur. Dent autem pro ratione disparitatis, quod Immenfitas non coexistit rebus trahendo illas ad se, neque mensurando illas modo immutabili; sed illas immutando per contactum ad extra in suo proprio loco, & mensura. Eternitas verò non mensurat per immutationem illarum: nam illa coexistentia, quam res ut existens in propria duratione, & mensuram habet ad æternitatem, non est coexistentia mensurati, & contenti ab æternitate sub uniformitate illa simul possidendi rem mensuratam, quam de se habet æternitas; sed est coexistentia ad æternitatem concomitantem se habens cum æternitate: non formaliter sub ratione mensurati, & reducti ad uniformitatem æternitatis per modum possessionis simultaneæ. Si hoc non est caliginosè caligine obvolverè, quid est? Inculcet hic Io. à S. Tho. hoc esse mysterium: quod tamen ego ut sic credam non pie afficior: utpote Fide planè credens ex adverso, in principio creasse Deum Cælum, & terram, & ante creationem exercitam nihil omnino physicè, & realiter coexistisse Deo.

38 Sed quidquid sit, vrgo paritatem, resumendo omnes hos caliginosos terminos. Immenfitas non minùs infinita in suo genere, nec minùs in se tota simul quam æternitas, non trahit res omnes creatas alicubi existentes, ad se, ut faciat illas vbique adesse: nec illas mensurat, nisi per contactum illas immutando ad extra in propria cuiuscumque mensura obiectivâ, ita ut non adsint realiter vbique, adhuc in aliena Immenfitatis mensura; sed tantummodo ubi in propria mensura suæ vbicationis sunt: ergo æternitas non trahit res omnes creatas, aliquando existentes ad se, ut faciat illas semper, & ab æterno durare: nec illas mensurat, nisi per contactum illas immutando ad extra in propria cuiuscumque mensura durativa, ita ut non sint realiter, & physicè semper adhuc in aliena æternitatis mensura; sed tantummodo quando in propria mensura suæ durationis sunt. Aut certè si Immenfitas non minùs infinita

est, & tota simul, quam æternitas, salvas perfectissimè rationem mensurae generalis infinitæ, & in suo genere superioris ad omnes vbicationes creatas; quin omnes trahat ad se ut vbique sint, sed illis dumtaxat præsentis, ubi physicè, & realiter in propria suæ vbicationis mensura sunt; cur similiter æternitas quantumvis infinita, & tota simul, non salvabit perfectissimè rationem mensurae generalis infinitæ, & in suo genere superioris ad omnes durationes creatas; quin omnes trahat ad se, ut semper sint; sed illis dumtaxat condurans, & coexistens quando physicè, & realiter in propria suæ durationis mensura sunt?

39 Fixum ergo sit, quod sicut res verè, & in se physicè non existens, nec est physicè in hoc ubi creatæ suo speciali, nec in ubi increato generali divinæ Immenfitatis; ita nec est physicè in hoc nunc creatæ suo speciali, neque in nunc increato generali divinæ æternitatis: ac proinde nec in propria, nec in aliena mensura durativè, sicut neque vbicativè, donec physicè, & realiter existat in se, & in mensura propriae durationis, & vbicationis.

40 Confugit ibidem Io. à S. Thom. Ioan. à S. Tho. ad æternitatem divinæ actionis supponens, esse quid increatum, & æternum, quamvis non immutet, seu producat res ipsas ab æterno, sed in tempore: dicensque, res creatas non mensurari per æternitatem ab æterno immediatè, sed mediatè, mediâ scilicet actione æternâ, cuius sunt terminus: nam, inquit, licet esse creatum, seu terminus actionis divinæ temporaliter immutetur in proprio esse, & mensura; tamen ab æterno respicitur, & connotatur, & sic immutabili, & æterno modo, dum mensuratur actio, mensuratur terminus: & sub hac consideratione dicitur trahi ad aliam rem mensuram: quia mensuratur eadem mensura, quæ ipsa actio, cuius est terminus.

41 Permissâ suppositione, videre debuit doctissimus Magister, illam actionem, si quid increatum est, non solum esse æternam, sed etiam immensam: si ergo, quod illa mensuretur immediatè per æternitatem, est ratio cur mediatè terminus creatus illius, in aliquo tempore passivè producendus, trahatur per illam, ut etiam per æternitatem mensuretur, dicaturque realiter, & physicè coexistens Deo semper, & ab æterno: ergo quod illa eadem actio mensuretur immediatè per Immenfitatem, erit par-

Kk 2

ra.

ratio, aut mediâ terminus illius in aliquo loco passivè producendus, trahatur per illam, ut etiam per Immensitatem mensuretur, dicaturque realiter, & physicè præsens Deo ubique, & immensè. Aut cur non ita? Expectamus rationem disparè non frivolum frivola paritatis.

41 Præterea mysterio mysterium addit dicens, actionem illam productivam æternam terminari temporalem denominare terminum ab æterno existentem, & non ab æterno productum: cum apud ipsum actio productiva sit ratio formalis producendæ terminum; non verò existendi: ratio namque formalis existendi est apud ipsum. modus creatus termino superadditus. Liceat repetere, quod aliò dixit Augustinus lib. 7. de Peccatorum meritis, cap. 36. *Dicant ista qui ausi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint.*

August.

S. Tho.

42 Mirabilis est, quòd innotat se Ioan. à S. Tho. ad istam suam cogitationem testimonio S. Tho. q. 1. de Pot. art. 1. ad 8. dicens: *Potentia Dei semper est coniuncta operationi; sed effectus sequuntur secundum imperium voluntatis: unde non oportet, quòd semper sit coniuncta effectui, sicut nec quòd creatura fuerint ab æterno.* Hunc locum, qui per priora verba posset forte prodesse ad veritatem suppositionis, quòd nempe actiones sint quid in creatam, & coæternam Deo; affert hic egregius Commentator, ut firmet ex S. Tho. suam mentem, quòd æternitas Dei trahat ad se creaturas in tempore productas, ut fuerint semper, & ab æterno physicè coexistentes mensuræ æternitatis divinæ. Ita tamen genuinè, ut ubi S. Tho. dicit: *operatio non semper fuit coniuncta effectui*, Commentator interpretetur: *semper fuit coniuncta*: & ubi S. Tho. dicit: *nec quòd creatura fuerint ab æterno*, quamvis actio Dei fuerit ab æterno; Commentator interpretetur: *quia actio Dei fuit ab æterno, creatura fuerunt ab æterno per ipsam Dei Æternitatem, ut mensurantem actionem*: & ubi S. Tho. supponit, necesse non esse, quòd mensura actionis sit mensura termini, Commentator interpretetur, non posse terminum non mensurari æternitate, si actio æternitate mensuretur. Hoc est commentari planissimè S. Thomam per antiphras.

43 Per hæc ostensum manet, non solum contra Thomistas, res nondum in se, & in mensura sua propriæ durationis exi-

stentes, non coexistere realiter, & physicè ab æterno; quin etiam, contra supracitados Auctores nostros, nec Dei æternitatem illis ab æterno physicè, & realiter coexistisse: nec illis coexistere nisi cū realiter in tempore sunt. Quia, nisi verbis abuti liberè velimus, physica, & realis coexistentia, est physica, & realis duorum, sive plurium simul existentia: rei enim quæ non existit, nihil coexistit, ut ex terminis videtur clarum. Atque adeò implicatorium est, Deum physicè, & realiter coexistisse ab æterno creaturis, quin creaturæ ab æterno physicè, & realiter existerent ab æterno simul cum Deo. Quidquid tergiversari ingeniosè velit doctissimus P. Thyrsus *sect. 5. num. 38.* aliter sibi accommodans verè coexistentiæ explicationem, ex aliquibus denominationibus arguens invalidè ad alias. Quæ posset arte pari iure contendere, hominem esse actu hominem, & verè sapientem, aut sanctum per corpus actu existens, & per animam, sapientiam, aut sanctitatem nondum existentes. Ad nostrum *num. 26.* & deinceps.

Supra  
sect. 2.

Thyrsus.

#### SECTIO IV.

*FIT SATIS AUTHORITYATI-  
bus in oppositum: & mens  
S. Thomæ diluc-  
datur.*

44 O pponunt primò celeberrimè S. Tho. locum S. Tho. 1. p. q. 14. art. 13. *Licet contingentia fiant in actu successivè, non tamen Deus successivè cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos; sed simul: quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam sui esse.* Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus. Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia: non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentia, ut quidam dicunt; sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentia.

S. Tho.

45 Ne verbum quidem legitur in toto isto contextu, quòd verosimiliter favere possit intento Thomistarum. Titulus articuli est: *Utrum Scientia Dei sit futurorum contingentium*: & respondet S. Tho. quòd sic, contra aliquos à nobis memoratos *disp. 9. sect. 6.* qui, quamvis Deo con-

ce.

cederent scientiam necessariorum, quæ est simplicis intelligentiæ de rerum essentijs; negabant per errorem ab æterno in Deo scientiam visionis liberam contingentium, quasi ea scientia æterna impositura foret necessitatem rebus temporaneis. Contra hos igitur statuit S. Thomas, ab æterno dari scientiam quoque contingentium in Deo. Unde non agit pro æternitate rerum contingentium; sed pro æternitate divinæ scientiæ de rebus contingentibus: ideoque non ait, res ipsas mensurari æternitate, sed quòd Dei *cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse*, nempe esse Dei: nec negat successione in rebus, sed in cognitionibus divinis de rebus sibi successivè coexistentibus: successione, inquam, rerum; non successione divinæ cognitionis, aut æternitatis, quæ est tota simul. Id quòd punctim significat dicens: *non tamè Deus successivè cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul*: non quidem simultaneitate rerum cognitarum contingentium; sed simultaneitate suæ cognitionis æternæ, & permanentis sine successione in suo esse, nec in suo durare, sicut nos, iuxta discrimen à nobis adnotandum ex P. Suarez *sect. 6. num. 78.*

46 Quòd autem ait: *quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia*; loquitur evidenter de præsentia rerum obiectivâ intentionali ad divinam scientiam, quòd est verissimum, ut se explicat ipse dicens: *ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentia*: id est intentionaliter, & obiectivè ratione suæ scientiæ necessariæ simplicis intelligentiæ circa rerum essentias, quæ in phrasi S. Tho. sunt *rationes rerum*.

47 Quòd tandem addit: *non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentia, ut quidam dicunt; sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentia*; non ideo est, quia præter præsentiam obiectivam intentionalem concesserit rebus præsentia realem, & physicam ab æterno, ut sine vilo fundamento in S. Tho. comminiscuntur Thomistæ: si enim hoc voluisset S. Thom. non illi deerant hæc verba præsentia physica, & realis, quibus in suo commento utuntur Thomistæ: nec iterum recurrisset ad intuitum æternum divinæ scientiæ; sed quia præter præsentiam illam obiectivam intentionalem rerum ad scientiam simplicis intelligentiæ, quam solam Deo concedebant æternam aliqui per errorem; conce-

dit rebus contingentem existentibus, & futuris aliam præsentiam etiam obiectivam intentionalem talium contingentium ad scientiam Dei visionis contingentem, etiâ æternam, quam illi negabant, & negant etiam, teste Becano, aliqui Hæretici post *Vostri* *Rivo.* *Vostrium*, & Petrum de Rivo: cuius etiam scientiæ visionis *intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentia*: scilicet intuente Deo ab æterno per scientiam visionis æternam omnia nunc contingentem existentia, & aliquando futura, eorumque reales præsentia, seu reales præsentias temporaneas, prout quodlibet eorum est in aliquo tempore præsens in propria sua mensura: quòd erat negotium S. Tho. Ubinam, precor, aut quòdam mentio realis præsentia futurorum ab æterno in mensura æternitatis? Legatur mente minime præoccupatâ sinistris imaginationibus, aut affectibus S. Thomas, & nihil invenietur hoc nostro sensu dilucidius ad ipsius mentem.

48 Nec prodest quidquam Thomistis id quòd interijcit S. Tho. ibi: *Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus*: id enim affert optimè S. Tho. ad probandum suum intentum: nempe, cognitionem divinam de rebus contingentibus esse æternam, & realiter ab æterno: *quia mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse*, nempe esse Dei; neququam verò, nec per scmmium, ad probandam existentiam realem ab æterno rerum creaturarum contingentium à Deo cognitarum; quæ scilicet non ex equo conmensurantur æternitate, sed tempore successivo, quòd ambit æternitas tota simul. Profectò non minus Immensitas divina tota simul, & ubique, ambit omnem locum, quam æternitas tota simul, & semper, ambit omne tempus. Meditentur Thomistæ, an petinde inferre liceat, corpus alicubi coexistens localiter Immensitati Dei, existere localiter ubique, & immensè adhuc in aliena mensura: & bene videant, pari absurditate perinde inferri, rem aliquando physicè, & realiter coexistentem æternitati Dei, existere semper, & ab æterno in mensura æternitatis. Quæ paritate semper utulantur qui frivolum esse dicunt, ut aliquid dicant. Parcere possem alijs Testimonijs S. Tho. propter *Ioan. à S. Tho.* id quòd ait optimè Ioan. à S. Thom. eadem doctrinam tradi à S. Tho. in alijs ac in isto, in quo vidimus, nihil minus tradi à S. Tho. quam doctrinam Thomistarum.

Op.



Albeld.

49 Opponunt 2. ex 1. contra Gent. cap. 66. *Quidquid est in quacumque parte temporis coexistit aeterno, (bene, aeterno; & non, ab aeterno, ut corruperat Albeld) quasi praesens eidem, et si respectu alterius partis temporis sit praeteritum, vel futurum.* Et post pauca: *rerum, quae apud nos nondum sunt, Deus videt non solum esse, quod habent in suis causis; sed etiam illud, quod habent in se ipsis, in quantum eius Aeternitas est praesens in sua indivisibilitate omni tempore.* Prioribus verbis iam dedimus suum sensum planum num. 18. Quod autem in illis additur: *quasi praesens eidem, et si respectu alterius partis temporis sit praeteritum, vel futurum;* habet responsum in eodem S. Tho. 1. p. q. 10. artic. 2. ubi cum sibi obiecisset hunc syllogismum: *In Aeternitate non est praesens, praeteritum, & futurum: sed de Deo dicuntur in Scripturis verba praesentis temporis, praeteriti, & futuri: ergo Deus non est aeternus:* respondet: *Ad quartum dicendum, quod verba diversorum temporum tribuuntur Deo in quantum eius Aeternitas omnia tempora includit: non quod ipse varietur per praesens, praeteritum, & futurum.* Vides non omnino negari, Deo esse aliqua praesentia, aliqua praeterita, aliqua futura; sed negari, quod id fiat respectu Dei cum variatione intrinseca in ipso Deo, eiusve duratione permanentissima; sicut fit respectu nostri propter discrimen à nobis notandum sect. 6. num. 78. hinc iam insinuat in sua responsione à S. Tho.

S. Tho.

50 In posterioribus verbis nihil video difficultatis. Quod enim ait, Deum videre esse creaturarum, *quod habent in se ipsis: dās rationem: in quantum eius Aeternitas est praesens omni tempore;* non est, ut intelligunt Thomistae, dare pro ratione visionis Dei ab aeterno praesentiam realem rerum ab aeterno; sed aeternitatem, sive praesentiam realem ab aeterno divinae visionis rerum, non ab aeterno, sed in suo tempore praesentium. Nec te moveat verbum illud: *habent:* quo videtur denotari, quod quae nondum sunt in se habent iam esse de praesenti in mensura Aeternitatis. Sæpe enim verbum de praesenti ampliatur ad tempus etiam praeteritum, aut futurum respectivè: ut patet ex iisdem verbis S. Tho. *quidquid est in quacumque parte temporis:* non enim loquitur de ijs dumtaxat, quae in hoc tempore praesenti sunt; sed generaliter de ijs etiam, quae in praeterito fuerunt, & in futu-

to erunt: & omnia comprehendit ampliativè per verbum de praesenti, est: respectivè nimirum ad instans praesentiae realis cuiuscumque rei in suo tempore.

S. Tho.

51 Opponunt tertio ex 3. contra Gent. cap. 154. ubi docet, futura contingentia divinae cognitioni subesse: *quia ea in se ipsis videt, cum sint ei praesentia ratione aeternitatis.* Et ex Opusc. 2. cap. 133. *Quod Deus per certitudinem cognoscit omnia quacumque per temporis decursum aguntur: nam aeternitas sua praesentialitate totum temporis decursum attingit, & ultra transcendit.* Respondetur. Verissimè dici, Deum videre futura in se ipsis, quia sibi sunt praesentia: obiectivè scilicet, & intentionaliter: & hoc quidem ratione Aeternitatis, Dei scilicet, suaeque visionis; non futurorum. Quippe Deus, divinaque visio, debent esse ab aeterno, ut ab aeterno, & semper videat futura sibi semper obiectivè praesentia, vel quae pro suo tempore videntur realiter, & physicè praesentia.

52 Textus alter ex Opusc. 2. suam explicationem habet in contextu eiusdem S. Tho. sic pergentis: *Manifestum est etiam, quod licet singularia corporalia, & temporalia non simul sint, tamen simul Deus eorum cognitionem habet: cognoscit enim ea secundum modum sui esse, quod est aeternum, & sine successione: sicut enim materialia immaterialiter, & multa per unum cognoscit; sic & quae non simul sunt uno intuitu conspicit: & sic non oportet, quod eius cognitioni aliquid addatur, vel subtrahatur.* Itaque, sicut Deus cognoscit immaterialiter materialia, quin antea per immaterialitatem Dei fiant realiter, & physicè immaterialia; ita & temporalia aeternè, & successiva simul, quin antea per Aeternitatem Dei fiant realiter aeterna, ut per simultaneitatem cognitionis divinae, fiant realiter, & physicè simul. Ea enim praesentialitas, & simultaneitas de qua S. Tho. se tenet ex parte divinae cognitionis; non ex parte rerum cognitarum, nisi tantum in cognosci.

S. Tho.

53 Opponunt quarto ex quest. 2. de Verit. art. 12. *Cum visio divina Scientiae mensuretur Aeternitate, quae est tota simul, & omne temporis includit, nec alicui parti temporis deest; sequitur; ut quidquid in tempore geritur, non ut futurum, sed ut praesens videt.* Respondetur: in his verbis clarissimè arguere S. Tho. ex aeternitate divinae visionis; non verò ex aeternitate futu-

rerum. Quid clarissimè? Quod autem ait, aeternitatem claudere omne tempus, & nulli parti temporis deesse; intellige, ex parte sua: quia cum essentialiter sit permanentissima, quodcumque quodlibet tempus existit, ei aeternitas coexistit. At inquis: quomodo ex aeternitate divinae visionis arguit S. Tho. quod quidquid in tempore geritur, non ut futurum, sed ut praesens videat? Id enim videtur non posse itè argui nisi ex eo quod futura sint Deo semper realiter praesentia. Respondetur, mirificè id argui à S. Tho.

54 Quoniam, si ego, qui cognosco intuitivè hodie cursum Petri mihi hodie praesentem, habuissem heri eandem numero cognitionem eadem numero duratione durantem; heri intuitivè vidissem cursum Petri mihi praesentem hodie, non heri. Hoc autem ratione suae aeternitatis compegit Deo, divinaeque visioni: quippe eandem visionem, & eadem duratione durantem, quam habet Deus hodie coexistentem cursui Petri, habuit ab aeterno: atque adeò, sicut videt hodie cursum praesentialiter hoc tempore, & non ab aeterno coexistentem; eodem prorsus modo videt ab aeterno, & in aeternum eundem cursum praesentialiter sibi hoc tempore, & non ab aeterno coexistentem: ac proinde intuitivè semper, & praesentialiter: praesentialitate quidem divinae visionis ad totam aeternitatem simul, & semper; praesentialitate verò rerum ad tempus suae durationis successivè, non ad aeternitatem semper, sed pro suo tempore.

55 Atque hinc est quod ait S. Thom. quod Deus *quidquid in tempore geritur, non ut futurum, sed ut praesens videat:* quia nempe visio rei est ad rem ut realiter praesentem: & sic est divina visio ab aeterno, ad res scilicet non ut realiter praesentes ab aeterno; sed ut realiter praesentes in tali tempore suae propriae durationis temporariae: respectivè autem ad tale tempus non sunt futura, sed praesentes: quamvis respectu alterius temporis successivè duratione prioris, & respectu aeternitatis permanenti duratione prioris, sicut sunt verè duratione posterioris, ita sunt verè futurae, & ut futurae cognitae à Deo: ut ex ipso S. Thom. dicemus sect. ult. Difficultas gravis hinc occurrens circa invariabilitatem, & immutabilitatem talis modi cognoscendi divini proponetur, & solvetur late disp. 14. sect. 2.

Infra  
disp. 13.  
S. Tho.

56 Opponunt quinto ex 1. p. q. 57. art. 3. ubi probat S. Tho. Deum cognoscere om-

nia in se ipsis, qui ea videt in sua aeternitate: quae, cum sit simplex, toti tempori adstet. Et in 1. dist. 38. q. 1. art. 5. ait: *Cum Deus sit aeternus, oportet, quod cognitio eius modum Aeternitatis habeat, qui est esse totum simul sine successione.* Et deinde: *unde, sicut, quamvis tempus sit successivum, tamen Dei aeternitas est praesens omnibus temporibus una, & indivisibilis, & nunc stans, ita & eius cognitio.* Et tandem: *ita & cognitio sua intuetur omnia temporalia, quamvis sibi succedentia, ut praesentia sibi: nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius.*

57 Non negamus, Deum existentem in sua aeternitate cognoscere quidquid in sua aeternitate existit; sed negamus, ea omnia, quae existunt in aeternitate, esse aeterna, & ab aeterno existentia. Nec, quod Dei aeternitas sit simplex, & toti tempori simul adsit; arguit, quod adfuerit tempori, antequam esset tempus; sed quod tota sit praesens cuicumque tempori, quando tempus existit. Adest itaque simul toti temporis: scilicet simultaneitate sui; non tamen simultaneitate temporis; sed tota simul vni tempori post alium cum successione temporum. Sic Immenfitas tota simul adest omni loco creato, ubi & quando locus non adest, non ubi & quando locus non adest.

58 Neque negamus quod ait S. Tho. in 1. Ibi autem non ait, cum Deus sit aeternus, oportere quod res ab ipso cognitae, habeant modum aeternitatis; sed quod *cognitio eius modum aeternitatis habeat:* idem habet in secundo testimonio, ut legere est. Itaque semper stat S. Tho. constantissimè pro aeternitate divinae cognitionis rerum; nusquam pro aeternitate rerum cognitarum. Haec igitur inconsequentia est Thomistarum; non consequentia S. Tho. Quippe in ijs aliquid praemittit, & aliquid infert: scilicet ex modo, quo aeternitas Dei adest realiter praesens omnibus rebus, infert, Dei cognitionem intueri res omnes, ut sibi praesentes. At in nulla praemissa probavit, nec asseruit S. Tho. quod Dei aeternitas adsit realiter, & physicè praesens omnibus rebus antequam in se realiter, & physicè sint; sed quando in se sunt. Unde nequit esse iuxta ipsius mentem, inferre, quod Dei cognitio intuetur res omnes ut realiter, & physicè sibi semper praesentes ab aeterno, & antequam sint in se; sed solum, quod intueatur res ut realiter praesentes sibi, quando realiter in se sunt.

In

59 In postremo loco non ait S. Tho. cum Thomistis, quod Dei cognitio intuetur omnia temporalia, quamvis inter se succedentia, ut presentia sibi, ab aeterno, & ut realiter presentia sibi, antequam sint presentia in se ipsis suo tempore; sed ait cum omnibus, omnia temporalia esse Deo presentia realiter, unumquodque pro suo tempore: & Dei cognitionem intueri, ut sic presentia, omnia temporalia intuitu suo permanenter aeterno, & indivisibiliter, sicut ipse Deus, coexistente omnibus illis successivè fluentibus, unicuique pro sua temporis differentia. Quod ait S. Tho. nullum eorum, quæ futura sunt, esse futurum respectu Dei, eatenus dicit, iuxta discrimen ex P. Suarez observandum *sect. 6 num. 78.* quatenus quæ futura sunt non eodem modo sunt futura respectu Dei, ac respectu nostri: nam respectu nostri cum erunt, erunt presentia in se quando aut nos, non erimus, aut saltem presentia hæc nostra duratio non erit; ac respectu Dei cum erunt, erunt presentia in se, non solum simul cum Deo, sed simul etiam cum presenti duratione Dei, quæ tunc etiam erit & semper fuit, & est presentia. Per hæc intelliguntur etiam similes loquutiones aliorum SS. Patrum.

## SECTIO V.

FIT SATIS RATIONIBVS,  
& nonnullis equivocationibus  
vulgaribus.

60 **O**pponunt deinde à ratione. Dei eternitas est indivisibilis, & tota simul: ergo quidquid illi semel realiter coexistit, toti Dei eternitati realiter coexistit: sed quodlibet futurum aliquando ei realiter coexistit, in hoc differens à purè possibili: ergo quodlibet futurum ei coexistit realiter ab aeterno. Probatur hæc consequentia: quia idem est coexistere realiter toti eternitati Dei, & coexistere realiter ab aeterno.

61 Ut hanc vim effugiant, confugiunt aliqui ad tempus imaginarium infinitum realiter distinctum à Deo: quod dicunt esse eternitatem Dei extrinsecam: non totam simul, sed successivè dispositam ex infinita serie carentiarum fluxibilium. Alij ad distinctionem virtuales formalitatum intrinsecarum divinæ eternitatis per respectus ad diversa tempora successiva Deo extrinseca: sicut Immensitatis per respectus

ad diversa loca Deo extrinseca. Hos reiecimus *disp. 7. sect. 11. num. 159.* illos in hac *disput. sect. 1.* Quippe, ut futura essent ab aeterno, requirunt id, quod coexistit chimerico, & infinito processui carentiarum: cui certè, nec Deus eternissimus coexistere valet, sicut neque alteri Deo.

62 Respondetur clarè, & solidè, concedendo totum usque ad ultimum in consequentiam: quam cum sua probatione absolute negamus. Porro quodlibet futurum toti eternitati realiter coexistit, quando illud realiter existit; ac quando realiter in se non existit, nec toti eternitati, nec parti eternitatis, nec ulli rei realiter coexistit. Aliud ergo est coexistere toti eternitati; aliud est existere ab aeterno: coexistere toti eternitati convenit unicuique rei aliquando existenti: quia quod aliquando existit, coexistit omni rei tunc existenti. Coexistere ab aeterno, dicit existere realiter semper, & ab aeterno, dicit durare formaliter per eternitatem, dicit durare per durationem, quæ sit eternitas: hæc autem solius Dei sunt; res tamen aliquæ nec semper sunt, quia aliquando sunt, & aliquando non sunt; nec durant formaliter per eternitatem permanentem, sed per formam creatam suæ limitatæ, & successivè durationis: nec durant per durationem quæ sit eternitas; sed per durationem temporariam creatam realiter distinctam ab eternitate Dei. Quamvis igitur quandiu res creatæ durant, coexistant realiter eternitati, & Deo aeterno; non tamen coexistunt realiter semper, & ab aeterno: quia non existunt in se semper ab aeterno.

63 Explico solutionem, simulque insto argumentum in Immensitate Dei. Cui scilicet toti, cum etiam sit tota simul, & indivisibiliter ubique; est realiter presentia quidquid alicubi est: quin certè perinde quidquid alicubi est, ubique sit. Quia nempe ad essendum ubique non sufficit esse vtrumque presentia toti immensitati, vocationi, seu ubiuitati Dei; sed necesse esset vocationi infinite formaliter per Immensitatem, seu per vocationem Dei: nihil autè creatum vocationi formaliter infinite per Ubicationem Dei, nec durat formaliter per durationem Dei; sed vocationem per vocationem finitam creatam, & durat per durationem finitam creatam. Unde, sicut per Immensitatem, seu per Ubicationem Dei nihil creatum ubiuitatur, nec fit immensum adhuc in aliena mensura; ita nec per eternitatem, aut per duratio-

tionem Dei aternatur, nec fit aeternum adhuc in aliena mensura quidquam creatum.

64 **U**rgent. Per nos Deus ab aeterno, & hodie habet durare *cras*, durare *heri*, & durare *semper*: ergo res semel correspondens, seu realiter coexistens durationi hodiernæ Dei, eo ipso coexistit durationi etiam hesternæ, crastinæ, & sempiternæ Dei: ergo eo ipso existit sempiternè, & ab aeterno. Confirmatur. Deus ut durans hodie, est simul durans *heri*, *cras*, & *semper*: sed res existens hodie coexistit realiter Deo, ut duranti hodie: ergo etiam ut duranti *heri*, *cras*, & *semper*: ergo eo ipso quod existit, & durat realiter hodie, existit semper. Instatur similiter in Immensitate hinc, & ubique habente suum *hic*, suum *illuc*, & suum *ubique*, nec minus ambiente omne spatium, quam Aeternitas ambient omne tempus: quin perinde res hic illi presentia, sit illi ubique presentia localiter.

65 Respondetur distinguendo antecedens: Deus ab aeterno, & hodie habet durare *cras*, durare *heri*, & durare *semper* coexistivè ad diem crastinum, hesternum, & ad omne aliud tempus à se distinctum, nego: habet suum durare *cras*, & suum durare *heri*, & suum durare *semper* intrinsecum coexistivè ad omnes has suas differentias durandi totas simul, concedo: habet enim Deus ipsum durare, quo ipse formaliter durabit *cras*, & durabit *heri*, & durat *semper*: quod durare est sua ipsius Aeternitas increata indivisibilis, & permanentissimè tota simul. Hoc autem est, Deum habere hodie suum durare *heri*, & suum durare *cras*, & suum durare *semper*: id est, durationem, quæ durabat, quando durabat dies hesternus, & quæ durabit, quando durabit dies crastinus, & quæ durat, quando-cumque durat aliud tempus, & ante omne tempus, & post omne tempus assignabile, ut explicatum est *num. 21.*

66 Concessa ergo in hoc vero, & solidò sensu primæ consequentiæ, nego secundam. Quis, ut res semel coexistens hodie durationi hesternæ, & crastinæ Dei, existat semper, & ab aeterno; non sufficit, quod hodie realiter coexistat omnibus illis durationibus Dei, quibus utique durat formaliter solus Deus; sed necesse esset, quod non solum hodie, sed *heri* etiam, & *cras*, & *semper*, illis realiter coexistere: quod falsum est: nam duratio, quæ dies hesternus durabat *heri*, aut duratio quæ res hesternæ

durabant *heri*, non est hodie, nec erit *cras*: nec res creata hodierna, eiusve hodierna duratio erat *heri*, nec erit *cras*, nec *heri*, coexistebat, nec *cras* coexistet, illi durationi indivisibili, ac invariabili Aeternitatis Dei: ideoque non est semper existens, nec coexistens Deo ab aeterno, quamvis sit hodie coexistens Deo aeterno, ut loquitur S. Tho. benè: & male *n. 18.* allegatus à suis *n. 49.*

67 Ad confirmationem distinguo maiorem: si ea reduplicatio cadat supra durationem diei hodierni crastini, & hesterni, nego maiorem: hæ enim durationes sunt inter se realiter distinctæ, & temporaliter distantes, quarum una fuit quando non erat alia. Si ea reduplicatio cadat supra durationem Dei, qua nempe Deus durabat *heri*, durat hodie, & durabit *cras*, & *semper*, concedo maiorem: & concessa similiter minori, distinguo consequens: cadente reduplicatio supra durationes diei hesterni, & crastini, nego: cadente supra durationem, qua Deus durabat *heri*, & durabit *cras*, concedo: nego autem absolute subillationem. Quia limitata eius rei hodiernæ duratio, quamvis hodie coexistat durationi Dei extendenti se ab *heri*, ad *cras*, & ad *semper*; ipsa tamen non se extendit ad *heri*, ad *cras*, & ad *semper* suum, nec ad durationem diei hesterni, nec crastini.

68 Itaque sicut corpora non sibi ad sunt localiter, imò distant ad invicem, quamvis, ubi sunt, adsint penetrativè Deo, totique divinæ Immensitati indivisibiliter ubique diffusæ in infinitum ultra omnia corpora, & loca; sic dies hesternus, & crastinus, quamvis quando sunt sint durativè presentes, & ut ita dicam, durativè penetrati cum Deo, totaque divinæ Aeternitate indivisibiliter semper diffusæ ultra omnes alias durationes, & tempora; inter se tamen durativè distant per suas durationes non simultaneas, sed sibi succedentes: ac proinde neque dies crastinus coexistebat *heri*, diei hesterni, nec Deo: neque dies hesternus coexistet *cras* diei crastino, nec Deo; dies verò hodiernus coexistit hodie Deo, totique Aeternitati divinæ; & non diei hesterni, & crastino, prout opus erat, ut verè dicatur esse *heri*, & *cras*, & *semper*, & ab aeterno.

69 Opponunt deinde. Aeternitas Dei est superior, & generalis rerum omnium creatarum mensura: sed fuit ab aeterno: ergo in illa aliena mensura res omnes fuerunt ab aeterno. Explicant se exemplo centi-

cui correspondent omnia puncta circumferentia. Caterum hoc eodem exemplo possent uti pro Dei Immenitate: quæ in suo etiam genere est omnium locorum, & locorum mensura in eodem aliquali sensu, quo dici potest Æternitas in suo genere omnium durativum, & temporum mensura: quin tamen perinde ex eo quod Immenitas Dei sit ubique, argui possit, res omnes, sic per eam mensuratas, esse ubique in aliena mensura.

70 Respondetur distinguendo antecedens: est rerum creatarum mensura illis durativè cœqualis nego: illas superexcedens concedo. Et distinguo minorem: fuit ab æterno actu mensurans res creatas nego: quia ab æterno solus erat Deus in æternitate sua: actu non mensurans res creatas, sed successivè in tempore, quo res ipsæ succedunt, concedo minorem: & nego consequentiam nescio unde deductam. Nam sicut non ubicumque est mensura est mensuratum, ut patet in Immenitate; ita non quodcumque est mensura, est mensuratum, ut dicere necesse est in Æternitate: sed est tantummodo mensuratum ubi, & quando actu mensuratur. Nec est iuxta rationem mensuræ dare formaliter esse reale mensurato: quinimò mensuræ, ut actu mensurent, supponunt res quas mensurant in suo esse existentes.

71 Exemplo illo centri non tam se explicant, quam implicent Adversarij: nam puncta circumferentiæ non physicè, & realiter correspondent, aut coexistunt centro, nisi in se realiter, & physicè existant. Magis esset e re exemplum illud puncti centri respectu punctorum circumferentiæ in fieri: tunc enim successivè correspondent centro, quatenus successivè describuntur circa centrum: unumquodque autem illorum physicè coexistit centro, cum physicè sit, & existit in se, & non aliter. Eadem facilitate labefactari possent alia exempla; quibus mirâ dexteritate utitur Magister Lumbier, nihil concludentia pro sententia Thomistarum.

Lumbier

Thomistarum.

(V)

SECTIO VI.  
ULTIMA OBIECTIO: UBI,  
an respectu Dei sint res creatæ  
præterita, & futura.

72 Opponunt denique. Quæ respectu nostri sunt præterita, & futura; non sunt præterita, & futura respectu Dei: ergo sunt semper Deo præsentia. Antecedens probatur multipliciter.

73 Primò ex multis loquutionibus SS. Patrum, quarum aliquas exscripsimus *sect. 4.* significantes, res, quæ respectu nostri futuræ sunt, non esse futuras, sed præsententes respectu Dei.

74 Secundò: quia ut res sit futura respectu Æternitatis Dei, debet non esse in aliqua parte Æternitatis, & in alia parte Æternitatis esse: sed hoc non; cum Æternitas Dei sit indivisibilis, & tota simul: ergo respectu Æternitatis Dei nihil est futurum.

75 Tertiò: quia eorum, quæ si existant, necesse est existere simul, nequit unum esse futurum, aut præteritum respectu alterius: sed si existant Deus, & creatura, necesse est existere simul: ergo nec Deus respectu creaturæ, nec creatura vlla respectu Dei potest habere rationem præteriti, nec futuri.

76 Quartò ingeniosus ex P. Thyrsos: quia Deus mihi coexistens in instanti, A, non est durativè distans ab instanti, P, in quo v.g. produceretur Antichristus; imò potius indistans: ac proinde iam physicè præsens, & realiter coexistens instanti, P, productionis Antichristi: ergo nec instans, P, durationis Antichristi, nec Antichristus ipse est nunc quid futurum respectu Dei. Et idem est ob eandem rationem de omnibus alijs, quæ respectu nostri sunt futura, aut præterita: quæ proinde respectu Dei, nec futura, nec præterita dicenda sunt. Sic nonnulli etiam ex nostris: quos sequitur novissimè P. Thyrsus *sect. 5.*

77 Nihilominus tamen ex hæcenus disputatis videtur, oppositum clarè satis inferri: scilicet, non omnes res esse simul realiter præsententes Æternitati Dei; sed quasdam esse illi realiter præsententes, quæ nimirum actu in se sunt: quasdam realiter, & verè futuras, quæ nondum in se sunt, & erunt. Sic cum Suarez, & alijs Nicolaus Martinecz *sect. 6.*

Thyrsus.

Suarez.  
Mart.

Ra-

78 Ratio nostra est. Nam antequam Deus quidquam faceret, Deus erat: ergo Deus erat duratione prior respectu eorum, quæ facta sunt: & consequenter hæc fuerunt duratione posteriora Deo: dicente planissimè S. Tho. q. 46 art. 10. *Ad octavum dicendum, quod Deus est prior mundo duratione.* Hoc autem est, mundum, & alia, quæ tunc non erant, esse antequam fierent verè, & realiter futura respectu Dei. Similiter discurrere licet de præteritis.

S. Thom.

79 Respondetur iam ad rationem oppositam negando antecedens. Cum discriminatione tamen sapienter observato à P. Suarez *lib. 2. de Attrib. cap. 4. nu. 7.* Quod nempe futura, & præterita non eodem modo sunt futura, & præterita respectu Dei ac respectu nostri. Nam respectu nostri taliter sunt futura, & præterita, ut hoc fiat cum ipsarum rerum mutatione successivà, & cum aliquâ etiam mutatione in nobis.

Suar.

Quippe, quamvis multis rebus succedentibus nos interdum permaneamus; non tamen permanet nobiscum eadem nostra duratio, quæ fluxa est, & successivè variatur in nobis proinde physicè immutatis decursu temporis. At respectu Dei taliter sunt futura, & præterita, ut hoc fiat cum sola mutatione successivà in rebus, absque vlla prorsus mutatione Dei, & divinæ durationis. Quippe non solum Deus; sed Dei quoque duratio permanentissima est; nullam in se patiens intrinsecam mutationem, aut successivam vicissitudinem: cum formalis Dei duratio sit eius Æternitas semper tota simul, semperque, simulque secum idem, unificans omnes suas differentias durandi: ut explicuimus *num. 21.* Ex quo clarè, & verissimè, & clarissimo lucem accipiunt multæ loquutiones SS. Patrum id demtaxat intendentium, & in re nobis non existantium. Unde.

80 Ad primam probationem antecedentis ex num. 75. dico, ex loquutionibus SS. Patrum nihil inferri nobis oppositum: solum enim intendunt, res creatas non esse respectu Dei futuras, & præteritas, eodem modo ac respectu nostri, iuxta discrimen observatum *num. præc.* iuxta quod aliquas illarum exposuimus sigillatim in præcedentibus inter respondendum ad Auctoritates Sancti Thomæ, præsertim *num. 50. & 60.*

81 Ad secundam ex num. 74. negatur maior. Nam ut res sit futura, aut præterita respectu Æternitatis Dei, sufficit, quod

stante semper tota Æternitate Dei, res aliquando fuerint, & aliquando non sint; aliquando sint, & aliquando desinant esse. Unde concessa minori, negatur consequentia.

82 Ad tertiam ex num. 75. distinguitur maior: si necesse est existere simul adæquatè durativè, concedo; aliter, nego maiorem. Ad minorem autem dico, non esse necesse, quod si existant Deus, & creatura, existant simul adæquatè durativè: nam cum eo quod solus Deus necessariò semper existat, & extiterit ante creaturam, stat, quod si existat, existat simul: & quod per totâ illam durationem, qua præcessit Deus creaturam, sit creatura posterior, & verè futura respectu Dei. Unde concessa consequentia de Deo respectu creaturæ, quippe Deus, nec præteritus est, nec futurus, utpote semper, & necessariò in se existens; nego illam de creatura respectu Dei.

83 Ad quartam ex num. 76. distinguendum est antecedens: Deus mihi coexistens in instanti, A, non est distans ab instanti, P, suæ divinæ, ac æternæ durationis permanenti invariabiliter dum produceretur Antichristus, concedo: non est distans ab instanti P, durationis creatæ, & temporariæ Antichristi, nego. Nam à duratione creatæ Antichristi, quæ nempe durabit formaliter Antichristus dum produceretur, distat nunc durativè Deus sicut ab ipso Antichristo. Per instans verò Æternitatis, quod est duratio formalis tota simul Dei, durabat, durat, & durabit Deus prior duratione ad Antichristum nunc non durantem, & duraturum postea per suam durationem creatam, & temporariam. Unde nego consequentiam. Nam ex antecedente, secundum quod habet veri, solum sequitur, Deum nulli rei esse præteritum, quia non desinit durare; nec esse futurum, quia non incipit durare; sed per se esse præsentem Æternitati suæ semper, sicut Immenfitati suæ ubique; rebus autem creatis earumque durationibus esse præsentem, non semper, sed quando sunt; sicut non ubique, sed ubi sunt. Quo tamen non tollitur, quominus res creatæ, eâ temporum successione, qua eveniunt, sint quoad realem, & physicam præsentiam, seu coexistentiam Deo, semper sibi, & cuicumque existenti præsentissimo, aliquando præsententes, aliquando præteritæ, aliquando futuræ: cum discrimine notato *num. 79.*

84 In calce: de verbis illis, *fuit, est, erit.*

L 2

erit.

erit, nota, quod possunt dici de Deo: non quidem significando præteritionem, & futuritionem Dei, sed præteritionem rerum, ac temporum, quæ fuerunt & non sunt, quibus Deus coexistit quando erant: seu futuritionem rerum, ac temporum, quæ non sunt, & erunt, quibus Deus semper stans coexistet, quando erunt. Non tamen dici potest Deus *præteritus*, *præteritus*, aut *futurus*: quia hæ voces sonant ex vltu præteritionem, seu futuritionem Dei, negando existentiam de præsentibus, vt de istarum vocum rigore insinuavi iam *num. 82.* quo rigore non solent usurpari verba illa: *fuit*, *erit*, vt potest solùm positivè significancia Deum existere cum præteritis, & exiturum cum futuris: non autem negantes existere cum præsentibus.

### SECTIO VII.

**AN DECRETA DEI REALITER ATERNA, SINT VIRTUA I ET FUTURA RESPECTU NECESSARIORUM DEI.**

**85** Decreta Dei, adhuc quo ad denominationem contingentem, esse Deo realiter coæterna, ac proinde non realiter futura, cum semper realiter actu sint, supponimus vt certum ex dicendis de eorum immutabilitate

*Infra d. sp. 14. Magin. Fuster. Fasol. Montoy. Granad.*

**86** P. Maginus Pagesius huius Collegij, & Provinciae præclarissimus Magister, quem sequutus est Fuster *disp. 3. de Volunt.* promovit acriter sententiam affirmantem: quæ tribui quoque solet Fasolo, Montoy. & Granado. Discernebat itaque in Deo triplex signum: primum, necessariorum Dei; secundum, futuritionis liberorum; tertium, existentiae liberorum: & pro secundo illo signo dicebat decreta realiter aterna esse virtualiter futura. Quod probabat multipliciter.

**87** Primò. Necessaria Dei sunt priora liberis prioritate virtuali *in quo*: ergo decreta, vt pote libera, sunt virtualiter futura respectu necessariorum: nam eo modo quo vnum est *in quo* priùs, alio, istud est illo posterius, atque adeo est futurum respectu illius: cum in eo signo priori non simul extiterint, existente scilicet vno, & non alio, quod existet in signo posteriori. Hic autem videtur esse totus conceptus futuri-

tionis. Primum antecedens probatur. Ad prioritatem *in quo* virtuales sufficit independentia virtualis à parte rei vnus ab alio virtualiter dependente: sed necessaria Dei sunt hoc modo independentia à liberis; & è diverso libera sunt dependentia à necessarijs: ergo libera sunt virtualiter futura respectu necessariorum. Minor pate: quia libera nequeunt existere sine necessarijs; bene verò necessaria Dei sine liberis, vt pote potentibus virtualiter deficere. Maior probatur: quia, quando datur ea independentia vnus ab alio dependente, ita se habent illa duo, ac si vnum existeret sine alio, & ante aliud: sed, si realiter existeret vnum ante aliud, & sine alio realiter existente, & postea extituro, sufficeret ad realem prioritatem in vno, & ad realem posterioritatem, & futuritionem in alio: ergo ad virtuales sufficit independentia virtualis vnus ab alio virtualiter dependente.

**88** Secundò. Deus secundum necessaria sua est in primo signo indifferens ad sic decernendum, vel non sic decernendum: quæ indifferentia non solum dicit suam distinctionem ab omni decreto, quin etiam exclusionem existentiae decreti quoad denominationem: ergo dicit futuritionem decreti: quia quod non est in signo priori, & est in posteriori; pro priori futurum est.

**89** Tertiò. Decretum, vt pote contingens, advenit virtualiter voluntati divinæ necessariò existenti: ergo voluntas divina pro aliquo signo priori erat virtualiter sine decreto: ergo pro illo signo decretum est virtualiter futurum respectu divinæ Voluntatis necessariæ.

**90** Quartò. Decretum ita est in Deo, vt potuerit non esse quoad denominationem: sed in eo signo, in quo potuit non esse, nondum virtualiter est: ergo erat virtualiter futurum. Probatur minor. Tum quia illud signum est signum in quo decretum potuit esse, vel non esse: at in quavis re priùs est posse esse, quàm esse: ergo pro illo signo decretum potest esse, non est. Tum quia res dum est acquirit non esse: ergo si pro eo signo priori decretum potest non esse, pro eo signo non est: ergo futurum virtualiter est.

**91** Quintò. Ubi datur à parte rei fundamentum, vt vnum sit futurum respectu alterius formaliter per rationem, datur à parte rei virtualis futuritio: sed propter suprapostas rationes datur in decretis Dei

fundamentum vt sint futura formaliter per rationem respectu necessariorum Dei: ergo datur à parte rei, seu ex parte obiecti dicta virtualis futuritio. Probatur minor: quia potest Voluntas Dei concipi, vt potens decernere, quin concipiatur vt decernens: ergo pro illo priori quo concipitur potens decernere, potest concipi vt decretura: siquidem pro posteriori iam concipitur decernens: ergo pro illo priori decretum est futurum ratione nostrâ respectu Voluntatis divinæ.

**92** Confirmatur: quamvis instans reale Aeternitatis, quo durat Deus, eiusque decretum, sit realiter indivisibile; possumus nos ex modo nostro concipiendi illud præscindere, seu dividere in duo instantia per rationem: in quorum primo concipiamus durare necessaria Dei, & in secundo libera: ergo ex modo isto concipiendi in illo priori necessariorum libera nondum ratione nostrâ existentia, sunt futura ratione nostrâ. Probatur consequentia: quia si non essent sic ratione nostrâ futura, maxime quia ad futuritionem requiritur exclusio, seu non existentia rei futuræ pro aliquo instanti, libera autè Dei sæper existunt in tota Aeternitate: sed hoc non obstat: ergo sunt ratione nostrâ futura. Probatur minor: quia ad futuritionem rationis nõ requiritur realis illa exclusio, seu non existentia: cum sufficiat præcisiva per rationem, non concipientem pro illo signo necessariorum existentiam liberorum: ergo nihil est quod obstat futuritioni per rationem liberorum respectu necessariorum pro priori existentium. Plura nostri Recentiores, quæ videri possunt apud P. Borrull *disp. 10. de Volunt.* Ego non amplius immoror: quia iuxta mea principia minus habent difficultatis.

*Bernal. Borrull. Rib. Boxas. Vasq. Melin. Herize. Mont. Lugo. Lumb.*

**93** Sententia mihi verissima, negans eiusmodi futuritiones virtuales, imò & futuritiones per rationem, placuit communius nostratibus Modernis. Eam tenent fuisse Bernal *disp. 18. de Incarnat.* Borrull cit. Ribas *tract. 4. disp. 5. cap. 10.* & in doctissimis Manuscriptis de Scientia Dei alter huius Collegij celeberrimus Magister P. Ioan. Paulus Boxassa: qui eam attribuunt Patri Vasquez, Moling, Herize, Monteo, Francisco de Lugo, & alijs: sequiturque Lumbier *q. 11. de Scientia Dei à num. 558.* Huius sententiæ oportunior probatio erit improbatio, & repulsio efficax fundamentorum prædictorum pro opposita.

**94** In primis enim illa tripartitio signorum disposita *num. 60.* inepta est. Tum quia secundum illud signum, quod vocatur futuritionis, solum ponitur vt in illo decreta sint futura, quod est gratis confingere sibi Adversarios ipsam futuritionem: cur enim iam in illo secundo signo non dicatur existens decretum pro posteriori ad existentiam divinæ Voluntatis, nisi, vt dicatur futurum antequam existens? quod est ipsa quæstio. Tum quia in primo signo decretum adhuc non est iuxta hos Authores, & verum iam est, quod erit in tertio: ergo iuxta hanc trium signorum dispositionem, decretum non solum in secundo, sed etiam in primo signo esset futurum: cur ergo solum in secundo? Dices: quia primum illud signum est necessariorum, ac futuritio decreti est quid liberum, ideoque nequit pertinere ad primum signum. At hoc est concedere, in illo primo signo dari quidquid requiritur ad futuritionem, scilicet nõ existentiam rei futuræ postea, quin detur futuritio: & patefacere implicantium doctrinæ. Præterea aliud est discernere distinctivè ea tria signa, & cognominare primum, secundum, & tertium numeraliter: aliud est, ea discernere coextitivè, & ea esse tria successivè. Illud priùs non sufficit ad conceptum futuritionis, vt patet in Personis divinis prima, secunda, & tertia, realiter distinctis, sine reali, nec virtuali, vel per rationem futuritione tertiæ, vel secundæ. Istud posterius, quod faceret ad conceptum futuritionis, supponitur falsò, & neququam probatur ab his Authoribus, vt patebit ex responsionibus nostris ad ipsorum probationes.

**95** Deinde improbat, & repellit præcipuum illud fundamentum sumptum ex independentia vnus ab alio virtualiter dependente. Nam adhuc ea dependentia virtuali permittit, ex illa non arguitur vnus prioritas, & alterius posterioritas *in quo*, prout requiritur ad futuritionem dicentem vnum non esse coextitivè, quando existit aliud; sed solum prioritas, & posterioritas à quo, quod est vnum esse virtualiter, vt aiunt, ab alio. Hæc autem prioritas à quo nihil prodest ad conceptum futuritionis rei posterioris à quo. Patet manifestissimè: nam inter Personas divinas quarum vna realiter formaliter procedit ab alia, datur realis formalis prioritas, & posterioritas à quo originis: inter angelum, eiusque primum actum liberum elicatum in primo

instanti reali suæ creationis, datur realis formalis prioritas, & posterioritas à quo naturæ: quin aut vna divina Persona dicatur realiter futura respectu alterius realiter origine præcedentis: nec actus liber elicitus in primo instanti reali existentia angeli dicatur realiter futurus respectu angeli realiter natura præcedentis. Si ergo realis posterioritas à quo non arguit futuritionem realem; qua ratione virtualis arguet virtuales? Et ratio vtriusque clara nobis est: quia eiusmodi posterioritas nullatenus excludit rem sic posteriorem à coexistentia cum priori, prout opus esset ad aliqualem conceptum futuritionis; sed à constitutione prioris per posteriorem: quod impertinenter se habet ad conceptum futuritionis: vt patet in angelis simul creatis: quorum alij non sunt futuri respectu aliorum, quamvis sese constitutivè excludant: quia nempe non se excludunt coexistivè.

96 Denique iuxta mea principia, nec decreta libera Dei sunt à perfectionibus necessarijs, vt à principio virtuali, vt defendi *disp. 4. num. 65.* & generalius *disp. 7. sect. 2.* nec distinguuntur virtualiter à necessarijs, vt defendi *disp. 8. sect. 5.* nec deficient virtualiter in aliquo instanti, quamvis possint pro totâ Æternitate quo ad aliquam denominationem virtualiter deficere, vt suppono ex dicendis *disp. 14.* Sicque cessat omni ex capite omnis ratio futuritionis virtualis in liberis ad necessaria Dei. Quamvis enim distinctio duorum non sufficiat, requiritur tamen essentialiter, vel saltem deficientia vnius, ad futuritionem: ergo sicut sine reali duorum distinctione, aut saltem sine reali vnius deficientia nequit dari futuritio realis vnius ad alterum, ita pariter, nec virtualis sine distinctione virtuali, vel saltem sine deficientia virtuali.

### SECTIO VIII.

#### RESPONDETUR AD RATIONES CONTRARIAS.

97 **E**X his expedita fit responsio ad probationes contrarias. Ad primam ex *num. 87.* negatur antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Si roges: quis ergo erit conceptus futuritionis virtualis rei realiter æternæ? dicâ, mihi esse chymeram, sicut & conceptus principij, & emanationis virtualis: ad veritatem est illum querere:

nobis sufficit ostendere, nondum esse ab ab ipsis ritè assignatum. Si enim dependentia, seu productio realis vnius ab alio non sic dependente non arguit futuritionem realem; quo ingenio virtualis arguet virtuales. Si defectibilitas realis actus liberi angelici respectu angeli non facit illum realiter futurum respectu eiusdem angeli, quia cum illa reali defectibilitate stat numquam realiter defecisse angelo existentis; quo iure ex defectibilitate virtuali, sine deficientia virtuali liberorum Dei respectu necessariorum arguetur futuritio virtualis? Rationem pro omnibus iam dedimus: quia nempe eiusmodi independentia, & dependentia, indefectibilitas, & defectibilitas non constituit prioritatem, & posterioritatem in quo, quæ dicit vnum esse, & aliud non esse: sed ad summum à quo: quæ cum optime salvetur vtroque coexistente, vno tamen dependentem ab alio; nihil facit ad conceptum futuritionis. Unde, permittâ minori, nego consequentiam. Ad probationem maioris, nego maiorem: nam ea independentia, & dependentia, quamvis faceret quod vnum sit ante aliud prioritate à quo; non facit quod vnum sit ante aliud: sed stat cum coexistentia vtriusque, vnius tamen ab alio dependentis, seu producti ab alio.

98 Ad secundam ex *num. 88.* distinguo antecedens: est indifferentia libertatis, concedo: indifferentia suspensionis, nego: quia Deus in nullo signo est suspensus sine decreto sibi coexistente: hæc autem indifferentia suspensionis non requiritur ad libertatem, vt patet in nostra voluntate, quæ quando liberè se exercet libertatem habet, & non suspensionem ab exercitio. Reliquum antecedens nego: nam signum illud indifferentia libertatis, quamvis præcindat à decreto, istudque excludat à sui constitutione; non tamen à sui coexistentia, prout opus esset ad aliqualem futuritionem. Patet in tribus Personis divinis, & in duobus angelis nullam involventibus respectivè rationem futuritionis: quia quamvis sese excludant à constitutione, non se excludunt à coexistentia. Unde & nego consequentiam. Ad eius probatiunculam dico, fore veram ad summum de signis prioris, & posterioris in quo; non verò à quo: quia cum prius à quo non excludat à sui coexistentia posterioris à quo, non verificat, quod pro signo priori à quo, posterioris sit futurum: sed bene stat cum eo quod

quod sit etiam coexistentissimum.

99 Dices: posterius non existit pro illo signo priori: ergo pro illo signo priori est futurum. Nego consequentiam: & ratio est notanda: quia non existere pro illo priori à quo, non est non existere; sed est non existere constituendo illud signum, vel non existere per modum principij: hoc autem non est non existere, prout opus est ad futuritionem: nam Filius divinus, aut actus angelicus, de quo supra, non existit constituendo suum principium, aut per modum principij ad suum principium adhuc realiter: & tamen non sortitur rationem futuritionis realis: quia nempe realiter coexistit suo principio: & non existere constituendo principium, aut non existere per modum principij, non est non existere: quod necesse erat ad conceptum futuritionis, vt pote essentialiter oppositum coexistentia, & magis oppositum coæternitati.

100 Ad tertiam, ex *num. 89.* permisso antecedente, distinguo consequens: voluntas pro aliquo signo priori erat virtualiter sine decreto ipsam constituyente, concedo: sine decreto ipsi coexistente, nego. Et nego subillationem ob rationem iam propositam, & expositam. Distinguo aliter: Voluntas pro aliquo signo in quo erat virtualiter sine decreto, nego: pro aliquo signo à quo, concedo primam consequentiam, & nego absolutè secundam: nam ad conceptum futuritionis non sufficit quod pro signo prioris à quo non sit posterius à quo, quæ signa solum signant dependentiam, seu emanationem sic posterioris à sic priori; sed requireretur quod pro signo prioris in quo deficeret posterius in quo: nam hæc signa signant incoexistentiam sic posterioris cum sic priori: quæ incoexistentia nullo modo datur, nec nisi fingendo concipi potest.

101 Ad quartam, ex *num. 90.* concedo maiore, & nego minorem. Nam, quamvis nec in illo signo priori, nec in reliquis, sit decretum virtualiter constituens necessaria Dei; est tamen verè coexistens necessarijs Dei: unde nego consequentiam. Ad primam probatiunculam minoris, concessa maiori, distinguo minorem: in qualibet re prius est posse esse quàm esse, prioritate logica, & secundum dici, concedo: prioritate physica, & secundum esse, nego: nam possibilitas rei est ipsissima res. Quod si ex illa prioritate logica arguere liceret futuritionem, Deus etiam necessarissimus dici posset contra omnes futurum respectu suæ possibilitatis.

Ad secundam distinguo antecedens: si necessarius est, concedo; si contingenter, & liberè, nego: nam res, quæ liberè est, dum est, liberè est: nam est eo modo quo est. Cum ergo dicimus: *Res dum est, necessarius est:* intelligendum est de necessitate logica, seu illationis, quatenus necessarius est verum: *res est: ergo est:* non de necessitate physica opposita modo essendi contingenti, & libero rei contingenter, & liberè existentis: quæ etiam dum liberè est, necessarius liberè est: quatenus necessarius verum est: *liberè est: ergo liberè est:* res enim dum est, necessarius est eo modo quo est. Unde nego duas consequentias. In quibus, & alijs similibus laborant, qui offendiculum illud antecedentis non tollunt per nostram explicationem, valde vitium in puncto libertatis: de quo alibi oportunius, & vberius.

102 Ad quintam, ex *num. 91.* data maiori, nego minorem, loquendo de ratione non fingente, vt in simili dixi *disp. 4. sect. 8.* Non possum hic non iterum notare incoherentiam multorum, qui ibi actus primos, & secundos virtuales, & per rationem admittunt, & hic respuunt futuritiones virtuales, & per rationem. Cur ratio, seu cognitio nostra virtutem habeat inducendi distinctiones rationis, & non ita futuritiones, & actus primos, & secundos rationis, dedimus ibi *num. 83.* Ad probationem minoris concedo antecedens, & nego consequentiam, citrà fictionem. Unde falsa est subillatio.

103 Ad confirmationem, ex *num. 92.* concedo primam partem antecedentis; & distinguo secundam: in quorum signo concipiuntur existere necessarijs, exclusis ab ipsorum constitutione liberis, concedo: & hoc sufficit ad distinctionem rationis: exclusis ab ipsorum coexistentia liberis, nego: & hoc requirebatur ad futuritionem rationis. Unde nego consequentiam. Ad cuius probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad minoris probationem, nego antecedens: quod nempe ad futuritionem rationis sufficit illa præcisio. Præcisio namque sufficit ad distinctionem rationis; non autem sufficit duo ratione distinguere, vt vnum sit ratione futurum respectu alterius: sicut non sufficit duo realiter distinguere, vt vnum sit realiter futurum respectu alterius.

104 Nec item sufficit ad futuritionem rationis, quod vnum cognoscatur prius quam cognoscatur aliud: nam sæpè prius cog-

Supra  
disp. 4. c. 3.  
disp. 7.  
disp. 8.

Supra  
disp. 4.

cognoscimus creaturas, quam cognoscimus Deum; prius fumum, quam cognoscimus ignem: quin perinde nec Deus sit per rationem tuturus respectu creaturarum, nec ignis respectu fumi. Requiritur ergo ad futuritionem rationis, quam moluntur Adversarij, quod unum, nempe necessaria Dei, conciperetur esse prius, & pro illo priori non esse aliud, nempe decretum adhuc coexistivum: quod nequit concipi, nisi fingendo. Quippe concipere, Voluntatem Dei esse pro priori, non concipiendo decretum esse coexistivum pro priori, est præfingere: at concipere, voluntatem esse pro priori, concipiendo decretum non esse coexistivum in eo priori, est planè fingere: quia est falsa conceptio contra veritatem obiecti. Unde nego consequentiam.

105 Non fuit in ijs sermo de quibusdam affectibus specialibus divinæ Voluntatis, qui fortè quoad aliquam denominationem intrinsecam incipiunt, & desinunt in tempore, de quibus agemus *disput. 14. sect. 3. & 4.* In his enim affectibus reperitur fortè aliqua specialis ratio futuritionis, & præteritionis virtualis: quatenus aliquando sunt, & aliquando virtualiter non fuerunt, aut virtualiter non erunt quoad aliquam denominationem, quæ virtualiter in Deo defecit, extitit, & deficiet, modo ibi explicando.

## SECTIO IX.

*QVAM SIT SOLIVS DEI proprium Attributum Æternitatis: & an possit alicui creatura divinè convenire.*

106 **Æ**ternitas accidentalis, seu sempiternitas, sicut de Ubiquitate diximus *disp. 12. num. 49.* potest per accidens convenire alicui creaturæ ab æterno productæ, & in æternum conservandæ semper à Deo, ut suppono ex Physicis. Id quod per errorem concessit de facto Aristoteles huic mundo, quem posuit ab æterno contra Fidem Geneleos 1. *In principio creavit Deus cælum, & terram.* Quæstio nobis disputanda est de Attributo Æternitatis essentialis intrinsecè interminabilis in ratione durandi.

107 **Conclusio.** Æternitas essentialis

est Attributum solius Dei, ita proprium, & competens soli Deo, ut nec divinitus possit ulli creaturæ convenire. Est ita certum, ut ab aliquibus censetur de fide apud Ovidium 1. 2. *tract. 1. contr. 3. pun. 3.* Quo facit illud Fulgentij, vel potius Augusti. *cap. 6. de Fide ad Petrum: Firmissime tene, & nullatenus dubites, solum Deum verum, æternum, & incommutabilem esse:* apud Suarez *lib. 1. de Attrib. cap. 4. num. 8.* Probatur autem dupliciter.

108 Primò. Implicat, ens esse intrinsecè defectibile, & esse intrinsecè, & essentialiter æternum: sed de conceptu entis creati est esse intrinsecè defectibile contrapositè ad ens necessarium omnino indefectibile: ergo implicat ens creatum esse intrinsecè, & essentialiter æternum. Maior patet: quia ens esse defectibile dicit posse, aut semper, aut aliquando non esse, ac proinde excludit necessitatem semper essendi: ens verò esse intrinsecè essentialiter æternum dicit non solum semper esse; quin etiam intrinsecam necessitatem semper essendi, ac proinde repugnantiam semper, & aliquando non essendi.

109 Secundò. In linea, seu in genere durationis summa perfectio est, durare essentialiter interminabiliter, & æternè: hoc est cum repugnantia assignandi tempus, in quo res essentialiter æterna non duret: sicut in lineam præsentiam summa perfectio est adesse essentialiter ubique, & immensè: hoc est, cum repugnantia assignandi locum, cui res essentialiter immensa non adsit: ergo sic durare, & ubicari repugnat creaturæ: quia eo ipso esset creatura, ut supponitur: & non esset creatura: quia conveniret illi perfectio summa in aliquo genere propria solius summi entis. Sic in genere intelligendi solius Dei est, impotens convenire creaturæ, cognitio comprehensiva Dei; in genere causandi, Omnipotentia; in genere essendi, affectus; in genere existendi, necessitas.

110 Dices: illa creatura sic semper duraret dependenter ab alio, nempe à Deo; Deus verò sic semper durare habet à se: & exinde cum infinito semper discrimine à creatura, quantumvis esset essentialiter æterna. Contra tamen. Tum quia hoc ipsum quod est, creaturam habere illud semper durare ab alio; dicit, illud habere pro libito alterius, ac proinde defectibiliter, & pro Dei libito asseribile, vel impediibile: sicque non intrinsecè, & essentialiter pro semper. Tum quia eiusmodi discrimen

men à se, vel ab alio, non est speciale de lineam durationis, sicut nec de lineam præsentiam: Deo autem adscribi debet in singulis his lineis discrimen speciale, & differentiale à creaturis. Alioquin iuxta datam resolutionem admitti posset creatura essentialiter Dei comprehensiva, & Omnipotens; imò & Mysterium Trinitatis creatum, cum illo semper generali discrimine, quod Deo ista competereut à se; creaturæ verò non nisi ab alio: & esset quasi dicere, Deum esse Deum à se; creaturam verò esse Deum ab alio.

111 Certè præcisim etiam à ratione entis à se, Attributum Æternitatis, sicut & Immensitatis, & Omnipotentiam, & Sapientiam, præfert ex speciali sua differentia conceptum infinitatis in suo genere tantæ perfectionis, ut non nisi implicanter, & monstruosè attribui possit enti creato simpliciter finito, limitato, & ab alio. Nihil tamen minus hæc, & similia monstra audio sæpè prædicari à Recentioribus nostris, de carentijs quibusdam realibus realiter à Deo distinctis, essentialiter, si fas est pronunciare, æternis, & immensis. Relege quæ scripsimus *disp. 2. sect. 2.*

## SECTIO X.

## CELEBRIS OBIECTIO.

112 **A**dversus hanc certitudinem militat argumentum plausibile, & difficile hunc in modum. Creet Deus angelum ab æterno simul cum actu supernaturali Fidei, vel visionis beatæ de se dicente: *sum ab æterno, & in æternum.* Quo supposito, talis actus Fidei esset intrinsecè, & essentialiter æternus: ergo possibilis est creatura intrinsecè, & essentialiter æterna. Probatur antecedens: talis actus essentialiter subnixus divinæ revelatione, esset intrinsecè, & essentialiter verus, & nequit esse falsus: alioquin, & falleret Dei Authoritas, & posset esse Deus Author falsitatis, utpote specialiter concurrere ad talem actum supernaturalem: ergo talis actus esset intrinsecè, & essentialiter æternus. Probatur hæc consequentia: actum esse intrinsecè, & essentialiter æternum, est ita esse æternum, ut non potuerit non esse æternus: sed talis actus ex intrinsecis suis essentialiter haberet, ita esse æternum, ut non possit non esse æternus: ergo esset intrinsecè, & essentialiter æternus. Maior est

manifesta: consequentia legitima. Minor probatur. Talis actus ex intrinsecis suis essentialiter haberet ita esse verum, ut non possit esse falsus: sed si non haberet ex intrinsecis suis essentialiter ita esse æternum ut non possit non esse æternus, non haberet ex intrinsecis suis non posse esse falsum: ergo ex intrinsecis suis haberet essentialiter ita esse æternum, ut non possit non esse æternus. Probatur minor: quia si non esset æternus, esset falsus, cum ipse affirmet de se, se esse æternum: ergo si non haberet ex intrinsecis suis ita esse æternum, ut non possit non esse æternus; non haberet ex intrinsecis suis non posse esse falsum: ergo posset esse falsus: ergo non esset essentialiter verus.

113 Hoc argumentum, quod ab aliquibus Magistris nostris præsertim Salmanticensibus studiosè promotum, & vehementer exaggeratum, magnam in varijs Tractatib<sup>9</sup> turbavit Theologiæ partem; varias distorsit responsiones; videndas per otium apud Quiròs *tom. 1. per totam disput. 33.*

114 Sunt qui negent suppositionem, quod nempe possibilis sit talis actus, cum P. Borrull *disp. 9. de Attrib. sect. 2.* Cæterum, si hi Authores habent alias rationes repugnantiam talis actus, deberent illas producere in examen: si propter solum istud argumentum id dicunt; est, ut ingenuè loquar, difficultati potius cedere, quam veritatisimò & velle, difficultati obsequi veritatem; cui accini potius liceat Davidicum illud: *Et conculcabis Leonem, & Draconem.*

115 Si vera est doctrina, quam obiter tetigi *disp. 12. à nu. 37.* identificans rerum creaturam durationem cum ipsarum productionibus, iuncta alià doctrinà, quam tenui in libris de Anima, identificante adæquatè actus vitales creatos cum ipsorum productionibus; dici nunc posset contra suppositionem, nullum actum creatum supernaturalem dicere de se posse, se numero duraturum in æternum; nec Deum id posse revelare. Quia de essentia actionis, quæ est totus actus, simulque eius duratio, est esse instantaneam. Cæterum per has doctrinas, nec effugitur, nec evacuat<sup>r</sup> satis præfens difficultas. Quamvis enim id verum sit de facto, ne frustra entia multiplicentur; non tamen perinde repugnat actus permanens, qui distingueretur à serie momentorum suæ durationis: in quo actu maneret tota vis difficultatis.

Mm

Sunt

Infra  
disp. 14.Supra  
disp. 2.

Quiròs:

Borrull:

Psal. 4:

Supra  
disp. 12.  
sect. 23Supra  
disp. 11.  
sect. 4.Arist.  
Gen. 1.

116 Sunt qui vi huius argumenti sub-  
mulsitare tentent, actum supernaturalem  
Fidei divinæ posse divinitus esse falsum.  
Sed absit tantum nefas, de quo in Dispu-  
tationibus nostris de Fide. Videndus inter-  
rim P. Oxea *disp. 4. sect. 4.* & Magister Lum-  
bier ibidem *q. 4. art. 3.* Nec certè P. Ripal-  
da *de ente super. aut disp. 4. de Fide*, quam-  
vis in id aliqua argumenta perurgeat, id  
audet asserti: è docere, ut falsò putasse vi-  
detur Thomas Hurtadus *tom. 1. resol. moral.*  
*tract. 5. cap. 6. s. 1. & 6.* Multo alios modos  
respondendi per vias difficiles, & ut reor, à  
vero prorsus aberrantes, legere est apud  
Quirós citatum: quos vel referre tædet.

117 Respondetur ergo, admisà suppo-  
sitione, negando primum antecedens. Ad  
probationem, concessio secundo antecede-  
ntie, negatur consequentia. Ad eius pro-  
bationem, concessio maiori, nego mino-  
rem. Ad probationem minoris concessio  
etiam maiori, nego alteram minorem: ad  
cuius probationem nego antecedens, in quo  
stat multorum æquivocatio, & nostra solu-  
tio. Quia, si ille actus non esset æternus,  
nunquam esset: si nunquam esset, nihil  
affirmaret, nec negaret: si autem nihil af-  
firmaret, nec negaret, nec falsus, nec verus  
esset. Unde nec potest esse falsus, nec est  
essentialiter æternus, ut inferebant tres vl-  
timæ illationes, quas nego.

118 Non potest esse falsus: quia ut ef-  
fet falsus requireretur, quòd esset, & æter-  
nus non esset, quod repugnat eius veritati  
asserenti se esse æternum; non est essentia-  
liter æternus, quia essentialis æternitas di-  
cit necessitatem existendi, quam tamen ille  
actus non diceret, nec de se verè affirma-  
ret, cum contingenter extiterit, potens  
numquam extitisse: non potest esse falsus,  
quia nequit esse nisi intrinsecè repugnans  
falsitati; non est essentialiter æternus, quia  
existit sine repugnantia, imò cum potentia  
nunquam existendi: non potest esse falsus,  
quia est essentialiter verus, sicut est essen-  
tialiter vitalis, & spiritualis, utpote non po-  
tens esse, nisi identificatus cum intrinsecè  
sua veritate, sicut cum vitalitate, & spiritua-  
litate; non est essentialiter æternus, quia ad  
hoc deberet habere secum identitatem  
necessitatem numquam deficiendi, quæ  
tamen enti intrinsecè contingenti repug-  
nat, utpote potenti pro libito Creatoris  
numquam fuisse. Nec officit illa ratin-  
cula, quæ subiungitur antecedenti, quòd  
nempe talis actus affirmet de se, se esse

æternum: quia non affirmat se esse essen-  
tialiter æternum, quod utpote falsissimum  
veracissimus Deus non potest revelare; sed  
solum affirmat se esse æternum, quod ve-  
rum esset, & à Deo in eo casu revelatum:  
ex eo autem quòd sit æternus, quod po-  
test creaturæ convenire; non fit, esse essen-  
tialiter æternum, quod est solius Dei Op-  
timi Maximi, entis à se, & unice necessarij,  
ut vidimus *disp. 2. sect. 2.*

119 Urgebis fortiter. Actus ille, cum  
fit essentialiter verus, quamvis contingen-  
ter, & defectibiliter existat, nequit existere  
quin sit æternus, sicut neque quin sit ve-  
rus, vitalis, & spiritualis: ergo tam essen-  
tialis est illi æternitas, quam veritas, vitali-  
tas, & spiritualitas, & sicut homini rationa-  
litas: quatenus nempe nequit esse homo  
quin sit rationalis, quamvis contingens ab-  
solutè sit esse actu hominem, & esse ratio-  
nale, sicut & existere, seu esse: ergo eo  
modo quo esset essentialiter verus, & eo  
ipso modo, quo homo est essentialiter ra-  
tionalis, esset actus ille essentialiter æternus:  
aut si non esset essentialiter æternus, non  
esset essentialiter verus, atque adeò posset  
esse falsus.

120 Rememorare hic, & accuratè  
relegere oportet quod scripsi *disp. 2. sect. 1.*  
circa has propositiones: *Homo est essen-*  
*tialiter rationalis: homo est essentialiter*  
*existens: quarum prior est vera; posterior*  
*falsa: prior de veritate necessaria, posterior*  
*de contingente, quamvis tam rationalitas,*  
*quam existentia sint ipsa hominis essentia.*  
De quo videri denuo potest Martinez *con-*  
*trov. 2. disp. 5. sect. 3.* iuxta ibi dicta.

121 Respondetur nunc, verum esse  
totum antecedens; cum discrimine tamen  
semper observando, quòd ille actus nequit  
existere, & quin sit essentialiter verus; &  
quin sit æternus; bene verò quin sit essen-  
tialiter æternus: quinimò hoc illi, & cui-  
cumque creaturæ repugnat. Concedo dein-  
de primam consequentiam: quia tam veri-  
tas, quam æternitas, sicut & homini ratio-  
nalitas, non aliter dicuntur tali actui essen-  
tiales, nisi ex suppositione contingenti,  
quòd actus existat: si enim non existeret,  
nec verus, nec æternus esset, sicut nec ho-  
mo esset rationalis si non existeret: quæ  
suppositio cum sit contingens facit, quòd  
homini deficienti deesse possit rationali-  
tas, sicut & ipse homo sibi deesse, quamvis  
homini existenti deesse non possit. Nego au-  
tem absolutè secundam consequentiam.

Et

122 Et do rationè expeditam. Quia hæ  
propositiones: *actus est essentialiter ve-*  
*rus: homo est essentialiter rationalis:* ex  
hoc suo modo affirmandi; sunt æternæ, ut  
aiunt, & necessariæ veritatis, præcinden-  
tes à determinato tempore, sicut à loco,  
solumque enunciantes idemtitatem termi-  
norum exponibiliter per illas conditiona-  
les: *si homo est, est rationalis: si erit, erit*  
*rationalis: si fuit, fuit rationalis:* cum  
nequeat esse quin sit identificatus cum  
rationali: *si actus ille est, est verus: si erit,*  
*erit verus: si fuit, fuit verus:* cum ne-  
queat esse nisi identificatus cum sua veri-  
tate. Sic ergo salvant eiusmodi propo-  
sitiones suam necessariam veritatem: non qui-  
dem ob necessitatem absolutam sui obie-  
cti, cum nullum obiectum creatum sit ab-  
solutè necessarium; sed ob necessitatem  
respectivam, qua cuilibet rei est necessaria  
sua essentia, eo modo quo res ipsa sibi ne-  
cessaria est, ut existat.

123 Quòd si eiusmodi propositioni-  
bus accedat aliqua vox absolutè, & deter-  
minatè consignificativa temporis, aut loci,  
iam erunt falsæ: v.g. *Homo est essentiali-*  
*ter actualiter rationalis: actus ille est es-*  
*sentialiter hic & nunc verus:* quia si ho-  
mo, aut actus non est essentialiter hic; &  
nunc, nec est essentialiter actu existens; sed  
contingenter erit, & defectibiliter; quomodo  
erit homo hic, & nunc essentialiter rationa-  
lis? aut actus hic, & nunc essentialiter ve-  
rus? Idcirco dixi etiam *disp. 2. sect. 1.* hanc  
essentialiter esse falsam: *homo est essentialiter,*  
*seu necessario existens:* cui æquivalent istæ:  
*homo essentialiter est: homo necessario est:*  
quia nempe, quamvis ex parte obiectorum  
existentia, non minùs quam rationalitas, sit  
ipsa hominis essentia; modus tamen iste  
enunciandi ex instituto vocum est absolu-  
tè consignificans existere, seu esse nunc de  
præsenti: sicque involvit voculam *nunc,*  
quæ adiecta etiam rationalitati, ut in hac  
propositione: *homo est nunc essentialiter*  
*rationalis:* redderet similiter eam propo-  
sitionem falsam: quia esse nunc rationa-  
lem contingens est homini, sicut & esse  
nunc hominem.

124 Hoc ergo dicimus de ista pro-  
positione: *actus est essentialiter æternus:*  
& quidem à fortiori: quia ex modo suo  
consignificans enunciat existentiam talis  
actus pro semper, sicut ille: *homo est essen-*  
*tialiter, & necessario existens:* enunciat  
existentiam hominis pro nunc. Cum au-

tem de ente non necessario, sed absolutè  
contingente, non nisi falsò, & repugnan-  
ter enunciari possit, essentialiter, seu neces-  
sariò existere, quòd de solo Deo ente uni-  
cè necessariò, & per essentiam, verè dicitur;  
inde est, quòd non nisi falsò, & repug-  
nanter enuncietur de actu illo creato, ideò-  
que absolutè contingente, esse essentialiter  
æternum: quod est, *nunc, tunc, hodie, cras,*  
*heri, & semper* necessariò existere. Uno,  
inquam, verbo: actum esse æternum non  
minùs quam actum esse existentem, invol-  
vit esse nunc, quia dicit esse semper: sicut  
ergo negatur hæc propositio: *actus est es-*  
*sentialiter, & necessario existens:* quia ab-  
solutè ex suo modo consignificat, neces-  
sariò esse nunc; licet vera sit hæc: *actus est*  
*existens;* ita quoque, licet de illo actu ve-  
ra sit hæc: *actus est æternus;* falsa tamen,  
& similiter neganda est hæc: *actus est es-*  
*sentialiter æternus:* quia absolutè ex modo  
suo, & ex instituto vocum consignificat, essen-  
tialiter, & necessariò esse nunc, cum affir-  
met, essentialiter esse semper ens, quod  
non nisi contingenter pro libito Dei ha-  
bet esse nunc, & semper.

125 Dices: saltem ergo, si eiusmodi  
propositio id non sic consignificaret, uti  
de facto ex instituto consignificat; sed præ-  
cisè significaret essentialiter connexionem  
talis actus cum sua æternitate, per neces-  
sitate respectivam, qua sibi necessaria est  
sua æternitas, sicut sua veritas, aut quæ ipse  
sibi necessarius est, quamvis absolutè con-  
tingens; exponibiliter per illas conditiona-  
les, quibus æquivalent propositiones æter-  
næ, & necessariæ veritatis; esset vera, &  
admittenda. Concedo consequentiam; si-  
cut si vox, *brutum,* significaret rationale,  
omnes concederemus hanc: *homo est bru-*  
*tum.* Standum est ergo vocum institutioni,  
& significationi, iuxta quam sicut, *est exi-*  
*stens,* significat absolutè existere nunc, &  
*essentialiter existens* significat neces-  
sitate absolutam nunc existendi; ita vox, *est*  
*æternus,* significat absolutè existere nunc, &  
semper; & *essentialiter æternus,* neces-  
sitate absolutam nunc, & semper existendi;  
quod de ente essentialiter contingenti,  
qualis est omnis creatura, dici nequit,  
falsò, & per errorem, quia est perfectio io-  
lius Dei. Quòd si hæ voces aliter significa-  
rent, posset id dici de creatura; at sic nõ di-  
ceretur de illa quod nunc per easdem vo-  
ces dicitur: & ad significandam absolutam  
necessitatem essendi, & æternitatem essen-

Mm 2 ia.

talem, haberemus alias voces, quibus crea-  
turæ negremus id ipsum quod nunc per  
vltimas voces illi negamus.

126 Infiltes. Talis actus esset saltem  
essentialiter indestructibilis: ergo essentia-  
liter æternus. Antecedens patet: nam actum  
destrui est actum fuisse, & postea desinere  
esse: quod tali actui essentialiter repugnat:  
cum enim essentialiter veritate dicat se in  
æternum futurum, repugnat illi aliquando  
desinere esse postquam semel dixit se sem-  
per extitutum. Consequentia verò proba-  
tur: quia perinde est, rem esse essentialiter  
indestructibilem, & esse essentialiter æternam.  
Respondetur concedendo anteceden-  
tem cum Lumbier q. 3. de Visione, art. 2.  
& negando consequentiam, cuiusque pro-  
bationem. Nam aliud est, rem esse æternam;  
aliud, esse essentialiter indestructibili-  
tem; aliud, esse essentialiter æternam. Rem  
esse æternam præcisè dicit existere semper,  
qui conceptus non repugnans creaturæ stat  
cum eo quod poterit semper, deficere, vel  
aliquando destrui. Rem esse essentialiter in-  
destruibilem, dicit non posse desinere  
esse postquam semel fuit: qui conceptus,  
etiam non repugnans creaturæ, stat cum eo  
quod res poterit pro semper deficere;  
quamvis non cum eo quod postquam ex-  
stitit deficiat. Rem esse essentialiter æternam,  
dicit nec unquam potuisse non esse, nec  
aliquando postquam fuit desinere: qui  
conceptus dicit absolutam necessitatem  
semper essendi propriam solius Dei: entis  
per essentiam, & repugnantem creaturæ,  
vipate entis intrinsecè, & essentialiter con-  
tingenti. Unde prædictus actus, quantum-  
vis essentialiter verus, non esset essentialiter  
æternus, neque id de se affirmat; quamvis  
sic æternus, et affirmat, & sic essentialiter  
indestructibilis: quia per hæc non tollitur  
quominus contingenter pro libito Dei  
existeret, nec quod poterit pro semper defi-  
cere, seu nunquam extitisse.

Lumbier

127 Dices: si conceditur illi a quo es-  
sentialis indestructibilitas, conceditur illi  
saltem essentialis immortalitas: quæ etiam  
est attributum solius Dei, qui ex 1. Timoth. 1. Tim. 6.  
6: Solus habet immortalitatem. Et videtur  
perinde, non secus ac per essentialē æterni-  
tatem subtrahi talis actus à perfectio domi-  
nio Dei: cui dicitur Sapient. 11. Quomodo Sap. 11.  
posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?  
tenicet, quod permaneat. Respondetur  
concedendo primum de aliquo: si immorta-  
litate non repugnante creaturis; negando  
autem de absoluto sine immortalitate, quæ  
constituit hoc attributum Dei, de quo  
ibi Paulus, iuxta explicationem huius At-  
tributi immortalitatis à nobis dandam  
disp. 14. s. 1. vlt. per necessitatē absolutam,  
& essentialitatem semper vivendi. Ad illud  
secundum dico; nec perinde derogari per-  
fectio dominio Dei. Quippe Deus talem  
actum pro libito producit, potens facere,  
quod nunquam extiterit; sicque, quod  
non permaneret, iuxta verba Sapientia 11.  
si enim nunquam extitisset, nunquam per-  
maneret. Quod autem nequeat non per-  
manere, si semel extitit, coniunctivè scilicet  
cum eo quod semel extiterit; iam sup-  
ponit, & salvat perfectum Dei Dominium  
absolutissimum circa eius existentiam, &  
permanentiā: quamvis ex natura talis  
actus liberè à Deo positā veniat, quod ne-  
quest postquam extitit non permanere. Si-  
cut quod Deus liber ad producenda extre-  
ma, quin producat unionem, non sit liber  
ad destruenda extrema, quin destruat unio-  
nem; nihil derogat dominio perfectissimo  
Dei circa unionem, & extrema: ex quo-  
rum naturis id provenit, positā à Deo pro  
suo libito à parte rei. Sic etiam sine iactu-  
rà divini dominij, ut bene Antonius Perez, Perez.  
nequit Deus destruere multas res, quas re-  
velavit æternas fore, nisi impediat simul-  
tali sua revelatione pro suo libito, & domi-  
nio supremo.


1. Tim. 6.

Sap. 11.

Perez.



DIS-



# DISPUTATIO XIV.

## DE IMMUTABILITATE, & IMMORTA- litate Dei.

Malach.  
3.  
Iacob. x.  
1. Timoth. 1.

**I**MMUTABLEM, & Immortalem Deum contestatur Fides:  
Malach. 3. Ego Deus, & non mutor: Iacobi 1. apud quem non  
est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et 1. Timoth. 1.  
Regi seculorum immortalis. Quæ duo Attributa coniungo, quia  
Immortalitas coincidit in primam speciem Immutabilitatis statim divi-  
dendæ, & explicandæ.

### SECTIO I.

#### EXPLICATUR QUADRU- plex Dei Immutabilitas oppo- sita totuplici muta- tioni.

Arif. 3.  
Phys.

**Q**uadruplex mutatio confide-  
ratur in præsentia. Prima, en-  
titativa: quæ res transit de non esse ad esse,  
vel de esse ad non esse. Secunda, localis:  
quæ res migrat de loco in locum. Tertia,  
physica: quæ res aliunde perfectibilis ad-  
mittit perfectionem quæ carebat, vel amit-  
tit quam habebat: quod facit definitio Ari-  
stotelica 3. Physicorum. actus entis in po-  
tentia, prout in potentia, &c. Quarta, in-  
tentionalis, quam alij contractius mora-  
lem vocant: quia agens intellectivum, &  
liberum mutat iudicium, consilium, seu  
propositum semel mente conceptum, vel  
ex novâ notitia superveniente, vel ex novo  
placito libertatis. Contrapositè ad quatuor  
has mutationis species rerû creaturarum est  
Deus quadrupliciter immutabilis.

Supra  
disp. 13.

**3** Primò, entitative: quia cum ex Fi-  
de sit essentialiter æternus, & ens necessa-  
rium; dicit essentialiter repugnantiam tran-  
seundi de non esse ad esse, & de esse ad  
non esse. Et ad hoc posterius reducitur  
eius Immortalitas. Contra hanc immuta-  
bilitatis speciem nihil occurrit speciale,  
suppositis ex Fide doctrinis traditis disp. 13.  
de Æternitate Dei.

Supra  
disp. 12.

**4** Secundò, localiter: quia cum etiam  
sit ex Fide Deus essentialiter immensus,  
ideoque cuncta replens; nequit hinc illuc  
discedere, nec longè fieri ab unoquoque  
nostrum, ut constat etiam ex dictis disp. 12.  
de Immenitate Dei. Quod si dicitur Deus  
descendisse de cælis: qui descensus videtur  
sonare motum localem; responderetur, prout  
ibi, esse loquutionem metaphoricam accom-  
modatam nostro modo intelligendi ratio-  
ne effectuum: quin tamen in rei veritate  
Deus propriè descendat, veniat, aut vadat  
localiter: cum essentialiter sit ubique.

**5** Tertio, physice: quia cum à se sit  
essentialiter Deus perquam summe perfe-  
ctus, & actualissimus; non est, nec potest  
esse in potentia, ut fiat perfectior per ac-  
cessum alienæ perfectionis, nec minus per-  
fectus per iacturam suæ, ut est etiam de  
Fide. Nec obest, quod Verbum per In-  
carnationem transferit de non unito ad in-  
trinsecè unitum Humanitati: qui transitus  
videretur aliqua mutatio physica Verbi di-  
vini. Huic enim obstaculo occurritur ex  
professo in Tractatu de Incarnatione: ubi  
citra mutationem physicam Verbi salva-  
tor illa physica unio, & unio.

**6** Quarto, intentionaliter, seu morali-  
ter: quia cum omnia Deus per se ipsum  
comprehensivè noverit ab æterno; nulla  
potest illi notitia denuò advenire, aut se-  
mel habita deesse. Unde est etiam, quod  
nequeat suorum decretorum consilium, aut  
propositum mutare: quia cum nullius no-  
væ rationis notitia ipsi successivè affulgeat,  
nulli.



nullaque unquam deesse possit ex semel præconceptis; non nisi ex inconstantia, & levitate animi variaret consilium, & propositum: Hoc enim summæ perfectioni repugnat. Itaque quo ad hanc quoque partem immutabilitatis moralis, seu intentionalis habetur prædicta doctrina tanquam de fide inter Theologos, ut est apud Borrull disp. 1. sect. 2. & Lumbier d. st. 4. q. 10. art. 2. num. 369.

Borrull. Lumbier

S. Tho. Gen. 6. Hier. 18.

7 Objicit sibi Sanctus Thomas aliquas Scripturas. Unam, Genesis. 6. *Pœnituit enim, quòd hominem fecisset*: aliam Hierem. 18. *Pœnitentiam egam ago*: quibus introducitur Deus quasi facti sui pœnitens, aut consilium mutare volens. Ipse verò S. Tho. q. 19. art. 7. respondet, eas loquutiones esse metaphoricæ, & sumptâ ex effectibus similitudine, nostro humano modo agendi, & intelligendi accommodatas, qui pro mutatione eventuum revocamus voluntates, & consilia. Deus autem non sic: quippe absque sui, suorumque consiliorum, & decretorum mutatione res creatas mutat, prout ab æterno vult: decernens simul cuncta, quæ non simul, sed successive stans rerum vicissitudinibus fiunt in tempore iuxta Gregorianum illud: *rem mutat, consilium non mutat*. Quæadmodum si quis etiam nostrum unâ volitione vellet rem nunc ponere, & post horam destruere, fieret hæc rerum mutatio ab una nostra voluntate immutatâ, simul volente quæ non simul, sed successive fierent.

Gregor.

Ribaden. disp. 20. de Vol. cap. 3.

8 Objicitur 2. vulgaris difficultas quæ aliquibus multum facessit negotij apud Ribadeneyram. Si Dei decreta æterna essent immutabilia, & irrevocabilia, non essent libera: ergo vel non sunt æterna, vel non sunt immutabilia, & irrevocabilia. Probatur antecedens: quia nec inciperent liberè, cum nullo modo incipiant: nec permanerent liberè: quia si sunt intrinsicè irrevocabilia, nequeunt non permanere: ergo nullatenus essent libera. Confirmatur. Decretum ex suppositione quòd est, necessariò est: sed cum sit æternum, ad quodcumque instans assignabile supponitur decretum esse: ergo in quocumque instanti assignabili necessariò est ergo in nullo instanti, nec à nobis, nec à Deo assignabili liberè est: vel assignetur instans libertatis.

9 Respondetur negando antecedens. Ad probationem, nego secundam partem antecedentis: permanent enim semperque sunt liberè Dei decreta: quia semper sunt

cum potestate nunquam existendi quoad denominationem: ac proinde cum potestate non permanendi, quatenus, si nunquam existissent nunquam permanerent. Quocirca ad tollendam æquivocationem nota, dupliciter intelligi posse decreta non permanere: vel per æternâ sui non existentiam: vel per sui non existentiam postquam extiterint: ad hanc secundam non existentiam, utpote chymericam, & suæ immutabilitati repugnantem, nunquam est, nec fuit in Deo potestas; ad illam primam semper fuit & est. Ad hoc autem, ut liberè dicantur permanere, sufficit quòd sit in Deo vera potestas ad illam primam non permanentiam, seu non existentiam æternam verè realiterque possibilem, quamvis non coniungibilem cum eo quòd decreta aliquando permanserint, aut extiterint. Hinc absolutè neganda est consequentia.

10 Ad confirmationem, quid respondeant qui incautè, & indistinctè concedunt illam maiorem, ipsi vident. Ego vel illam absolutè nego: vel distinguo: concedendo illam in sensu necessitatis logicæ nihil omninò derogantis physicæ libertati: in hoc enim sensu de quocumque libero verissimè dicitur per eandem regulam, quòd ex suppositione quòd liberè est, necessariò liberè est: ut dictum est disp. 13. num. 99. Est dicere, necesse esse, seu consequentiam, & veritatem necessariam esse, quòd res est, si est, & est liberè si liberè est. At in sensu necessitatis physicæ neganda est maior: nam quæ liberè sunt, etiâ ex suppositione quòd sunt, liberè sunt: quia sunt eo modo, quo sunt. Quod sæpiùs utiliter adnoto, quia sinistra huius proloquij intelligentia multos perturbat in negotio tam creatæ, quam divinæ libertatis. Sic distitit à maiori, & in bono sensu concessâ; concedo minorem, & nego duas consequentias: & dico, semper per totam Æternitatem Dei decreta haberi liberè à Deo, & in nullo prorsus instanti haberi necessariò.

Suprà disp. 13. sect. 7.

11 Duas alias speciales, gravesque difficultates adversus quartam hanc divinæ Immutabilitatis speciem, tam ex parte notitiarum divini Intellectus, quam ex parte effectuum divinæ Voluntatis; dabunt seorsim Sectiones secunda, & tertia.

12 Infero nunc cum Suarez, Immutabilitatis Attributum vix posse ab aliquibus alijs simul sumptis discerni, utpote consistens in illorum perfectionibus. Nam primæ species immutabilitatis enuntiativæ stat

Suarez

in ratione entis necessarij, & essentialiter immensi: tertia immutabilitatis physica, in ratione entis vndequaque summè perfecti: quarta immutabilitatis intentionalis, seu moralis, in ratione entis summè omnium veritatum essentialiter comprehensivi, & in virtute constantiæ perfectissimæ.

Vasq. Fajol. Tanner. Suarez. Fulgent. lib. 1. de Fide, Civill. Fide ad Theodor.

13 Hinc Attributum istud immutabilitatis est ita solius Dei proprium, ut creaturæ nequeat convenire, ut patet ex ipsius explicatione: & traditur à Valquez, Falolo, & Tannero, & à Suarez num. 6. & l. 1. de Angelis, cap. 9. multa congerentibus Sanctorum PP. testimonia. S. Fulgentius t. de Fide, ait: *Firmissimè tene solum Deum esse immutabilem: hoc enim significat cum dicit: ego sum qui sum*: & Cyrillus Alexandrinus: *quemadmodum Deus non potest fieri mutabilis, ita neque creatura potest fieri immutabilis*. Et patet partim per rationes, quibus vidimus repugnare creaturæ essentialiter immensam, & æternam: partim, quia repugnat etiam creaturæ, quæ aut perfici, aut aliqua perfectione spoliari à Deo non possit: aut ita tenax propositi, ut in novum consilium nequeat à Deo induci.

14 Monuerim contra æquivocationem, quæ nonnullos laborantes inveni: immutabilitatem intentionalem Dei, id est suarum æternarum notitiarum, & decretorum, intelligi debere non solum de illis quo ad entitatem sumptis; verum etiam sumptis quo ad denominationem liberam, seu contingentem: huiusmodi enim denominationes æternas exercitè, & actualissimè involvit nomen decreti, & notitiæ ab æterno existentis in Deo.

SECTIO II.

SPECIALIS DIFFICULTAS contra Immutabilitatem Dei intentionalem, sumpta ex parte divini intellectus quo ad aliquas notitias.

15 Proponitur, & opponitur sic. Aliquos cognoscendi modos habet de novo Deus in tempore, quos semper non habuit: aut habuit, quos semper non habebit: ergo non stat omnino quod diximus de immutabilitate intentionali Dei ex parte divini sui intellectus.

Probatur antecedens. Nam modum cognoscendi, & essendi de præsentī, quem nunc habet Deus, dicens: *nunc mundus existit*; non habuit semper: si enim hoc modo assereret ab æterno: *nunc mundus existit*; falsò id assereret, quia ab æterno mundus non existebat, ut est de fide contra Aristotelem. Adde pro Caietano: *in propria mensura*: ne alicui videatur satis occurrisse Caietanum huic difficultati per suam illam decantatissimam præsentiam futurorum in mensura divinæ Æternitatis. Similiter tempore Salomonis habebat Deus modum cognoscendi quo diceret: *nunc regnat Salomon*: quem tamen modum id asserendi nunc non habet: quia si hoc nostro tempore diceret: *nunc regnat Salomon*; falleretur: quia reverà nunc non regnat Salomon: ergo adveniat, & abeunt Deo de novo in tempore varij modi cognoscendi multas veritates quo ad denominationem, quos semper non habuit, nec habebit: ac proinde non est Deus omni prædicto modo intentionaliter immutabilis.

Caiet.

16 Responderi communiter solet; negando primū antecedens, eiusque probationem. Quia Deus semper cognovit, cognoscit, & cognoscet existentiam mundi (idem de Salomone) coexistitivè, & commensurativè ad tempus durationis mundi: sic autem semper, & ab æterno cognoscitur à Deo verè: quia semper est verè affirmabilis existentia, & actualitas mundi de præsentī pro tali tempore. Hæc tamen communis responsio difficultatem non evacuat. Primò, quia fiet argumentum similiter in ipsis instantibus temporis, sive realibus, sive imaginarijs, ut non sit recursus ad alia instantia temporis, quibus de præsentī coexistitivè commensurentur. Quomodo enim nunc affirmat Deus: *hoc instans temporis nunc existit*: quod tamen hoc absoluto modo, nec heri potuit, nec cras poterit affirmare demonstrando hoc instans hodiernum. Secundo, quia quamvis verum sit, Deum semper cognovisse existentiam mundi coexistitivè ad tempus hoc durationis mundi; non tamen semper habuit hunc modum, quem nunc habet id cognoscendi per hanc affirmationem absolutam: *nunc mundus existit*: adde pro Caietano: *in propria mensura*: sic enim tunc cognoscens falleretur Deus, sicut falleret nos si ante mundum conditum revelaret nobis absolutè sic: *nunc mundus existit*: & sicut si nunc revelaret absolutè sic: *dies Iudicij iam nunc existit*; ergo

ergo aliquos modos has, & similes veritates cognoscendi habet Deus temporaliter de novo, quos semper non habuit, nec habebit quo ad denominationem taliter cognoscendi: id quod videtur immerito concedere Magister meus Lumbier *dist. 4. q. 10. art. 2.*

Lumbier

Quirós.

Ribad.

Herrera

Thyr.

17 Respondetur aliter secundò ex doctrinis, quibus operose adstruunt sapientissimi Magistri P. Quirós, P. Ribadeneyra, P. Augustinus de Herrera, & P. Thyrsus à me citati *disp. 13. num. 21.* Deum quidem semper habuisse, & habiturum eum modum cognoscendi quo nunc iudicat: *hic mundus nunc existit*: idque Deo semper fuisse, & fore verum: quia Deus sic cognoscens, semper significat suum *nunc* aternitatis suae, quod simul est praesens rebus omnibus, & ex parte sua coexistit simultaneè rebus creatis servantibus inter se invicem successivè ordinem prioris, & posterioris. Explicant exemplo immensitatis indistantis à rebus inter se invicem distantibus: ita nimirum ut Deus ubique dicat verè: *hic existit Roma*: signando nempe per adverbium demonstrativum, *hic*, suam Immensitatem, in qua sine dubio est Roma; quamvis ego existens Barcinone non possum signando meum *ubi* verè dicere: *hic existit Roma*.

18 Sed certè in hoc ipso exemplo Immensitatis, quo hi Authores utuntur, videre mihi videor doctrinam insubstantiam, & falsitatem. Fatemur enim, Immensitatem intrinsicam Dei coexistere indistinctè, & esse praesentem cuicumque rei, dummodo res alicubi physicè existat, & sit verè praesens localiter suo *ubi* creato; non verò aliter: nam si suo *ubi* creato non est praesens, nec suo *ubi*, nec *ubi* divino coexistit localiter, cum nullibi existat: nec distat, nec indistat localiter à Deo, nec Deus ab illà. At hi Authores volunt, Aternitatem intrinsicam Dei esse verè praesentem durativè rebus nondum in tempore verè existentibus, quin res sint verè physicè praesentes aternitati, dum in se physicè non durant, nec existunt: in quo claudicat paritas, & tota doctrina. Illud quod additur: *ex parte sua*: aut nihil proficit, aut doctrinae responsionis officit: sic enim dici etiam mundus posset coexistere durativè ex parte sua alteri mundo: quatenus ut mutuo sibi coexistant nihil iam deest ex parte huius mundi; sed ex parte alterius: & ego dicerer hodiè coexistere luci crastinae, scilicet quantum

est ex me: quòd frivolum est.

19 Deinde sic disputo. Quae absolute non existunt, ut alter mundus, & Antichristus, non sunt praesentia in suo *ubi* creato, nec in *ubi* increato Dei: quae verò absolute existunt, ita existunt, ut non solum illis coexistat praesentialiter, & indistinctè tota Immensitas Dei; verum ita etiam, ut quolibet eorum coexistat indistinctè, & sit praesens suo *ubi* creato, & toti immensitati intrinsicæ Dei, utpote indivisibili: taliter nimirum, ut de re absolute non existente non nisi falsò diceret Deus absolute: *alter mundus, vel Antichristus est praesens huic ubi*: sive significando *ubi* creatum, sive divinum: de re verò absolute existente, verè diceret absolute: *existit in hoc ubi*: sive significando suum *ubi* divinum, sive *ubi* rei creatum.

20 Sic ergo simillimè: quae absolute non existunt, nec durant, nec existunt in suo *nunc*, nec in *nunc* Aternitatis divinae: in quo revera pares sunt alter mundus nunquam exiturus, & Antichristus exiturus aliquando: nec illis modò coexistit suum *nunc*, neque *nunc* Aternitatis divinae: quia dum res absolute non existit, nihil illi coexistit: quae verò absolute existunt, dum existunt, coexistunt suo *nunc*, & divino *nunc*, totique Aternitati Dei, ut explicui *disp. 13. à sect. 2.* taliter nimirum, ut Deus de re absolute non existente, sive sit aliquando exitura, ut Antichristus; sive nunquam, ut alter mundus; nequeat *nunc* absolute affirmare: *nunc existit*: sive significetur *nunc* temporis creatum, sive *nunc* Aternitatis divinum: quia quod absolute non existit nulli rei coexistit, nec tempori, nec aternitati; sed utriusque coexistet, quando existet. Itaque sive significando suum *nunc* aternitatis, sive *nunc* creatum durationis temporariae Antichristi, in nullo prorsus sensu absoluto de praesenti potest Deus iudicare mentaliter verè, sicut nec externè revelare: *nunc existit Antichristus*: sed: *erit tempus in quo absolute verum erit dicere, nunc existit Antichristus*. Redit ergo difficultas, quòd eum modum cognoscendi, & absolute affirmandi de praesenti existentiam Antichristi, habebit Deus tunc, quem tamen nunc quo ad denominationem sic cognoscendi non habet.

21 Aliter ergo tentanda est responsio ad difficultatem, cui tamen videtur succubuisse supra laudatus Lumbier. Negando *sci.*

Supra  
disp. 13.

Lumbier:

scilicet in primis antecedens argumenti oppositi *num. 15.* Ad probationem negari posse, ac debere videtur illud quod ibi, & in toto argumento supponitur: scilicet, Deum habere formaliter illum, & alios similes modos cognoscendi: *nunc mundus existit*. Quamvis enim hanc eandem veritatem supercomprehensivè cognoscat Deus; non tamen cognoscit eam eo modo, sed modo alio supereminentissimo non alligato ad illas temporum differentias, ut fert imperfectio nostri modi cognoscendi limitati. Audi Augustinum lib. 11. de Civit. c. 21. *Non enim more nostro Deus, vel quòd futurum est prospicit, vel quòd praesens est aspicit, vel quòd futurum est respicit; sed alio modo quodam à modo nostrarum cogitationum longè, latèquè diverso: nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter postea: quoniam non sicut nostra, ita & eius quoque scientia, trium temporum, praesentis videlicet, & praeteriti, vel futuri varietate mutatur.* Egregiè.

August.

22 Quippe intuens Deus perfectissimè, & simplicissimè se ipsum, suam durationem, euncta tempora, eventus omnes contingentes creatos, eorumque durationes, combinationes, & successiones, & quidquid de ipsis scibile est; cognoscit sublimi modo supercomprehensivè, immenso, & aeterno, quidquid nos particulatim cognoscimus, & significamus per eos modos nostros limitatos cognoscendi: *mundus non existit: Salomon olim regnavit: nunc non regnat*: & per alios similes modos alligatos ad differentias temporum: qui in Deo infinitissimo non sunt, nec esse possunt formaliter; sed supereminenter in modo suo absolutissimo comprehendendi omnem veritatem necessariam, & contingentem: quem nos significamus modulis illis nostris cognoscendi, & loquendi, alligatis in sua duratione, & verificatione ad certas temporum differentias.

23 Rem declaro, ac mihi persuadeo multipliciter. Primò: quia sic dicimus, quòd quamvis Deus cognoscat, & revelet quòd *omnis homo sentit*; non tamen id cognoscit hoc universaliter modo; sed modo eminentiori excludente eam universalitatem, & confusionem. Secundò: quia sic etiam, quamvis optimè sciat, Deus tenebras fuisse super faciem abyssi; non tamen id scit per eiusmodi quasi affirmationem, qua nos dicimus: *tenebrae fuerunt*: qui modus est in nobis imperfectio, & procul

exulat ab intellectu divino. Tertio: quia sic etiam, quamvis Pater aeternus sciat se generare Filium: idque nobis explicet asserens in Psalmo: *Ego hodiè genui te*; non tamen id scit eo modo cognoscendi, quem nobis indicare videntur in cortice verba illa mori nostro accommodata: aut modo quo formaliter dicat: *ego genero Filium*: quippe talis modus cognoscendi esse non posset in Filio, & Spiritu Sancto non potentibus verè dicere: *ego genero*: cum tamen omnes modi cognoscendi divini communes sint toti Trinitati. Scit igitur eam veritatem Pater modo alio supereminentissimo, quo tota Trinitas comprehendit Patrem generatorem. Quarto: quia & in nobis etiam dicimus, propositiones aeternae veritatis abstrahere à differentijs temporum, taliter ut praecisè significant assertivè identitatem, seu repugnantiam suorum terminorum obiectivorum, sicquè non obstante quacumque obiectorum variatione, semper ex modo suo asserendi verè sunt.

Psal. 106.

24 Ad hunc modum, si parva licet componere magnis, ea immunitas, seu absolutio à successione temporum, quae quibusdam nostris modis cognoscendi in materia necessaria, ac impossibili quoad eorum existentiam, & verificationem competit, competere dicimus omni modo cognoscendi divino supereminentissimo in quacumque materia, sive necessaria, sive contingenti. Non ergo mirum, quòd à Deo exulare dicantur omnes modi cognoscendi alligati quo ad sui verificationem ad certas temporum differentias: dummodò eas ipsas omnes veritates, quas nos per eos limitatos modos cognoscendi imperfectè significamus, comprehendat Deus simplicissimè, & absolutissimè modo suo cognoscendi supereminentissimè omnia intuentè absque vlla temporaria sui varietate adhuc quo ad denominationem: ac proinde absque mutationis intentionalis umbra ex parte sui divini Intellectus, nullas prorsus rei notitias successu rerum, aut temporum adquirentis, nec amittentis. Quem modum respondendi legi postea libentissimè apud doctissimum P. Thyrsium *tom. 1. disp. 4. sect. 3. à num. 25.* ex verbis Augustini, quae iam retulimus

Thyr.  
August.

num. 21.

## SECTIO III.

**DIFFICULTAS ALTERA**  
*contra Immutabilitatem Dei intentionalem, seu moralem, sumpta ex parte divinae Voluntatis quo ad aliquos affectus.*

25 **P**roponitur, & opponitur sic. Aliquos affectus suscipit Deus in tempore; quos antea non habebat: & aliquos deponit, quos habuit: ergo non stat quod diximus de immutabilitate intentionali, seu morali Dei ex parte suae constantissimae voluntatis. Probatum antecedens: quia nunc Deus diligit amicabili affectu Sanctos, quos in statu suorum peccatorum non sic diligebat, imò inimicabili odio prosequatur: nunc non diligit Iudam, demones, aliosque damnatos, quos aliquando in gratia constitutos dilexit amicabiliter: ergo aliquos affectus suscipit in tempore quos non habebat, & aliquos deponit quos habuit, saltem quo ad denominationem amicabiliter, & inimicabiliter amantibus.

26 Responderi communiter solet, negando antecedens; eiusque probationem: nam Deus, inquit, eodem semper odio, quo antea, prosequitur eos Sanctos, qui peccatores fuerunt; eodemque amore diligit Iudam, quo semper illum amavit respectivè tamen ad tempora, pro quibus erat odio, vel amote digni. Itaque semper eos amavit, amat, & amaturus est amicabiliter pro tempore quo fuerunt in gratia; semperque odio prosequitur eosdem pro tempore peccati.

27 Non acquiescunt huic communi responsioni Patres Quirós *disp. 1. de Volunt. sect. 5.* Ribaden. *disp. 20. cap. 3.* & Borrull *disp. 11. sect. 4.* Sic enim eodem modo haberet se Deus ex parte suae Voluntatis erga Sanctum Petrum nunc, ac in tempore negationum: quippe tunc Petrum prosequatur odio pro illo tempore peccati; & nunc etiam eodem modo pro illo tempore peccati: quod videtur certe dedecere Deum, non nisi ex auctore sincerissimo condonantem: sicut dedecet hominem sic remittere injurias, ut nunquam deponeret, imò semper retineret idem omnino odium inimicabile, quod semel conceperat contra hostem ob injurias non remissas, pro tempore quo iam sunt remissae. Insuper eodem prorsus modo esset nunc Deus inimicus Petri, & malè affectus erga ipsum ac fuit in tempore negationum: scilicet tunc, & nunc pro eo tantum tempore: essetque nunc verissimè quoad internum suum affectum, & ex parte suae Voluntatis inimicus omnium Beatorum, qui aliquando peccaverunt: quod in re concedi videtur ab Arriaga *disp. 29. sect. 1.* absurdissimè tamen, ne quid dicam severius. Quinimò, & simul esset amicus, & inimicus: cum simul, & eodem modo retineat odium illud intrinsecum inimicabile in consortio amoris quo nunc eosdem homines iam iustos amicabiliter prosequitur.

28 Respondent alij secundò iuxta doctrinam constituentem volitiones Dei per aliquid extrinsecum creatum, quo veniente, vel abeunte, adveniunt de novo, vel deficiunt quoad denominationem. Ceterum in primis ea constitutio actuum liberorum, sive Scientiae, sive Voluntatis Dei per terminos creatos extrinsecos placere nobis nequaquam potest ob rationes quibus suis in locis à maiori, & meliori parte Theologorum impugnatur. Deinde nec praecipui illius sententiae Patroni volunt perinde concedere eos Scientiae, aut Voluntatis divinae actus incipere, aut desinere adhuc quoad denominationem liberè volendi, aut sciendi, ut videre est apud Herize *disp. 16. sect. 102.* ergo non perinde evitatur praesens difficultas, quod nempe Deus eodem modo quo tempore negationum odio habuit Petrum; nunc etiam, & semper odio habet. Quod si constitutio actuum liberorum per extrinsecum sufficeret, ad hoc ut non dicerentur semper extitisse quo ad denominationem, quia illud extrinsecum creatum non semper existit; similiter, quia illud extrinsecum creatum non existit ubique, eiusmodi actus divini quoad easdem denominationes non essent ubique, atque adeò nec immensi: aut si ubique existunt quoad denominationem quamvis nullum extrinsecum creatum sit ubique: ergo semper existunt quoad denominationem, quamvis nullum extrinsecum creatum sit semper: & redit difficultas, ut bene urget Ribadeneyra cit.

29 Respondet aliter ac noviter tertio doctissimus P. Borrull à *num. 88* eiusmodi affectus divinos non esse intrinsecè efficaces absolutos, sed conditionales, fierique absolutos in tempore posità conditione. Deus et

ergo ab aeterno habuit amorem amicabilem, & odium inimicabile Petri: amorem nempe sub conditione quod sit in gratia; odium sub conditione peccati: quo peccato in tempore positò sit odium illud in tempore absolutum; & amor absolutus amicitiae, posità gratia: quā iterum deperdita, iterum desinit esse absolutus amor ille. Haec tamen responsio, & falsum sibi assumit, & aliarum incommodum non minuit, & nova incommoda multiplicat.

30 In primis, inquam, falsum assumit: scilicet, affectus conditionatos fieri absolutos per purificationem conditionis. Certè sicut scientia absoluta ex intrinsecò modo suo tendendi est absoluta, & conditionata ex modo suo tendendi similiter intrinsecò est conditionata, manetque semper conditionata purificata conditione; sic etiam affectus absoluti, & conditionati ex modis suis tendendi intrinsecis sunt essentialiter alij absoluti, alij conditionati: atque adeò conditionati manent ex suo modo tendendi conditionati, quantumcumque posità conditione, dum non supervenit affectus ex modo suo tendendi absolutus: ut saepe supervenit in nobis elicientibus novum affectum absolutum posità conditione, sub qua incepimus habere affectum conditionatum: & sic dicuntur priores affectus nostri conditionati, posità conditione transire, seu mutari in absolutos, id est commutari in alios absolutos. Igitur, posità gratia in Petro prius peccatore, vel supervenit Deo in tempore erga Petrum affectus novus quo ad denominationem; vel non. Si supervenit, triumphat obiectio. Si non supervenit, nunquam habebit Deus affectum absolutum amoris amicabilis, sed semper conditionatum ex modo suo intrinsecò tendendi: sicut nunquam habebit nisi scientiam conditionatam conversionis Petri sub conditione huius auxilij, si positò, seu efficaciter volito hoc auxilio, nulla scientia ei superveniret ultra illam, quae ex modo suo intrinsecò tendendi dicit: *Convertetur Petrus, si habeat hoc auxilium.*

31 Deinde incommodum aliarum responsionum ista non minuit. Nam iuxta illam, cum positio conditionis creatae nihil afferat intrinsecum, quo adhuc denominativè afficiatur divina Voluntas, Deus intrinsecè, & ex parte suae Voluntatis eodem prorsus modo haberet se erga Petrum in tempore gratiae, ac in tempore peccati: quod vidimus esse incredibile de Deo ali-

ter, & aliter se intrinsecè, & affectivè habere se quo ad denominationem intrinsecam amantis, & non amantis amicabiliter erga Petrum sanctum, & peccatorem: ergo redit idem incommodum, nisi recedat praedicta responsio in constitutionem actuum liberorum Dei per aliquid extrinsecum; quod nec Authori suo, nec nobis placere potest.

32 Denique nova multiplicat incommoda nova ista responsio. Quia, cum Deus ut absolutè amans amicabiliter Petrum involvat aliquid creatum, & extrinsecum nempe gratiam Petri; ex suis intrinsecis nullum unquam amorem amicabilem haberet petrius absolutè erga Petrum sibi amicum, quàm erga Iudam inimicum. Quinimò ex intrinsecis suis eodem prorsus modo amicabiliter: mandandi, seu orandi haberet se nunc, & ab aeterno, & in aeternum erga B. Virginem, & erga Iudam, & similiter erga omnes: utpote omnes amans: amicabiliter conditionatè si sint in gratia, non verò amans si in gratia non sint: quandoquidem purificatio conditionis gratiae, vel peccati non est ex intrinsecis Dei, sed quid extrinsecum creatum. Id quod absurdius profectò est, Deoque indignius.

## SECTIO IV.

**RESPONDETUR SOLIDIUS**  
*ad difficultatem.*

33 **P**ropter hæc, & alia aliter respondentum iudico ad difficultatem oppositam *num. 25.* admittendo antecedens: scilicet aliquos Dei affectus quantumvis Deo adaequatè intrinsecos, incipere, & desinere virtualiter in tempore quoad aliquas denominationes intrinsecas. Nego verò consequentiam: quod nempe perinde sequatur aliqua in Deo mutatio repugnans Attributo perfectissimæ Immutabilitatis. Et ratio est: quia nec perinde quidquam advenit Deo, aut detrahitur entitativè, sed quoad denominationem, quæ in omnium sententia potuit sic non esse, & contingenter, & non necessario Deum denominat: nec revocatur aliquod eius decretum, seu consilium semel susceptum: Siquidem cum hac responsione rectè fiat, quod Deus semper, & ab aeterno voluerit, & decreverit aliter, & aliter in tempore

affici, ac denominari, iam odio, iam amore amabili erga Petrum, iam peccatorem, iam iustum: in quo decreto persistat Deus semper constantissimè, irrevocabiliter, & immutabiliter. Certè si prius decrevisset, Petrum in hoc statu gratiæ amabiliter amare, & postea decerneret Petrum in eodem statu non amare, esset mutare consilium, revocando decretum semel habitum, quod ex fide videtur repugnare. At non sic ait ista responsio; sed Deum habuisse iam semper ab æterno decretum sic amandi Petrum tempore gratiæ, & non sic amandi tempore peccati: in quo nulla est oppositio: incipientibus nimirum successivè quoad denominationem tali amore, & odio iuxta libitum Dei æternum semper existens in Deo. Sic ergo Deus amabiliter amat Petrum, dum est in gratiæ; adveniente autem peccato deficit in Deo quoad hanc denominationem amor ille amabilis, succedente quo ad denominationem odio inimicabili.

34 Tenet doctrinam nostræ responsionis sapientissimus Ribaden. *disput. 20. de Voluntate Dei: & Magister meus Lumbier dist. 4. de Attribut. quest. 10. artic. 2.* Quæ sit ex mente p. u. i. Theologorum, videre est apud Giliam *lib. 2. tit. 8. c. 9.* Theoph. Raynaudum in *Theol. naturali dist. 8. q. 1. nu. 78.* Martinonum *disp. 14. de Deo. sect. 5.* & apud ipsum Ribad. num. 7. vbi refert Hurtad. & Herize.

35 Quidquid tamen isti dixerint iuxta sua principia, facit certè insigniter pro responsione, quod iuxta sua & nostra scripsit Eximius Suarez *d. disput. 30. Metaph. sect. 9. num. 50.* ibi: *Alio modo accidere potest varietas circa rem decretam pro diversis temporibus, ut v.g. si Deus hodie diligit Petrum, cras non diligit: & hæc varietas non infert mutationem in Deo: quia sine mutatione ex parte amatis, qui simul utrumque decrevit, scilicet amare pro tali tempore, & pro tali non amare, & utrumque ex sufficienti causa, & ratione.* Hæc Eximius, postquam ingeniosè animadvertet, hoc non esse decreta sua, seu consilia à Deo revocari contra constantiæ, & immutabilitatis iura: non enim sicut nos, qui ex imperfectione sæpè nolumus iam pro hoc tempore facere, quod pro hoc eodem tempore faciendum voluimus; Deus, inquam, non sic; sed semper & irrevocabiliter decrevit, ac vult, taliter, & taliter in tempore affici quo ad denomina-

tionem amabiliter diligentis, aut odio prosequentis, erga Petrum in tali, vel tali statu gratiæ, vel peccati constitutum.

36 Quod autem nulla perinde sequatur in Deo mutatio, seu imperfectio contra Attributum perfectissimæ suæ immutabilitatis probo per partes. Quia nec id est contra immutabilitatem entitativam, nec contra physicam, nec contra moralem: de locali autem dubium esse nequit.

37 Non contra entitativam. Quia iuxta hanc doctrinam nihil Dei incipit, aut definit entitativè; sed tantum quo ad denominationem eo modo, quo Deo est contingens, & liberum: sicut ergo non est contra rationem entis necessarij divini, aut contra indefeabilitatem Dei, quod scientiæ, & volitiones liberæ sint Deo contingentes quoad denominationem, & possint quoad talem denominationem desisse; sic nec est contra rationem Æternitatis, & immutabilitatis entitativæ divini, quod aliqui affectus liberi divini possint incipere, & definire eum eadem limitatione, scilicet quo ad denominationem, salvâ semper eum essentiali Æternitate, ac proinde immutabilitate quoad entitativè: quæ paritas appositissima urgetur in sequentibus. Nihil ergo sequitur contra immutabilitatem entitativam.

38 Nec contra Physicam. Deus enim tam est ens necessarium, quam immutabile: stat autem per diviniæ libertatis mysterium cum necessitate essendi, quod possit Deus per sua prædicata necessaria in essendo denominari contingenter volens mundum, seu non denominari volens mundum: ergo stabit similiter cum sua immutabilitate in essendo, quod possit vno tempore denominari amabiliter amans & alio tempore non denominari amabiliter amans Petrum pro modo ac libito admirabilis suæ libertatis. Insuper: ad mutationem physicam requiritur aliqua alteritas alicuius perfectionis, vel imperfectionis physicæ: in hoc autem quod est, Deum denominati amantem, vti dicimus, nulla intervenit alteritas per adiectionem, nec detractionem perfectionis, aut imperfectionis. Patet: quia nulla esset alteritas Dei si ab æterno non denominaretur volens mundum, sicut nunc denominatur ab æterno volens: alioquin potuisset Deus fuisse ab æterno alter ac nunc est: quod non minus dedecet, & implicat, quam quod de novo

novo in tempore fiat alter: æquè enim repugnant Deo potuisse esse alterum ac est, & de novo fieri alterum, ac fuit.

39 Quemadmodum ergo stat, Deum non potuisse ab æterno esse alterum, & potuisse denominari ab æterno pro suo libito nolentem mundum, quo pacto nunc non denominatur; intelligo etiam stare, quod possit nunc in tempore denominari pro suo libito amans amabiliter iustos, quo pacto quando erant in peccato non denominabatur; quin perinde sit, aut possit esse alter, ac proinde sine physica mutatione, vt rectè Suarez num. 58. Et ratio pro utroque sit: quia Deus sic, vel sic denominatur pro suo admirabili libito per sua ipsius prædicata necessaria in essendo. Unde, & illa ipsa denominatio denominans Deum in tempore sic amantem, erat iam ab æterno, quomvis non denominans ab æterno: quia Deus non sic voluit, sed quod denominaret in tempore, iuxta constitutionem liberorum Dei insinuatam *disp. 8. sect. 5.* ex sententia doctoris Eximij videndi, si iuvat in *Metaph. per totam illam sectionem nonam disp. 30. num. 50. & 52.* vbi totum hunc discursum postea inveni.

40 Nec tandem est contra Immutabilitatem moralem. Hæc enim eiusque tota perfectio in eo stat, quod Deus vtopre qui ab æterno cuncta summè noverat, quæ novit in tempore, persistat semper constantis in proposito, nec more nostro mutet consilium revocando decretum, quod semel habuit: vt si volens ab æterno mundum condere, aut Petrum diligere amabiliter pro tali tempore, postea nollet pro eodem tali tempore condere, vel diligere. At ex eiusmodi novis affectibus, vt asseruimus, nulla sequitur eiusmodi mutatio consilij, vt eximie distinguit Suarez num. 50. Nam Deus totum id voluit ab æterno per æternum suum decretum irrevocabile, & per consilium immutabile; cum ab æterno decreverit, & voluerit, semperque constantissimè velit amare amabiliter Petrum tempore gratiæ, & odisse tempore peccati, vt aiebat optimè Suarez.

41 Itaque cum æternitate, immutabilitate, irrevocabilitate, & indivisibilitate consilij, ac decreti divini stat optimè; quod Deus non amaverit Petrum amabiliter ab æterno, sed in tempore gratiæ; & oderit, non in tempore gratiæ, sed in tempore peccati: quippe sic, & non aliter in tempore affici voluit ab æterno: sicut ab æterno voluit

damnare exequutive iudam, non quidem damnare exequutive ab æterno, sed tali tempore post peccatum: hoc enim præstat ex suis intrinsecis eminentissimè specialis modus volendi, & decernendi. In nobis, prudentis est plerumque mutare consilium, quibus vti que novi casus, novæque rationes in dies occurrunt: Deus verò ab æterno omniscientissimus, non ex prudentiæ, sed vel ex levitate, vel ex inconstantia mutaret consilium: quod & in nobis etiam sic vitium redoleret; & in Deo repugnat.

## SECTIO V.

## OBJECTIONES.

42 Objicit multa P. Borrull, vt pro cere Deum, habere ab æterno decretum æternum puniendi, seu odio habendi Petrum nunc iustum, & postea peccatorem; ac habere ab æterno odium inimicabile æternum erga Petrum nunc iustum, & postea peccatorem. Est tamen latissima disparitas: nam odium inimicabile taliter est iam pœna offensæ, vt reddat iam formaliter Deum inimicum, sicut odium Dei reddit hominem peccatorem: irrationabile autem esset, & iniquum, Deum exercitè infligere pœnam ante culpam, & denominari formaliter quantum est ex parte sua inimicum Petri dum Petrus est in gratiæ: at decretum illud in tempore puniendi, imò & decretum in tempore odio habendi, non reddit Deum exercitè punientem, nec inimicum; sed providum, & iustum iudicè, iam ab æterno ex comprehensiva prævisione culparum omnium disponentem, & taxatorem pro tempore culpæ pœnas, & supplicia: quod non irrationabile, aut iniquum; sed perfectissimum est, ac proinde Deo innegabile: & hoc est quod pertinet ad eius constantiam, & immutabilitatem. Cæterum odio inimicabili prosequi semper S. Petrum, quia vno, vel altero die fuit in peccato, eo ipso modo ex parte Dei, quo illum odio habuit quando peccavit; non est constantia, quia non est virtus; sed irrationabilitas, aut iniquitas.

43 Porro, sicut in linea remunerandi aliud est præmium, & aliud voluntas, seu decretum præmij; sic in linea puniendi aliud est pœna, aliud voluntas, seu decretum pœnæ. Voluntas præmiandi, quam

Suarez.

Supra  
disp. 8  
Suarez.

Suarez.

Borrull.  
à n. 39.

vis sit in primum, non est primum: cum possit esse, & sit in Deo ante merita; imo & ante absolutam previsionem meritorum, ut sentit Pater ipse Borrull: nisi velit forte dicere modo, quod absit, divinam voluntatem premiandi non esse ab aeterno, & ab intinseco absolutam, sed fieri absolutam in tempore, post conditione meriti. Sic ergo puta de voluntate, seu de decreto puniendi: videlicet non esse poenam, quamvis sit in poenam: hoc est, in ordine, & respectu ad poenam infligendam post culpam. Odium autem inimicabile in peccatorem est poena peccati: ideo non potens antecedere peccatum, quamvis decretum de tali odio possit antecedere peccatum.

44 Nec sufficit quod ad tale odium praecedat iam praevio peccati. Non enim odium istud est poena praevisionis, sed poena peccati: ac proinde peccatum ipsum, quod est culpa, debet praecedere ad tale odium, quod est poena; & non sola praevio: requisita nimirum, & sufficiens ad decretum taxativum poenae; minime vero sufficiens ad poenam.

45 Nec valet dicere, quod peccatum, ut absolutum praevium, iam praecedit ad illud odium poenale, quantumvis aeternum. Certum enim nihil est nisi dicere per aliam phrasim, praevisionem peccati praecedere ad eiusmodi odium. Frustra tamen: nam peccatum, ut absolutum praevium, non facit hominem peccatorem, nec dignum odio, cum stet ut praevium, stante gratia in homine peccaturo, donec peccatum sit exercitum commissum. Quo ergo iure faciat Deum iam punientem, & ab aeterno punientem? Faceret autem Deum iam ab aeterno punientem, si decretum de punitione, seu de poena, esset poena, & punitio. Non est ergo punitio, nec poena, quamvis pertineat ad lineam punitionis, & poenae: sicut nec praevio culpa est poena, nec punitio, quamvis suo etiam modo ad lineam punitionis pertineat: ad quam & iudex suo quoque modo pertinet.

46 Obijcitur 2. illud Rom. 9. Cum nondum aliquid boni, aut mali egissent, &c. Iacob dilexi, Esau autem odio habui: & in id Augustinus tract. 10. in Ioan. Incomprehensibilis est dilectio, qua diligit, neque mutabilis: ante mundi constitutionem dilexit: & post pauca: habebat itaque ille erga nos charitatem etiam cum inimicitias adversus eum exerceret opera-

bamur iniquitatem. Et lib. 12. confes. cap. 15. Unde non cum modo velle hoc, modo velle illud: sed semel, & simul, & semper velle omnia, qua vult, non iterum, & iterum, neque nunc ista nunc illa, nec velle postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile aeternum non est; Deus autem noster aeternus est. Ex quibus omnibus videtur inferri sententia Augustini contra inceptionem, & desicionem quorumlibet affectuum divinatorum, & contra nostram doctrinam.

47 Quam lae sit Apostoli mens a sensu, qui prodesse posset obiectioni contra nostram doctrinam, videre est apud Cornelium, & Tirinum super eum locum. Ex quibus, & alijs Interpretibus dico, dilectionem ibi apud Apostolum non esse affectum amicabilem dilectionis, sed Dei benevolentiam electivam unius praeter alios & similiter odium ibi, ut ex phrasi Habrega animadvertit optimus Tirinus specialiter in eo loco, & generatim in explicatione Idiotismorum linguaebraicae; non esse affectum inimicabilem odij; sed minorem benevolentiam, seu nolitionem sic diligendi alios: quos divinos: etus volendi, & nolendi esse ab aeterno quoad illas denominationes eligendi, volendi, & discernendi, iam fatemur. Nihil tamen sit inde contra quod de effectibus divinis dilectionis amicabilem, & odij inimicabilem asseruimus. Sic etiam PP. Quirós, & Ribaden. Similiter capi debet Augustinus satis se explicans in contextu. Quippe loquitur aperte de dilectione, qua Deus prosequitur peccatores pro eo etiam tempore quo sunt in peccato, ut eos ad se alliciat: ac proinde non de affectu inimicabili. Similiter in secundo loco nobis obicitur etiam loquitur Augustinus de aeternitate irrevocabilitate, & immutabilitate decretorum Dei, prout supra concessimus, & explicuimus: nihil obstante doctrina nostra de inceptione aliquorum affectuum quo ad aliquam denominationem revocabilem, ab aeterno tamen irrevocabiliter volitam, & decretam.

48 Obijcitur 3. hanc esse saltem vnam mutationem, contra quod Iacobi 1. dicitur de Deo: apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio: ergo & hic etiam modus incipiendi, & desinendi ablegari debet a quocumque praedico intinseco Dei. Respondet optimus

timé Suarez num. 31. ibi non negari Deo vmbra, id est apparentiam quamdam vicissitudinis, aut mutationis quoad nos non satis intelligentes: nam in denominationibus extrinsecis Creatoris, Gubernatoris, & similibus, & magis apparenter in transitu de non unito ad unitum hyposthaticè intrinsecè ad humanitatem in tempore, reperitur talis vmbra, seu aliqualis apparentia vicissitudinis, & mutationis; re tamen ipsa sine mutatione physica: sed ibi negari Deo obumbrationem, hoc est imperfectiorem veram mutationem; quam etiam negat nostra doctrina: unde sic explicato antecedente, negatur consequentia. Patet soliditas responsionis ex contextu: quippe ibi praefert Iacobus Deum Patrem luminum Soli materiali, quotidiana vicissitudine orienti, & occidenti, succedente nocte diei, & vmbrae luci: quae vicissitudines, mutationes; aut obumbrationes non dantur in Deo, qui semper ipsa lux est & tenebra in eo non sunt vlla. Hinc Augustinus: apud Deum non est transmutatio: & ideo apud Deum cursus temporis, diei, noctisque aeternatione nequaquam variatur.

49 Obijcitur 4. subtiliter ex Antonio Perez disp. 6. de Incarnat. cap. 3. num. 26. Quodlibet intrinsecum Dei, si durat, durat per durationem Dei, quae est aeternitas, ac proinde durat per Aeternitatem; sicut est praesens per Intensionem: implicat ergo divinum quidquam durare; & non per Aeternitatem: sed illa ipsa denominatio amicabilem amantis, & quilibet alius affectus Dei, est quid intrinsecum Dei: ergo eo ipso quod aliquando durat, per Aeternitatem durat, quod est durare ab aeterno: sicut eo ipso quod est alicubi, est ubique, quia ubicatur per Intensionem: ergo implicat quidquam intrinsecum Dei, qualis est illa denominatio sic amantis, quae adaequatissime est ipse Deus, incipere adhuc quoad denominationem: nam quoad denominationem durat etiam per Aeternitatem, quae est duratio Dei. Confirmatur. Deus aliquando denominatur amicabilem amans: ergo semper: nam aliquando Dei est semper Dei, cuius utique duratio est aeternitas tota simul, prout explicuimus disp. 13. sect. 2. ergo implicat quod denominetur aliquando amans, quin semper utpotè per aeternitatem amans, & ab aeterno amans: sicut ubique amans eo ipso quod alicubi amaret, quia alicubi Dei est ubique Dei ex disp. 12. sect. 1. cuius utique

praesentia, seu ubicatio est immensitas. Ingeniosè.

50 Respondeo tamen, concedendo totum usque ad ultimam consequentiam, quam absolute nego. Nam sicut illa denominatio est ab aeterno necessario existens, & non necessario denominans; ita dici potest per Aeternitatem Dei, & ab aeterno durans, & non ab aeterno denominans, sed in tempore pro libito Dei: quod est incipere quo ad denominationem, seu incipere virtualiter: sicut ante istam inceptionem virtualem deficiebat virtualiter: ad modum quo vultio alterius mundi deficit pro semper virtualiter: quod est deficere pro semper quo ad denominationem, iuxta doctrinam de constitutione liberorum Dei traditam supra disp. 8. sect. 5. Ad confirmationem, nego consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod quamvis aliquando Dei sit semper Dei ad essendum, sive ad durandum; non verò ad denominandum, quando cum existentia, & duratione reali alicuius perfectionis coniungitur eiusdem deficientia virtualis. Hinc distingo subillationem: si illud, quod aliquando denominat, nunquam virtualiter deficit, concedo: si aliquando virtualiter deficit, nego: quia, si aliquando virtualiter deficit, non semper denominat: nihil enim est aliud virtualiter deficere, quam realiter non denominare, quavis realiter sit, & duret per aeternitatem; siquidem quantum ad sic denominare existit, & durat; ac si nec existeret, nec duret. In intensionem nihil simile contingit: quia praedictum Dei alicubi existens nullibi deficit virtualiter: nec est divina aliqua perfectio cogens ad huiusmodi deficientiam, seu absentiam localem virtualem, sicut ad defectibilitatem, & deficientiam virtualem alicuius denominationis liberæ cogit perfectio divinae libertatis, & aequitatis.

SECTIO VI. DE IMMORTALITATE DEI.

51 Regi saeculorum immortalis de Fide certum est, repugnare mori in natura propria; quamvis propter mortem naturae humanae in Christo dicatur Deus mori per communicationem idiomatum: quod tamen non est ad rem praesentem.

52 Immortalitatem soli Deo attribuit idem

idem Paulus 1. Timothei. 6. *Qui solus habet immortalitatem.* Unde nulli enti creato competere potest ea perfectio, ut de alijs Attributis seorsim diximus.

53 Quocirca notandum venit, in duplici sensu posse hic accipi mortem, ac respective immortalitatem. Uno modo sumitur mors apud nos pro destructione viventis per separationem animæ à corpore: & hoc modo non solum Deus, sed Angelus etiam, & anima rationalis immortalis est; imò & lapis: quia cum non constent anima, & corpore, repugnat illis essentialiter, destri per separationem animæ à corpore. Secundo modo sumitur mors pro destructione viventis: & hoc modo, qui est huius loci, solus Deus habet essentialē immortalitatem: quippe ex sua necessitate vivendi, sicut & essendi est essentialiter actu vivens, & omnino indestructibilis, & indefectibilis: anima vero, & angelus, & potuerunt nunquam fuisse, & annihilari possunt à Deo; sive naturaliter operante, ut Authore naturæ, sicut naturaliter fiunt à Deo ex nihilo, ut volunt Scotus, & Vasquez apud Herreram late hoc disputantem *quæst. 3. de Angelis;* sive de potestate saltem absolutâ supernaturaliter, & divinitus, ut volunt alij communiter.

54 Unde quando angelus, & anima rationalis dicuntur immortales, intelligitur, vel ex lege Dei iuxta Scotum, & Vasquez; vel ex lege Dei, & ex natura rei iuxta sententiam communiorem: non tamen omnino essentialiter sicut Deus, qui ex vna parte est essentialiter semper actu vi-

vens, ex aliâ vero parte ex necessitate summa essendi est essentialiter indestructibilis de quacumque potentia. Idem dic de quolibet vivente possibili: repugnat enim aliquod vivens creatum essentialiter immortale, cum repugnet aliquod vivens creatum à Deo indestructibile, & intrinsecè, ac essentialiter indefectibile.

55 Opponi posset cognitio illa supernaturalis de se affirmans æternam duraturam, quam *disp. 13. sect. 10.* admittimus essentialiter indestructibile: ergo esset essentialiter, & intrinsecè immortalis. Respondeo tamen, quod cognitio illa, quamvis esset essentialiter indestructibilis, ut ibi concessimus *num. 127.* non diceret necessitatem vivendi, nec esset essentialiter actu vivens, cum potuerit nunquam extitisse, nec vivere, ut ibidem diximus, ne dicatur essentialiter æterna. Unde nego consequentiam: quia immortalitas in linea suæ perfectionis, præter essentialē indestructibilitatem suæ vitæ, dicit necessitatem absolutam semper vivendi, quod soli competit Deo. Adde si, vis, illam cognitionem, utpotè de genere accidentis, quamvis sit vita, non esse viventem, quia vivens est sub genere substantiæ.

56 Opponi secundo posset defectibilitas actuum liberorum Dei. Respondeo tamen, defectibilitatem virtuales illorum non officere eorum immortalitati: cum verè retineant rationem entis viventis per essentialitatem, sintque quo ad entitatem non minus essentialiter indefectibiles, quam ipse Deus.



DIS

# DISPUTATIO XV.

## DE SIMPLICITATE DEI.

Later.

**I** DEVM esse naturam simplicem est de Fide ex Concil. Lateran. sub Innocen. III. ut habetur in cap. *firmiter* de summa Trinitate, ubi dicitur Deus: *Vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino.* Et ex Rhemenfi contra Gilbertum. De quo S. Tho. *1. part. quæst. 3.* & P. Suarez in Summa, *lib. 1. cap. 4.*

Rhenn.  
S. Tho.  
Suar.

## SECTIO I.

*EXPLICATA MULTIPlici  
compositione reali, statuitur realis  
Dei simplicitas, tam passiva  
vè, quam activa  
sumpta.*

**2** Simplicitas est unitas entis opposita compositioni, seu multitudini partium unitarum. Compositio, vel est integralis ex partibus continuis eiusdem rationis, quarum neutra est forma, aut materia respectu alterius: vel est essentialis ex partibus diversæ rationis, quarum vna est subiectum, & altera forma respectu alterius: & hæc quidem forma, sive substantialis, sive accidentalis, pro diversitate compositorum, sive substantialium ex utraque parte substantiali, sive accidentalium ex forma saltem accidentali. Termini sunt satis noti ex Philosophia.

**3** Hinc primò, Simplicitati divinæ repugnare compositionem integram est de Fide: quia hæc compositio est propria rerum corporearum, & materialium: Deus autem incorporeus, & immaterialis est eadem Fidei certitudine, quæ spiritus est. Ioan. 4. *Spiritus est Deus:* & 2. Corinth. 3. *Dominus autem spiritus est.* Præterea: Deus est substantia intellectiva excellentissima: ergo spiritualis. Hoc negabant Hæretici Audeani, seu Badiani, & alij apud Vasquez *1. part. disp. 21.* delusi Scripturæ locis, attribuentibus Deo brachia, manus, oculos, aliaque, quibus nos componimur

Ioan. 4.

4.

Cor. 3.

3.

Vasq.

integraliter: & ex illo Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* ubi videtur induci Deus nobis materialibus assimilatus. Respondetur tamen ad hoc vltimum, non intelligi de similitudine, quam dicat Deus in propria natura quoad hoc quod est esse corporeum, & integratum ex partibus; sed vel quoad alia ex parte animæ spiritualis, vel de Deo in natura humana assumpta, ut aliter, & aliter exponunt ibi Interpretes Sacri. Ad illud prius dico, illa attribui Deo, non proprie; sed metaphoricè: oculos nimirum, id est omnium rerum notitiam; brachia, id est virtutem, & fortitudinem; manus, id est munificentiam, seu liberalitatem: sicut simili metaphorâ dicitur alibi Deus: *Agricola, Leo Agnus, &c.*

**4** Hinc secundo, Simplicitati divinæ repugnat etiam compositio realis essentialis: tam substantialis ex materia etiam spirituali, & forma, sive ex natura, & subsistentiâ; quam accidentalis ex substantia, & accidenti; sicut etiam ex essentia, & existentia. Sicque Deus est omnino simplex, ut definitur in cap. *firmiter* excludens omnem compositionem realem: non autem esset omnino simplex, ut ibi notat Glossa, si aliquam ex illis compositionem pateretur: sicut propterea, nec anima, nec angelus omnino simplices sunt: quia, quamvis spirituales sint, admittunt tamen compositiones multas accidentales.

**5** Probatum. Quia in primis compositio realis ex quavis materia (vel etiam quasi materia spirituali) & ex forma, dicit partes, quarum vna sit realis potentia passiva

Oo

ad

ad aliam, quæ sit actus, & utraque sit seorsim incompleta: hoc autem involvit multas imperfectiones indignas Ente purissimo, nobilissimo, & infinito. Deinde: compositio accidentalis supponit imperfectionem subiecti, quod ab adventitia forma emendicat perfectionem sibi convenientem. Præterea: compositio ex essentia, & existentia, si forsitan alicui enti creato competit, est propter talis entis defectibilitatem: quomodo ergo adaptabitur enti summam dicenti necessitatem essendi, & actualissimè existendi ex illo Exod. 3. *Ego sum qui sum*: hoc est, qui per essentiam sum. Idem est de compositione naturæ, & substantiæ, quæ sive iuxta opinionem aliquorum sit absoluta, sive iuxta omnes sit relativa, realiter à natura non distinguitur.

6 Deus, inquis, habet tres Personalitates: sed non separatas: ergo coniunctas: ergo est realiter, & intrinsecè compositus ex illis: quia compositio nihil est aliud quam distinctorum unio. Sic aliqui Hæreticorum, quibus eruditè occurrit Montoya *disput. 38. de Trinit. exterminans à Deo* vocabula compositionis, unionis, & conjunctionis. Respondetur ergo concedendo præmissas, & negando consequentiam. Dixit enim de hoc loquens Cyrillus Alexandrinus: *Imò, & conjunctionis nomen recusamus*: & aliquos Patres aliter loquutos exponit benigne Montoya, exhortans, ne eiusmodi voces usurpemus, nisi cum explicatione: nempe quod loquimur improprie, vel quod solum volumus dicere Personalitates non esse separatas, sed identificatas in naturâ indivisibili, & unam in alijs per circuminflectionem. Unde nego secundam consequentiam: quia inter non esse separatas, & esse compositas, datur medium, scilicet esse identificatas in una natura individua, & indivisibili.

7. Compositio est quidem distinctorum unio; at taliter distinctorum, ut distinguantur penes totum, id, quod realiter sunt; quod in Personis divinis verum non est: cum, in aliquo, quod realiter sunt identificentur, nempe in naturâ. Inde nego eas esse unitas, ac proinde esse compositas, aut Deum ex illis componi. Nec dicendæ sunt partes Trinitatis; nam, ut bene S. Thom. *1. p. q. 30. art. 1.* capus est Pater, sicut tota Trinitas: pars autem dicitur esse quid minus, & inferius toto, ut bene Suarez *3. p. q. 2. art. 4.*

8. Infert Fasolus *q. 3. art. 3.* distin-

ctione trium Personarum ob stare quidem earum unitati, seu unitati; non verò simplicitati: quia non affert simplicitatis oppositum, nempe compositionem, quamvis affert oppositum unitatis nempe multiplicitatem rerum.

9. Hæc de Simplicitate reali Dei opposita reali compositioni passivæ, qua nempe Deus ex partibus suis componatur. Superest dicere de Simplicitate opposita compositioni etiam activæ, qua Deus aliquid cum alio componat.

10. Et ut omittam errorem quorundam veterum Philosophorum, qui putant, Deum esse animam, & quasi formam physicâ mundi; ratio non ita facta dubitan di sumitur ex Mysterio Incarnationis: ubi constat divinam Personalitatem hypostaticè uniri, & intrinsecè coniungi humanitati in unitatem suppositi: qui est Christus totaliter sumptus.

11. Magister sententiarum, Almainus, Scotus, Gabriel, & alij apud Suarez, nec propter id quod diximus de unione Hypostatica in Mysterio Incarnationis volunt admittere loquutionem, qua dicatur Verbum componere, aut Christus compositus, ex Verbo, & Humanitate. Quia putant compositum proprie dictum dicere incompletionem utriusque componentis, & debere esse quid perfectius quovis componente: at in Christo, nec Verbum est incompletum, nec Christus solus est perfectior solo Verbo, ut diximus *disput. 3. sect. 11.*

12. P. Suarez *3. p. disp. 7. sect. 4.* absolute admittit eam compositionem passivam in Christo, ac proinde in Deo compositionem activam sine præiudicio suæ Simplicitatis: idque firmat ex multis etiam Conciliorum, & Patrum loquutionibus. Sit etiam Granadus *tract. 2. disp. ult. & alij.* Quia putant, de ratione compositi solum esse, quod sit unum ex multis rebus per realem unionem resultans: quod reperitur in Christo: & non requirit incompletionem utriusque componentis. Consultat tamen ibi Suarez cum Caietano, ut illa compositio appelletur sic semper cum aliquo addito, nempe *ineffabilis, singularis, &c.* ut modus ipse loquendi excludat imperfectiones significari solitas compositionis vocabulo.

13. Una istarum imperfectionum est, quod extrema componentia sint partes totius, quod componunt: at Deum esse partem

SECTIO II.

AN DIVINÆ SIMPLICITATI REPUGNET COMPOSITIO ETIAM VIRTUALIS.

16. A Iunt communiter, non repugnare, sed potius dari inter multas perfectiones divinas virtualement compositionem, multi Theologi, quamvis ut arbitror, non multo cum examine: quos inter Magister Lumbier *q. 6. de Attrib. art. 2.*

17. Moventur primò: quia multæ Dei perfectiones distinguuntur virtualiter, & sunt unum: sed non per compositionem realem formalem, nec per identitatem virtualement: ergo per compositionem virtualement. Secundò: quia non obstante reali, ac verâ identitate datur inter multas divinas perfectiones distinctio virtualis: ergo & compositio virtualis, non obstante reali, ac verâ Simplicitate.

18. Respondetur tamen facilè. Ad primum, concessis præmissis, negando consequentiam: illæ enim perfectiones sunt unum per identitatem realem: compositio autem virtualis non faceret illas unum realiter, ut re verâ sunt; sed unum, sive unum virtualiter: quod ad nihil est necesse. Ad secundum, nego consequentiam: quia ad distinctionem virtualement cogit nos verificatio contradictoriorum de re eadem: qui conceptus aptus est pro adstruendâ distinctione virtuali: at ad compositionem virtualement nihil nos cogit: nec pro illa stabilienda est in Deo aptus aliquis conceptus, proprius rerum compositarum, ut videbimus.

19. Negant ergo in Deo compositionem virtualement, utpote divinæ Simplicitati repugnantem, Capreolus in *1. dist. 2. qu. 3. art. 3.* Fasolus *q. 3. art. 7. annot. 3.* Granadus *tract. 2. disp. ult. à nu. 6.* Izquierdus *dist. II. de Deo, quest. 3.* Quiròs *tom. 1. in Indice S. Tho. quest. 3. art. 7.* Lumbier *quest. 13. de Scientia Dei, art. 3. §. 2.* Favetque modus loquendi, quem retulimus ex cap. *firmiter*: ubi non quomodocumque asseritur Deus una substantia, & natura simplex, sed etiam, *simplex omnino*, quo videtur excludi omnimoda compositio, ac proinde compositio etiam virtualis.

20. Approbo secundam hanc sententiam: & probe. Quia quod virtualiter

August.

tem Christi negant S. Augustinus *lib. 3. contra Maximin. cap. 12.* dicens: *Christus una Persona est gemina substantia: nec tamen Deus pars huius Personæ dici potest: alioquin Filius Dei antequam acciperet formam servi non erat totum, hoc est, omnimodè perfectum, & completissimè.* Unde est quod ait S. Tho. *3. p. 2. q. 4. art. 4.* Christi Personam dici compositam non ratione partium, sed ratione numeri: hoc est, quod ex multis constat, quamvis non ex multis partibus: quia Verbum non est pars, sed totum, & tam perfectum ac totus Christus, ut in commentario illius articuli explicat Suarez.

S. Tho.

Suar.

14. Et forte hoc negant, scilicet compositionem ex partibus, qui recusant concedere, Christum esse compositum ex humanitate, & Verbo, & Deum posse quidquam intrinsecè componere cum creatura. Quia tamen compositio dici solet respectivè ad partes, ideo consultius est, ut inonebat nuper Pater ipse Suarez, loqui cautè, & cum aliquo addito diminutive: quod est accedere ad modum loquendi Magistri sententiarum: iuxta quem sicut Christus non dicitur proprie compositus ex Humanitate, & Verbo: ita nec Deus proprie componens: sicque erit divina Simplicitas expertis omnino compositionis realis, tam activæ, quâ componat, quàm passivæ, quâ componatur.

Izquier.

15. Quam sit solius Dei proprium, & creaturæ repugnans Attributum istud omnimodè Simplicitatis, satis inferitur ex dictis, & videri latius potest apud Izquierdum *quest. 9.* Quia, quamvis aliqua Simplicitas, excludens nempe aliquam compositionem, conveniat aliquibus creaturis: ut convenit Angelo, & Animæ Simplicitas opposita compositioni integrali; at omnimoda Simplicitas excludens omnem omnino compositionem, & componibilitatem realem tam passivam, quàm activam, nulli extra Deum convenire potest.

Lumb.

Capreol.  
Fasol.  
Gran.  
Izquier.  
Quiròs  
Lumb.

Almai.  
Scot.  
Gabr.

Supra  
disp. 3.

Suar.

Granad.

Suar.  
Caiet.

Exod. 3.

Montoy.

Cyriil.

S. Tho.

Suar.

Fasol.

attribuitur Deo nisi debet in aliqua perfectione, quæ sit formaliter in Deo; sed nulla est perfectio formaliter in Deo, quia nisi possit ratio compositionis virtualis: ergo nequit Deo attribui virtualis compositio. *Supra disp. 4.* Maior est à nobis sæpè stabilita præsertim *disp. 4.* dum ageremus de actu primo virtuali intelligendi: alioquin integritum cuique foret, tribuere Deo partes integrales virtuales, materiam, & formam virtuales, & alia huiusmodi, cum solo eo munere essendi eas res virtuales. Probat autem minor. Si aliqua esset ea perfectio in Deo, maxime vnitas, seu idemtitas realis perfectionum cum earundem distinctione virtuali: sed hoc non sufficit: ergo nulla est in Deo perfectio, quæ nisi possit ratio compositionis virtualis.

21. Maior continet fundamentum contrariæ sententiæ. Minor probatur. Quia, si realis idemtitas virtualiter distinctorum sufficeret ad compositionem virtuales, maxime quia per illam sunt vnum ea quæ virtualiter distinguuntur: hæc autem ratio nulla est: quia esse vnum quæ realiter distinguuntur non est ratio compositionis realis: ut patet in idemtitate Naturæ divinæ cum Personis, quæ idemtitas facit ut sint vnum Personæ realiter distinctæ; & tamen certissime sine compositione reali: ergo esse vnum quæ virtualiter distinguuntur non est ratio compositionis virtualis.

22. Si negatur hæc consequentia, aliter arguo. Per vos idemtitas, quæ perfectiones virtualiter distinctæ sunt vnum, est compositio: sed illa idemtitas est realis ergo erit compositio realis contra Fidem. Dices: ut esset compositio realis deberet esse inter realiter distincta. Bene: ergo idemtitas, quæ in Deo sunt realiter vnum Personalitates realiter distinctæ, erit compositio realis, contra Fidem. Quod si ex eo quod multæ perfectiones realiter distinctæ, fiat realiter vnum non infertur realis compositio: ergo ex eo quod multæ perfectiones virtualiter distinctæ, fiat realiter vnum, non infertur virtualis compositio.

23. Præterea. Distinctio virtualis nititur in capacitate ex se contradictoriorum, propriæ rerum realiter distinctarum: principium virtuale intelligendi, si datur, nititur in virtute intellectiva, sive intentionaliter perceptiva, alioquin propria principij realis: at idemtitas ea realis tam longè abest, ut sit conceptus apud cuius innitatur

ratio compositionis, quin potius sit conceptus oppositissimus compositioni: cum ex eo negetur realis compositio Personalitatum in Deo, quia idemtitantur realiter in tertio. Quo ergo iure, quo pacto ea idemtitas poterit esse conceptus, cui innitatur ratio compositionis virtualis? Hunc nostrum discursum, & rationem mihi perspicuam negandi Deo virtuales compositionem inveni postea promptum à Smislingo apud Quirós dicta *q. 3. art. 7.*

24. Dices. Idemtitas virtualiter distinctorum, & compositio realis, conveniunt in hoc quod est, esse rationem, quæ multa sunt vnum: ergo ea idemtitas est virtualis compositio. Negatur tamen consequentia: nam ad id non sufficit convenientia quælibet, seu æquivalentia in aliquo prædicato compositionis realis; sicut neque, ut sit in Deo virtualis distinctio sufficeret quælibet æquivalentia realiter distinctorum, ut sæpè monuimus; sed æquivalentia in susceptione contradictoriorum: alioquin in qualibet re daretur distinctio illa virtualis, cum nulla sit res, quæ in susceptione diversorum prædicatorum non æquivalet rebus realiter distinctis, ut monuimus *disp. 7. sect. 4.*

25. Quod si tibi sufficit ad virtuales compositionem quælibet illa æquivalentia compositionis realis; inconsequentissime negares Deo principium virtuale intelligendi, & volendi, futuritionem virtuales suorum decretorum: imò & materiam primam virtuales, & quantitatem virtuales, & productionem suæ essentiæ virtuales; & alia huiusmodi absurdissima, eadem vocabuli laxitate: cum detur formalitas in Deo conveniens cum omnibus his in aliquo prædicato, ut ex alibi disputatis satis constat, & rectè consideranti fiet conspicuum.

SECTIO III.

AN DIVINÆ SIMPLICITATI repugnet compositio rationis ex genere, & differentia.

26. Inanis questio, & solis verbis plena; ad exercitamentum potius logiculorum, quàm ad serium Theologiæ supercilium quorundam terminorum terculamentis accommodata.

Nulla.

Izquier. Lumb.

27. Nullatenus Deo repugnare compositionem rationis ex genere, & differentia est iam multorum sententia, ut post alios videre est apud Izquierdum *disput. 11. quæst. 4.* Eam sequitur Mag. Lumbier *q. 6. de Attrib. art. 3. & q. 1. 5. art. 1. & q. 3. de Scientia Dei, art. 3. §. 3.* quantum est ex capite compositionis, licet ex alio capite illam neget *§. 4.* Eam ipse tenui in Philosophia: nec est cur etiamnum non retineam.

28. Ratio est. Quia hoc genus compositionis non afficit Deum intrinsicè, ac proinde intactam omnino relinquit Deo perfectissimam suam Simpliciter: tota namque huiusmodi compositio se tenet ex parte nostri modi concipiendi Deum per conceptus nostros differentiales, & genericos, minùs, aut magis univocales: quod in Deo nihil est intrinsicè, sed denominatio extrinseca sic, vel sic cogniti à nobis: quæ denominatio sic à nobis cogniti non magis Deum afficit, quàm denominatio à nobis cogniti: sicut enim nostra cognitio, sic etiam talis nostra cognitio extrinseca prorsus est Deo.

29. Obijciunt multa multi. Primò: quia à Deo, & à Creaturis nequit abstrahi ratio univoca. Secundò: quia nullum est prædicatum, quod sit genus respectu entis creati, & increati. Tertio: quia Deus nequit nobiscum claudi sub prædicamento substantiæ. Ergo repugnat Deo compositio ex genere, & differentia: ad hoc enim deberet Deus contineri nobiscum sub aliquo prædicato, quod esset univocum, & genus, & esse nobiscum in aliquo prædicamento.

30. Uno verbo nego triplex antecedens. Primum, quia ratio entis, substantiæ, viventis, spiritus, & alia huiusmodi rationes, quæ propriè conveniunt multis creaturis, ab ipsis, & à Deo univocè possunt abstrahi præcisim à differentiis divini, & creati. Nec obstant Aristoteles, & S. Th. negantes univocationem entis ad Deum, & creaturas. Respondet enim primò P. Bernal in Manuscriptis Philosophicis *disput. 9. logica* eà quæ pollebat Græca eruditione exponens Aristotelem pro nobis. Respondet secundò P. Oviedus, Aristotelem, postquam eam univocationem negaverat, addidisse: *Sed hæc quomodocumque quis dicere velit, nihil refert.* Utimur ergo hac Aristotelis facultate, quando eam entis univocationem concedimus. Ad S. Tho.

Arist. S. Tho.

Bernal.

Ovied.

Arist.

mam dico, cum Aristotele loquutum, quia nobis deneget facultatem ab Aristotele concessam.

31. Quo ad secundum antecedens à nobis negatum, si quis nobis similiter opponat Aristotelem, & S. Thomam negantes ens esse genus ad Deum, & creaturas; dicemus loquutos consequenter, postquam negarunt ens esse univocum. Nos autem, quibus entis univocationem concedere licuit per Aristotelem, sub eadem venià concedimus ens esse genus, & alios quoque conceptus substantiæ, viventis, Spiritus, &c. esse genericos, sicut & univocos, ad Deum, & creaturas. Quid inde? Nec obest quod Deus quasi definiatur: *qui est*, iuxta illud: *ego sum qui sum*: quo videtur indicari, solum Deum esse propriè ens; creaturas verò solum improprie, & secundum quid: ac proinde rationem entis ad Deum, & creaturas non esse univocam, sed analogam, sicut ratio ridens ad homines, & prava. Responderet enim Deum dici, *Qui est*: & dici *ens* antonomasticè: pro ente per essentiam excellentissimo. Qui tropus relinquit alijs propriam rationem entis, quamvis minùs excellentis: sicut quod antonomasticè Roma significetur nomine *Urbis*; non tollit quo minùs aliæ sint etiam propriè Urbes. Secus contingit in ratione illa ridens, quæ prava non convenit propriè, sed metaphoricè, & improprie. Et sic fit satis ad ea, quæ ex hoc capite nobis opponit Magist. Lumbier *§. illo 4.*

32. Quo ad tertium, mirum est quàm terreat aliquorum pusillitatem collocare Deum in prædicamento substantiæ, quasi esset in ergastulum detruendi Deum: cum certè nihil sit aliud, nisi Deum cum creaturis convenire in ratione substantiæ, quod planissimum est: sicut, quod idem est, Deum propriè esse substantiam, & angelos, ac homines propriè quoque substantias esse. Quid hoc monstrum est?

33. Quod si Sancti PP. negant interdum, Deum in prædicamento substantiæ collocati, intelligendi sunt, sumendo substantiam ethymologicè pro substante accidentibus: quo modo Deus non est substantia: & quia fortè Aristoteles de hac substantia substante accidentibus loquutus est in suo prædicamento, ideò PP. excludunt Deum à prædicamento Aristotelico substantiæ: non verò à ratione univocè substantiæ essentialiter sumptæ præcisim à sustentatione accidentium, pro ente per se in quo

Lumb.



quo essentiali sensu suum quoque ordinat substantia predicamentum, ubi Deus dignissime collocatur.

34 Hinc, cum alij SS. Patres dicunt, Deum non esse proprie substantiam; intellige, ethymologicè pro substantia accidentibus. Cum verò alij, vt Sanctus Dionysius, dicunt Deum non esse substantiam; sed supersubstantium; non perinde negant esse proprie substantiam, quod est de Fide ex cap. firmiter, & ex cap. damnamus; sed explicant sic altiorem modum, quo Deus est substantia, excludens nimirum imperfectiones inferiorum substantiarum, à quibus substantiæ vocabulum ethymologicè desumptum est, scilicet à substantiando accidentibus. Sic P. Suarez in Sum. lib. 1. cap. 4. & lib. 7. cap. 8. num. 6. remissivè ad disp. 30. Metaph. sect. 4.

S. Dion.

Suarez.

Gonet.

35 Obijcit aliter Gonetus disp. 4. de Attrib. art. 1. §. 3. Nequit constare genere, & differentia essentia simpliciter, & in genere entis infinita: sed talis est essentia Dei: ergo essentia Dei, ac proinde Deus nequit constare, seu componi ex genere, & differentia. Probat major: quia quod est infinitum in aliquo ordine nequit constare duabus rationibus in eodem ordine finitis, & limitatis: sed genus, & differentia sunt quid finitum, & limitatum in ratione entis: ergo nequit constare genere, & differentia essentia infinita. Maior patet: quia ex rationibus finitis nihil nisi finitum fieri potest. Minor probatur: quia genus, & differentia se invicem excludunt in suis conceptibus: ergo conceptus differentia non includit rationem entis, quam continet conceptus generis, nec è contra: ergo quælibet ex istis rationibus est finitæ, & limitatæ perfectionis, & non infinitæ in ratione entis: cum infinitum in quolibet genere omnes illius perfectiones includat.

36 Confirmatur. Genus, & differentia sunt partes metaphysicæ componentes speciem, & sese mutuo excludentes: sed in ente infinito nequeunt dari duæ rationes, seu perfectiones se invicem excludentes: ergo in Deo ente infinito repugnant genus, & differentia. Minor probatur: quia in ente infinito nequit dari perfectio, quæ in suo conceptu imperfectionem includat: sed perfectio excludens aliam perfectionem, aliquam imperfectionem includeret: nam excludere à se aliquam perfectionem, imperfectio est.

37 Confirmatur secundò: quia sicut

repugnat lineam esse infinitam, si sit terminata proprijs terminis; ita & substantiam esse in genere entis infinitam si sit terminata proprijs terminis essentia: termini autem essentia sunt genus, & differentia: ergo implicat substantiam infinitam constare genere, & differentia.

38 Respondetur negando maiorem. Ad probationem negari posset maior: quia multitudo infinita constare potest multis numeris finitis. Omisâ tamen maiori, nego minorem, loquendo de genere, & differentia Dei. Ad probationem minoris distinguo antecedens, & primum consequens; realiter, & obiectivè nego; ex modo nostro extrinseco concipiendi, concedo: & nego absolutè secundam consequentiam: in qua fit miserè transitus à modo concipiendi ad modum essendi. Quamvis enim modus concipiendi genericus excludat rationem differentia, & modus cognoscendi differentialis excludat rationem genericam; tota hæc exclusio se tenet ex parte modi concipiendi imperfectissimi, ex quo nulla in Deum refunditur imperfectio: sicut neque ex eo quod à nobis imperfectè ametur, aut falsò etiam cognoscatur. Itaque perfectiones illæ genericæ, & differentiales non se mutuo excludunt obiectivè in Deo, nec desinunt esse infinitissimæ, quamvis non per omnem nostrum modum concipiendi cognoscantur cum omni sua infinitudine: in quo nihil video difficultatis, sicut neque in eo, quod Deus non desinat esse omnipotens ex eo quod per aliquem nostrum modum cognoscendi non concipiatur esse omnipotens.

39 Ad primam confirmationem, nego minorem intellectam vti debet, de exclusionem ex parte modi nostri concipiendi præcisivi, ac imperfecti. Ad probationem minoris, concessâ maiori, distinguo minorem: perfectio excludens realiter, & eminenter à se aliquam perfectionem, includeret imperfectionem, concedo minorem: excludens dumtaxat ex modo nostro concipiendi, dummodò eam in se realiter, aut eminenter includat, nego minorem: id quod latè explicuimus disput. 3. præsertim sect. 3.

40 Ad secundâ confirmationem distinguo anteced. si sit terminata proprijs terminis, intrinsecè, & obiectivè terminantibus physicè, & realiter lineam, sive essentiam, concedo; si extrinsecis logicè sumptis à modo no-

Suprà disp. 3.

nostro concipiendi limitatissimo, nego antecedens, & consequentiam. Hi cum termini logici extrinseci ex modo nostro finiti concipiendi nec lineam infinitam deiciunt, aut faciunt finitam; nec essentiam Dei vndequaque infinitissimam limitant, aut quidquam suæ infinitudinis deperdere faciunt: quidquid quasi proaris, & focus pugnet Gonetus.

## SECTIO IV.

## QUA RATIONE DEI SIMPLICITAS EXIGAT, QUOD DEUS SIT ACTUS PURUS.

Gonet.

41 Obijcit rursus Gonetus. Deus est actus purus: ergo non componitur ex genere, & differentia: quia genus dicit potentiam perfectibilem per differentiam: purus autem actus nullam debet habere permixtionem potentia. Confirmatur. Quidquid constat genere, & differentia, debet habere existentiam ab essentia distinctam: sed Deus, cum sit actus purus, id non habet: ergo non constat genere, & differentia.

42 Hic, ne terminorum speciositas, aut abusus, contra rei veritatem prævaleat, explicandus venit modus, quo Dei simplicitas dicit, aut non dicit in Deo rationem actus puri. Quocirca, seclusis puris vocibus, actus purus, & purissimus ille dicitur qui omnem excludit potentialitatem imperfectionis baiulam in eo genere in quo est actus.

43 Potentialitas autem est præsertim in triplici genere. Prima, est entitativa, quæ dicit potentiam existendi coniunctam cum non existentia, sive cum potentia non existendi. Secunda est passiva, quæ dicit potentiam suscipiendi actum aliquem perfectivum, cum potentia illum non recipiendi. Tertia est activa, quæ dicit potentiam, seu virtutem actu producendi aliquem terminum, cum potentia illum non producendi.

44 Quibus sic distinctis, dico sub brevibus, Deum esse actum purum à potentialitate entitativa, & à passiva; non verò à activa. Probat prima pars. Quia Deus ita essentialiter est actualis in existendo, vt actualitas existendi sit de essentia metaphysica ipsius, summamque dicat repugnantiam non existendi ex ratione entis

necessarij, vt vidimus disp. 2. ergo est purissimus actus in genere entitativo.

45 Probatur secunda pars. Quia Deus ita est à se còpletus, & perfectus, vt summâ dicat repugnantiam, aut amittendi perfectionem qua perfectus est, aut de novo admittendi perfectionem qua fiat perfectior: cum eius essentia sit plenitudo omnis perfectionis: ergo est actus purissimus ab omni potentialitate passiva, seu receptiva.

46 Probatur tertia pars. Quia in Deo est realiter potentia, seu virtus in actu primò producendi multas creaturas, quas non producit: quæ virtus, seu potentia productiva actuabitur exercitè quando illas producet in actu secundo: ergo in hoc sensu Deus non est actus purus in genere productivo; hæc est purus ab omni potentialitate, seu potestate activa non reducta ad suum actum secundum.

47 Itaque Deus est actus purus excludens omnem potentialitatem importantem imperfectionem: potentialitas enim in genere entitativo importaret imperfectionem defectibilitatis contra necessitatem essendi: potentialitas in genere passivo, seu perfectivo, importaret imperfectionem limitationis, & insufficientiæ contra Dei Simplicitem: siquidem Deus aliudè, & quasi emendicatò perficeretur, & cum actu informativo, & perfectivo faceret compositionem: potentialitas autem in genere productivo nullam affert imperfectionem contra Dei Simplicitem: quia Deus est nullius egens, nec fit melior per actualem productionem creaturarum, nec intrinsecè cum illa facit compositionem, cum sit Deo extrinseca, & infixa termino productio creato.

48 Loquutus sum de actu puro Dei in sensu reali. Quomodo loquendum sit in sensu virtuali discendum est ex his quæ de principijs, actibus primis, & secundis virtualibus intelligendi, & volendi, & alijs huiusmodi differimus disput. 4. & sæpè alibi.


49 Iam ad obiectionem oppositam numer. 41. respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam quod genus dicat perfectibilitatem logicam per differentiam, non est potentialitas opposita actu puro in genere informativo, seu perfectibili, non enim est perfectio Deo defectibilis, seu extrinsecus adveniens: & vno verbo, nec in re est maior potentialitas, quam sit illa, quæ quælibet Dei

Suprà disp. 2.

Suprà disp. 4.

Dei perfectio est à se ipsa summè perfecta, ac proinde logicè perfectibilis: sicut est Deus potens existere per actualissimam suam existentiam, quâ purissimè existit sine umbra imperfectionis, qualem dicit in nobis potentialitas entitativa ad existendum, & non existendum.

50 Ad confirmationem negatur maior: in qua equidem, nec speciem video probabilitatis. Certè, nec in creaturis distinguitur essentia ab existentia; in quibus tamen compositio hæc logica ex genere, & differentia innegabilis est.



## DISPUTATIO XVI.

### DE VNITATE, VERITATE, BONITATE, & Sanctitate Dei.

**I**GENDV<sup>m</sup> erat inter hæc de Infinitudine, & Perfectione Dei: oportuit tamen horum Attributorum, seu quasi Attributorum, doctrinam præmittere *disp. 3.* ad multas difficultates subsequutas. Ideo ad alia gradum facio.

#### SECTIO I.

##### DE VNITATE DEI.

*Supra  
disp. 1.*

**R**Evidenda sunt, quæ scripta manent *disp. 1. sect. 6.* Ex ibi dictis constat, Deum esse unum: non solum in eo unitatis sensu, quo unum est proprietas transcendens omne ens; sed etiam unice unum prout ibi explicuimus singulariter de Deo contra Politheistas. Reliquum est, ut discutiamus, in quo stet formaliter Dei Unitas, sive Unicitas: hoc est, Deum ita esse unum, ut sit solus Deus, nec sit alius Deus præter ipsum.

**3** Veniunt hic reiiciendi nonnulli, qui specialem hanc Dei Unitatem, vel constituunt per carentiam, ut loquuntur, aliorum Deorum, distinctam realiter ab hoc Deo vero, & ab omni ente positivo; aut saltem eiusmodi carentiam connotare dicunt.

*Izquier.*

**4** Absit, precor, à Theologia nostrâ tam absurda Philosophia: & discamus à Sanctis Patribus apud Izquierdum *disp. 12. sect. 5.* Deum ita per se unum, & si dicere liceat cum Bernardo, ita unissimum confi-

*Bernard.*

teri, ut ipsissima ipse sit ipsius unitas iuxta Anselmum in *Prosol. cap. 18.*

**5** Unde testatur Eugabinus *lib. 3. de perenni Philosophia cap. 5. Priscos appellasse Deum primam, præcipuam, & perfectissimam unitatem:* ergo ipsa veri Dei positiva perfectio est essentialissimè Dei unitas, seu unicitas, nullâ prorsus habitâ ratione ad carentiam aliorum Deorum existentem distinctam ab omni positivo: quam equidem æquè chimericam ac alios Deos reputo, & decanto. Certè enim Deus hic Optimus Maximus, sicut per suam entitatem positivam est formaliter repugnans esse omne id quod est distinctum à se, & resistens consortio aliorum Deorum; ita per suam positivam entitatem est solus Deus, & alios Deus excludens: ergo per suam entitatem positivam est unicus nullo prorsus extrinseco indigens ad suam retinendam Unicitatem.

**6** Dices. Si per impossibile non daretur hic verus Deus, non propterea darentur alij dij: ergo daretur carentia aliorum Deorum: ergo hæc carentia, sive inclusa, sive connotata ab unitate veri Dei est quid distinctum à Deo. Confirmatur: si stante hoc Deo darentur alij dij staret entitas pos-

*Anselm.  
Eugab.*

sitiva huius Dei: & non daretur unitas qua Deus esset unicus, sicut nunc unus, & unicus est: siquidem tunc essent plures dij: ergo hæc unitas præter entitatem positivam huius Dei addit carentiam aliorum Deorum ab isto realiter distinctam.

*Ribad.*

*Cardin.  
Palavic.*

**7** Mirum, quàm avidè multi, nec aliàs indocti, per huiusmodi chimeras inani conatu divagentur, exelamat in simili prædoctus Ribadeneira *disp. 7. de Scientia Dei, cap. 6.* Quocirca placebit fortè nonneminè doctrinâ Sfortiæ Cardinalis Palavicini, *1. 2. disp. 11. q. 1. art. 7. num. 6.* ex qua ad hæc obiectiuunculam negari posset antecedens: quia ex suppositione, quòd Deus verus, & necessarissimus non existeret, multi dij, & implicantißima quæque sequerentur: vnde commendatur præmaximè necessitas summa existentiae veri Dei.

**8** Respondemus etiam aliter, dato antecedente, negando consequentiam, intellectam, ut volunt obijcentes, in sensu affirmativo: nam in eo casu nullum prorsus ens daretur: quandoquidem ens entium, à quo summè cuncta dependent, deficeret: intellectam verò in sensu apto negativo, eam concederem inter sapientes, utpote exponibiliter æquivalentem huic: *tunc non darentur alij dij:* ex quo nihil superesset incautis obijcentibus nisi rubor, cum nihil maneat vnde secunda consequentia deducatur.

**9** Ad confirmationem, nego antecedens, quòd nempe tunc non daretur unitas huius Dei: nam in illa suppositione in suis ipsis terminis implicatorijs præferente evidentissimam repugnantiam, quòd nempe starent hic Deus, & alij dij, quos hic essentialissimè excludit, daretur simul eum pluralitate Deorum Unitas, & Unicitas Dei: esset unicus Deus, & essent plures dij, per summam scilicet implicantiã terminorum in suppositione implicantißimâ. Quid inde? Pensitent obijcentes, quid minus dicerent factâ suppositione, quòd stante hoc Deo, & stante simul carentia, quæcumque sit aliorum Deorum, darentur alij dij;

**10** Insistes. In illa priori suppositione, in qua non daretur hic Deus, verum esset, alios Deos non esse: ergo daretur non esse aliorum Deorum: quòd nihil est aliud, quam ipsorum carentia: ergo ea carentia est quid distinctum ab hoc Deo pertinens ad huius Dei Unicitatem. Responderetur concessio antecedente, nego duas conse-

quentias: nam propositio negativa dicens alios Deos non esse, vera est, & esset eo ipso quòd illi non sint, quin requirat ad præcisam sui veritatem dari aliquid quòd sit eorum non esse: non enim affirmat ex parte obiecti dari eorum non esse; sed ex parte sui modi dicendi negat eos Deos: quibus præcisè non essentibus, verissima est.

**11** Insistes ulterius. E duobus contradictorijs, si non datur unum, datur aliud: sed esse, & non esse aliorum Deorum sunt contradictoria: ergo non dato esse aliorum Deorum, daretur ipsorum non esse, seu eorum carentia, nullo etiam ente positivo existente. Laborat paralogismus iste æquivocatione miserimâ propter ingentem transitum ab oppositione Logicâ propositionum ad oppositionem physicam rerum. Profectò, si nihil fingamus, concedi posset totus sillogismus, demptâ illa suppositione: *nullo etiam ente positivo existente:* quæ chimerica est, sicut & Deum non existere, & perperam in conclusione redundat, cum ex terminis præmissarum nullatenus deducatur. Sic ergo, concessis præmissis, concederem quoque sine additamento illo redundante consequentiã: quia non dato esse aliorum Deorum necesse est dari eorum non esse, nempe hunc verum Deum: qui essentialissimè est non esse, exclusio, & carentia positivissima aliorum Deorum. Quod si fingamus nullum ens positivum existere, dico, quòd nullum etiam non esse existeret, quia nihil omnino existeret.

**12** Respondetur aliter, negando maiorem, intellectam de contradictorijs obiectivis per oppositionem physicam: nam gratia, & peccatum opponuntur contradictoriè: & tamen posset, nec dari gratia, nec peccatum in anima, & in rerum natura: forma, & hæc numero eius carentia, ut cum obijcentibus loquar, opponuntur contradictoriè; & tamen passim concedunt posse, nec dari formam, neque hanc eius carentiam: data scilicet alia numero carentiã eiusdem formæ. Sufficit ergo ad oppositionem contradictoriam physicam, quòd unum essentialiter excludat aliud per essentialem repugnantiam simul coexistendi, quin perinde necessaria sit existentia alterutrius. Concessa deinde minori, nego consequentiam in illa chimericâ suppositione, in qua scilicet nihil daretur. Quòd si citra eiusmodi suppositionem vera esset consequentia in sensu exposito *num. præcedenti,* esset quidem vera ex vi materiæ

pp

prop.

propter summam necessitatem existentie huius Dei, qui essentialiter est non esse aliorum Deorum; non autem ex vi formæ.

13 Dixi: maiorem intellectum de contradictorijs obiectivis per oppositionem physicam. Quia video multos deceptos applicando oppositioni physicæ rerum regulam oppositionis Logicæ propositionum contradictoriarum: quod nempe, nec possit esse simul veræ, & necesse sit unam esse veram, & alteram non esse veram, ac proinde si vera est, quæ asserit rem esse, vera non est, quæ id negat. & è contra. Animadvertere tamen oporteret ex Dialecticæ rudimentis, istas propositiones: datur esse aliorum Deorum: datur non esse aliorum Deorum: non esse contradictorias: quia utraque est affirmativa: & in casu obiectivis utraque falsa. Quia casu quo nullum ens positivum daretur, nec daretur esse aliorum Deorum, nec daretur non esse aliorum Deorum: quia nihil omnino daretur. Hæc alia: datur esse aliorum Deorum: non datur esse aliorum Deorum: sunt contradictoria, prima affirmans; secunda negans: prima falsa; secunda vera: quæ tamen cum negativa sit, nihilque asserit dari, non requirit ad sui veritatem, dari à parte rei aliquid: satis enim vera est si alij dii non sint, ut est luce clarius. Hoc, inquit, volumus: quod scilicet in eo casu nihil daretur: sic autem daretur nihil: id est carentia verè affirmabilis, quod esset. At velitis similiter, precor, quod cum pro eo casu dicimus, quod nihil curreret, curreret nihil, id est carentiola verè affirmabilis quod curreret. Næm. Exciderint memoriâ necesse fuit rudimenta summularistica de affirmationibus, negationibus, æquivalentijs, & exponibilitatibus, ut eas simileque propositiones aliquid affirmare intellexerint Moderni: qui incauti incauté incautis tyronibus, & inaniter hiantibus, eiusmodi nihilitates propinant, eò adducti, ut vanocè cum Deo vera entia esse, iacentis. Pro. sic.

SECTIO II.

DE VERITATE DEI.

14 Dominus autem Deus verus Hier. 2. Verus, inquam, omnimodâ veritate. Quæ quidem tripliciter sumi solet: vel in essendo, vel in cognoscendo, vel in dicendo.

15 Veritas in essendo est ipsum esse reale cuiuscumque rei in ordine ad intellectum, quo cognosci potest: & sic verum, est idem ac cognoscibile: quod est proprietas per omnia entia transcendens.

16 Veritas in cognoscendo est cognoscere res sicuti sunt. Quæ veritas est in deo summa: cum per se ipsum sit Omniscius: Et Deus Scientiarum dominus sit: omnium intelligibilium comprehensivus indeceptibiliter, & infallibilissimè. 1. Reg. 2.

17 Veritas in dicendo est veracitas, qua deus verax est impotens loqui falsum: non minus indeceptibilis per veritatem in cognoscendo, quam indeceptivus per veracitatem, seu veritatē in dicendo. Rom. 3. Rom. 3. est autem Deus verax. Quippe, sicut nec falli, ita nec fallere potest.

18 In his non immoror. Quidquid enim ad has Dei veritates pertinet, disputatur in specialibus Tractatibus de Scientia Dei, ubi de Veritate in cognoscendo; & de Fide Theologica, ubi de Veritate in dicendo, seu de Dei Veracitate, prout spectat ad formale motivum Fidei divinæ. De quo nos, ibi ex professo, Deo dante.

SECTIO III.

DE BONITATE DEI.

19 Confitemini Domino, quoniam bonus: ingeminat David Psal. 117. & 135. Pulcherrimè Augustinus in Psal. 134. Omne aliud bonum aliud bonum est; solus verus Deus est se ipso bonus: bonum omnium bonorum: bonum à quo sunt omnia bona: bonum, sine quo nihil est bonum, & bonum, quod sine ceteris bonum est. Bonum autem dicitur tripliciter.

20 Primò transcendentaliter, pro eo quod est amabile, sicut verum, quod est cognoscibile. Sic autem omne ens est bonum, ac proinde & deus bonus est: de quo Au-

August. Augustinus lib. de Gloria Paradysi: concupisci potest, desiderari potest, verbis explicari non potest: & ita excellentissimè bonus, ut intuitivè visus, sicut est in se, necessitet ad sui amorem.

21 Secundò dicitur bonum physicè, pro perfectò in sui constitutione, & in suo esse minimè defectuoso. Et sic deus Optimus Maximus perfectissimus est, cuius natura bonitas, ut loquitur Leo Paps: & cuius essentia, ut diximus disput. 5. est plenitudo perfectionis. Atque huc etiam pertinent, quæ de Perfectione Dei differuimus latè disput. 3.

22 Tertiò dicitur bonum moraliter, pro recto, & sancto in operari laudabiliter, & iuste iuxta rationem. Et hoc quoque modo deus bonus est: & laudabilis nimis: iustissimus, & rectissimus, & ipsa regula perfectionis moralis in suo libero modo volendi, aut nolendi quodcumque obiectum. De æqualitate harum Bonitatum Dei sect. seq.

23 Est itaque deus omnimodè bonus, inò & summè bonus, & summum bonum: quia nec est, nec esse potest extra ipsum quidquam melius, nec complexum ex ipso, & creaturis est melius solo Deo, ut explicuimus disput. 3. sect. 11. Ne mente quidem cogitari potest aliquid Deo melius ex eadem disput. 3. sect. 1. nec ipse potest esse melior, quâ actu est. Estque per essentiam bonus, quia nec emendicat bonitatem ab alio, & per essentiam suam excludit omnem imperfectionem, tam physicam, quàm moralem: à differentia scilicet cuiuslibet boni creati ex natura sua defectibilis, tam in linea operandi, quàm in linea essendi.

24 Dubium. An extra Deum sint aliqua bona, & an ea sint bona Bonitate divinâ? Respondetur primò: esse bona extra Deum: dicente Deo de operibus suis Gen. 1. vidit Deus, quod esset bonum: & Christo de nostris operibus Mat. 3. ut videant opera vestra bona.

25 Nec obest dictum eiusdem Christi Domini Marci 10. Nemo bonus, nisi unus Deus. Est enim Idiotismus Hebræorum, qui ut ex antiquioribus observat Tiriinus in explicatione Proprietatum, seu Idiotismorum linguæ Hebrææ num. 6. cum voluit unum per comparisonem alteri valde præferre, de illo quem præferunt affirmat, & de altero idnegant: ut Osee 6. Misericordiam volui, & non sacrificium; id est: plus misericordiam, quàm sacrificium.

cium: Psal. 21. Ego sum vermis, & non homo: id est potius quâ homo: 1. Corinth. 3. non ego, sed gratia Dei: id est, potius, & principalius gratia.

26 Ad hunc ergo modum dixit Christus: non est bonus, nisi unus Deus: non quòd alij quoque non sint boni; sed quia deus per essentiam, summè, & absolutissimè bonus est: autonomasticè & incomparabiliter excellentius, quàm alia bona.

27 Respondetur secundò ad dubitationem: alia bona esse quidem bona Bonitate divinâ, causaliter nimirum ab ipsâ; non vero formaliter ab ipsâ omnia bonificant. Et sic capiendi sunt Augustinus cit. num. 13 & S. Thom. 1. contra Geutes cap. 14. & quæst. 1. de Verit. art. 1.

SECTIO IV.

DE SANCTITATE DEI. UBI iterum de æqualitate divinorum perfectionum.

28 Sanctus, Sanctus, Sanctus: incessabili voce proclamatur ad Deum, Seraphicum illud Trisagion Isaia. 6. Magnificus in Sanctitate, canitur Exod. 15. ad hanc ipsius laudem exhortante Davide Psalm. 29. Confitemini memoria Sanctitatis eius.

29 Duplex est Sanctitas. Una physica; moralis alia. Sanctitatem physicam definiunt Theologi ex S. Dionysio cap. 12. de divin. Nomin. Puritas immaculata, & ab omni scelere libera: sic id intelligentes, ut Sanctitas sit: Perfectio supernaturalis, reddens positivè intrinsicè naturam rationalem mundam, & puram à macula peccati propter formalem incomponibilitatem cum illo. Tales sunt in creatis Gratia habitualis, Visio Beatifica, & Unio Hypostatica, ut expono in Disputationibus de Gratia Sanctificante. Quarum prima est Sanctitas excellens impossibilis cum omni peccato mortali; secunda excellentior, impossibilis etiam cum veniali, & cum potestate peccandi; tertia excellentissima afferens secum præterea pro termino humanitatis Sanctitatem increatam simpliciter infinitam divinæ Personæ, ut suppono, ex Disputationibus de Incarnatione. Hæ omnes Sanctitates physica coniungunt specialiter creaturam cum deo, aliâ minus, aliâ magis perfectè. Quæ coniunctio est consor-

Psal. 21. 1. Cor. 3.

August. S. Tho.

Isaia. 6. Exod. 15. Psal 29.

Dionys.



2. Petri 1.

tium illud divinæ Naturæ significatum 2. Petri. 1. ut per hac efficiamini divina consortes Natura: vt explico suo in loco.

30 Sanctitas moralis est rectitudo universalis operationum liberarum voluntatis: seu est exercitium sanctum, rectum, & laudabile omnigenæ virtutis iuxta regulam rectæ rationis. Differunt hæ Sanctitates in eo quod Sanctitas moralis, cum sit exercitium liberum, stat in ipso operari laudabiliter; physica verò est per modum habitus, & seorsim etiam ab actuali operatione voluntariâ: vt patet in parvulis, & dormientibus, qui physicè, & habitualiter sancti sunt, & nihil actu laudabiliter operantur.

31 Deus Optimus Maximus vtrâque Sanctitate Sanctissimus est, vt est de Fide certum. Sanctitate quidem physica: quia ex natura sua est sibi coniunctissimus, & segregatus à peccatoribus, prorsusque impeccabilis. Morali verò: quia non Deus volens iniquitatem tu es: imò: Dominus virtutum ipse est Rex gloria: rectissimè, & laudabilissimè sese semper exercens in actibus virtutum. Unde Sanctitas dei physica coincidit cum perfectione physica infinita, quam explicuimus disp. 3. & Sanctitas moralis coincidit cum Bonitate morali explicatâ nuper sect. 3.

32 Superiunt duo dubia. Primum: an Sanctitas Dei physica sit in Deo prædicatum speciale Naturæ divinæ, aut alicuius specialis Attributi: an verò transcendens per omnes divinas perfectiones. Secundum: an, concessâ speciali Sanctitate, singulis divinis perfectionibus, sint omnes hæ divinæ Sanctitates formaliter inæquales; an verò nulla omnino maior aliâ in ratione Sanctitatis.

33 Prima conclusio circa primum. Sanctitas Dei physica est prædicatum transcendens per omnes divinas perfectiones, vt suo etiam modo ab alijs distinctas. Unde tot sunt, & eo modo distinctas in Deo Sanctitates, quot sunt divinæ perfectiones; & eo modo distinctas Sanctitates, quo perfectiones sunt in Deo distinctas, sive realiter, sive virtualiter, sive per rationem. Dixi physica: quia bonitas moralis, cum sine actu Voluntatis dei non est prædicatum sic transcendens, vt constat ex disp. 7. sect. 12. præsertim num. 177. & 181.

34 Ratio conclusionis. Quilibet divina perfectio, vt suo quoque modo ab alijs distincta, dicit realem identitatem specia-

lem cum Natura divinâ, vt adstruximus late disp. 3. præsertim sect. 3. Ea autem specialis identitas realis, quæ est plusquam coniunctio cum Natura divina purissimâ, & immaculatissimâ ab omni scelere, est quoque specialis ratio Sanctitatis, specialis puritas, & mundities ab omni peccato, repugnantissima etiam peccabilitati. Si ergo multò inferior ratio coniunctionis, & consortij cum Natura divina, relucens in perfectionibus creatis Gratia, Visionis, & Unionis Hypostaticæ, realiter ab illa distinctis, constituit in illis speciales conceptus Sanctitatis physica; à fortiori speciales etiam conceptus Sanctitatis physica constituant in singulis divinis perfectionibus increatis intimissimæ identitates, & plusquam coniunctiones reales, quas dicunt cum Natura divinâ, etiam vt suis modulis ab illâ, & inter se distinctis.

35 Secunda conclusio circa secundum. Hæ divinæ perfectionum Sanctitates, tam physica, quam morales, omnino æquales sunt, quia summae sunt, omnesque infinitissimæ, etiam vt suo modo ad invicem distinctas. Authores, & rationes solidæ pro hac conclusione videri ex professo possunt dictâ disp. 3. sect. 7.

36 Ratio namque solida, quæ perfectionum divinæ physicarum omnimodam æqualitatem ibi adstruximus, militat eadem vi circa divinas perfectiones morales, quæ adæquant moralem dei Sanctitatem. Ideoque ad istas etiam extendenda est, vt in terminis extendunt sapientissimus Pater doctor Ribadeneira d. sp. 24. de Virtutibus Dei, cap. 2. num. 9. & mirabilis Antonius Perez disp. 6. de Voluntate Dei.

37 Quidquid post alios adverteretur de nouo P. Oviedus contr. 5. de Charit. p. 2. s. 6. docens, actus liberos divinæ Voluntatis formaliter seorsim sumptos, esse quidem positivè æquè bonos moraliter; non verò negativè; sicque esse formaliter negativè inæquales in Bonitate, seu Sanctitate morali.

38 Movetur, & arguit sic: Nam in deo sunt actus aliqui virtutum Theologicarum, & sunt actus virtutum moralium; sed hæ virtutes, earumque actus inæquales sunt in genere moris ratione obiectorum inæqualiter bonorum circa quæ versantur: ut virtus charitatis, cuiusque actus pluris æstimantur, & laudantur etiam in genere moris, quam virtus, & actus misericordiæ, liberalitatis, &c. Ergo in Deo etiam forma-

Supra disp. 3.

Supra disp. 3.

Rivad.

Perez.

Oviedus.

maliter sumpti, & distincti, earum virtutum actus, inæqualiter boni sunt, & in Sanctitate morali inæquales. Non inæqualitate positivâ: nam ad hoc, inquit, necesse foret quod conciperemus vnum actum divinæ Voluntatis cum sua perfectione, & cum defectu perfectionis aliorum: quod esset fingere: cum re ipsa quilibet actus habeat perfectiones aliorum secum realiter identificatorum. Sed inæqualitate negativâ, seu privativa: nam ad hoc sufficit concipi vnum actum cum sua perfectione, non conceptis perfectionibus aliorum actuum, quantumvis secum identificatorum: quod non est fingere, sed præcindere.

39 Fallit tamen, ni fallor, discursus iste: cuius plana responsio erit plena probatio nostræ conclusionis. Sunt qui negare audent in Deo actus virtutum moralium, vt potè minus perfectarum, rati propterea non esse in deo formaliter; sed eminenter. Sic Smisingus apud Ribadeneiram c. 1. n. 4. Perperam tamen, & contra reliquos Theologos communiter.

Smising. Ribaden.

40 Itaque ad argumentum Oviedi absolutissimè concedo maiorem; & nego minorem in Deo, quo de loquimur; & nego consequentiam. Dant aliqui rationem satis bonam cum Hurtado apud eundem.

Hurtad. Ovied.

Oviedus s. 4 Quia quilibet actus virtutis moralis divinus, præter speciale obiectum materiale, & formale suæ virtutis, habet præterea ipsum Deum pro obiecto materiali, & formali, vnde evadit par cuilibet actui divinæ Charitatis. Quod habeat pro obiecto materiali ipsum Deum, nihil perfectius est: quippe iudico quilibet actum voluntatis esse amorem, seu devotionem sui ipsius: qui enim amat vult amari, & qui odit vult odisse: quodcumque namque eligat voluntas, sive divina, sive creata, diligit quia vult. Quod autem habeat etiam Deum, eiusque Bonitatem pro obiecto formali, significari videtur Proverb. 16. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Nec perinde tollitur respectus ad obiecta creata specialia virtutum moralium, quod sufficit ad rationem formalem virtutis moralis; sed superadditur respectus ad Bonitatem increatam Dei: quo solum fit, actum illum Dei non esse purè virtutis moralis; sed simul virtutis moralis, & charitatis Theologica.

Prov. 16.

41 Ceterum Oviedus reponit suum argumentum in conceptibus, seu formalitatibus illius eiusdem actus, qui simul sit

virtutis moralis, & charitatis Theologica; similiter præcendens eos respectus in eodem actu: & in illis invenire præsumens suam illam inæqualitatem negativam, seu privativam: quam melius fortè vocaret præcisivam.

42 Quapropter, vt tota ipsius vis facilius, & solidius infringatur; do aliter rationem negatæ minoris, & consequentiæ. Quia nempe, aut illa Oviedi præcisio abstrahit eiusmodi actum virtutis moralis à ratione divini, seu à ratione actus Voluntatis Dei: vel non. Si primum, abstrahit etiam eodem modo à ratione æqualitatis, & inæqualitatis cum actu divino charitatis Theologica: sicque non probat inæqualitatem formalem adhuc negativam, seu præcisivam actuum divinorum: vt in simili expendimus contra Arriagam disp. 3. sect. 8. num. 79. & 80. Vide ibi. Si secundum, iam involvitur in eo ipso conceptu ex parte etiam modi concipiendi divinitas transcendentalis, scilicet realis identitas cum Deo, infinitudo, & summitas in genere etiam moris: quia quidquid Dei est summum est: nec magis laudabilis, amabilis, nec bonus formaliter est actus charitatis Theologica, quam actus misericordiæ, qui realiter charitas Theologica est, & formaliter in suo conceptu formali divini dicit realem, quamvis non formalem, identitatem cum Deo, qui charitas 1. Ioan. 4. est.

Arriag.

Supra disp. 3.

1. Ioan. 4. est.

43 Sic occurritur distinctioni Patris Oviedo, & concluditur, inæqualitatem illam adhuc negativam Bonitatis, seu Sanctitatis moralis, sicut nec physica, non divinis actibus adscribi nisi fingendo, eiusmodi præcisivunculas; sufficere posse ad impingendam formalem inæqualitatem actibus divinis retinentibus ex modo concipiendi rationes suas entis divini. Si quid superesse potest difficultatis in hoc nostro discursu, præoccupatum est disp. 3. sect. 8.

Supra disp. 3.

44 Depulsâ iam ratione, & distinctione Patris Oviedo, probatur aliter etiam positivè nostra conclusio specialiter pro æqualitate omnimodâ Bonitatis, seu Sanctitatis moralis quorumlibet actuum liberorum divinæ Voluntatis. Genus enim Bonitatis moralis est genus exercitij liberi, prout decet naturam rationalem, reddentis titulo libertatis naturam sic se exercentem amabilem, & laudabilem iuxta rectam rationem: sed in huiusmodi genere Bonitatis nullus actus liber Dei formaliter superat alium;

Habr 7. Psal. 5. Psal. 23.

Supra disp. 7.

alium: ergo in isto genere Bonitatis, & Sanctitatis sunt omnes formaliter æquæ Boni, & Sancti. Maior est doctrina scitissima ex 1.2. Quemadmodum enim bonitas physica actus respectivè ad subiectum physicè se per illum exercens, stat in actu physico, titulo suæ physicæ entitatis reddente tale subiectum physicè bonum, pulchrum, & amabile; sic bonitas moralis, respectivè ad subiectum liberè se per illum exercens, stat in exercitio libero, titulo libertatis reddente tale subiectum moraliter bonum, pulchrum, amabile, & laudabile in æstimatione morali iuxta rectam rationem. Minor autem probatur: nam Deus nullo actu libero reddi potest melior, & amabilior, quàm alio: eo enim ipso quod Deus fit, est infinitè, & summè bonus, & amabilis: ac proinde incapax essendi per aliquem actum suum melior, & amabilior: alioquin fieri posset Deus pro libito suo melior, & amabilior in genere moris: quod non minus absonat, quàm si in genere physico posset esse melior, quàm nunc est.

45 Confirmatur. Nam regula perfectionis, Bonitatis, seu Sanctitatis moralis pro creaturis est conjunctio, seu conformitas cum divino beneplacito, quod quidem est mensura, & prima regula Bonitatis: at nullus actus liber Dei est minus coniunctus, seu idemificatus cum Deo, præ aliis omnibusque actus Dei est æquè ipsissimum

Dei beneplacitum: ergo omnes actus liberi Dei sunt æquè perfecti, boni, sancti, & laudabiles in genere moris: ac proinde non nisi fingendo posset inter illos adstrui inæqualitas vlla in Bonitate, & Sanctitate morali.

46 Opponat aliquis, inde sequi, non solum æquales esse formaliter in Sanctitate morali omnes actus liberos divinæ Voluntatis, qui de facto sunt: quin etiam nullum omninò esse Deo possibilem, qui non sit æquè Sanctus. Ergo nulla daretur in Deo libertas nisi inter actus æquales in Bonitate morali: & quidem cum necessitate summà ad alterutrum æquè bonū, & sanctum: cum nequeat Deus omnes purè omniter. Eiusmodi autem libertas inter actus æquales cū necessitate ad alterutrum, nō sufficit in Deo in genere moris ad laudabilitatem: sicut nec in nobis sufficeret ad meritum, quod est etiam de genere moris.

47 Respondetur tamen, sequelam esse verissimam. Inde concedo primam consequentiam. Nego autem quod subiungitur. Sentio enim, & ex professo propugno in Disputationibus de Merito, eiusmodi libertatem esse sufficientissimam in nobis ad meritum, & laudem: ac proinde in Deo ad laudabilitatem moralem. De quo ibi fusiùs. Aliam responsionem satis acutam lege apud Ribadencyram à *num. 12.*

Ribad.



DIS

## DISPUTATIO XVII.

### DE INVISIBILITATE, INEFFABILITATE, & Incomprehensibilitate Dei.

**I** ENIQUE tria hæc in postremâ istâ de Attributis Disputatione coniungo: quia inter se invicem maximè cohærent: & ut mirum, aut nobis, aut alijs minimè sit, si fortè in multis defecimus: *In multis enim offendimus omnes: Disputantes de Deo, & Iacob. 3.* Attributis divinis: cum fateri tandem omnes debeamus, sermonem, & disputationem nobis circa ea fuisse, quæ nondum visa à nobis sunt, utpote invisibilia; nec dignè effari valeamus, utpote ineffabilia; ne mente quidem comprehendere, utpote à Deo solum ipso comprehensibilia, qui incomprehensibilis à nobis est.

#### SECTIO I.

##### DE INVISIBILITATE, ET ineffabilitate: Ubi de Nominibus Dei.

**1** *Invisibili Soli Deo* adprecabatur Paulus gloriam, & honorem *1. Timoth. 1.* Quod noli sic intelligere, ut Deus à creaturis nullatenus videri queat: cum sit de Fide videri à Beatis in Patria. *1. Cor. 13.* Videmus nunc per speciem in enigmate; tunc autem facie ad faciem. Sic ergo intelligendum est, ut oculis corporeis nequeat Deus vllatenus in se videri, sicut videntur à nobis visibilia materialia: aut sic etiam ut nec intellectualiter possit à creatura naturaliter intuitivè videri; sed solum divinitus, & per supernaturalissimam elevationem. De quo, & de alijs ad Invisibilitatem Dei pertinentibus extat in Theologia specialis Tractatus de Visione Dei, cui non est opus nos hic immergere, sed ad illum studiosos remittere.

**2** *Inenarrabilia verba tua*, dicit ad Deum Sapiens *cap. 17.* Unde à Concilio Lateran. in *cap. firmiter*, & idemtidem à Sanctis Patribus appellatur Deus *ineffabilis*. Quod noli etiam sic intelligere, ut nihil omninò possimus nos fari, eloqui, aut enarrare de Deo; sed ita ut non possimus

ita adæquatè, & dignè quidquam de Deo fari, quod non sit infra Dei excellentiam, maiorem omni laude creaturarum. Quippe infinitissimus Deus, sicut ex dicendis *sect. 2. & 3.* incomprehensibilis est mente; ita etiam, & eloquio, & sermone creaturarum.

**4** Huc spectat quod de divinis Nominibus, aliquid de Deo ineffabili effantibus, seu enarrantibus disputant Theologi, præsertim sapientissimus Vasquez *tom. V. asq. 1. disp. 57. & 58. ad q. 13. 1. p.* Sancti Thomæ; *S. Tho.* cuius Sancti Doctoris extant etiam Commentaria luculentissima super præclarum, ac vetustissimum opus Sancti Dionysij de *S. Dion.* divinis Nominibus.

**5** Supponendum est, posse à nobis imponi, imò & imposta esse Deo plura nomina, quæ diversas Dei perfectiones imperfectè, & inadæquatè manifestent: ad modum saltem, quo Deum ex creaturis cognoscimus iuxta illud: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sic in sacris litteris varijs nominibus Deus appellatur: Sanctus, Bonus, Altissimus, Omnipotens, Admirabilis, Terribilis, Dominus, &c. ut per plura ex creaturis desumpta Nomina, veluti per quosdam gradus ad, infinitam Creatoris perfectionem agnoscendam mens nostra evehatur, ut ad Marcellam scribebat *S. Hieron.*

**6** Quoniam verò triplici viâ solet Deus à no-

Dionys.  
c. 1. & 7.

à nobis Viatoribus intelligi iuxta Dionysium: scilicet per viam remotiōnis, quod vocat etiam cognoscere per ignorantiam: quasi removendo à Deo imperfectiones: per viam excessūs, superaddendo perfectionem ad perfectiones quas cognoscimus: & per viam causalitatis, in ordine ad creaturas; triplex perinde nominum genus Deo imponitur. Quædam nomina imponuntur removendo imperfectiones: vt cum Deus dicitur incorporeus, indefectibilis, immortalis, incompositus, &c. quædam superaddendo: vt cum dicitur: superperfectus, superpulcher, superexcellens, supernatura, supersubstantia, &c. quædam, respiciendo ad creaturas, vt cum dicitur: Dominus, Creator, Gubernator, Providens, Benefactor, &c.

7 Inter Dei Nomina, notanda præcipue sunt illa decem, quibus apud Hæbreos olim nominabatur Deus. *El*, id est, Deus fortis. *Eloha*, id est, Providens, Iudicans, Gubernator, aut Videns. *Elohim*, quod id ipsum significat pluraliter. *Sabaoth*, quod semper cum alio Dei nomine cognominabatur, vt *Adonay Sabaoth*: id est, Dominus exercituum, seu virtutum. *Eliōn*, id est, excelsus. *Eie efer eie*: id est, Sam qui sum, aut, Qui est. *Adonay*, id est, Dominus. *Ja*, id est, Deus: vnde venit vox, *Alleluia*: *Allelu*, id est, laudate: *ia*, id est, Deum. *Saday*, id est, munificus, liberalis, Omnipotens. *Iehova*, id est, *Qui est*, aut essentia, ac perfectionis immentum pelagus: & hoc est nomen Dei Tetragrammaton, seu quadrilitterum, ita sacrum, vt præ maximâ religione illud effari Hæbrei non auderent: vnde, & ineffabile illud appellabant: & quando in Scripturis occurrebat, eius loco pronuntiabant, *Adonay*: quem morem, & Vulgatus noster Textus retinuit, vertens Exodi 6. *Nomen meum Adonay non indicavi eis*: cum in Hæbreo non sit ibi *Adonay*; sed *Iehova*: pro quo substituit Interpretes *Adonay*, eo quod nomen Tetragrammaton *Iehova* esset ineffabile. De quo plura in eum exodi locum Cornelius. Hinc divino consilio videtur accidisse, quod in multis Idiomatibus nomē Dei quatuor litteris componatur. Latine: *Deus*: Græce: *Theos*: Hæbraice: *Iehova*: Hispanè: *Dios*: Germanicè, & Anglicè: *Goth*: Gallice: *Dieu*: Arabicè: *Allā*: quo & Turcæ etiam utuntur: Ægyptiacè: *Theu*: Persicè: *Syre*: Armenicè: *Vors*: Magicè: *Orsi*. Apud Bungum de Mysterijs Numerorū in Quaternario.

Exod. 6.

Cornel.

Bungus.

8 Propter hæc dixit scitissimè Nazianzenus: *cum neque unum sis, neque omnia, quem te appellem, qui solus innominabilis, & Omninomius?* Ubi vocat Deum *Omninomium*, propter tot Nomina quibus iuxta varias ipsius perfectiones nominari solet: quippe cum omnes contineat perfectiones, omnium perfectionum nominibus videtur insigniri posse. Sed vocat etiam *innominabilem*: quia propter eius ineffabilitatem, nec singulis, nec omnibus istis nominibus à nobis impostis, aut conceptis, satis comprehenditur eius perfectio, & essentia: cum nec cognosci, nec explicari à creaturis taliter possit, vt ulterius non sit cognoscibilis, & explicabilis. Unde concluditur, Nomen omnino adæquatum Dei à solo Deo, & respectu solius Dei imponi posse: quia solus Deus se comprehendit. Sic post multa conclusit S. Tho. in 1. dist. 2. q. 2. art. 1. *sed conceptio perfectè representans Deū est Verbu increatum*: quo nēpe Deus de se dignè loquitur: & ante S. Tho. Lactantius: *Ideo solus Deus, hoc sibi nomen à principio imposuit, quod nullus alius præter ipsum scit, quia solus se ipsum comprehendit, solus ipse æternum Verbum genuit.*

Nazian

S. Tho.

Lactan.

9 His præmissis, quæstio esse solet: an creatura possit Deo imponere nomen, quod ipsum non solum abstractivè, & ex creaturis, sed etiam quidditivè, (quamvis non comprehensivè,) & vt est in se significet. Negant multi cum S. Tho. pro creaturis Viatoribus ante intuitivam Visionem Dei, vt est in se. Quia, inquit, cum nomina significant res mediante conceptu, nomen impositum rei ab aliquo nequit amplius significare alijs quidditatem rei, quam ipse conceptus imponentis, vel loquentis cognoscat: cum ergo, seclusâ visione beatâ, nulla creatura valeat Deum cognoscere quidditivè, vt est in se, nulla creatura viatrix poterit Deo imponere nomen, quidditivè, & vt est in se Deum significans, quamvis possit imponere multa nomina, abstractivè, & ex creaturis, & quasi per partes Deum significantia, vt vidimus. Quo eodem discursu probatur contra aliquos, creaturas iam Beatas, vtpote Deum quidditivè vt est in se videntes, posse Deo imponere nomen, significans Deum quidditivè, & vt est in se.

10 Scotus verd in 1. dist. 22. quæst. 1. Ochamus, & Gabriel, quos sequuntur Molina tom. 1. in 1. p. 9. 12. disp. 2. & Vasquez ibidem

Scot.

Ocham.

Gabr.

Molina.

Vasq.

ibidem d. sp. 57. aliter sentiunt: quia, inquit, nomina non tam imponuntur pro loquente, quam pro audiente: vnde mensura significationis nominum accipi potius debet à conceptu, quem causant in audiente, quam à conceptu, quem præsupponunt in loquente: quamvis ergo supponant aliquam rei noticiam in imponente, aut loquente; at non tantam, quantam ex vi suæ impositionis causare possunt in audiente. Patet exemplo satis apto, & obvio: posset enim Rex à longè, & ex auditu imponere nomen alicui Insulæ, quam sui milites expugnaverunt: quo postea nomine auditu perfectionem, & clariorem conceptum formabant de tali Insula milites qui eam intuitivè instruant, quam Rex ipse, qui eam à longè cognominavit. Ex quo deducunt, posse Viatores, non cognoscentes Deum quidditivè, & vt est in se, imponere Deo nomen significans Deum: non quidem ipsis; sed Beatis, quidditivè, & vt est in se. Addunt aliqui apud Cornelium, tale esse nomen Dei Tetragrammaton, *Iehova*: significans Deum in suo esse, & abyssum essendi, & imponibile quidem à creaturis viatricibus. Hæc sunt Theologorum placita in quæstione de Nomine. In qua hæc secunda opinio videtur à ratione verosimilior: quam tamen cum prima aliquo modo conciliare conatur Molina citatus.

11 Quatuor opponit Gonetus. Primum: quod Aristoteles ait: *Voces sunt eadem nomina, que sunt in anima, passionum nota*: ergo expriment conceptum loquentis: ergo nomina, quæ voces sunt, potius commensurant suam significationem in ordine ad conceptum loquentis, quam audientis: ergo ex conceptu loquentis non quidditivè imponi nequit rebus nomen, eas significans quidditivè. Secundum: quod alijs, si vocem, aut nominum significationem ad audientem referatur, non mentiretur qui aliter loqueretur, ac mente concipit: quia iam conformaret suam loquutionem ad mentem audientis, concipientis rem concipientis ad loquutionem. Tertium: quod sic & Platacus verè loqueretur: quia quamvis non intelligat, quæ profert, excitat suis illis sonibus cognitionem rei quam sonant, respectu audientis rectè intelligentis. Quartum: quod sic posset creaturæ imponere Deo nomen, non modo quidditivè; quin etiam comprehensivè Deum Deo significans; scilicet respectu Dei audientis, selesque comprehendentis. Respondetur.

Alapud.  
ubi sup.

Molin.  
ubi sup.

Gonet.

disp. 4.

Dei.

Arist.

Periber.

12 Ad primum: concesso enthymemate, nego duas subillationes: quia voces, seu nomina vtrumque respectum habent: scilicet ad conceptum loquentis, quem significant; & ad conceptum, quem inducunt in audiente, cui significant. Supposito autem in mente loquentis conceptu rei sufficiente ad expressam rei noticiam intellectualem, sive intuitivam, sive abstractivam, sicut & in voluntate intentione loquendi, significatio deinde vocis, seu nominis potius commensuratur conceptui audientis, seu percipientis: sicut eius veritas, rei significata, cui conformari debet.

13 Ad secundum, nego sequelam: nam in voce diversi respectus sunt, veritas, veracitas, & significatio: veritas limitur respectu rei se habentis conformiter, ac significatur: veracitas, respectu conceptus loquentis, dicentis rem conformiter ad mentem; significatio verò, respectu audientis, cui voces, seu nomina significant. Unde qui rem loquitur difformiter ad mentem, mentitur, quia contra mentem sit. & à veracitate deficit, quidquid concipiat audiens, cui loquutio significat, aut quoquo modo se habeat in se res, cui commensuratur loquutio, vt vera sit.

14 Ad tertium, nego quoque sequelam: nam vox, seu loquutio est actus intelligentis ad intelligentem: vtpote ex intentione aliquid significandi: à quo longè abest sonus Pistaci, aut campanæ, in quibus, nec intellectio rei, nec intentio significandi præsupponitur. Quod autè ad loquutionem, seu impositionem nominis quidditivè significatis prærequiratur notitia quidditivè, nec sufficiat abstractivè, non probat Gonetus; nihilque respondet ad exemplum Regis positum num. 10. quo vitur P. Vasquez, videndus omnino super his.

15 Ad quartum, respondet optime Vasquez: quod respectu Dei vtpote omnino incapacis quidquam ignorare, nullum potest nomē creatum imponi adhuc ab ipso Deo: quippe per solum suum Verbum increatum se sibi comprehensivè nominat; creaturis verò solum per nomina, & verba creata: quæ verba, & nomina creata nullam causant, aut communicant Deo noticiam sui, se & alia, omnino à se comprehendentis. Unde nulla creatura, imò nec ipse Deus potest Deo nomen creatum imponere, quod Deum Deo nominaliter significet: nomen enim taliter à noscendo ethymologicè dicitur, vt sit signum quoddam

Gonet.

Vasq.

Vasq.

disp. 57.

cap. 3.

num. 24.

Qq

dam

dam instrumentale, quo loquens manifestat alijs audientibus rem à se præconceptam, vt audito tali nomine, nolcant ex illo rem, & conceptum loquentis; illudque eam rei, & conceptus notitiam inducat in audientibus: in Deo autem omnes res, & conceptus immutabiliter præcomprehendentes, nullam notitiam inducere valent signa hæc creata instrumentalia: quæ properterea respectu Dei non sunt nomina. *Quare*, pergit Vasquez num. 24. *cum vocis oratione utimur, proprie non significamus Deo affectus nostros, quos ipse optime noverat; sed ea utimur, vt affectus noster verbo expressus magis incalascet. Viatores igitur non possunt nomine aliquo Deum significare essentialiter, aut comprehendere ipsi; sed neque ipse Deus sibi ipse alio verbo loquitur, quam suo eterno Verbo à se producto. Quare nullum est nomen, quod Deum possit comprehendere alicui significare.*

Vasq.

SECTIO II.

DE INCOMPREHENSIBILITATE DEI.

16 **I**ncomprehensibilis cogitatu dicitur Deus Hierem. 32. Unde incomprehensibilitas Dei à creaturis dogma est inter SS. Patres, vt videre est apud Montoyam *disp. 6. de Scientia Dei & Petavium tom. 1. dogm. lib. 1. cap. 3. Dixi, à creaturis*: quippe à se ipso comprehensibilis certissimè est, cum æquè sit infinitè intellectivus, atque intelligibilis.

Hier. 32

Montoy. Petav.

17 Dubium: an ea Dei incomprehensibilitas intelligatur non solum respectu creaturarum naturaliter cognoscendum, seu potentium cognoscere de potentia ordinata; an etiam supernaturaliter elevatam, & de potentia absolutè? Utroque modo id intelligit communis sententia: ita vt dicere, Deum esse à creaturâ comprehensibilem censeatur ab alijs hæreticum apud Suarez in *Sum. Tract. 1. lib. 2. cap. 3.* etiam à creaturâ supernaturaliter elevata, vt ipse Suarez explicat *num. 6.* Ab alijs saltem temerarium apud Vasquez *to. 1. in 1. p. disp. 32.* latissimè, & eruditissimè: quippe putat non esse de Fide, Deum comprehendere posse à creatura supernaturaliter elevata: quibuscum sentit P. Borull *disp. 19. de Visione Dei, sect. 1. num. 4.* Quamvis vtrique

Suarez.

Vasq.

Borull.

conveniant in eos, quod sit de Fide, Deum in aliquo vero sensu esse incomprehensibilem à creaturis. Quidquid eiusmodi censuras temperare aggrediatur Montepilosus *tom. 2. p. 1. dist. 24.* Sunt etiam qui dicant, eum qui assereret animam Christi posse comprehendere Deum per intellectum increatâ, nihil fortè dicendum contra dogma hoc de incomprehensibilitate Dei: quia dogma loquitur de incomprehensibilitate per cognitionem creatam. Lumbier *de Visione Dei, num. 638.*

Montepilos.

Lumb.

18 Quidquid de varijs modis loquendi, & explicandi sit, certè incomprehensibilitas Dei sub his terminis asseritur idem à SS. PP. pro quibus omnibus Augustinus *serm. 38. de Verb. Dom.* sic habet: *Si comprehenditur, non est Deus: attingere mente Deum, magna beatitudo est; comprehendere autem, omninò impossibile.* Unde non nisi saltem temerè diceretur absolutè Deus cõprehensibilis à creatura. An modus loquendi esset severiori censurâ dignus dijudicandum esset ex varijs circumstantijs.

August.

19 Difficultas est satis ardua: quid veniat nomine comprehensionis, quâ dicitur Dens incomprehensibilis à creaturâ. Nam in aliquo sensu laxiori, quo Beati passim appellantur comprehensores à differentia Viatorum, Deus comprehenditur, id est obtinetur, seu possidetur ab illis per visionem: sicque dixit Apostolus *1. Corinth. 9. Sic currite, vt comprehendatis: & Ephes. 3. In charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere, &c.* Hoc autem non tollit, quo minus sit, & dicatur apud SS. PP. & Theologos vnanimiter Deus incomprehensibilis à creatura. Quæritur ergo, in quo strictè comprehensionis sensu? Multa multi apud Vasquez, & Borull citatos: & apud Suar. tum dicto *cap. 5.* tum rursus *cap. 29.* vbi iterum de eodem argumento: de quo etiam *3. part. disp. 26. sect. 2.*

1. Cor. 9. Ephes. 3.

Vasq. Borull. Suarez.

20 Cavèda sunt extrema vitiosa obnoxia plerumque multis absurditatibus, quæ illis tantum non dissonant, quibus nihil dissonat. Sunt qui dixerint ad strictam comprehensionem requiri, quod ita res cognoscatur, vt meliùs nequeat cognosci. Sic certè Deus incomprehensibilis est à creatura, quia à nulla creatura potest sic cognosci, vt meliùs à se ipso non cognoscatur. At sic omnis etiam creatura incomprehensibilis erit: quia nulla potest taliter ab alia, aut à se

se cognosci, vt nequeat à Deo meliùs cognosci.

21 Sunt qui dicant, ad strictam comprehensionem sufficere, quod quidquid est in obiecto cognoscibile cognoscatur: cum autem nequeat à creatura cognosci quidquid in Deo cognoscibile est, inde est quod nequeat Deus à creatura comprehendendi. Hi certè ita deprimentur comprehensionis explicationem, vt vel nequeat Deus manifestare creaturæ quidquid scibile in eo est versus omnes etiam terminos creatos, & creabiles; vel, si id manifestet, vt de facto concedunt plures Animæ Christi. dicturi sint, de facto comprehendendi Deum strictè ab Anima Christi.

22 Alij requirunt æqualitatem in entitativa perfectione comprehendentis cum re comprehensa: sicque salvant Deum incomprehensibilem à creaturâ: quia nulla creatura est entitativè tam perfectâ, ac est Deus. Hi certè, nec Angelum comprehendendi posse divinitus ab Anima Christi, entitativè minus perfectâ; & si opus illis pro effugio esset, eadem libertate dicerent, globulum aureum comprehendendi, aut claudi non posse in arca lignea, quia in entitativa perfectione non cõquantur. Citant in id verba S. Tho. *9. de Veritate, art. 2.* sed falsò: quia talia verba vti recitantur ab Arriaga, *disp. 6. de Ani.* ibi non extant. P. Suarez *to. 1. in 1. p. disp. 26. sect. 2.* hunc sensum planè falsum verisimè appellat.

Arriag. Suar.

August.

23 S. August. *Epist. 112. cap. 8.* sic differit: *Aliud est videre, aliud est totum videndo comprehendere: quandoquidem id videtur, quod præsens, vicumque sentitur; totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem.* Et lib. 83. quæst. 14. ait, illud comprehendendi, quod videntis cognitione finitur. Et lib. 12. de Civit. cap. 18. cognitionem comprehensivam esse, quâ res cognoscitur quantum cognoscibilis est.

Herize. disp. 4. cap. 4.

24 Ex quibus Augustini definitionibus lucem potuerunt accipere, qui postea cum Herizè duplicem comprehensionem distinxerunt: vnam extensivam, quam primis illis verbis definiuit: quæ scilicet res ita videtur, vt nihil eius lateat videntem: aliam intensivam, quam definiuisse videtur in alijs duobus locis in eundem sensum facile coeuntibus: nam cognoscibile finiri cognitionè perinde est, ac cognosci quantum cognoscibile est, vt rectè Suarez in *Sum. tr. 1. lib. 2. cap. 5. num. 1.*

Suarez.

25 Has comprehensiones extensivam & intensivam aliter distinguit, sed potius confundit doctus P. Borull *disp. illa 19. de Visione*, indicans, vtramque repugnare creaturis de Deo: quia, inquit, *num. 35.* intensiva imbibitur in extensiva: cuius tamen asserti nullum equidem video fundamentum, quod eadem facilitate, quâ ponitur, non negetur.

Borull.

26 Amplector itaque divisionem comprehensionis extensivæ, & intensivæ: & illas ex Augustini verbis supra relatis discrimino in eo quod extensiva præcisè dicat, nihil obiecti latere cognoscentem: quod ita intelligo, vt quidquid est in obiecto ita clarè, ac distinctè cognoscat, vt ex modo suo perfectè claro cognoscendi nihil omnino de obiecto nesciat: intensiva verò dicat insuper, exequare cognoscibilitatem obiecti: quod ita intelligo, vt obiectum non sit magis cognoscibile, quàm per ipsam cognoscatur, adæquante nimirum cognoscivitate comprehendentis cognoscibilitatem obiecti comprehensi: vt explicat

Suarez. S. Tho.

Suarez *cap. 29. num. 13.* & est ipsissima doctrina S. Tho. si attente legatur *1. p. q. 12. in corpore.* Qui ibidem ad 3. distinguit inter videri totum obiectum, & videri totaliter: quasi videri totum perinde sit, ac nihil obiecti latere, quod est comprehensio extensiva; videri autem totaliter dicat modum cognoscendi adæquantem modum obiecti, scilicet in esse cognoscibilis: quod est, tantum esse de cognoscitivo in comprehensio: quæ, vt vidimus, est comprehensio intensiva. Et notat ibi acutè, vt etiam observavit Suarez, quod sicut ex eo quod quis cognoscat demonstrationem non sequitur, quod cognoscat demonstrativè, quia ipsam demonstrationem possimus cognoscere probabiliter; sic ex eo quod quis cognoscat totum obiectum, imò & modum ipsum totaliter cognoscendi, non sequitur, quod totaliter cognoscat ex parte modi cognoscendi: qui modus est perfectio cognitionis: & in eo stat intensiva comprehensio.

(Y)

Qq

## SECTIO III.

EXPONITUR EX DICTIS  
Attributum Divina Incompre-  
hensibilitatis.

27 **A**sserendum iudico, Deum esse extensivè, & intensivè incomprehensibilem à creatura: non tamen eodem modo. Quippe extensivè est incomprehensibilis, non minùs, imò magis, quàm invisibilis, scilicet naturaliter à creatura, non nisi per potentiam Dei absolutam potente comprehendere extensivè, sicut nec videte Deum, ut exposuimus in Attributo Invisibilitatis. Intensivè autem est Deus incomprehensibilis omnino: ita scilicet, ut nec per potentiam Dei absolutam valeat à creaturâ intensivè comprehendere.

28 Sic in primis salvatur in re dogmaticâ modus loquendi SS. Patrum, & Theologorum. Nam incomprehensibilitas Dei æquat, & absolute sumpta pro extensivâ simul, & intensivâ, ita est Dei propria, ut nec de potentia Dei absoluta aliter possit convenire: omnis enim creatura potest ab alia comprehendere extensivè, & intensivè saltem divinitus. Nec sine nota possit absolute proferri, Deum esse incomprehensibilem à creatura: esset enim temeraria saltem loquutio contra communes Patrum, & Theologorum loquutiones in re dogmaticâ, absolute copellantium Deum incomprehensibilem: scilicet à non Deo.

29 Deinde, quòd secundum quid, & limitativè dicatur Deus comprehensibilis extensivè per potentiam Dei absolutam, ut iam moderni loquuntur apud Borrull *sect. 3. num. 28.* nec est contra modum loquendi absolute de incomprehensibilitate Dei, ut ex terminis liquet: nec repugnat certæ veritati: cum probabile sit Animam Christi elevari à Deo ad cognoscendum per scientiam creatam quidquid Deus ipse cognoscit per increatam: quamvis modo infinite inferiori. De quo in Disputationibus de Incarnatione.

30 Nec obest, quod apud Eimerichum in *direct. p. 2. q. II.* reperiatur damnata hæc Arnaldi de Villanova propositio: *Quamvis citò Anima Christi fuit unita divinitati, statim ipsa anima scivit omnia, quæ Deitas scit: quia alias, ut dicebat,*

*non scisset cum ea una Persona: precipue, quia, scire est circumstantia pertinens ad suppositum individuale, non ad naturam.*

Respondetur enim primò, quòd ibidem monet Eimerichus, eam damnationem fuisse absque mandato Papæ. Secundò, non fuisse damnatam simplicem illam propositionem nudè sumptam, cum sit expressa S. Hieronymi sic Christum alloquentis: *Sua anima omnia scivit, quæ ipsa scit divinitas;* sed sumptam cum sua ratione, in qua supponitur, aut necesse esse Christi animam scire omnia ad hoc, ut esset in una Persona cum Verbo; aut ad id unam, & eandem debere esse scientiam humanitatis ac Verbi: quod sapit Monothelismum. Sic Lugus *disp. 20. de Incarnat. num. 46.* & Herize *disp. 51. cap. 4.*

31 Denique, quòd intensivè sit Deus omnino incomprehensibilis à creatura, probatur ratione sumpta ex S. Thom. & Suarez vbi supra: qua etiam videntur Herize *disp. 4. cap. 4.* & Borrull *num. 24.* & Magister Lombier *q. 13. de Visione, num. 639. & q. 27. de Incarnat. num. 1274.* Nam ad comprehensionem intensivam opus est ex Augustino, quòd obiectum comprehensum videntis cognitione finiatur: hoc est, quòd, iuxta eundem Augustinum, tantum cognoscatur quantum cognoscibile est: ad quod necesse est, quòd cognoscens sit tam cognoscitivus, quàm obiectum est cognoscibile: exquantente nimirum cognoscitivitate comprehendentis cognoscibilitatem obiecti. Hinc, cum Deus æque sit cognoscibilis, ac cognoscitivus, exæquat suam cognoscitivitatem suæ cognoscibilitati; ideoque se intensivè comprehendit: & quidem adæquatissimè: cum in eo nec cognoscibilitas cognoscitivitatem, nec cognoscitivitas cognoscibilitatem superexcedat: sicut quia æque summè est bonus, & amabilis, ac amans, & amativus, exæquat amore suo suam amabilitatem, & amabilitatem amorè. E contra verò, cum quilibet creatura sit infinite minùs cognoscitiva, quàm Deus sit cognoscitivus; eo ipso est minùs cognoscitiva, quàm Deus sit cognoscibilis: sicut minùs amans, quàm Deus sit amabilis: atque adeo, sicut nequit exæquare amore suo Dei amabilitatem, ita nec sua cognoscitivitate cognoscibilitatem Dei: & consequenter, nec intensivè comprehendere Deum.

32 Hinc, non solum totus Deus; sed nec una Persona divina, nec unum Attributum, nec unica eminentia alicuius Attributi,

buti, potest à creatura intensivè comprehendere: ut mihi Romæ disputanti concessit prædoctus quidam Thesum Propugnator. Qui cum Dei incomprehensibilitatem à creatura ingeniosè defenderet; unam tamen eminentiam Omnipotentiam posse à creatura simpliciter comprehendere, decursu disputationis concessit. Intuli: *ergo potest simpliciter per creaturam comprehendere aliquid simpliciter incomprehensibile per creaturam.* Negavit illationem præ terminorum implicantia. Probabam ex concessis. *Omne divinum est simpliciter incomprehensibile per creaturam:* scilicet ratione Attributi divinæ Incomprehensibilitatis: sicut omne divinum est Omnipotens ratione Attributi Omnipotentiam; æternum, & immensum ratione Attributorum Æternitatis, & Immenfitatis: *sed aliquid divinum potest per creaturam simpliciter comprehendere:* scilicet illa Omnipotentiam eminentia, quæ quidem divinisima est: *ergo potest per creaturam simpliciter comprehendere aliquid simpliciter incomprehensibile per creaturam:* quod in ipsis terminis implicantissimum est. Syllogismus est in *Darj.*

34 Stet igitur, omnes, & singulas divinas Perfectiones, & eminentias esse simpliciter, & essentialiter incomprehensibiles à cognoscente creato. Et quid non ex eo solum, quia omnes perfectiones divinæ sunt mutuo coidentificatæ, vel inter se, vel in eodem tertio, ideoque nequit una adhuc extensivè comprehendere quin omnes cognoscantur, & comprehendatur; sed potius quia cum cognoscibilitas cuiuslibet divinæ perfectionis, utpote non minùs perfectæ, quàm totus Deus, exæquet Dei cognoscitivitatem; & vice versa par sit cognoscitivitas; ac in quacumque Dei perfectione cognoscibilitas; omnis cognitio, seu cognoscitivitas creata, utpote infinite inferior cognoscitivitate divina, erit infinite inferior cognoscibilitate cuiuslibet perfectionis divinæ, ac proinde nequit hanc exæquare, sed erit semper infinite inferior, & infinite minùs cognoscitiva, quàm quilibet Dei perfectio est cognoscibilis, sicut quilibet amor creatus infinite minùs amans, seu amativus, quàm quilibet Dei perfectio est amabilis: unde nec est possibilis amor creatus par amabilitati divinæ; nec cognitio, aut cognoscitivitas creata poterit intensivè comprehendere cognoscibilitatem ali-

cuius perfectionis divinæ.

35 Dices: etiam quælibet creatura habet cognoscibilitatem simpliciter infinitam: ergo nulla creatura poterit ab alia intensivè comprehendere: quia cognoscibilitas illa infinita non poterit exæquari à creaturæ cognoscitivitate, quæ quidem finita simpliciter est, ac proinde infinite inferior cognoscibilitate infinita creaturæ. Antecedens probatur: quia quælibet creatura est infinite cognoscibilis à Deo, cum Deus non nisi infinite simpliciter valeat illam cognoscere. Respondetur negando antecedens cuius probationem distinguo: quælibet creatura est infinite cognoscibilis à Deo: infinite se tenente ex parte Dei, concedo, infinite se tenente ex parte creaturæ, nego. Unde non sequitur, cognoscibilitatem creaturæ esse infinitam; sed cognitionem, seu cognoscitivitatem Dei esse infinitam, & infinite excedentem, & supercomprehendentem cognoscibilitatem creaturæ.

36 Uno verbo: cognoscibilitas creaturæ in eo dumtaxat sensu est infinite cognoscibilis, scilicet à cognitione infinita Dei, quo cognoscibilitas Dei est finite cognoscibilis, scilicet à cognitione finita creaturæ, & sicut amabilitas Dei est finite, imò & imperfectè amabilis ab amore finito, & imperfecto creaturæ. Unde, sicut ex eo quòd amabilitas Dei sit finite amabilis, non sit esse finitam; nec ex eo quòd cognoscibilitas Dei sit finite cognoscibilis, sit esse finitam; ita ex eo quòd cognoscibilitas finita creaturæ sit infinite cognoscibilis non sit esse cognoscibilitatem infinitam.

37 Hinc reprehenditur æquivocatio, qua nonnulli seducti sunt, ut dicerent, non solum Deum, sed nec ullam creaturam posse ab alia creatura comprehendere: quia nempe nulla creatura, ne formica quidem, potest ita cognosci ab angelo taliter, ut non sit perfectius cognoscibilis à Deo: ergo est magis cognoscibilis, quàm ab angelo valeat cognosci: ac proinde nequit ab angelo comprehendere.

38 Respondetur enim, concessio antecedente, distinguendo consequens: magis cognoscibilis, tenente se illâ maioriore, sive illo excessu ex parte formicæ ad angelum, nego: tenente se ex parte Dei cognoscentis ad angelum, & formicam, concedo consequentiam: & nego subillationem. Nam ille excessus tenens se ex parte Dei, non solum comprehendentis, sed supercomprehendentis formicam; habet se

Hierony.

Lug.  
Herize.S. Tho.  
Suarez.  
Borrull.  
Lomb.Supra  
sect. 1.

Borrull.

Eymeri.

Arnald.



de superabundanti ad comprehensionem formicæ. Unde, quamvis angelus non pertingat ad illum excessum, habet quod sufficit ad comprehendendam formicam. Quemadmodum; quamvis quantitas palmaris amplius comprehendatur in arca tripalmari, quàm in bipalmari, nõ tollit, quominus adæquatissime comprehendatur in bipalmari: quia excessus, ille tripalmaris habet se de superabundanti, ad comprehensionem quantitatis palmaris. At Deus non supercomprehendens se, sed præcisè comprehendens se, nihil habet de superabundanti ex parte suæ cognoscitivitatis respectu suæ cognoscibilitatis: quia æquè summè est cognoscibilis, ac cognoscitivus: ideoquè omne cognoscitivum infra Deum est impar divinæ cognoscibilitati, & consequenter divinæ comprehensioni.

Supra  
sect. 2.

39. Dees iterum: labi nos in sententiã, quam parvis fecimus num. 22. requirentium ad comprehensionem entitativam æqualitatè comprehendentis cum obiecto comprehenso. Siquidem ætenus dicimus, Deum non posse comprehendere intensivè à creatura, sed solum à se ipso; quatenus solus Deus exæquat suam cognoscibilitatem cum suã cognoscitivitate, quæ est ipsa entitas Dei: ergo labimur in entitativam æqualitatem comprehendentis cum obiecto comprehenso. Respondetur, longissimè nos abesse ab eiusmodi opinione.

40. Quippe non requirimus ad conceptum comprehensionis in genere eam entitativam æqualitatem; imò dicimus angelum comprehendere posse ab homine, & de facto comprehendere ab Anima Christi entitativè inferioribus. Quamvis enim entitativè sint inæquales, possunt exæquari in ratione cognoscentis, & cognoscibilis: sicut arcula lignea, & globulus aureus exæquantur in ratione capientis, & capibilis, quamvis entitativè non exæquentur: & potest substantia minus perfecta esse magis cognoscitiva, quam alia aliunde perfectior: ut videre est in anima, vel animalculo cognoscitivis; imperfectioribus tamen Gratiã, & Unione Hypostaticã non cognoscitivis.

41. Quod autem Deus non possit comprehendere ab aliquo entitativè inferiori, sed solum à se ipso, deducitur aliunde per bonas consequentias. Non quia de conceptu comprehensionis sit ea entitativa æqualitas; sed quia Deus non minus est infinitissimè cognoscibilis infinitate suã

cognoscibilitatis, ac est cognoscitivus infinitate suã cognoscitivitatis: cū autè certum sit, omnè e eaturã esse infinitè min⁹ cognoscitivã, quã Deus sit cognoscitivus; inde est, quod sit infinitè min⁹ cognoscitiva, quàm Deus sit cognoscibilis. Ad comprehensionem autè in genere, quamvis non requiratur, quod comprehendens sit entitativè tam perfectum, ac res comprehensa; requiritur, quod sit tam cognoscitivum, ac res comprehensa cognoscibilis est.

42. Edocuit id maturius Suar. cit. cap. 29. num. 14. quamvis tom. 1. in 3. p. disp. 26. sect. 2. nondum satis videatur acquiescisse huic solidè rationi. Ea videtur fuisse mens etiam S. Tho. 1. p. q. 12. art. 7. inferentis, intellectum creatum non posse Deum comprehendere: quia non *pertingere potest ad illum perfectum modum cognitionis divinæ*: quem modum ibidem explicat, non tam per extensionem cognitionis ad plura; quàm per adæquatorem vim penetrativam eorumdem in Deo, cuius cognoscibilitas in se ipsã infinitissima est: ibi: *Illud comprehenditur quod perfectè cognoscitur: perfectè autem cognoscitur quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile.* Cõsonat S. Fulgentius in quæst ad Ferrand. ubi comparans cum Scientiã increata Dei Scientiã creatam Animæ Christi, ait de ista: *quod novit quantum illa, non sicut illa*: ideoquè non comprehendit Deum.

43. Calculatoria restat obiectio pro coronide adversus extensivam Dei comprehensionem, quam de potentia Dei absolutã admittimus possibilem in creatura; in hunc modum. Si vel extensivè comprehenderet creatura Deum, cognosceret infinitas veritates, ex eo saltem, quod deberet cognoscere infinita possibilia producibilia ab Omnipotentia: sed hoc implicat: ergo & comprehensio extensiva Dei. Probat minor: nam ad cognoscendas infinitas veritates deberet habere vim cognoscitivam infinitam, & cognitiones infinitas, sive in numero; sive in perfectione: sed hoc implicat: ergo & quod cognoscat creatura infinitas veritates. Probat maior. Nam ad cognoscendam unam veritatem requiritur aliqua vis cognoscitiva, & cognoscens: & maior ad cognoscendas duas, & maior ad tres, & sic deinceps: ergo infinita ad infinitas.

44. Respondetur concedendo maiorem: quæ est expressa S. Tho. 3. p. quæst. 10. S. Tho. art. 3. & ex mente Scoti quoad omnia, quæ Deus

Deus scit, concedit de factõ scientiæ creaturæ Animæ Christi celeberrimè Scotistã, Dignitate, & doctrinã Eminentissimè Dominus Cardinalis de Laurea tom. 1. Commentariorum in 3. sent. disp. 15. art. 3. Nego autem minorem. Ad cuius probationem non gravatur aliqui, ut Bernal disp. 34. de Incar. num. 47. idcirco concedere in Anima Christi lumen creatum, habitus, & actus infinitè intensos. Quilquid tamen de hoc sit, nego id esse necesse ad cognoscendam infinita. Nec id probat ea calculatio, sicut neque quod nos ad cognoscendum Deum egeamus cognitione infinitã, quamvis cognitio eò sit perfectior, quod obiectum perfectius est.

Bernal.

45. Itaque ad probationem ultimæ maioris, dato, quod ad cognoscendas duas res requiratur maior vis cognoscitiva, quàm ad unam; non tamen maior in numero, sed ad summum in perfectione: & hoc quidem non cum eo excessu perfectionis, quo res cognitæ se excedunt: nam perfectio cognitionum, & virtutis cognoscitivæ non est ad mensuram æqualem obiectorum, ut patet in cognitione nostrã de Deo infinitè min⁹ perfecta, ac est Deus, nec excedente cognitionem nostram de lapide eo excessu, quo Deus excedit lapidem.

46. Unde nego ultimam consequentiam. Nam, ut vidimus, infirmitudo cognitionis nec arguitur ex infinitate obiecti, neque ex eo quod excedat infinitum numerum cognitionum infra se, ut patet in angelo, qui finit⁹ cū sit, excedit perfectione infinitas creaturas posibles infra ipsum: neque ex eo quod sit in ordine ad infinita numero, ut patet in intellectu, & voluntate finit⁹, dicentibus ordinem ad actus posibles numero infinitos.

#### SECTIO IV.

OCCASIONE GRAVIS  
Objectionis, superiores doctrina communiuntur, & collustrantur.

Thyrs.

Martin.

47. HÆC scripseram, quando feliciter incidi in doctissimas Disputationes Selectas sapientissimi Patris Doctoris, Thyrsi Gonzalez, & in Tractatum de Deo sciente præstantissimi Theologi Patris Nicolai Martinez. Quorum ille Primarius etiamnum Salmantinus ro. 1. disp. 5. & Primarius iste non dudum Romanus contr. 1. disp. similiter 5. nostram

in rei substantia mentem de Incomprehensibilitate Dei dignius adstruunt ex doctrinis præsertim Anglici Doctoris, & Eximii: & multis acuminibus illustrium Recentiorum aliter opinantium a umine percipere non gravabor ad complementum doctrinæ, eò fortè magis placitura, quò min⁹ habere de meo comperientur.

S. Tho.  
Suar.

48. Obijciunt in primis impliãtiam in eo quod diximus de comprehensibilitate Dei extensivã, dum eam possibilem concessimus creaturæ, potenti utique clarè cognoscere cunctas perfectiones Dei versus omnes terminos creatos, & creabiles distinctè etiam cognitos: & de incomprehensibilitate Dei intensiva, dum eam negavimus possibilem eidem creaturæ. Arguunt autem sic. Creatura clarè, & evidenter cognoscens totum Deum, & in Deo omnes omnino creaturas, prout ad extensivam comprehensionem opus est; cognosceret etiam in Deo cunctos errores, ignorantias, dubia, scrupulos, aliasque imperfectiones, posibles circa Deum: sunt enim hæc de numero creaturarum. Sed eo ipso etiam intensivè comprehenderet Deum, illum utique cognoscens quantum cognoscibilis est. Implicat igitur Deum à creatura prædicto modo extensivè comprehendere posses quin eo ipso intensivè sicque, vel ad utrumque, vel ad neutrum adigimur.

49. Minor, in qua res vertitur, probatur. Qui cunctos errores, ignorantias, & dubia possiblem circa Deum perfectã claritate cognoscit, eam habet de Deo notitiam, ut in nihilo possit errare, ignorare, nec dubitare, aliavè imperfectione in cognoscendo laborare circa Deum: sed hoc est comprehendere Deum etiam intensivè, illum scilicet cognoscendo quantum cognoscibilis est: ergo eo ipso creatura comprehenderet intensivè Deum. Probat etiam hæc minor. Quia cognoscens intuitivè obiectum ita ut circa illud in nihilo possit errare, ignorare, formidare, nec dubitare, cognoscit obiectum ita perfectè, clarè, & dignè, quantum exigit eius cognoscibilitas. Quam enim excellentiorem, aut sibi adæquatorem cognitionem postulet obiecti cognoscibilitas, præter aut supra illam ita perfectam claram, & dignam, quæ ex modo suo intuenti obiectum, omnem amoveat errorem, ignorantiam, formidinem, dubietatem, usque adeò, & scrupulum circa omnem obiecti scibilitatem?

rem? Aut certè, eò iam pertingens cognitio, unde suscipere posset incrementum claritatis, & scientiæ circa scibilitatem talis obiecti? Aut quomodo omnis imperfectio pelli potest nisi ab omni perfectione scilicet species qualibet inscitæ, nisi ab intuitione omniscia de obiecto? ic omnis labe, & umbra turpitudinis, & imperfectio nis moralis pellitur à totali honestate: & quævis mortalitas ab omnimoda immortalitate.

50 Confirmant. Primò: nam Deus non ob aliam rationem suã scientiã adæquat, suam cognoscibilitatem, seq; intensivè comprehendit, nisi quia tali se perspicuitate cognoscit, & intuetur, ut omnem oppositam imperfectionem amandat: quatenus nempe, quavis de se proposita quæstione, ex notitia qua se intuetur, statim sine morã, sine confusione, sine ambiguitate, sine obscuritate posset expediri, & respondere. Si ergo id præstare posset prædicta creatura, quomodo non adæquaret Dei cognoscibilitatem? Secundò: quia non aliter Deus creaturam, aut angelus superior inferiorem comprehendere dicitur intensivè, nisi disto modo tale obiectum cognoscendo, ac penetrando, ut omnem errorem, ignorantiam, formidinem, & dubietatem circa illud excludat. Tertio: quia si tanta inesset Animæ Christi Sanctitas, ut eam redderet dignam omnium omnino bonorum, quibus dignus est Deus; inesset ei dignitas divinæ non impar, & bonitas ac amabilitas æqualis divinæ. Si ergo eidem inesset scientia creata clarè cognoscens, & distinguens omnia cognoscibilia, quæ cognoscit Deus, esset par Deo in cognoscendo, ac proinde intensivè etiam Deum comprehenderat. Quarto: quia amor amans sine ulla efficacis imperfectione curat, quæ Deus in se amat, esset amor divinæ Bonitatis comprehensivus: ergo sapientia cognoscens sine errore, ignorantia, & dubietate cuncta, quæ Deus in se cognoscit, esset similiter comprehensiva divinæ Veritatis, seu cognoscibilitatis.

51 Respondetur, concessã maiori, negandã minore: Ad probationem negatur maior, quo ad illam partem: *aliã è imperfectio in cognoscendo*: qua parte completa, concederem maiorem, & negarem minorem cum consequentia. Negarem probationem huius minoris: nam illud cognitio non habet tantum de cognoscitivo, quantum obiectum habet de cog-

noscibili, quantumvis pellat omnem errorem, ignorantiam, formidinem, dubietatem, & serupulum circa obiectum; non ita perfectè, clarè, & dignè cognoscit obiectum, ac exigit obiecti cognoscibilitas. At quæcũq; illa sit cognitio creata de Deo, finita simpliciter cum sic, non habet tantum de cognoscitivo, quantum obiectum nempe Deus habet de cognoscibili: quippe Deus infinitè simpliciter cognoscibilis est: ideoque non nisi à cognoscitivo simpliciter infinito exæquabilis in ratione cognoscens, & cogniti. Unde tantum distaret quodcumque illud cognoscens creatum in ratione cognoscens, & cogniti à cognoscibili divino, ac proinde à comprehensione cognoscibilis divini, quantum in ratione cognoscitivi distat à cognoscente divino: à quo scilicet infinite distat: cum tamen cognoscitivum, & cognoscibile divinum ita se mutuo exæquent ut Deus nullatenus sit magis cognoscitivus, quàm cognoscibilis, aut è contrã.

52 Atque hinc constat responsio ad interrogationes illas subiunctas in probatione minoris. Ad primam dico, ad excellentiorem, & adæquatiorem cognitionem, quam sibi postulat obiecti cognoscibilitas, requiri, præter ibi recensita, quod obiectum non plus habeat de cognoscibili, quàm cognitio de cognoscitivo. Id quod semper deficit in quocumque cognoscente creato respectu Dei, propter rationem iam datam, solidè subnixam duabus propositionibus mihi certis: unã, quod Deus est æquè cognoscibilis, ac cognoscitivus: altera, quod nulla creatura est æquè tam cognoscitiva ac Deus est cognoscitivus: unde sequitur nullam creaturam esse æquè cognoscitivam ac Deus est cognoscibilis. Et hinc est defectuositas, inadæquatio, seu imperfectio cuiuslibet cognoscens creati respectu cognoscibilis divini, & incomprehensibilis cuiuslibet cognoscibilis divini à cognoscente creato. Hinc quoque ad secundam interrogationem dico, incrementum quo egeret, ut comprehenderet intensivè Deum, ea cognitio creata eò pertingens claritatis quò voluit obiectio, esse quod tantum haberet de cognoscitivo, quantum Deus de cognoscibili: quod tamen, cum nullum cognoscens creatum pertinere possit ideo, nec potest Deum intensivè comprehendere: quamvis illas alias imperfectiones erroris, ignorantia, formidinis, & dubietatis expellat. At tertiam, falsò ab

interrogare supponitur, eam de Deo cognitionem, eò ipso quod imperfectiones illas erroris, ignorantia, & dubietatis pelleret, expertem fore omnis imperfectionis: dummodò enim non eas expellat per virtutem suam tam cognoscitivam, ac Deus est cognoscibilis, retinebit imperfectionem inadæquationis, & infinitæ inferioritatis cognoscitivi ad cognoscibile in linea ipsa cognoscendi. Quod si interrogatio solum procederet de solis illis imperfectionibus erroris, ignorantia, formidinis, & dubietatis, & similibus; responso esset tam facilis, quàm facile est intelligere, per visionem Beatam pelli omne peccatum, & imperfectionem moralem, & per visionem perfectiorem, id ipsum perfectius amandari.

53 Ad primam confirmationem, falsum est antecedens: non enim Deus ob eas solum rationes ibi assignatas se ipsum intensivè comprehendit; sed quia præterea, cum non minus sit cognoscitivus quàm cognoscibilis, adæquat cognitione sua suam cognoscibilitatem. Id quod vidimus nulli creato cognoscenti competere posse. Quam rationem non de nostro effinximus; sed in superioribus vidimus esse è mente Doctoris Eximij, & Sanctorum Augustini, & Thomæ: cuius in ipsis serè terminis responsonis nostræ, præter alia quæ supra recitavimus, sunt hæc verba appositissima 9.4. de Verit. art. 4. ad 4. *Tunc enim ipse Deus comprehenditur ab intellectu aliquo, quando intellectus tantam habet efficaciam in intelligendo, quantum habet Deus ut intelligatur: unde non potest comprehendere, nisi ab intellectu infinito.*

54 Ad secundam dico, quod Deus se ipsum certissimè comprehendit: quia, præter ibi dicta, certum est, esse æquè cognoscitivum ac cognoscibilem. Angelus verò superior verisimile est, quod possit comprehendere inferiorem: quia non est cur existimemus, inferiorem habere magis de cognoscibili, quàm superior habeat de cognoscitivo. At de Deo certum est, infinite plus habere de cognoscibili, quàm creatura qualibet habere possit de cognoscitivo. Unde patet Dei incomprehensibilitatem à creatura, quantumvis omnia cognoscens, & excludente omnem errorem, ignorantiam, formidinem, & dubietatem: quas quidem imperfectiones cognitio abstractiva evidens excluderet, quin pertingat ad rationem comprehensionis; imò nec intuitionis.

55 Ad tertiam concedi, & negari potest antecedens. Negari quidem: quia ex eo quod unus sit dignus eorum omnium; quibus dignus est alter, non sequitur, utrumque esse æquè dignum: nam eorumdem bonorum posset alter esse dignior. Essent, inquam, æquè digni extensivè, id est ad eadem bona; non intensivè, quia eorumdem esset alter dignior. Sic dico cum P. Vasquez in *D. spu. de Merito*, iustum cum gratia intensiori non fieri per idem opus dignum maiori gratiæ, & gloriæ præmio, quàm per idem opus cum gratia remissioris; sed fieri digniorem eiusdem præmij. Concedi verò posset illud idem antecedens: quia inter alia bona, quibus dignus est Deus, est bonum essendi Deum: quatenus Deus dignissimus est qui sit Deus: quo quidem bono, si dignam redderet creaturam aliqua sanctitas, redderet illam tam dignam, ac est dignus Deus: hoc tamen implicat: atque ad eò, quod vlla sanctitas reddat creaturam tam dignam, bonam, & amabilem, ac est Deus. Quoquo autem modo capitur antecedens, consequentia est nulla: quia paritas cum Deo in cognoscendo non solum pensatur penes res cognitivas, sed penes modum etiam cognoscendi adæquantem in esse cognoscitivi cognoscibilitatem obiecti. Scitè S. Tho. 3. p. 9. 10. art. 2. ad 3. *Quantitas scientia non solum attenditur secundum numerum scibilium; sed secundum claritatem cognitionis.* Unde infert, quod quamvis scientia creata Christi parificaretur scientiæ visionis increatæ Dei in numero scibilium; adhuc hæc illam excederet infinite in claritate circa eadem scibilia.

56 Ad quartam dico, parem esse causam antecedentis de amore, & consequentia de sapientiã. Unde, si in consequentia adhiberetur terminus ille: *sine vlla imperfectione*; sicut ponitur in antecedente; totum esset verum. Quia amorem amare sine vlla imperfectione cuncta, quæ Deus amat; dicit amare illa per amorem, qui tantum habeat de amativo, quantum ea, quæ Deus amat, in quibus est ipse Deus, habent de amabili: quod esset amore comprehendere divinam Bonitatem, & amabilitatem. Id autem impossibile est creaturæ, essentialiter habenti infinite minus de amativo, quàm Deus habeat de amabili; ac proinde habenti huiusmodi defectuositatem, quæ est imperfectio suæ limitationis: ideoque ab amante creato incomprehensibilis

Re bilis

Suarez.  
August.  
Thom.

S. Tho.

bilis etiam est bonitas, seu amabilitas in-creata, soli utique amanti infinito exa-quabilis in ratione amantis, & amati. Similiter ergo dicerem ob similem rationem de sapientia, adiecto in consequentia illo termi-no: sine ulla imperfectione. Qui verò ter-minus si deesset in antecedente, sicut deest in consequentia, totum esset falsum. Quia nec ad amore comprehendendam intensi-ve Dei Bonitatem sufficit, efficaciter, & di-stincte amare cuncta, quæ Deus amat; nec ad sapientiam comprehendendam intensivè divinam Veritatem sufficit cognoscere clarè, & distinctè cuncta, quæ Deus cognoscit: ob rationem iam sæpe datam. Quia verò in an-tecedente adhibetur prædictus ille termi-nus, qui desideratur in consequentia; ante-cedens est verum, consequentia falsa, & argumentatio nulla.

57 Idcirco, incipiens respondere *num. 51.* negavi secundam maiorem, quoad illam partem: *aliavè imperfectione in cog-noscendo.* Quia tollere omnem in cogno-scendo imperfectionem à cognitione crea-ta est illam extrahere à limitatione essentia-li cuiuscumque creaturæ: cui nempe essentia-lis est illa defectuositas in cognoscendo: sci-licet, non exæquare in ratione cognoscen-tis infinitissimam Dei cognoscibilitatem, nulli supparem cognoscitivo, nisi etiam penes cognoscitivitatem infinitissimo, qui solus est Deus: ut est omnibus certum.

58 Huius imperfectionis cuiuslibet cognoscens creati in cognoscendo, idcir-co impotentis Deum comprehendere, quantumvis omnia, quæ Deus, clarè cog-noscat; dat aliam rationem P. D. Thyrsus à *num. 152.* à qua non longè abit Cardinalis de Lauræa citatus *sect. præced.* Quia nem-pe, cum Deus sit summa actualitas in gene-re entis, in nullo genere habet potentiali-tatem: unde, cum Dei cognoscibilitas sit infinita, & actualissima in genere etiam es-sendi; cognitio etiam Dei comprehensiva debet esse actualissima, & essentialissima in genere etiam essendi: hoc est, actus pu-rissimus in essendo, & in cognoscendo, ne-cessariò, & per essentiam essens, & omne scibile cognoscens sine imperfectionibus actus, & potentia. Addit Card. de Lauræa *num. 99.* cognitionem debere esse ubique, & immensam, ut Deum immensum com-prehendar. Quæ omnia clarissimè repug-nant cuiuscumque menti creatæ, quantumvis omnia divina, & creata clarè, distinctè que cognoscenti.

59 In hanc fortè rationem cadere potuit iudicium Magni Suarez *tom. 1. in 3 p. disput. 26. sect. 2. vers. Sed potest esse* *Suar. tertia evasio:* ubi id refutat tanquam mi-nus è se petitu. & non è genuino concep-tu comprehensionis; sed longiuscule, & quasi de materiali, nihil variante rationem formalem comprehensionis: ad quam for-malius pertinere priorem illam rationem, qua superius nos vñ sumus cum eodem P. Thyrso, mihi non est dubium, utpote petitam ab adæquata commensuratione cognoscitivi ad cognoscibile in ratione ta-lium: quod esse de conceptu formali in-tensivæ comprehensionis facilius intelligen-tur.

60 Nisi fortè recidat ea posterior ra-tio in aliam, quam olim ipse meditabar, & in primitivis meis de hoc puncto Manu-scriptis proposui: quod nempe nulla cog-nitio creata, quantumvis cuncta, quæ novit Deus, distinctè cognoscat, taliter cuncta obiecti cognoscit, ut pro libito obiecti cog-niti non possit latere aliqua ipsius veritas cognoscentem: cum tamen Deum omnia per essentiam cognoscentem, nec lateat quidquam, nec latere possit. Iuxta quam doctrinam necesse est dicere, ad concep-tum intensivæ comprehensionis non suffi-cere, cuncta clarè nosse, quæ Deus scit circa tale obiectum; sed ita perfectè ea cun-cta nosse, eaque ita potenter mente tenere, ut nihil pertinens ad adæquatam claramq; notitiam obiecti possit pro libito obiecti subterfugere notitiam cognoscentis. Quo respexisse potuit P. Vasquez dum *1. part. Valsq. disp. 205. num. 9.* dixit, nec angelum, nec hominem posse à creatura naturaliter com-prehendi, propter secreta cordis, quæ pos-sunt ipsi ab obiecto ipso naturaliter pro suo libito celari, quamvis in casu aliquo non celarentur.

61 Quidquid tamen de ijs, & alijs sit, deserui iam dudum viam istam, quasi de-flectentem à conceptu probatissimo com-prehensionis, ut sic, & incomprehensibili-tatis divinæ, summorum Theologorum, & Sanctorum PP. autoritatibus subnixo: à quibus discedere in re concernente facta dogmata de Attributo Incomprehensibili-tatis divinæ, non est integrum. Quæ etiam de causa minus placet alia excogitata, quam refert P. Herrera *quæst. 7. de Scient. Herrer. à num. 24.* Præstat igitur, insistere rationi inicitæ *sect. 3.* quam hic retinuitus à *nu. 51.* Thyrs. *Martin.* cum ipsis Thyrso, & Martinez.

## SECTIO

## SECTIO V.

## ALIAE OBJECTIONES CVM nostris solutionibus in dis-p- sum.

62 **O**bjiciunt alij aliter. Simili-tudo physica vnius rei cum alia penes omnia predicata est ita adæquata, ut alia maior in ratione similitudinis physi-cæ esse non possit: ergo similitudo inten-tionalis in esse intelligibili cognitionis cum obiecto cognoscibili penes omnia obiecti prædicata, est similitudo intentionalis ita adæquata cum obiecto, ut alia maior in ra-tione similitudinis intentionalis esse non possit. Atqui cognitio intuens Deum, & quidquid est in Deo penes omnia etiam possibilis extra Deum, qualem diximus esse comprehensionem extensivam Dei possi-bilem creaturæ, cum esset representatio di-stinctim omnium prædicatorum Dei, esset similitudo intentionalis cum Deo penes omnia prædicata Dei: ergo talis esset, ut in ratione similitudinis intentionalis alia maior esse non posset. quod esset adæquare vi sua cognoscitiva cognoscibilitatem Dei: ergo esset eo ipso comprehensio intensiva Dei. Vel ergo repugnat eiusmodi comprehensio extensiva creata Dei; vel adigimur conce-dere intensivam, prout à nobis ipsis expli-catam: quod adversatur dogmati divinæ Incomprehensibilitatis.

63 Patitur in primis hæc obiectio instantias manifestas in cognitione abstra-ctiva, imò & probabilis omnium prædica-torum: quæ quidem etiam est similitudo intentionalis in omnibus prædicatis eius-dem rei: quin perinde dici possit rei com-prehensio. Unde bacillat paritas subnixa prædictis similitudinibus. Item in visio-nibus Beatificis creatis, quæ de facto sunt, & iuxta communem Theologorum senten-tiam cum S. Tho. *1. part. q. 12. art. 7.* & Patre Suarez *lib. 2. de Attrib. negat. c. 22. num. 8.* plaudente cum Scotistis Card. de Lauræa *art. 3.* vident omnia, quæ formaliter intrinsecè sunt in Deo, taliter ut nulla Dei for-malitas lateat beatum: quæ visio erit eo ip-so similitudo intentionalis adæquata cum omnibus prædicatis intrinsicis Dei; quin tamen perinde dici possit Deus quoad in-trinseca sua, imò nec quoad vnum prædi-catum; ut observabam *sect. 3. nu. 33. & 34.*

S. Thom. Suarez.

Lauræa.

intensivè comprehendi à quocumque bea-to: quinimò nec ab omnibus beatis creatis simul: quantumvis omnibus sigillatim, & per partes distribueretur cognitio distincta omnium divinorum, & possibilium extra Deum. En quam imbecillis sit eiusmodi paritas ducta à prædictis similitudinibus.

64 Respondetur deinde in forma, concessio antecedente, distinguendo con-sequens: similitudo intentionalis cum ob-iecto penes omnia prædicata est similitu-do intentionalis *extensiva*, ita adæquata *extensivè* cum obiecto, ut alia maior in ra-tione similitudinis *extensiva* esse non pos-sit, concedo; *intensiva*, & adæquata *intensi-ve*, ita ut alia maior in ratione similitudi-nis *intensiva* esse non possit; nego conse-quentiam. Et concessio minori subiuncta, nego consequentiam. Quia, quamvis esse non posset alia extensivè maior, cum ultra omnia prædicata rei nequiret ad aliud rei prædicatum extendi; esse tamen posset alia intensivè maior, magis ac magis, clarius, & clarius cognoscens illa eadem prædicata. In hac autem similitudine intentionali in-tensivè summam respectivè ad cognoscibili-tatem obiecti stat ratio comprehensionis intensivæ; non in illa similitudine intentio-nali extensivè tantum summam commensu-ratam potius numero, quam cognoscibilitati prædicatorum obiecti. Unde nec repugnat comprehensio illa aliqualis extensiva creata Dei; nec possibilis est intensiva.

65 Paritas ergo tenet à similitudine physica, quæ quasi extensiva est, ad simili-tudinem intentionalem etiam extensivam. A similitudine autem physica, quæ exten-siva est, ad similitudinem intentionalem intensivam; est patentissima disparitas. Nam illa commensuratur numero prædicato-rum, in quibus duæ res conveniunt: & ul-tra cuncta prædicata non est aliud prædica-tum; ista verò non commensuratur nume-ro prædicatorum: nam in numero prædi-catorum magis assimilantur lapis cum lapi-de absque umbra similitudinis intentiona-lis; quam cognitio lapidis, quæ accidens, & spiritus est, cum lapide qui est substantia, & corpus, ubi similitudo intentionalis in-terest: & magis assimilatur intentionaliter formica cognitio angeli, quam cognitio hominis de formica: quin in numero præ-dicatorum magis conveniat.

66 Sumitur itaque, seu commensu-ratur similitudo intentionalis, non pro nú-mero prædicatorum; sed in esse representa-tivo

Rt 2 tivo

tivo per expressionem, seu quasi imaginem prædicatorum sui obiecti: in qua expressione, seu imagine representativa eiusdem obiecti suscipitur magis, & minus, penes claritatem, certitudinem, puritatem, aliasque perfectiones: ut est clarum in multis imaginibus representativis Cæsaris: quæ suscipiunt quo ad aliquas perfectiones magis, & minus, & possunt esse meliores atque meliores, limpidiores, & expressiores, quamvis eundem Cæsarem representent: quia quamvis nihil representet una, quod non representet alia; id ipsum melius, clarius, vividius, pulchrius, purius, & elegantius representat. Ad hunc modum sublimatur per suos quasi gradus intensivæ perfectionis similitudo intentionalis cognitionis, quin ad summum usque pertingat, donec in eo genere assimilativo adæquet obiecti cognoscibilitatem: quæ cognoscibilitas, cum in Deo infinitissima sit, non nisi à cognoscente divino representativè exæquari potest: sicut nec affectivè divina Bonitas, & Amabilitas, nisi ab amante divino.

67 Urgent. Aut ista claritas intensivè maior detegit in obiecto cognito aliquid scibile, quod non detegat cognitio extensivè comprehensiva eiusdem obiecti; aut nihil ultra detegit. Primum, est contra explicationem, quam ex Augustino dedimus comprehensionis extensivæ *sect. 2.* iuxta quam comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem. Si dicatur secundum; in quo stat claritas illa intensivè maior? Si enim cognitio creata extensivè comprehensiva Dei taliter intuetur clarè, ac distinctè Deum, ut detegat cognoscenti quidquid scibile in Deo est, nec quidquam ultra detegat Deo divina comprehensio; videtur pervenisse ad summum, etiam intensivè penes claritatem, & assimilationem representativam.

68 Confirmant. Hæc enim summitas in genere cognoscitivo pensanda est respectivè ad cognoscibilitatem obiecti, quatenus potentis, & petentis tantum cognoscitivi pro adæquatâ sui cognoscibilitatè: quod enim ultra id superesset excessus in cognoscente, ut superest in Deo infinitè cognoscitivo respectu cognoscibilitatis finitæ obiecti creati; esset ex parte virtutis cognoscitivæ superexcedentis, & supercomprehendentis cognoscibilitatem obiecti; potius quàm ex parte obiecti id exigentis ad præcisam sui comprehensionem: ad quam utique sat foret, si cognitio adæ-

quaret obiecti cognoscibilitatem. Atqui cognitio intuitiva ita clara, ut nihil obiecti lateat cognoscentem, nec possit alia dari quidquam in obiecto detegens, quod ipsa non detegat, qualis esset illa extensivè comprehensio Dei cognoscentis cuncta in Deo scibilia; eo ipso haberet prædictam summitatem respectivè ad cognoscibilitatem obiecti, in quo scilicet nihil est ulterius quod clarè cognoscatur: ergo eo ipso, aut eiusmodi extensivè comprehensio Dei repugnat creaturæ, aut adigimur absurdè concedere possibilem creaturæ intensivam Dei comprehensionem: scilicet cognitionem summè claram, & penetrativam omnium cognoscibilitatis divinæ.

69 Responderetur, admittendo secundam dilemmatis partem. Ad interrogationem inde subillatam, dico, claritatem illam intensivè maiorem non stare in eo quod cognitio clarior detegat in obiecto quidquam, quod non detegit minus clara; sed in eo quod illas ipsas veritates obiectivas detegat ac penetret altius, & profundius ex propria perfectione in genere cognoscitivo maiori respectivè ad cognoscibilitatem obiecti. Unde falsum est illud positivum, quod eo ipso quod una cognitio detegat in obiecto omne scibile circa ipsum, pervenerit ad summum etiam intensivè in ratione cognitionis, & representationis talis obiecti: illa enim ipsa scibilia potest alia cognitio plus cognoscere, quamvis non plura cognoscat. Id quod optimis Theologis per familiare est. Sic Ioseph. August. Raynaudus, Recupitus, Herize, Arrubal, Machin, & Carmelitæ Salmant. quos citatos sequitur noviter P. Bechenus post Arriagam plurimi, Vasquez *1. p. disput. 50. num. 29.* Meratius *10. 1. pag. 82. & 89.* Eminentissimus de Lauræ *disput. 15. art. 3.* & eximie Eximius *tom. 1. in 3. p. disp. 16. sect. 2.* Bechen. Vasq.

70 Et ratio est mihi perspicua. Tum quia seorsim ab extensione maiori divinæ intuitionis ad plura scibilia, circa eadem divina, quæ in eius essentia videt Angelus, habet Deus intuitionem infinitè intensiorem, clariorem, perspicaciorem, & in ratione ipsa intuendi idem obiectum, perfectiorem. Tum ducto exemplo à sensitivis: eundem enim colorem videt clarius oculus perspicacior: & eundem sonum audit acutius auris acrior. Tum etiam ab insensitivis. Nam idem punctum coloris, clarè iam illuminatum ac lucidum, posset per intensiorem lucem inextensam ad alia pun-

ct.

ctâ claris, & claris illuminari. Sic ergo puta de eiusdem obiecti cognitione intensivè clariori, imitante simillimè extrinsecus illuminationem intrinsecam materiam colorum.

71 Ad confirmationem tota maior est vera, & à nobis approbata num. 38. Nego autem minorem. Cum enim cuiuscumque perfectionis divinæ cognoscibilitas sit simpliciter infinita in esse cognoscibilis, nequit cognoscitivè exæquari nisi à cognoscente simpliciter infinito, qui solus est Deus, æquè infinite summè que cognoscitivus, ac cognoscibilis, & è converso. Undè implicat, quod aliud cognoscentis infra Deum; utpotè infinite Deo inferius in ratione cognoscitivi adæquet cognoscibilitatem cuiuspiam perfectionis divinæ: ac proinde quod respectivè ad cognoscibilitatè talis obiecti pertingat ad summitatem in ratione cognoscentis, requisitam ad comprehensionem cognoscibilitatis divinæ, quantumvis divina omnia extensivè detegat, nihilque sit ulterius, quod clarè cognoscat: cum hoc enim stat, quod possit id ipsum ulterius, seu intensiori claritate cognosci: & quidem non superexcedente eiusdem obiecti cognoscibilitatem. Atque hinc patet falsitas consequentiæ.

72 Obijciunt tandem alij. Sequitur enim ex nostris solutionibus stare posse, quod Angelus videns in Deo clarè, ac distinctè pauciores creaturas, videat Deum claris, perfectius, ac beatius alio, qui plures creaturas clarè videret in Deo. Hoc autem absurdum esse, probatur multipliciter.

73 Primò: quia sic fieri quoque posset, quod cognitio aliqua non comprehensiva obiecti, utpotè non se extendens ad omnes obiecti terminos in ipso cognoscibilis, posset esse intensivè, imò & absolutè perfectior, quàm alia comprehensiva eiusdem obiecti versus omnia in eo scibilia.

74 Secundo: quia ulterius sequeretur, Angelum pauciores videntem in Deo viso, posse per visionem Dei clariorem, esse beatierem alio plura vidente in Deo viso, per visionem Dei minus claram, ad plures tamè creaturas se extendentem.

75 Tertiò: quia si clarius videre obiectum dici potest qui pauciores in obiecto distinctè cognoscit; clarius dici etiam posset cognoscere albedinem videns illam eminentius, quin discernat, an sit albedo nec ne; quàm alius, qui discretivè illam ac distin-

ctè intuetur quoad omnia sua prædicata. Claris quoque possit intueri papirum scriptam unus non discernens, nec legere potens characteres in ea exaratos; quàm alius fortè, qui distinctim hæc omnia in papiro discerneret, ac legere posset.

76 Quarto: quia sic infirmatur ratio patenti experientia, qua in crepusculo videmus turrim impotes in ea discernere iusturas, & calaturas lapidum: quia deficiente meridiana lux intensior, quàm curcta discerneremus. Quam rationem inefficacem reddunt de cetero nostræ. Siquidem viso creata multo inferior divinæ, quàm sit lux crepusculi meridiana, posset cura comprehensionem divinæ cognoscibilitatis, videre distinctè in Deo cuncta per increatam Devisionem scibilia: sic ergo possemus per lucem illam crepusculi videre distinctè in turri cuncta illa, quæ discernimus per lucem meridianam. Similiter Sol in se terra maior, apparet visui nostro ut circulus terra brevior, & non quantus est in se. Eò scilicet, quia ad nos remotos perveniunt species remissiores impotes iam representare totam obiecti magnitudinem. Hæc autem ratio locum non haberet. Si enim cognitio minus clara potest representare totum quod clarissima: ergo species remissior, poterit quoque representare totum quod intensissima. Sicque remissio speciei à longè pervenientis ad nos remotos, non esset apta ratio, né nobis representare posset solem, quantus in se est.

77 Responderetur, admittendo sequelam cum P. Suar. *sect. 3. vers. sed circa,* ibi: *Non semper necesse est, ut qui plura videt in Deo per seclius videat Deum, nisi cetera omnia paria sint: fieri autem potest, ut aliquis videat plura in Deo inferius genus, vel speciem, & alius excedat aliunde: vel clarius quidem, & perfectius res alias, vel aliquid superius, & perfectioris rationis intuendo.* Id quod exinde quoque convincitur, quod Deum, & illas eisdem creaturas pauciores, quas inferior beatus distinctè videt in Deo, superior beatus, utpotè sublimiori visione id intuens, perfectius intensivè videt, quamvis præter eas alias etiam videat. Nego autem, id esse absurdum.

78 Ad primam absurditatis probationem, admitto etiam sequelam de possibili absque absurdo: ob rationem sæpe datam: si nempe ita sublimaretur perfectione intensivè claritatis cognitio videns Deum, & pauciores in Deo creaturas, ut excessus iste penes

Supra  
sect. 2.

Suarez.

penes intensiorem præponderaret excessui, quo penes extensionem superaretur à cognitione plura cognoscere. Iudicium autem de præponderatione istorum excessuum nobis in individuo non datum est. Illud vellem hic animadvertere, prædictam intensiorem, quam toties repetivimus, cognitionum, non esse per superadditionem graduum ad gradus, sicut in qualitativis entitativis, sed per naturas simplices variarum cognitionum, quarum una est perfectior alia ex natura sua: & minus clara nunquam sit clarior, sed pro illa elicitur alia clarior, & hac ratione simpliciter intensior: ut tenui in Philolophia.

79 Ad secundam admitto de possibili sequelam similiter absque absurdo: cum eadem præponderatione excessus intensivi ad extensivum, ut supra. Dixi: *de possibili*: nam de facto non vi leo fundamentum ad asserendum, Beatum intuentem Deum visione intensivè perfectiori, non videre etiã in Deo distinctim plures creaturas.

80 Ad tertiam negatur prima suppositio. Nam qui ita imperfectè videt albedinem, ut non discernat, an sit albedo nec ne; non videt albedinem clarè, ut supponit obiectio. Faciã autem, ut expedit, comparatione inter duas visiones claras, & distinctivas albedinis, fatebor unam posse esse aliã clariorem, & perfectiorem intensivè, quin una plus extensivè quàm alia videat, ut pro nobis protulimus num. 55. Ad illud de papyro, noli sic desipere, ut imagineris, creaturas videri in Deo sicut caracteres in papyro. Characteres insunt formaliter papyro impediens ex parte intuitionem papyris; creaturæ non sunt formaliter in Deo; sed eminenter: nec quidquam obsunt intuitioni Dei. Sicque, stante totã doctrinã nostrã de intuitionem Dei in se, creaturarumque in Deo, vera sunt duo circa papyrum, & caracteres. Unum, quod divinitus, negante Deo concursum ad intuitionem; characterum, & illustrantem potentiam ad intuitionem singulorum punctorum papyri; posset videns papyrum & nesciens legere caracteres, perfectiùs & clariùs intueri papyrum, quàm alius videns papyrum, & legens caracteres: ut quid inde, nisi confirmatio appositißima nostræ doctrinæ? Aliud, quod naturaliter qui clariùs videt papyrum, clariùs legit caracteres, quamvis minus videat de papyro; quia tam papyrum, quàm caracteres formaliter superpositos papyro videt pariter per proprias species eò di-

stinctius utriusque representativas, quò majori cum proportione diffunduntur ad potentiam, aut perfectiorem, aut propinquiorum. At iam prænotavimus, non sic esse, nec videri creaturas in Deo, sicut caracteres in papyro.

81 Ad quartam dico, ab experientia crepusculi solum probari, claritatem visionis, seu cognitionis posse provenire ex eo quòd in obiecto plura detegantur: quod non inficiamur: cum certum sit, obiectum constans pluribus partibus clariùs, ceteris paribus, cognosci dum plures eius partes dignoscuntur. Perinde tamen non probatur contra nos, claritatem illam non etiam posse aliunde provenire; imò habemus pro nobis in eodem exemplo, quòd meridiana lux non solum detegit iuncturas & cæaturas, quas crepusculum non detegebat; sed ipsos quoque lapides per crepusculum detectos, clariùs ac perfectiùs intensivè detegit.

82 De cætero, ratio, cur per crepusculum illa minutiora non detegantur, esse potest necessitas intensioris lucis ut species representativæ eorum omnium minutatim perducantur ad potentiam. Nec ex maiori inferioritate visionis creaturæ ad divinam, quã sit crepusculi ad meridiem, satis inferitur, visionem matutinam debere videre totum quòd meridiana, sicut visio aliqua creaturæ totum quòd divina. Nam illa, quin adæquet intensivã claritate divinam, potest videre quicquid extensivè videt divina; ista verò in casu posito non adæquat meridianam extensivã claritate: cum multa puncta obiecti non dignoscatur: unde & intensivè, & extensivè inferior est. Non quidem tam inferior ad visionem meridianam, ac est visio creaturæ ad divinam.

83 Quo fit, ut visio nulla creaturæ possit taliter claritate intendi, ut valeat unquam intensivè exæquare divinã: sicut nec actus Fidei quantuncumque intendatur potest fieri intuitio Dei: nam id repugnat specificæ suæ essentialitati: cum tamen visio aliqua matutina possit taliter aliunde saltem divinitus fieri ita intensa, & extensa, ut exæquare valeat in utroque meridianam: nam hoc nullam involvit implicantiã. Non tamen inde fit, eam ipsam numerò visioem matutinam, quæ adducitur in exemplum, posse fieri visionem minutatim dignoscen- tem prædictam turrim: hoc enim repugnat numericæ suæ essentialitati. Et in hoc teneret exemplum: quippe similiter dicimus, nec

nec visionem creaturæ intuentem Deum, & non discernentem in Deo cuncta scibilia, posse quantumvis intendatur fieri visionem ea omnia discernentem: hoc enim esse: mutare suam naturam, quæ est modus ille suus cognoscendij, sed dicimus, esse possibilem aliam visionem etiam creaturæ, ea omnia discernentem, quin pertingat ad intensivam claritatem inobscure visionis divinæ: ac proinde nec ad comprehensionem Dei, exquantis in ratione cognoscibilis omnem claritatem intensivam visionis divinæ.

84 Denique ad illud de Sole dico, minoritatem Solis nobis apparentem non utcumque provenire ex remissione accidentaliter graduati speciei: cum per species gradualiter remissas possit obiectum totum clarè, & ut est in se, representari; sed ex tali nota essentiali speciei: eo nempe quia, aut Sol non habet virtutem mittendi usque ad potentiam nimis distantem species, nisi talis naturæ, ut cum ea imperfectione represententur: aut quia potentia nimis distans, adhuc cum æquali specie, non habet virtutem ad visionem ita perfectam solis distantissimi, dum simul impendat virtutem in videndo magnam illam distantiam interiectam plenam corporibus diaphanis. Ex quo nihil fit contra nos: imò pro nobis: quatenus species remissa potest representativè extendi ad totum obiectum ad quod intensa: cum disparitate tamen penes intensiorem, & claritatem circa idem obiectum.

## SECTIO VI.

**POSTREMA OBIECTIO.**  
*Ubi an ex cognitione creaturæ omnium possibilem arguatur quiddam contra Dogma divina Incomprehensibilitatis.*

85 **O**bjiciunt tandem. Quanto perfectiùs cognoscitur causa, tanto plures effectus cognoscuntur in ipsa: ergo quòd plures effectus cognoscuntur in ipsa, eò perfectiùs cognoscitur causa: Ergo, si creatura cognosceret in Deo, qui causa causarum est, effectus æquè plures, ac ipse Deus, cognosceret Deum æquè perfectè, ac se cognoscit ipse Deus: ac proinde Deum comprehenderet, etiam intensivè: cum Deus se ipsum intensivè comprehendat. Dicendum ergo est, aut nullatenus posse creaturam mentem cuncta pos-

sibilia in Deo cognoscere, ac proinde nec ex intensivè Deum adhuc de absolutissimã potentia comprehendere: aut, si hoc potest, posse Deum etiam intensivè comprehendere, contra Dogma divinæ incomprehensibilitatis statutum sect. 2.

86 Primum antecedens probant à paritate principiorum, & conclusionum. Nam quanto perfectiùs cognoscitur aliquod principium generale, tanto plures conclusiones deducibiles cognoscuntur in ipso: sic ergo, quanto perfectiùs cognoscitur causa, tanto plures effectus cognoscuntur in ipsa. Primam consequentiam aiunt esse legitimam, & necessariam conversionem. Secunda consequentia probatur sic. Si creatura videns Deum cognosceret in Deo effectus æquè plures, quot cognoscit ipse Deus, & ex cognitione effectuum in Deo dimensenda est perfectio cognoscendi Deum: rectè videtur inferri, quòd talis creatura cognosceret Deum tam perfectè, ac se cognoscit ipse Deus: siquidem Deus non plures effectus in se cognoscens, quàm talis creatura, non se perfectiùs cognosceret, quàm cognosceret Deum talis creatura.

87 Hic est in re discursus eminentissimi Caietani, quem communius sequuntur Thomistæ: propterea negantes, posse creaturam videns Deum cognoscere in Deo distinctè, & clarè cuncta possibilìa contra Scorum & alios, quos in superioribus cursim allegavimus, & sequuti sumus, dum diximus, posse Deum à creatura extensivè comprehendi per absolutam Dei potentiam. Id quòd Gonetius disp. 5. de Visione art. 5. ita componere aggreditur, ut quamvis §. 3. dicat, posse creaturam videre Deum, & cuncta possibilìa distinctè cognoscere; at §. 1. ait non posse cognoscere cuncta possibilìa in Deo tanquam in causa: quia ex hoc secundo putat sequi intensivam Dei comprehensionem. Pro qua satis difficili distinctione citat Illustrissimum Godoy.

88 P. Lessius lib. 1. de Perf. divin. cap. 2. postquam, quoad intensivam Dei comprehensionem negandam creaturæ, eadem ferè quàm nos incessit viã; negat præterea possibilem creaturæ de quacumque potentia extensivam comprehensionem Dei; aliunde existimans repugnare limitatæ menti clarã cognitionem omnium possibilem: nec propterea iudicans, Deum intensivè comprehensum iri à creatura, quamvis omnia possibilìa clarè cognosceret.

ret. In quo discedit à via Caietani, & præcipuis nostris rationibus capitulatur.

S. Thom.

89 Profectò S. Thom. quæst. 2. de Veritate, art. 2. pro Dei incomprehensibilitate nostræ potius quam Caietani ratiocinationi prævit; ibi ad 5. *Quia in quolibet intellectu creato vis cognoscitiva finita est, non potest intellectus noster pervenire ad cognoscendum ipsum ita clarè, sicut cognoscibilis est: & secundum hoc non potest ipsum comprehendere. Sed quia eodem modo, quo essentia divina est infinita, & vis cognoscitiva ipsius est infinita; sua cognitio est tantum efficax, quanta est eius essentia: & ideo pervenit ad perfectam sui cognitionem, & secundum hoc comprehendere dicitur.* Et quamvis 1. par. quæst. 12. art. 8. in corp. videatur favere discursui Caietani, distinctioni tamen Gonetii nullatenus favor.

Scot.

90 Jam ad objectionem Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. indicare videtur; ex primo illo antecedente Caietani, & S. Thom. non sequi bene primam consequentiam. Quidquid tamen sit de bonitate consequentiæ; antecedens est omninò falsum: sicque tota corrumpit obiectio. Ratio est: quia causa eadem potest perfectius, & perfectius quoad intensiorem claritatis cognosci versùs eodem effectus, ac proinde quin eo ipso plures in ea effectus cognoscantur. Pater: nam Deus, ut causa virtute continens hominem, & Angelum, cognosci potest claritate ut quatuor, & ut sex: ac proinde perfectius, ac perfectius, quin plures in ea virtute effectus dignoscantur. Quin etiam Deus ipse se videns, illos ipsos duos effectus cognoscit in se, ut in causa, infinitè perfectius, & clarior, quam creatura; & Angelus superior comprehendens formicam, melius illam cognoscit, quam inferior eandem etiam comprehendens; quin tamen plures effectus in ea cognoscat. Falsò ergo assumitur in universum, quòd *quantò perfectius cognoscitur causa, tantò plures effectus cognoscuntur in ipsa.*

91 Si mavis, distingue primum antecedens: quantò perfectius perfectione extensivè cognoscitur causa, tantò plures effectus cognoscuntur in ipsa, cōcedo: quantò perfectius perfectione purè intensivè; nego antecedens. Et sub eadem distinctione concedo, & nego primam consequentiam: & absolute nego secundam. Quia ea cognoscere æquè perfectè ac ipse Deus, dicit æqualitatem in perfectione extensivè, &

intensivè. Occurrit Gonetus nu. 63. dicens, hanc solutionem locum non habere, quando argumentum procedit de cognitione omnium possibilium, non utrumque, sed in essentia divina: non enim stat quòd essentia sit ratio cognoscendi omnia, quin essentia cognoscatur quantum cognoscibilis est, ac proinde quin comprehendatur. Dixit; sed planissimè negaturis.

92 Ad probationem primi antecedentis nota, quòd vel est sermo de principio generali formali, quòd sit cognitio universalissima, ex qua qui per eam sic cognoscit universalissimam illam veritatem, exinde deducit conclusiones particulares: & hoc non esset ad rem: nò enim esset cognoscere in, sed ex principio, eliciendo alias cognitiones, quæ sunt conclusiones particulares, ut oportuniùs observabo num. 113. Sic ergo, dato antecedente, nisi obstarat terminus illè: *in ipso*; nulla esset consequentia: quia à cognitione unius ex alio, fit transitus ad cognitionem unius in alio, de qua est lis.

93 Vel est sermo de principio aliquo generali obiectivo directè cognito, quòd in re non est aliud, nisi complexum ex multis veritatibus obiectivis singularibus. Et in hoc sensu verum esset antecedens: quia veritates illæ obiectivæ singulares sunt formaliter illud ipsum complexum. Unde quò plures ex illis veritatibus obiectivis clarè cognoscuntur, perfectius cognoscitur ipsum complexum: ac non in ipso complexo, ut in medio; sed in se ipso: cum sint formaliter ipsum complexum. Sic autem nulla est consequentia, nullaque paritas. Quia effectus non sic sunt in causa formaliter; sed eminenter, & à causa realiter adæquatè distincti, dum in illa ut in medio dicuntur cognosci.

94 Vel est sermo de principio aliquo generali formali evidenti reflexè cognito per cognitionem evidentem simul in illo cognoscentem conclusiones singulares ex illo deducibiles. Et in hoc sensu, qui ad rem est, nego antecedens generaliter prolatum. Nam lumen Fidei, quo cognoscitur per modum principij prima Dei veritas in dicendo, in uno fideli est perfectius, & intensius, quam in alio: cum tamen non plures articuli fidei unus, quam alter in illo principio cognoscat. Sic ergo principium idem in ordine ad easdem conclusiones potest cognosci intensivè, magis, & minus perfectè. Sic etiam Deus, ut causa continens homi-

Gonet.

minem, & Angelum, cognosci potest lumine, & visione, ut quatuor, & ut sex: de quo videtur non posse dubitari, nisi petendo principium. Certè quòd Discipulus sciat principium demonstrativum, & tot conclusiones deducibiles, quot Magister; non tollit, ne Magister clarior, & perfectior principium, eademque conclusiones penetret: claritas enim circa easdem non stat in indivisibili. Falsò ergo etiam, in probatione assumitur, quòd *quantò perfectius cognoscitur aliquod principium generale, tantò plures conclusiones deducibiles cognoscuntur in ipso.*

95 Cuius duplex est ratio. Prima: quia cum perfectio cognitionis possit dupliciter dici maior: extensivè ad plura; & intensivè plura; quamvis verum sit, quòd cognoscens perfectius extensivè causam, plures perfectiones, vel effectus dignoscit in causa; non ita verum est, quòd cognoscens causam perfectius intensivè debeat eo ipso plures in causa effectus dignoscere. Mihi indubium est, Trinitatis Mysterium posse scotiam à creaturis videri, sicut & amari, magis vel minus intensè. Secunda ex Aureolo: quia inter videre omnia in Deo viso, & videre ea cum infinita intensiōne claritatis, est tanta distantia, quanta inter videre infinitum, & infinitè: cum certum sit, ex infinitate obiecti non argui infinitatem cognitionis. Nec satis Aureolo facit Caietanus dicens, quòd videre omnia in Deo est non solum videre quot, sed etiam quantum potest divina virtus: & quòd falsò supponit Aureolus, posse beatum scire in Deo quot, quin sciat quantum Deus potest. Non enim probat, ut debuerat, falsitatem suppositionis. Posset Beatus videre quot, & quantum, utpote intuens infinitum posse Dei; non tamen id videret infinitè, hoc est, infinitè claritate, unicè coæquante cognoscibilitatem infinitam illius quantitatis.

96 Urgent. Si cognoscerentur in Deo omnia possibilia, cognosceretur adæquatus effectus Omnipotentis: cognito autem adæquato effectui virtutis, ipsa virtus comprehenditur: quia tanta iam adest cognitio causæ, quanta vis est causandi. Confirmant. Idem manens idem, semper quantum est ex se facit idem: ergo causa in aliquo gradu cognita, manens in esse, & in cognosci eadem, semper facit idem: nequit ergo sic manens facere, quòd in ea cognoscatur novus effectus, quem ab initio non faciebat cognosci: ergo nequit plurium effectuum

notitiam excitare, nisi varietur: sed non in suo esse: ergo in cognosci: ac non in minùs cognosci: ergo in magis. Quo sibi videntur confecisse, in variatè visione causæ, nempe Dei, non posse modò pauciores, modò plures effectus in ea, vel ex ea cognosci: aut conclusiones plures ex principio generali deduci: ac proinde perflare assumptum sui primi antecedentis numeri 85. suæque probationis numeri 86.

97 Respondetur negando minorem, eiusque rationem, de qua nulla datur ratio ab arguentibus. Nobis ad id negandum, in promptu est. Nam adæquatus effectus divinæ virtutis, quamvis illam terminativè adæquet: hoc est talis sit, ultra quem non fit ulterior effectus; non illam adæquat in perfectione, ac proinde nec in cognoscibilitate; sed est infinitè inferior. Unde cum virtus divina multas, & infinitissimas habeat perfectiones, præter esse vim causandi, seu esse virtutem ad talem effectum adæquatam, sintque omnes ipsæque vis causandi cognoscibilitatis infinitæ; falsissimum est, ex eo quòd à Beato cognoscatur in Deo adæquatus effectus omnipotentis; eiusmodi cognitionem causæ esse tantam, quanta est in Omnipotentia vis causandi: cum hæc divina vis infinitissima sit, & illa Beati cognitio finita: nam quidquid Deus potest efficere, est infinitè minus ipso Deo. Unde rectè Scotus recarguit incohærentiam Thomistarum, negantium possibilem creaturæ cognitionem claram omnium effectuum possibilem, cum negare nequeat creaturæ possibilem visionem claram Dei infinitissimam.

98 Et incohærentius est quòd ait Gonetus, possibilem esse creaturæ cognitionem claram Dei, omniumque effectuum possibilem; impossibilem verò cognitionem omnium effectuum possibilem in Deo clarè viso. In primis enim hoc iam enervat assumptum Caietani: cum concedatur creaturæ possibilem cognitio clara omnium possibilem, quæ sunt effectus adæquatus causæ, quin perinde comprehendatur causa. Deinde, quid, precor, addit ad intentum cōprehensionis causæ visæ, quòd cognitio illa adæquati effectus sit cognitio effectus in causa? Respondet Gonetus n. 68. ex S. Tho. 1. p. q. 12. art. 18. ex hoc modo cognoscendi omnes effectus in causa argui infinitatem cognitionis, ac proinde cōprehensionem causæ. At hæc est ipsa quæstio; & de hoc, quòd negamus, expectat Scotus.

vel mediocrem rationem, quæ non sit in-  
decora petitio principij.

*Gonet.* 99. Opponit sibi Gonetus num. 67.  
quod ait S. Thom. 3. par. quæst. 10. art. 2. ad 2.  
animam Christi videre in Verbo omnia,  
quæ Deus cognoscit per scientiam visio-  
nis, quin tamen scientiam visionis com-  
prehendat, ut falsò putarunt nonnulli  
apud Suarez disput. 26. de Incarnat. lect. 3.  
factis à nobis reiecti lect. 3. à num. 33. Ergo  
ex eo quòd videret in Omnipotentia ut in  
causa omnes effectus possibiles, non arguitur  
comprehensio omnipotentia, aut sim-  
plicis intelligentia, nec infinitudo talis mo-  
di cognoscendi. Respondet autem num. 68.  
concesso antecedente, negando consequen-  
tiam, & paritatem: quia, inquit, creaturæ  
existentes, aut futuræ, non sunt terminus ad-  
æquatus scientia visionis: cum per eandem  
posset Deus alias producere, & videre: col-  
lectio verò creaturarum possibiliū est ter-  
minus adæquatus Omnipotentia, & sim-  
plicis intelligentia.

100. Firmi argumenti infirmissima  
responsio. Primò: quia nec perinde com-  
prehendit anima Christi divinam scientiam  
visionis, ut actu sic terminatam ad has crea-  
turas existentes, & futuras, & non ad alias:  
cum tamen hæc sint terminus adæquatus  
divinae scientia visionis, ut actu sic termi-  
natæ ad has, & non ad alias. Secundò: quia  
si ex eo quòd visio creata Christi videat in  
verbo omnia, quæ Deus videt per scientia  
visionis, non sequitur comprehendere sci-  
entiam visionis divinam, quia hæc dicit præ-  
terea, posse alia multa videre: ergo simili  
ratione, neque ex eo quòd videat in verbo  
omnia possibili, non sequitur comprehen-  
dere scientiam simplicis intelligentia aut  
omnipotentiam: quia hæc, præter esse vir-  
tutem ad omnes effectus possibiles, dicit  
Trinitatem Personarum in unitate essen-  
tia, aliasque realiter Dei perfectiones infi-  
nitissimas: quod est ipsissima nostra doctri-  
na. Tertio: quia si scientia animæ Christi  
videt in Verbo omnia, quæ Deus cognoscit  
per scientiam visionis, omnia etiam possi-  
bilia videt in Verbo: quippe Deus per sci-  
entiam visionis non solum existentia, & futu-  
ra cognoscit, sed omnia etiam purè possi-  
bilia: de quibus utique tam certò scit non  
esse futura, ac de alijs scit esse futura: & hoc  
quidem per scientiam visionis: cum æque  
congenens sit, Deum absolute nosse de  
purè possibilibus, non fore exitura, ac nosse  
de futuris, esse futura. Si ergo visio creata

potest videre in Deo quidquid Deus videt  
per suam scientiam visionis, poterit eo ipso  
videre in Deo omnes effectus possibiles,  
quin perinde Deum comprehendat: & in-  
firmatur tota responsio Gonet.

101. Jam ad confirmationem sub-  
structam nu. 96. dico. axioma illud, ut non  
sit falsum, debere intelligi de manente co-  
dem omnino quoad intrinseca, & extrinse-  
ca: hoc est nullà omnino factà variatione,  
nec in intrinsecis, nec in extrinsecis ipsius.  
Si enim capiatur, ut arguenti sonat, solum  
quoad intrinseca, falso falsius est. Nā Deus  
manens idem multa in tempore facit, quæ  
antea non faciebat: ignis manens idem cõ-  
burit quæ non comburebat, & definit com-  
burere, quæ comburebat: & voluntas mā-  
nens eadem cum omnibus prærequisitis,  
modò amat, modò non amat. Hinc distin-  
guo primum consequens: causa in aliquo  
gradu cognita, manens in esse, & in cog-  
nosci eadem, semper facit idem quoad alia  
munera, nego consequentiam: sunt enim  
alia munera causa, quæ non ita pendent à  
causa cognitione: quoad facere in se cog-  
noscere, concedo consequentiam: quia non  
faciet aliter cognoscere, nisi variatà aliã  
cognitione: & in hoc eodem sensu, con-  
cedo similiter secundam, & tertiam conse-  
quentiam. Nam ad cognoscendum novum  
effectum requiretur nova cognitio: ead-  
em enim cognitio, quæ incipit cognosce-  
re in causa pauciores effectus, nunquam  
fiet cognitio cognoscens plures, quantum-  
vis intensivè adaugeatur: quia ad id opus  
esset aliã cognitione extensivè cognoscente  
in causa plures. Concessã subinde minori  
subiunctã: de causa scilicet, non de cog-  
nitione: concedo aliam minorem, & conse-  
quentiam. Nego verò quidquam exinde  
confici ad intentum.

102. Nam ex eo quòd invariata vi-  
sione causa, non possint modò pauciores,  
modo plures effectus in ea cognosci; so-  
lum fit, quòd, ut plures effectus in causa  
cognoscantur, requiritur alia visio causa  
extensivè perfectior, hoc est, magis extensa  
ad maiorem numerum effectuum in cau-  
sa: & idem de principio respectu conclusio-  
num in eo cognoscibilium. Quòd autem,  
quantò perfectius cognoscitur causa, tantò  
plures effectus cognoscuntur in ipsa, dicant  
unde conficitur? Cum certè possit perfe-  
ctius, ac perfectius, magis, ac magis intensi-  
vè cognosci causa, ut virtus eorundem  
pauciorum effectuum, quin perinde plures  
in

in ea effectus dignoscantur, ut evicimus.  
Atque hinc est quod aiunt PP. Martinez  
lect. 2. conclus. 2. & Thyrsus num. 115. ratio-  
ne inferioris claritatis circa infinitudinem  
Dei visi fieri posse, quòd unus beatus per-  
fectiorem intensivè visionem habeat de  
Deo, nullam creaturam in particulari vi-  
dens in Deo, quàm alius videns plures, imò  
& omnes: visio enim Dei est quæ formaliter  
facit beatum potius quàm visio crea-  
turarum. Nec dissentit P. Suarez disput. 26.  
de Incarnat. lect. 3. quatenus ait, ex duabus  
visionibus versantibus circa idem obiectū  
primarium, posse esse intensivè clariorem  
illam, quæ pauciora obiecta detegit in eo,  
præ aliã, quæ plura. Unde patet falsum esse  
quod assumunt alij Thomistæ apud P.  
Thyrsus num. 107. quòd causa moveat ad  
cognoscendos in se plures effectus, ut in-  
tensivè cognita. Nam maior intensio eius-  
dem cognitionis causa non per se facit  
cognosci plures effectus: sed id facit varia-  
tio cognitionis alterius naturæ extensivè at-  
tingentis plures effectus.

*Suarez.* 103. Dixi signanter in ea: quia sic  
processit, & procedit difficultas, quamvis  
arguentes in sua confirmatione confun-  
dere videantur cognosci effectus in causa,  
& ex causa: sive conclusiones ex principio.  
Tritum est discrimen, quòd cognosci in  
causa est per eandem formaliter cognitio-  
nem causa, & ideo diximus, invariata cog-  
nitione causa, non posse modò pauciores,  
modò plures effectus in ea cognosci: cog-  
nosci ex ea, est per cognitionem aliam de-  
ductam ex cognitione causa: sic autem di-  
ceremus, invariata cognitione causa, atque  
adeo manente causa cã sem in esse, & in  
cognosci, posse ex illius cognitione deduci  
varias cognitiones variorum effectuum.  
Sed hoc non est ad rem præsentem, mota  
lite de cognitione effectuum in causa per  
ipsam scilicet visionem causa, nempe Dei:  
ut iam tetigimus à num. 92.

*Gonet.* 104. Insistit demum Gonetus num.  
63. Non potest penetrari virtus infinita, &  
infinitè participabilis sine infinita claritate,  
& intensione: cum hæc sola sufficiat ad pe-  
netrandum omnem modum, quo virtus illa  
infinita participabilis est: tantò siquidem  
maius, seu intensius lumen gloria requiri-  
tur, quantò plures creaturæ possibiles in di-  
vina essentia, & omnipotentia cognoscun-  
tur: ergo ad exhaustivam, & penetrandam  
infinitam rerum possibilium, quæ in divina  
essentia, & potentia latent, collectionem,

lumen gloriae infinite intensum requiri-  
tur.

105. Respondetur, non esse quæstio-  
nem de infinitate intensiois gradualis se-  
cundum quid infinitæ luminis, quod facile  
concedam, vel permittam creaturæ; sed de  
infinitate intensiois essentialis visionis suf-  
ficiente ad exæquandã cognoscitivitate suã  
cognoscibilitatem Dei simpliciter infini-  
tam: quam infinitatem visionis negavimus,  
& negamus cuilibet cognoscenti creato,  
& creabili. Unde consequentia defleat  
ab scopo antecedentis, & totius difficul-  
tatis.

106. Sed quid ad antecedens? Post  
tritam explicationem nostræ doctrinae, ne-  
gandum esset. Gratia tamen claritatis di-  
stinguatur: non potest penetrari extensivè  
quoad omnem rem cognoscibilem, nega-  
tur; intensivè quoad omnem claritatem  
modi cognoscendi, conceditur antecedens.  
Ad eius rationem, falsum est, quòd hæc  
solum infinita claritas, & intensio sufficiat  
ad penetrandum extensivè quo ad omnia  
cognoscibilia omnem modum, quòd virtus  
illa infinita participabilis est: sufficit enim  
claritas, & intensio finita ad penetrandum  
omnem illum modum, quamvis non ad  
id penetrandum omni modo: id quod in  
quolibet beato patentissimum est: quilibet  
enim clarè videt finito modo ipsam Dei  
infinitatem: quidni ergo, & participabilita-  
tem infinitam?

107. Falsò similiter, & extra rem in-  
culcatur illa subratio: quòd tantò maius, &  
intensius lumen gloriae requiritur, quantò  
plures creaturæ possibiles in divina essen-  
tia, & Omnipotentia cognoscuntur. Extra  
rem inquam, propter id quod animadver-  
timus num. 105. Falsò autem: quia inten-  
sius, & perfectius lumen potius requiritur  
pro perfectiori, intensiori, & clariori Dei vi-  
sione. At vidimus, palamque fecimus in su-  
perioribus præsertim num. 102. posse esse  
clariorem, perfectiorem, intensiorem, ma-  
gisque beatificam visionem Dei propter  
excessum suum intensivum, quæ paucio-  
res effectus creatos dignosceret in Deo,  
præ alia extensivè dignoscente plures. Con-  
sequentiam iam labefactavimus num. 105.  
Nec illa transmissa, haberet arguens argu-  
tus intentum.

108. Quamvis enim demus, quòd ad  
exhaustivam infinitam rerum possibilium,  
quæ in Deo latent, collectionem, require-  
retur lumen gloriae infinite intensum, hoc

non sufficeret ad visionem creatam comprehensivam Dei. Quia quaecumque visio creata Dei, utpote infinitè distans à claritate, & intentione summâ visionis simpliciter infinitæ in ratione cognoscitivæ; non exequaret cognoscitivitate sua cognoscibilitatem Dei æquè simpliciter infinitam in ratione cognoscibilis, ac est infinita cognitio divina in ratione cognoscitivæ: Ideoque Deum non comprehenderet.

109 Quo manet inconcussum Attributum, & Dogma divinæ incomprehensibilitatis à creatura, sive cognoscente, sive non cognoscente, aut in Deo, aut extra Deum, omnia possibilia: qui fuit scopus Disputationis, in eum impari conatu intentæ, qui *incomprehensibilis cogitatu est*, & *lucem habitat inaccessibilem*. Si minus fecimus, aut potius, si nimis defecimus, quia

*Hiere. 2.*  
*1. Tim. 6.*  
*Ioan. 12.*

*adhuc modicum lumen in nobis est; dicam nihilominus, d. Pater lumen, quod iussisti: servi inuiles sumus. Faxis, Qui es, cuius Natura, Bonitas: cuius Essentia, Plenitudo Attributorum, & Perfectionum simplicissima complexio, Omnilcia, Cuncti-potens, Immensa, Sempiterna, Ineffabilis, Incomprehensibilis, quaquaversum infinitissima, & interminatum essentia pelagus, ut denariolum hoc incopiæ nostræ, piacere de tuo possit Maieitati tuæ: quoniam excelsus es, & humilia respicis: donec, ut orantis, dum hæc scribebam, Ecclesiæ precibus utar, qui iam te ex Fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur.*

*Luc. 17.*  
*Nazian.*  
*in Natal.*  
*Lessius*  
*c. 1.*

*Psal. 133.*  
*Offic. Ep.*

\* \*



APPEN-



# APPENDIX

## DE SUPERNATURALITATE ENTIS DIVINI.

**T**HEOLOGIAM de Ente supernaturali in genere, per varios hinc inde Tractatus sine certâ sede vagari solitam, Disputationibus de divinis Attributis appendo. Nec omninò abs re. Cùm enim Supernaturalia propter specialem affinitatem, & coniunctionem sui cum Deo, Entis divini nomenclatione specialiter decorentur, oportu- num mihi visum est, Disputationibus nostris de Perfectionibus divinis Disputationem de Ente aliter divino, sive, quod idem est, de Ente supernaturali subiungere. Qui cuncta velit de Supernaturalitate, tam in genere, quàm in particulari, adeat P. Ioannem Martinez de Ripalda: qui hoc in argumento per tria iusta volumina reliquos inter Scriptores facile primatum obtinuit. *Ripalda.*

## DISPUTATIO XVIII.

### DE ENTE SUPERNATURALI IN GENERE.

**D**ICITUR ens supernaturalis ab eo quòd superet naturam. Naturam, inquam, non sumptam iuxta Dialecticos pro essentia, seu quidditate cuiusvis rei: sic enim ipsa etiam supernaturalia sunt natura, cùm quodlibet sit sua essentia, & sua quidditas. Nec sumptam iuxta Physicos pro principio motus, & quietis eius, in quo est: sic enim sola materia, & forma substantialis essent natura: quam tamen superant naturæ angelicæ, quæ supernaturales non sunt. Nec sumptam iuxta Metaphysicos, pro substantia etiam completa capaci subsistendi: sic enim & Deus est quoque natura: quam tamen non superant supernaturalia. Sed Naturam sumptam iuxta Theologos, prout contraponitur, & subest divinis gratiæ, & gloriæ donis, quæ propterea

terea



2. Petri. 1. terea vocantur supernaturalia ex 2. Petri. 1. *maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hac efficiamini divina consortes nature.* Atque hinc constat existentia entium supernaturalium: tam certa quidem, ac certa est existentia Unionis hypostaticæ, Gratiæ, Gloriæ, Virtutum infusarum, & Auxiliorum, quibus natura nostra elevatur divinitus supra se ad finem altissimum, quò Deus ipsam ordinavit. Non tamen certò constat, sed exagitatissimâ opinionum varietate controvertitur, quid intelligatur hîc nomine Naturæ Theologicæ sumptæ, ut statuatur, quid essentialiter sint, & quid, aut quomodo superare eam debeant entia supernaturalia. Quæ omnia conabimur in sequentibus elucidare.

## SECTIO I.

QUID VENIAT THEOLOGICÈ nomine Naturæ, quam entia supernaturalia superare dicuntur.

3 PRIMUS sensus, falsò tribui solitus Patri Coninc, intelligit hîc nomine naturæ substantias creatas entitativas existentes, & accidentia illis connaturalia. *Entitativas*, inquam, ut excludatur substantia modalis Unionis Hypostaticæ, quæ cum supernaturalis sit, nequit intelligi nomine naturæ, quam superant cuncta supernaturalia. Fundamentum est; quia SS. Patres extollentes dona gratiæ supra naturam solû respexisse videtur ad naturas creatas præsertim intellectuales aliquando existentes. Contra tamen est. Quia, quamvis SS. Patres ex instituto loquuntur adversus hæreticos adscribentes nobis, & Angelis per opera naturalia gratiæ dona, nominatim respexerint ad existentes; rationibus etiam usi sunt pariter valètibz pro alijs similibz creaturis possibilibus: ut rectè ponderat Coninc, disp. 4. de Actibz supernat. à num. 27. in id explicans quòd de Deo dicitur 1. Timot. 6. *Lucem inhabitat inaccessibilem*: hoc est invisibilem naturæ viribus à creaturâ quacumque etiam possibili. Unde dixit Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 1. creaturati non ex se, sed ex solo Deo posse habere suam beatitudinem, quia ex nihilo creatâ est: quæ ratio non solas existentes; sed posibles etiam creaturas comprehendit: quæ omnes, cum ex nihilo sint, ex Deo solum id habere possunt, & non ex parte naturæ, cui scilicet indebentur, beatitudo supernaturalis, & dona gratiæ. Quapropter malè audiret qui gratiæ dona diceret esse debita, & connaturalia omni crea-

turæ intellectuali non esistenti: ergo quia natura, supra quam à SS. Patribz extolluntur, uti indebita, dona supernaturalia, non solas substantias creatas aliquandò existentes comprehendit.

4 Secundus sensus, falsò tribui solitus Patri Alarcon, intelligit nomine naturæ collectionem causarum in primâ mundi molitione productarum, aliarumque ex illis naturali virtute procedentium, & possibilem eiusdem speciei. Contra tamen est. Quia ex una parte aliæ quoque res alterius speciei, supra, vel infra istas, quæ conditæ sunt, producibiles sunt à Deo, & quidem superabiles à donis gratiæ, ut à fortiori constabit ex dicendis sect. 3. Ex alia verò parte in prima mundi molitione productæ quoque sunt gratia, & virtutes supernatules Angelorum, & primorum hominum, quas hîc intelligere non possumus nomine naturæ: ergo utrinque constans est, naturam superandam à supernaturalibus, non esse collectionem dumtaxat illam causarum in primâ mundi molitione productarum, aliarumque eiusdem speciei.

5 Tertius sensus tribuitur Hurtado Salmanticensi: qui per naturam intelligit substantiam impotentem suis viribus videre Deum. Contra tamen est ad hominem ex eius coætaneo, & Commagistro Patre Ripalda. Primò: quia, cum ipse dicat, ens naturale esse, quod est de ordine videndi Deum; dicere nunc, naturam supra quam est ens naturale, esse substantiam impotentem suis viribus videre Deum; est collusoriè, & circuitivè dicere, naturam, quam superant supernaturalia, esse naturam, quæ superetur à supernaturalibus: quod est rem omnino inexplicatam relinquere. Secundò: quia actus Fidei divinæ, qui cum supernaturalis sit, est supra naturam; non est supra omnem substantiam impotentem suis viribus videre Deum:

non

non enim esset supra substantiam, cui connaturalis esset habitus Fidei, & indebita visio beata; quam tamen substantiam possibilem esse deducit Ripalda ex principijs ipsius Hurtadi: ergo iuxta Hurtadum nequit intelligi nomine naturæ superatæ à supernaturalibus omnis substantia impotens suis viribus videre Deum: nam talis actus, seu habitus Fidei esset quidem supernaturalis, quin esset supra omnem substantiam impotentem suis viribus videre Deum: siquidem non esset supra substantiam, cui debitus esset habitus Fidei, & indebita beata visio.

## SECTIO II.

SENSVS PLAVSIBILIS PATRIS Ripalda seorsim examinatur, & rejicitur.

6 Quartus sensus cum plausu receptus inter Recentiores, est Patris Ripaldæ, qui disp. 3. nomine naturæ intelligit collectionem substantiarum entitatarum existentium, & earum possibilem quoque existentibus affines, & annexæ sunt: hoc est, cum quibus existentes habeant connexionem essentialem, taliter ut illis impossibilitibus, istæ existentes essent impossibiles. Sentit enim, supernaturalia omnia debere taliter esse seorsim à naturalibus, ut cum his sint essentialiter inconnexa: quatenus scilicet impossibilitibus etiam supernaturalibus manere possent naturalia; non verò unum ens naturale, alio factò impossibili: propter mutuam connexionem, seu concatenationem sic explicatam inter se, sicut & supernaturalium etiam inter se. Sensus iste Patris Ripaldæ displicet mihi multum in multis.

7 Primò: quia permanere non possent unum ens naturale casu chymico, quòd aliud fieret impossibile, quatenus naturalissime possit existere sine alio existente, vocat connexionem essentialem; quod quæ sit per se falsum vidimus Disp. 9. sect. 4. Falsum ergo similiter est, & omnino gratis assumptum, quòd per hanc connexionem cum substantijs creatis entitativis existentibus dignosci utiliter possit affinitas illa aliarum substantiarum possibilem præ alijs, ut fiant de collectione naturæ.

8 Secundò: quia, dato, & non concessio ad evitandam logomachiam, quòd id increatur nomen essentialis connexionis;

sanè abusivus iste conceptus connexionis in omnibus omnino entibus invicè reperitur cum quolibet alio ente naturali pariter, ac supernaturali: ergo perinde nequeunt supernaturalia naturalibus verè, aut aptè, discerni: atque adeò nec perinde dignosci, quid veniat nomine naturæ, quam superant supernaturalia. Antecedens est doctrina mirabilis Antonij Perez, istam probantis ex eo quòd cuilibet enti essentialiter repugnet coexistere chymicæ, sicut duplici contradictorio, quale esset, si aliquod possibile fieret impossibile: ergo omne omnino ens habet supradictam connexionem cum possibilitate cuiusvis alterius entis. Antecedens probat, quia cuilibet enti repugnat distinguere à se ipso: ergo cuilibet repugnat coexistere duplici contradictorio. Maior videtur patentissima. Minor autem ut probetur, ponamus, tale duplex contradictorium esse lucem, & tenebras: nunc sic: omne coexistens luci distinguitur realiter ab omni non coexistente luci: sed in casu illius duplicis contradictorii positi à parte rei quodlibet ens existens esset coexistens luci, ut per se claret, & simul esset non coexistens luci, quia simul coexistere tenebris: ergo distingueretur realiter à se ipso.

9 Quoniam verò huic acumini, cui vires addidit Ribadeneyra disp. 7. de Scientia Dei cap. 3. respondit satis congruè P. Thyrsus tom. 1. select. disp. 35. sect. 8. probo aliter primum illud nostrum antecedens. Ex impossibilitate cuiuslibet entis possibilem sequeretur Deum non existere, nec esse possibilem: sed, factò Deo impossibili, omnia fierent impossibilia: ergo si hoc est connexio cum possibilibus, in omnibus omnino entibus datur eiusmodi conceptus abusivus connexionis cum quolibet alio ente naturali pariter ac supernaturali. Maior, in qua posset esse dubium, abundè probata manet à nobis disp. 9. sect. 3.

10 Dices, perinde notè probari connexionem immediatam omnium entium inter se, sed mediatam per Deum, seu in Omnipotentia Dei. Contra tamen. Tum quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt realiter immediate idem inter se: ergo quæ sunt connexa realiter uni tertio sunt realiter immediate connexa inter se: quia per suam quoque essentiam habent unum non esse possibile, impossibile alio, quamvis id insuper habeant per Omnipotentiam: sicut quodlibet possibile per se, & in se immediate est cognoscibile, quævis insuper cognosci.

Perez.

Ribad.

Thyrs.

Supra disp. 9.

Ripald.

noscibile fit in Omnipotentia. Tum quia, apud ipsum Ripaldam disput. 4. constituentem supernaturalitatem per connexionem cum gratia, sufficit connectio mediata cum gratia, ut aliquod ens sit de collectione supernaturalium: cur ergo similiter non sufficeret mediata illa connectio naturalium omnium entium cum substantijs creatis entitativis existentibus, ut omnia etiam supernaturalia dicerentur esse de collectione naturæ; aut promiscue omnia etiam naturalia de collectione supernaturalium per eam omnium concatenationem sic abusive excogitatum, & explicatum?

10 Tertiò: quia possibilis est creatura multò perfectior existentibus naturalibus cum his prædicto modo inconnexa, & cui sint indebita dona supernaturalia: sed hæc esset de collectione, & ordine naturæ: siquidem superaretur à supernaturalibus: ergo sine prædicta connexionem cum existentibus naturalibus stat esse de ordine, & de collectione naturæ. Maior probatur: non enim est unde implicet talis substantia entitativa creata, quam scilicet nulla ex existentibus valeat producere, aut recipere, aut exigere, aut, si præterea velis, nec evidenter cognoscere; quin tamen gratiæ dona illi debeantur: hoc autem ipso esset infra supernaturalia, & ab illis superaretur: ergo esset de collectione, & ordine naturæ: & tamen prædicto modo inconnexa cum existentibus: ergo per eiusmodi connexionem cum existentibus non bene constituitur, nec explicatur naturalitas.

11 Dices: posset saltem evidenter cognoscere existentes, & ab existentibus evidenter cognosci, aut saltem ab alia possibili evidenter cognoscibili ab existentibus: quod est meditare saltem connecti. Ecce ex ore adversariorum quod dicebamus num. 9. sufficere ad hanc naturalium affinitatem inter se, eiusmodi connexionem, & concatenationem mediatam in aliquo tertio: quo pacto nullum est ens, quod cum omnibus tam naturalibus, quam supernaturalibus non dicto modo connectatur. Contra deinde: quia supernaturalia multa sunt evidenter cognoscibilia naturæ viribus à naturalibus, ut constabit sect. II. ergo nulla est data solutio ex evidenti cognoscibilitate petita.

12 Quartò: Deus est supernaturalissimum, utpote divinissimum: cum quo tamè strictissimè connectuntur omnia naturalia non minùs quam inter se: ergo non con-

stituit ordinem naturæ prædicta inconnexio naturalium cum supernaturalibus, & connectio inter se, prout à Ripalda explicatur.

13 Duplex solutio. Prima solennis est, Deum esse quidem ens supernaturalè; alterius tamen rationis, nempe supernaturalitate excellentiæ; non verò supernaturalitate exigentiæ: sic vocant eam, quæ tribuitur donis creatis gratiæ superantibus naturam. Secunda solennior est, Deum secundum aliquas perfectiones, quas dicit ut trinus, & ut Author gratiæ, esse ens supernaturalè, cum quibus Dei perfectionibus iam inconnectuntur naturalia creata; at secundum alias perfectiones, quas dicit ut unus, & ut Author naturæ, esse ens naturale, non excludens prædictam connexionem naturalium cum eiusmodi suis perfectionibus, utpote spectantibus ad ordinem naturæ.

14 Ex prima solutione arguo sic. Deus, si nõ est ens supernaturalè de ordine supernaturalium creatorum; est ens supernaturalè de ordine excellentiæ, id est, ordinis excellentioris, & sublimioris supra entia naturalia, & supernaturalia creata: & tamen tota Dei supernaturalitas excellentissima stat cum, connexionem naturalium, & supernaturalium ad ipsum: nec per huiusmodi connexionem deprimitur supernaturalitas excellentissima Dei ad ordinem naturalem creatum: cur ergo cum simili connexionem naturalium non stabit à fortiori supernaturalitas minùs excellens supernaturalium creatorum? aut cur ea connectio substantiarum creatorum entitativarum existentium cum alijs possibilibus erit ratio deprimendi eas alias possibles ad ordinem, & collectionem naturalium harum existentium?

15 Ex secundâ solutione, cuius doctrinam, pro nunc permissam, rejiciemus infra sect. 12. arguo sic ad homines. In Deo per vos sunt aliquæ perfectiones de ordine naturali, & aliæ de ordine supernaturali: quæ tamen inter se plusquam connectuntur, quia realiter identificantur. Si ergo affinitas realis identitatis non facit, quod perfectiones divinæ, quæ dicuntur esse de ordine naturali, sint de ordine naturali sicut aliæ; cur & quomodo affinitas illæ multò minor prædictæ connexionis substantiarum creatorum existentium cum alijs ex possibilibus faciet, quod eo ipso illæ possibles sint de ordine naturali existentium sicut sunt istæ existentes? Mirabile profectò est, quod possit ens naturale identificari

cari realiter cum supernaturali, & non possit connecti. Infirma igitur est prædicta connexionis ratio ad statuendas substantias aliquas possibles, & non omnes in collectione, & ordine naturæ, ad quem pertinent existentes.

16 Quintò & præcipi è Quia SS. Patres extollentes unanimiter supernaturalia gratiæ, & gloriæ dona super substantias creatas existentes, quas significant nomine naturæ; quamvis non sic communiter loquuti fuerint de possibilibus; si tamen ad eorum rationes attendamus, possibles etiã omnes in ea collectione comprehenderunt: ut videre est in Augustino cit. num. 3. nam ratio illa Augustini: quia ex nihilo creata est: æque militaret in substantijs quibuscumque possibilibus, si crearentur. Nec verbulum legitur in SS. Patribus, quod sapiat illud discrimen assignatum à Ripalda inter alias, & alias ex possibilibus per insubstantissimam illam connexionem, vel inconnexionem: ergo prorsus voluntarium est, & sine sufficienti fundamento effatum illud Ripaldæ, & ad id solummodò operosè excogitatum, ut inter substantias creatas entitativas possibles discernatur ab alijs possibilibus, & ab existentibus quæ sunt de collectione naturæ, aliqua substantia entitativa possibilis, quæ supernaturalis sit: quæ tamen, ipso fatente Ripalda, stando SS. Patrum authoritati, possibilis defendi non potest. Non autem licet, in re gravissima, & tot Fidei dogmata concernente, sponte discedere propter levissimas rationes à mente, & sensu communi SS. Patrum.

## SECTIO III.

OSTER SENSUS, A RATIONE, ab auctoritate SS. Patrum, & à communi Theologorum iudicio comprobatus.

17 Conclusio. Nomine Naturæ Theologicæ, quam supernaturalia superant, intelligitur collectio, seu universitas omnium substantiarum entitativarum creatorum existentium, & omnium etiam creabilium, seu possibilium. In hoc vero, solido, & expedito sensu conveniunt quotquot è mente SS. PP. negant possibilem substantiam entitativam creatam supernaturalem, cui nempe debita forent supernaturalia gratiæ, aut gloriæ dona. S. Tho.

S. Thom.  
Suar.  
Vasqu.  
Thomist.

& universim Thomistæ cum Joann. à S. Thom. 1. par. disp. 14. Doctor Eximius lib. 2. de Attrib. cap. 9. P. Vasq. 1. p. disp. 45. Coninc. disp. 1. num. 9 & 27. Granad. disput. 3. de Grat. Cardin. Pallavicinus ex mente Cardin. de Lugo. lib. 1. assertionum num. 19. Alter Lugo. lib. 1. de Deo disp. 7 & 22. Curiel, & Zumel 1. 2. quæst. 10. art. 1. Monceus disp. 8 cap. 2. Caspensis disp. 4. de Visione, Meratius disp. 15. & Comptonus disp. 11. Illustrissimus Antonius Perez Benedictinus in Laurea Salmantina Certam. 4. Scholastico, & noster Anton. Perez disp. 2. Quirós disp. 20. Aldrete disp. 37. de Incarn. & ibi Bernal disp. 17. Ribas disp. 2. de Visione. Borrull ibi disp. 17.

18 Nec non ibidem quæst. 6. Magister meus Reverendissimus P. Fr. Raymundus Lumbier: proh dolor! inter hæc modò vitæ functus cum ingenti Litterariæ Republicæ iactura. Vir planè religiosissimus, prudentissimus, sapientissimus, & undequ. que summus: Carmeli Decor: ter Aragonum, Valentia, & Navarra Provincialis: insignis sui Collegij Sancti Josephi Fundator, exemplum, & Patens: almæ Universitatis Casaraugustanae, in qua per quadriennium eo Magistro foeliciter potitus sum, splendor, & ornamentum: Antecessor ibi Theologiæ per annos prope quadraginta verè Primarius: Verbi Dei Ebuccinator Egregius, Regique Catholico à concionibus: in Supremo Inquisitionis Hispanicæ Tribunali propositionum Fidei Censor: Pæclaros inter nostri sæculi Theologos, sive Scholasticos, sive Morales, sive Expositivos meritò numerandus: in Discipulorum memoria perennaturus: laude nullis intermoriturâ sæculis celebrandus, pluribus in lucem datis Voluminibus posteritati superstes: multis mihi titulis, amicitiæ, magisterij, præstantissimæ virtutis, sublimis ingenij, maturi iudicij, & claritatis eximiæ, dum vixero, venerabilis. Pareat Lector ijs à discipulo devotissimo erga Magistrum optimum, recéns è vivis ereptum, aut amoris, aut doloris, officij.

19 Probatum conclusio ex mente exploratissimâ SS. Patrum. Quippe extollentes dona gratiæ supra naturam, non solum intelligunt supra naturam Angelicam, & humanam existentes, ut erat primus aliquorum sensus num. 3. nec solum supra omnes existentes, & aliquas possibles, exclusis alijs, ut erat sensus Ripaldæ à num. 6. cum discrimen ab ipso assignatum inter unas, &

Et alias,

Coninc.  
Grar.  
Pallavi.  
de Lugo.  
Lug.  
Curiel.  
Zumel.  
Monce.  
Caspens.  
Merat.  
Compto.  
Ant. Pe.  
Quirós.  
Aldrete.  
Bernal.  
Ribas.  
Borrull.  
Lumbier

Elogium.

alias ex possibilibus, per connexionem, vel inconnexionem ibi explicatam, nulli prorsus SS. Patrum possit, vel apparenter attribui. Quinimò Augustinus lib. 12 de Civit. cap. 1. loquens de creatura non potente suis viribus videre Deum, dat rationem: quia verò creatura est hoc non ex se potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo à quo creata est. Et similiter alij Patres excellentiam supernaturalium supra naturam fundant in ratione beneficentiae divinae comparativè ad inopiam creaturarum infinitè distantium à summa felicitate, & opulencia Dei, potente illas usque semper, & usque elevare misericorditer, gratuito, & indebitè. Hæ autem rationes, ut discurrit optimè Suarez num. 12. æquè comprehendunt creaturas omnes existentes, omnesque posibles, nullà demptà: ergo ex mente SS. Patrum id venit nomine naturæ, quam superant supernaturalia: scilicet, Univèrsitas omnium substantiarum creaturarum entitivarum existentium, & omnium etiam possibilem.

20 Atque hinc formo rationem solidam, & fundamentalem. Dona supernaturalia gratiæ, & gloriæ eo ipso quòd supernaturalia sunt, sunt supra naturam, sive supra substantias entitativas creatas, eo modo, quo sunt supra suppositum creatum: sed sunt supra omne suppositum creatum intelligendo tam existens, quam possibile: ergo sunt supra substantias omnes entitativas creatas, intelligendo tam existentes, quàm posibles: nullà quidem ex possibilibus demptà, sicut nullo supposito ex possibilibus etiam dempto. Probatur minor. Si ad supernaturalitatem talium donorum sufficeret esse supra aliqua supposita creata, & creabilia, quin essent supra omnia; multæ perfructiones debitæ Angelis, & nobis, dici possent absolutè supernaturales, ut ab absurdo intolerabili arguit Suarez: iam enim sunt supra plurima supposita creata existentia, & possible: quamvis non supra omnia.

21 Dices, debere esse supra omnia existentia, & supra certa aliqua possible: quod non esset verum de illis perfectionibus debitæ Angelis, aut hominibus existentibus. Contra tamen, & rogamus, cur non supra omnia? aut quo rationis fundamento fit talis aliquorum, aut extensio, aut exceptio, præter, aut etiam contra Sanctorum auctoritatem in re gravissimà, & multa Fidei dogmata concernente? aut cur, stando horum Authorum discursum, non posset quis

eàdem libertate defendere, Angelum supremum esse ens absolutè, & Theologicè supernaturalè, excipièdo illum, quoad hoc, ab alijs suppositis existentibus, illique tamquam connaturalia, & debita adtribuendo gratiæ dona? Nec prodesset his Authoribus respondere, quòd potest talis Angelus evidenter cognosci ab alijs: nam ex eorum fundamentis iam illa evidens cognitio esset supernaturalis: & alia huiusmodi absurda dicenda venirent.

22 Contra insuper, & corroboratur ratio à nobis insinuat. Possibilis est ordo donorum Dei supernaturalium, qui sit supra omnia supposita creata possible eo modo, quo supra aliqua: ergo talis est ordo supernaturalium, qui de facto datur. Cur enim negabitur eiusmodi excellentia donis gratiæ, quibus de facto fruimur per Christum? Antecedens probatur. Quia, cum omne suppositum creabile sit simpliciter finitum, & infinitè inferius Deo, semper posset Deus summè bonus, munificus, & liberalis, illud quodcumque foret, ornare, & elevare ad se per aliqua dona gratuita, illique indebita: pro quibus donis gratias agere deberet non minus quàm nos pro donis gratiæ, quibus nunc fruimur: id quod negari nequit nisi taxando indignè munificentiam, & liberalitatem Dei inexhaustibilem: ergo possibile Deo est series, & ordo eiusmodi donorum, quæ sint supra omne suppositum creatum existens, & etià supra omne possibile, nullo dempto. Hoc autem asserimus, dignè sentientes de donis supernaturalibus gratiæ, & gloriæ, quibus de facto fruimur per Christum, nobilissimum Authorem salutis nostræ: scilicet, spectare ad eiusmodi seriem, & ordinem donorum ita sublimium, ut superent omne omnino suppositum creatum existens, & possibile, utpote omnibus indebita.

23 Dices: hæc dona gratiæ, quæ de facto sunt, non esse talia, ut non sint possible alia perfectiora, & sublimiora. Contra: quia quatuor hoc sit verum, non tollit quominus ex illis alijs possiblebus sublimioribus, & ex istis quæ de facto sunt, constituantur unus integer ordo supernaturalis, qui totus sit supra omnia supposita creata, & creabilia: quemadmodum iuxta ipsos adversarios, ex habitu Fidei minus perfectæ, & ex Gratiâ perfectiori, constituitur unus integer ordo supernaturalis, qui totus est supra omnia supposita creata existentia, & supra alia possible istis affinia.

Ma-

24 Maneat igitur, ens supernaturale debere esse supra omnia supposita creata, & creabilia: ac proinde nomine naturæ, quam superant supernaturalia, intelligi debere omnia hæc supposita creata, & consequenter univèrsitatem omnium omnino substantiarum entitivarum creaturarum tam existentium, quàm possibilem.

25 Objicitur primò. Supernaturalia non solum sunt supra substantias creatas; quin etiam supra multa accidentia ipsis debita & connaturalia: ergò huiusmodi quoque accidentia intelligi debent nomine naturæ, quam superant supernaturalia: ac proinde diminutè processit noster sensus intelligens solas eiusmodi substantias. Respondetur ex Patre Coninc *disp. 4. num. 11.* concedendo antecedens, & distinguendo consequens: ampliativè, & reductivè loquendo, concedo: strictim, & arctè, nego: nam, quamvis, laxiùs loquendo, nomine naturæ significari soleant omnia naturalia substantialia & accidentalia; in rigore tamen & strictius substantiæ creatæ entitativæ vocantur natura; accidentia verò illis debita vocantur naturalia: quæ quidem jam superant à supernaturalibus eo ipso quòd supernaturalia sint supra naturam arctiùs sumptam pro substantiis, quibus accidentia naturalia debentur: sic ergo non processit diminutè sententia nostra, sed juxta arctiorem significationem vocum: factò, scilicet prædicto discrimine inter naturam, & naturalia: quæ quidem jam propterea reductivè ad ordinem naturæ, quem totum superant supernaturalia. Si responsioni non satis acquiescis; dic, nomine naturæ intelligi collectionem omnium substantiarum creaturarum entitivarum etiam possibilem, & accidentium quoque, atque modorum ipsis connaturalium. Non enim tecum de hoc contendam: quia momenti non est.

26 Objicitur secundò. Deus, ut Author naturæ, est ens naturale, & est natura, intelligenda etiam nomine naturæ, quàm superant supernaturalia: ergo nomine naturæ non solum debent venire omnes substantiæ creatæ, & accidentia connaturalia; quin etiam multæ perfectiones increatæ Dei. Respondetur, antecedens, quòd aliqui distinguunt, & alij passim sine debito examine concedunt; esse absolutissimè falsum: totus namque Deus, etiam ut Author naturæ, supernaturalissimus est, nec ulla ipsius perfectio venire potest nomine naturæ, quam superant supernaturalia; sed

potius nomine supernaturæ; & entis divini, superantis cuncta naturalia: ut evinceamus *sect. ult.*

27 Objicitur tertio. Noster hic sensus, & constitutio naturæ non relinquit locum celeberrimæ quæstioni; an sit possibile substantia entitativa creata supernaturalis, cui nempe connaturalis, & debita sint gratiæ, aut visionis beatificæ dona? Iuxta nostrum enim sensum eo ipso quòd substantia entitativa creata esset, esset de collectione naturæ, ac proinde non supernaturalis. Hoc autem vitium est nostræ sententiæ. Respondetur: hoc potius esse commendationem, & laudem sententiæ nostræ præcludentis aditum possibilitati talis substantiæ supernaturalis creatæ: cujus videlicet substantiæ possibilitatem esse omnino alienam à mente SS. Patrum, fateatur præcipuus ejus fautor P. Ripalda *disp. 23.* Nihilominus ad uberiorem doctrinæ nostræ lucem eam quæstionem in sequentibus discepto, quæ multum proderit etiam ad elucidationem entis supernaturalis.

## SECTIO IV.

*An possibile sit substantia entitativa creata supernaturalis, cui nempe debita forent Gratia, aut Visionis beatifica dona.*

28 Prædictæ substantiæ possibilitatem promovere tentavit Pater Molina *1. p. q. 12. art. 5. disp. 2.* non ausus eam assertivè defendere. Simili cum formidine in idem propendebant Valentia, Becanus, Coninc, Herize, & Alarcon apud Ripaldam *disp. 23.* ubi in eam studiosius, & impensius inclinavit: & animosius *tom. 2. disp. ult. sect. ult.* eam probabilem censent Izquierdus *1. p. tract. 8. disp. 18.* Comptonius, *disp. 11.* & Arriaga *1. part. disp. 5. sect. 7.* quamvis absolutè negent esse possibilem. Eam absolutè possibilem defendisse fertur Hurtadus in Manuscriptis: defenduntque nimis communiter Recentiores nostri, nihil doctrinæ, sed multum animositatis addentes ad ea, quæ pro talis substantiæ possibilitate congesserunt alij: qui non obstantibus doctrinis, quibus hanc difficultatem ingeniosè collustrarunt, ab absolutà tamen assertione prudenter abstinerunt.

28 Vera, & omnino tenenda Theologia negat talem substantiam esse possibilem. S. Thom. Suarez.

Iem. Ita cum S. Thom. & Patre Suarez communiter reliqui Theologi, quos pro nostra constitutione naturæ recensimus nu. 17. Accedunt Tellez *disp. 4. Metaph. sect. 1.* vocans hanc sententiam certissimā; Julius Cæsar Recup. *disp. 6. de Veritate Dei*, eam vocans Fidei proximam; Salas, oppositam vocans periculosam; Nazarius, & Cabrera, temerariam. A quibus tamen censuris abstinendum esset; postquam affirmans sententia in scholis, & in scriptis cum plausu celebratur. Illud libens accipio, & repeto, quod ultrò nobis concedit P. Rip. præcipuus substantiæ supernaturalis creatæ promotor; scilicet, nostram sententiam negantem ita esse de mente SS. Patrum, ut stando Authoritati nequeat ab homine Theologo defendi in oppositum possibilitas dictæ substantiæ supernaturalis.

30 A ratione autem arguimus primò ex fundamento solido, quod iccimus sect. 3. ubi comprobatum manet, naturam Theologicè sumptam, quam superare debent cuncta supernaturalia, esse collectionem, & universitatem omnium substantiarum creatarum entitativarum, etiam possibilitium. Undè eo ipso quod talis substantia esset substantia creata entitativa, esset de collectione naturæ superandæ à supernaturalibus: ac proinde non esset supernaturalis: aut, si esset, esset simul & non esset supernaturalis.

31 Arguimus secundò. Substantia creata entitativa supernaturalis esset & simul non esset subjectum connaturale gratiæ sanctificantis: ergo implicat. Priorem antecedentis partem supponunt adversarij, benè videntes suas rationes, si quid probant, id probate: nempe, possibilem esse substantiam entitativam creatam, cui connaturalis esset gratia sanctificans. Posterior verò antecedentis pars probatur. Si esset subjectum connaturale gratiæ, posset etiam illa, vel alia esse subjectum connaturale, cui debita esset unio hypostatica: in hac enim militant, & redunduntur omnes adversariorum rationes; sed apud ipsos nulla esset, nec posset esse subjectum connaturale cui debeat unio hypostatica: ergo nec cui debeat gratia sanctificans.

32 Confirmatur hæc pars. Si talis substantia esset subjectum connaturale cui deberentur gratia, & gratiæ gloriæque dona, gratia respectu illius non esset gratia: quæ scilicet juxta SS. Patres ex Apostolo non est

ex debito, nec ex operibus naturæ debitis; *Rom. 11.* sed gratis saltem in radice: ac proinde gratia Dei, non magis esset gratia respectu talis creaturæ, cui connaturaliter deberetur, quam respectu hominis videre, & audire.

33 Dices, gratiam in Christo esse gratiam, quamvis debeat unioni. Fateor: ac non est gratia respectu unionis; sed respectu humanitatis, cui indebita est unio: ergo gratia non esset gratia respectu illius substantiæ entitativæ, cui connaturaliter deberetur.

34 Dices iterum: jam fuisset ea substantia gratis, & non ex debito à Deo creata: sicque posset gratia dici esse gratis in radice. Sicut dicimus *justificati gratis*, quamvis gratia justificans debeat dispositionibus anterioribus supernaturalibus: gratis, inquam, in radice primorum auxiliorum disponentium, quæ non dantur ex debito. Contra. Tum quia neque id facit, quod gratia esset gratis, & non ex debito respectivè ad illam substantiam; sed quod tam gratia, quam illa substantia essent absolute gratis creata, & non ex debito. Tum quia idiplum evincit paritas responsionis: nam gratia justificans, non dicitur gratis respectivè ad dispositiones supernaturales quibus debetur; sed respectivè ad animam quæ justificatur: & quidem gratis justificatur, in radice primorum auxiliorum, quæ nullatenus sunt debita, aut ex merito animæ: ac respectivè ad illam substantiam supernaturalem totum negotium suæ sanctificationis esset ex debito connaturalitatis, ac proinde non gratis, nec gratia adhuc in radice. Tum quia juxta doctrinam responsionis qualibet proprietates naturales possent dici gratia respectu naturarum, quibus debentur: quia sunt gratis in radice creationis talis naturæ: quod longè abest à vero sensu gratiæ Theologicæ, de qua loquimur edocti à SS. Patribus contra Pelagianos. Sequitur ergo, respectu talis substantiæ, cui deberetur gratia connaturaliter, gratiam non fore gratis, sed ex debito: ac proinde non gratiam Theologicam: utpote non magis gratiam respectu talis substantiæ, quam sit gratia, aut donum gratuitum calor respectu ignis, & qualibet aliæ proprietates naturalissimæ respectu suarum naturarum.

35 Hujus autem sequelæ absurditatem & repugnantiam probò. Gratia namque est facere Dei Filium, amicum, & heredem: sed

sed implicat creatura rationalis, quæ connaturaliter, & ex proprietate sibi debita, sit Dei Filius, amicus, & hæres: ergo & cui connaturaliter debeat gratia. Probatur minor: omnis creatura rationalis est essentialiter Dei serva: sed nequit servus, præsertim infinite inferior Domino, qualis est creatura respectu Dei, ex debito, aut ex proprietate sibi debita, evhi ad statum Filij, amici, & hæredis sui Domini; nisi ex gratia, & liberalitate Domini: ergo nequit id habere ex debito, & connaturaliter creatura respectu Dei, nisi ex pura gratuitate, & liberalitate potentissimi, & magnificentissimi Domini.

36 Recogitavit hanc difficultatem P. Ripalda *tom. 2. disp. ult. sect. ult.* & respondit, eam connaturalitatem, quæ gratia faciens Filium, & amicum esset ex debito talis creaturæ, stare posse cum essentiali ipsius servitute: hæc enim servitus salvatur per dominium Dei in creaturam rationalem: quod Dei dominium stat optinè cum Filiatione adoptivâ, ut de facto cernere est in hominibus justis.

37 Cæterum ista responsio non solum non enervat, sed ne vix quidem tangit difficultatem nostri argumenti. Quamvis enim esset benè conditio servilis cum adoptione filiali modo quo explicatur in hominibus justis: ne utique verò aut in justis, aut alibi stare, nec intelligi potest cum debito, seu exigentiâ talis adoptionis, in quo stat nostri argumenti vis. Sunt namque distinctissima, & distantissima, servum adoptari à Domino, ut sit in justis: & servo deberi, adoptari à Domino. Hoc autem posterius haberet implicatissimè creatura illa rationalis supernaturalis: ex una parte essentialiter serva Dei jure creationis; & ex alia parte, exigens ex debito suæ connaturalitatis adoptari in Filium Dei.

38 Acritus hæc urgent aliquos ex adversariis, qui non solum admittunt possibilem creaturam rationalem, cui connaturalis esset gratia, & gloria, quin etiam essentialiter sanctam, & beatam. Quo nihil dici posset aptius ad ponendam ob oculos ejus sententiæ falsitatem: cujus scilicet rationes, si quid probant, id quoque prorsus improbabile probant. Esset enim talis creatura essentialiter serva, essentialiter amica, & essentialiter Filia adoptiva: cui nec de potentia absoluta posset Deus aliter Filiationem suam, & amicitiam denegare, quam potest homini denegare rationalita-

tem: quæque nihil horum habere posset per gratiam Dei, quæ nomen gratiæ Theologicæ mereretur: contrapolicè juxta SS. Patres donis naturalibus, quibus, & ipsi naturæ, Pelagiani in suo damnato sensu gratiæ nomen indiderunt. Obiter nota quantum derogent dominio, & gratiæ Dei Assertores egregij dictæ substantiæ supernaturalis, quando benè se mereri de Deo jactant, extendendo, ut aiunt, Dei omnipotentiam ad ejusmodi substantiam supernaturalem, & similia monstra specioso illo colore, seu sucto contradictionis non apparentis. Legendus in id mirabilis Antonius Perez *disp. 2. de Visione.*

39 Arguimus tertio. Ejusmodi creatura rationalis supernaturalis esset ab intrinseco peccabilis, & impeccabilis: ergo implicat. Antecedens quo ad peccabilitatem est ita expressum in SS. Patribus ex variis Scripturis, ut censuerit Bañez, non posse sine errore, aut saltem, sine temeritate negari. S. Hieronymus Epist. 146. *Solutus Deus est in quem peccatum non cadit; cetera, cum sint liberi arbitrij, in utramque partem suam possunt flexere voluntatem.* Anselmus lib. *cur Deus homo* cap. 10. querenti, cur Deus non creaverit Angelos, vel homines impeccabiles? respondet: *quia non potuit, nec debuit fieri, ut unusquisque eorum esset idem ipse qui Deus.* Fulgentius (vel Augustinus) lib. 3. de Fide ad Petrum ait: *ideo creaturas deficere posse peccando, quia ex nihilo condita sunt.* Quæ Patrum loquutiones, & rationes comprehendunt creaturas intellectuales, tam existentes, quam posibles, nullâ demptâ: qualibet enim esset ex nihilo, ut loquitur Fulgentius, & cuilibet repugnat esse Deus, ut loquitur Anselmus. Et punctim S. Tho. *de libero arbitrio art. 7.* loquens de possibili, ait: *si aliqua creatura rationalis esset naturaliter impeccabilis, ex puris naturalibus sine gratia ad beatitudinem posset pervenire: quod Pelagianam hæresim sapere videtur.*

40 Et ratio constans est. Quia omnis creatura, atque eadè substantia illa creata intellectualis, quantumvis supernaturalis, cum repugnet esse ens necessarium, est ens intrinsecè defectibile physicè: ergo & defectibile moraliter: quod est idem ac posse peccare. Probatur consequentia. Tum quia, idè est physicè defectibilis, quia in esse physico est ab alio: ac etiam in esse morali, aut in operari moraliter est ab alio.

Tellez.

Recup.  
Salas.  
Naz.  
Cabrera.

Ripalda.

Rom. 11.

Rom. 3.

Ripald.

Anton.  
Perez.Bañez.  
Hieron.

Anselm.

Fulgent.

S. Tho.

Roman.

Supra  
disp. 16.Supra  
disp. 13.

alio. Tū quia indefectibilitas moralis, sicut & physica, est propria Dei, spectans ad Bonitatem, seu sanctitatem moralem Dei expositam *disp. 16. sect. 3. & 4.* ac proinde est perfectio ex speciali suo conceptu repugnans creaturæ, sicut de æternitate essentiali diximus *disp. 13. sect. 9.* & suis in locis de aliis perfectionibus Atributibus, contra aliquorum responsionem, qui per differentias à se, & ab alio, hæc & similia Deo, & creaturis accommodare frustra moliuntur. Tum quia cuilibet creaturæ rationali posset Deus aliquid præcipere, denegans subinde auxilium efficax ad adimplerem: eo ergo ipso peccare posset, imò & peccaret. Dices: eo ipso fieret impotens velle rem prohibitam, & nolle rem præceptam. Sed contra est, quòd illa Dei lex nihil adimeret de intrinsicis talis creaturæ. Quidquòd quælibet creatura rationalis est saltem potens amare se, utpote objectum sibi proportionatissimū: posset autem Deus prohibere illi aliquem actum amoris proprii: quis autem dicat perinde tolli ab ejusmodi creatura potentiam physicam amandi se? ergo haberet eo ipso potentiam peccandi.

41 Quoad posteriorem quoque partem probatur primum illud antecedens: quòd nempe ejusmodi creatura rationalis supernaturalis, esset impeccabilis. Imprimis enim, quamvis fortè non haberet gratiam sanctificantem incompatibilem cum peccato mortali; at saltem esset illi connaturalis gratia, sicut aquæ frigiditas: ergo connaturaliter non posset admittere peccatum: sicut neque aqua calorem: atqui nec divinitus: quia id deberet esse, operante Deo specialiter contra retum exigentias, & naturas: quod circa peccatum repugnat; cum nequeat Deus esse specialis causa, & author peccati: ergo nullatenus posset talis creatura peccare, ac proinde esset impeccabilis. Nec est recursus ad peccata venialia, quæ cum gratia compatible sunt: si enim possibilis est creatura rationalis, cui sit connaturalis gratia ista sanctificans; per easdem rationes defenditur possibilis creatura rationalis, cui connaturalis esset alia quoque gratia sanctificans opposita etiam venialibus, & Visio beata cum nullo peccato compatibilis.

42 Insuper ad homines. Omnes actus talis creaturæ supernaturalis utpote ipsi connaturales, imò & cum ipsa penes actionem saltem qua ab ipsa essentialiter

dependent, essentialiter connexi, essent etiā supernaturales: ergo nullus actus talis creaturæ posset esse peccatum, esset enim peccatum supernaturale: quò nihil absurdius. Aut quænam ista monstruosa conventio Christi cum Belial? peccatum scilicet Deo infensissimum dici de ordine divino; peccatum gratiæ oppositissimum dici de ordine gratiæ; peccatum naturam rationalem deturpans, ac dejiciens: dici supernaturale, & sublimius natura: peccatum, quod nec causare, nec velle potest Deus debere dici opus Dei specialiter ad ipsum concurrentis, ut concurrat ad effectus alios supernaturales, quamvis alioquin habentes suas causas secundas supernaturales. Quod si possent esse actus voluntatis supernaturales talis creaturæ peccaminosi; cur non similiter actus intellectus supernaturales falsi? quibus admissis Deus Author errorum admitteretur: quod horrent aures.

43 Sunt qui velint creaturam supernaturalem peccare posse per actus extrinsecè malos quia prohibitos: aut per puras omissiones, ad quas necesse non est, Deum physicè concurrere. His imprimis permittenda sunt gratis tria: primum, possibile esse actus peccaminosos non intrinsicè malos: secundum, possibile esse actus supernaturales extrinsecè malos: tertium, possibile esse puras omissiones peccaminosas: Quæ tria, aut plane falsa sunt, aut saltem difficillima: de quibus suis in locis. Adhuc tamen, his omnibus ultrò permittis, non subsistit responsio.

44 Primò: quia perinde non evaditur difficultas de speciali concursu saltem morali, & interpretativo Dei ad illos actus, seu omissiones supernaturales, quoquo modo reddentes talem creaturam absolute peccantem: ac proinde illo quoquo modo, sive interpretativo, sive morali, sive circa malitiam intrinsicam, sive circa extrinsecam, esset Deus specialis causa peccati.

45 Secundò, quia tam ommissio pura, quam actus purè extrinsecè mali, si sunt peccatum, eatenus sunt peccatum, quatenus sunt interpretativa volitio transgressionis divinæ legis: sed in illa creatura supernaturali non essent interpretativa volitio transgressionis divinæ legis: ergo in illa non essent peccatum. Probatur minor: quia, ut in illa creatura essent interpretativa volitio transgressionis divinæ legis, deberet

beret posse dari in illa creatura formalis volitio transgressionis divinæ legis, quæ formalis volitio est intrinsicè mala: quo enim jure interpretari quis posset, illam creaturam velle id, quod ab intrinsicis suis nequit velle? Atqui, per vos, nequit in illa creatura dari ejusmodi volitio intrinsicè mala transgressionis divinæ legis: ergo neque volitio interpretativa: atque adeò nullatenus posset peccare: cum aliunde, ut vidimus, nequeat non esse peccabilis: sicque per implicationem manifestam simul esset peccabilis, & impeccabilis.

## SECTIO V.

Objectiones, pro substantia creatæ entitativè supernaturali instituta, diluuntur.

46 **O**bjicitur primò. Inassignabilis est à nobis repugnancia talis substantiæ: ergo possibilis est: aut saltem sine fundamento ejus possibilitatem negamus, dum repugnanciam non exhibemus. Respondetur in primis, negando antecedens: jam enim assignavimus repugnanciam, præsertim à num. 29. ex dictis *sect. 3.* quòd nempe talis substantia esset supernaturalis, ut supponitur; & non esset sepe naturalis, quia eo ipso quòd esset substantia entitativa creata, esset de collectione, & ordine naturalis, quam superant supernaturalia. Dices, peti principium, supponendo gratis naturam esse collectionem illam omnium substantiarum creaturarum, & creabilium entitativarum. Respondemus tamen, nec peti principium, nec gratis id à nobis supponi; sed etiam solide probari ab authoritate S. Patrum, & à rationibus Theologicis, ut præstitimus *sect. 3.*

47 Posset etiam, ut similibus argumentationibus pro variis materiis semel occurramus, permissio antecedente, negari consequentia. Quamvis enim ex non repugnancia ritè inferatur aliquid esse possibile; non verò ex eo quod non assignetur à nobis repugnancia: quæ interdum, quamvis re ipsa sit, potest nos latere. Dices ex Ripald. *disp. 11. num. 12.* saltem dum non assignamus repugnanciam, iniquè à nobis negari possibilitatem: alioquin ad omnem quæstionem de possibili respondere possemus negativè, dicentes lætere repugnanciam. Respondetur, id fore ve-

rum, quando nec assignamus repugnanciam, nec positivis aliunde rationibus judicare prudenter possumus, ibi latere. In substantia quidem entitativa creatæ supernaturali, quamvis non ita expediat assignare repugnanciam, possemus, & deberemus judicare ibi latere: saltem ex eo quòd, ipsis facientibus Adversariis, unanimiter S. Patres eam impossibilem supponunt. Nec sum ex illorum numero, qui obsequium se prestare existimant Omnipotentæ Dei, si ad omnem quæstionem de possibili à dextris, & à sinistris respondeant affirmativè, quia non assignatur repugnancia. Perfectò inter multa, quæ ignoramus, credibile est; ignorari à nobis non paucas rerum repugnancias: inferre autem non repugnanciam ex eo quòd à nobis non assignatur, non est obsequium præstare Omnipotentæ Divinæ; sed præsumptioni nostræ, quasi nostrum non sit ignorare multas repugnancias, quæ verè in rebus sunt.

48 Objicitur secundò. Supernaturalitas non repugnaret tali substantiæ, quia substantia est: nam Unio hypostatica est substantia, & est supernaturalis: neque quia entitativa est: nam gratia est entitativa, & est supernaturalis: neque quia substantia entitativa est, nam Deus est substantia entitativa, & est supernaturalis: neque quia entitas creata est: nam gratia est entitas creata, & est supernaturalis: ergo ex nullo capite repugnat.

49 Modus iste argumentandi inanis, & illegitimus est. Nam in simili forma probaretur contra arguentes, possibilem esse substantiam entitativam creatam essentialiter inseparabilem à Verbo: non enim id repugnat: quia substantia, aut quia creata esset: nam unio hypostatica substantia est, & creata est; & est essentialiter à Verbo inseparabilis: neque, quia entitativa esset: nam Deitas, entitativa est, & est essentialiter à Verbo inseparabilis: ergo ex nullo capite repugnat. Et similiter posset concludi manifestissima absurda in aliis materiis.

50 Respondetur ergo, concesso seorsim toto antecedente, negando consequentiam. Quamvis enim non id repugnet ex singulis illis conceptibus, seu capitibus seorsim; repugnat ex illis simul: ex eo scilicet quòd talis substantia, entitativa, creata, & supernaturalis esset: eo enim ipso esset, & non esset supernaturalis: quod est

Ripald.

est repugnantia quam assignavimus nu. 46. Eset quidem supernaturalis, ut supponitur; & non esset supernaturalis; quia esset substantia creata entitativa: nam eo ipso esset de collectione naturæ, ac proinde naturalis, & omnino repugnanter se habens ad esse supernaturalem.

51 Objicitur tertio. Dari potest substantia entitativa creata æquivalens per solam suam entitatem complexam ex anima, & ex gratiâ: sed tale complexum claudit essentialiter conceptum supernaturalitatis: ergo dari potest substantia entitativa creata per solam suam entitatem claudens conceptum supernaturalitatis, ac proinde essentialiter, & entitativè supernaturalis. Major probatur: nam tale complexum creatum, & finitum est: ergo non est cur substantia aliqua entitativa creata valdè perfectâ inter possibiles non possit æquivalere tali complexo.

52 Nec ista argumentandi forma legitima est: per eam enim similiter concluderetur, dabilem esse substantiam entitativam creatam essentialiter Deo hypostaticè unitam: quandoquidem conceptus essentialiter Deo uniti convenit complexo ex humanitate Christi, & ex unione hypostaticâ: quod complexum creatum & finitum est. Imò & dabilem esse creaturam simplicem unam in essentia, & trinam in Personis: nam id reperitur in complexo unius hominis, qui est una essentia, & trium Angelorum, qui sunt tres personæ: quod complexum creatum, & finitum est. Cur ergo non possit ei æquivalere una simplex substantia creata valdè perfectâ inter possibiles?

53 Respondetur ergo, distinguendo majorem: æquivalens quo ad aliqua, concedo; imò & quoad perfectionem permitto: de quo *sec. 10. concl. 4.* æquivalens quoad omnia, nego majorem. Et est clarum: nam in eo complexo datur distinctio realis inter entitatem animæ, & supernaturalitatem gratiæ; datur subjectum physicum naturale, & forma accidentalis supernaturalis: in quibus certè ea substantia creata supernaturalis, quam volunt arguentes, non æquivaleret tali complexo propter specialem repugnantiam talis æquivalentiæ. Similem ergo repugnantiam assignamus nos in eo quòd ea substantia æquivaleret tali complexo in ratione supernaturalitatis: esset enim naturalis, & supernaturalis: quod in illo complexo non ita repugnat, cum in-

cludat ex una parte animam entitativè naturalem, & ex aliâ gratiâ entitativè supernaturalem. Undè, concessâ minori, nego consequentiam. Nam multa sunt prædicata, quæ sparsim per varias entitates nullam dicunt repugnantiam, & coeunt in unam entitatem dicunt repugnantiam: ut patet in iis quæ nuper diximus circa complexum humanitatis, & unionis hypostaticæ, & circa complexum unitatis, & Trinitatis: & ulterius in prædicatis cognoscens, & cognitionis: quod complexum creatum est: & omnia ejus prædicata reperiri simpliciter in una substantia per se actualissimè intelligente, solius est Dei.

54 Objicitur quarto. Possibilis est substantia creata entitativa, quæ me superet perfectione tantum, quantum visio beata superat meam cognitionem. Ex quo sic: sicut se habet mea substantia ad illam substantiam, ita mea cognitio ad visionem de Deo: ergo permutatis terminis, sicut se habet mea substantia ad meam cognitionem naturalem de Deo: ita illa substantia ad visionem beatam: sed mea substantia habet se ad meam cognitionem de Deo ut ad formam ejusdem ordinis sibi connaturalem, & debitam: ergo illâ substantia etiam creata entitativa haberet se ad visionem beatam, ut ad formam ejusdem ordinis sibi connaturalem, & debitam: ac proinde esset substantia supernaturalis, utpote cui deberetur beata visio, quasi perfectio ejusdem ordinis supernaturalis cum ipsa.

55 Hæc arguendi forma, ut jam observavi *disp. 2. num. 34.* sumpta est ex *Euclide lib. 5. prop. 16.* & non est universaliter legitima, ut ibi monstravi. Nam in simili concluderetur, esse possibile animal irrationale, cui deberetur intellectio: supponendo possibile animal irrationale, tantum perfectione superans equum, quantum intellectio superat cognitionem equi, & applicando propositionem Euclidis: quòd nempe, si duo ad quatuor se habent, sicut tria ad sex, permutando terminos, duo se habent ad tria, sicut quatuor ad sex. Quod est verum, secundum certas proportionales quantitatis ad quantitatem ejusdem generis; non in aliis proportionum generibus. Non enim inde verè inferretur, quòd sicut duo à tribus solum discrepant penes unicam unitatem, sic quatuor à sex penes unicam etiam unitatem: quamvis verum sit, quòd proportio-

*Supra disp. 2. sect. 2.*

naliter sicut tria sunt sesquiduo, ita sex sunt sesquiquatuor.

*Clavius.*

56 Hinc notat opportunè Clavius in Scholio ad hanc propositionem Euclidis, multos Philosophos insigniter errasse in applicatione hujus propositionis Euclidianæ ad alia genera extra materiam illi subiectam. De quo monitos esse oporteret Authores hujus objectionis, & alios ex ea propositione Mathematicâ ratiocinantes in Philosophicis, & Theologicis. Scotus in *1. dist. 36.* eum argumentandi modum tribuit Henrico: & notat subtiliter circa illum, quòd quando duo termini se habent contradictoriè, ut *existens*, & *non existens* & etiam alij duo, ut *possibile*, & *impossibile*: si ex existente inferitur possibile, non proinde ex non existente inferitur impossibile, quòd esset inferre illegitimè ex opposito antecedentis oppositum consequentis; sed ex impossibili non existens: quod est ritè inferre ex opposito consequentis oppositum antecedentis juxta regulam dialecticorum.

*Scotus. Henr.*

*Infra sect. 10.*

57 Respondetur ergo, admissâ suppositione, de qua tamen *infra sec. 10. concl. 4.* distinguendo majorem: ita se habet in aliquibus concedo, & in proportionem quantitativa perfectionis, permitto; in omnibus, nego. Nam mea substantia, & illa substantia se habent, ut simul superatè ab omni ente supernaturali, cum utraque sit de collectione naturæ amplectente omnem substantiam entitativam creatam: at mea cognitio, & visio beata non sic se habent: nam una est de ordine naturali, & alia de supernaturali totum illum superante. Undè, nego consequentiam: & concessâ minori subjunctâ, nego subillationes.

58 Objicitur quinto. Perfectior est ex genere suo substantia entitativa, quam modalis, & quam accidens: sed non repugnat accidens supernaturale, ut gratia: nec substantia modalis supernaturalis, ut unio hypostatica: cur ergo repugnet substantia entitativa creata supernaturalis? Instatur etiam hæc obiectio contra arguentes: cur, inquam, repugnet substantia entitativa per se essentialiter affixa hypostaticè Verbo; cum non repugnet substantia modalis, scilicet hypostatica unio, per se essentialiter unita intrinsicè Verbo?

59 Respondetur ergo, concessis præmissis, negando consequentiam. Quia non sumitur id penes majorem perfectio-

nem ex genere suo; sed penes specialem repugnantiam ex propriis prædicatis. Hæc repugnantia non datur in substantia modalis supernaturali, nec in accidentibus supernaturalibus; datur autem in substantia creata entitativâ supernaturali: quia collectio, seu ordo naturæ non complectitur omnia accidentia, nec omnes modos substantiarum entitativarum creaturarum; amplectitur verò omnes substantias entitativas creatas, ut probatum est *sect. 3.*

60 Undè est, quòd substantia entitativa creata, ex hoc ipso esset naturalis, utpote de collectione, & ordine naturæ: si ergo aliundè esset supernaturalis, esset naturalis simul, & supernaturalis: quod implicat. Id non sequitur ex eo quòd dentur accidentia supernaturalia, & modi substantiales supernaturales: quia non ex eo quòd sint accidentia, aut modi substantiales, sunt naturales: cum ordo naturæ non sit collectio omnium accidentium, & modorum; sed illorum qui naturæ debentur connaturaliter. Ideo forte verum est quod ait Borrull *sect. 2.* suppositâ distinctione potentiarum à substantia animæ, possibiles esse potentias accidentales intellectus, & voluntatis supernaturales, sicut & habitus supernaturales; quamvis impossibilis sit substantia entitativa supernaturalis.

*Borrull.*

61 Ratio autem, quæ posset hinc ulterius desiderari, cur potius repugnet, non esse de ordine naturæ, aut esse supernaturalem, substantiam creatam, quam modalem, aut quam accidentiam; sumitur ex eo quòd accidentia, & modi, cum non magis sint ens, quam entis ens, sive ens alterius adæquatè à se distincti, non tam sunt ratione sui, quam ratione suppositorum, seu naturarum, quibus insunt: & respectu substantiæ creatæ, cui indebentur, sunt pura Dei beneficia ex Dei liberalitate ultra debitum collata: quod autem aliqua omni naturæ indebeantur, ideòque sint supernaturalia, pertinet ad Dei liberalitatem erga creaturas racionales capaces divini consortij: quæ ob specialem hanc Dei gratuitam beneficentiam moventur ad specialem gratiarum actionem pro donis sibi totique naturæ indebitis: quæ actiones, suppositorum sunt; non accidentium, seu modorum; non puri beneficij, sed accipientis beneficium quo evchitur accipiens ultra totius naturæ debitum. Si verò daretur suppositum crea-

*Infra sect. 10.*

tum entitativè supernaturale; nec ea Dei dona respectu ipsius essent gratuita, nec pro illis posset confiteri Deum gratis ipsi liberalem, quam homo nunc pro perfectionibus, aut dotibus naturalibus: hoc autem per se delectet, & implicat, ut expendimus *sect. 4. à num. 32.*

Supra *sect. 4.*

62. Dices, hinc sequi, dabilem saltem esse formam substantialem entitativam, quæ cum materia naturali faceret totum per se, sicut facit accidentis supernaturale cum subjecto naturali. Nam in eo casu jam suppositum inde resultans agnosceret illam formam substantialem supernaturalem datam suæ materiæ cunctinò gratis, sicut Suppositum Christi id agnoscit, & grates exhibet pro assumptione gratuita humanitatis suæ naturalis ad supernaturalem Verbi Personalitatem, qua constituitur tale Suppositum. Negatur tamen sequela: Ratio autem disparitatis inter formam entitativam substantialem, & accidentalem, est: quia ista potest esse supra debitum omnis Suppositi creati; forma verò entitativa substantialis, non: nam eo ipso, quod substantia est, est de constitutivo alicujus suppositi, ac proinde debita alicui supposito creato: quod ut vidimus *sect. 3.* eo ipso est natura Theologicè sumpta: ideòque eo ipso illa forma esset naturalis. At de conceptu accidentis non est deberi alicui supposito creato.

Supra *sect. 3.*

63. Ratio autem disparitatis inter formam substantialem entitativam, & modalem, qualis est unio hypostatica, est: quia hæc, quavis ex conceptu substantiæ sit constitutiva alicujus suppositi; non verò suppositi creati, quod sit de collectione naturæ; sed suppositi increati quod supra naturam est: nec est de recto suppositi Christi, quod constituit; sed de obliquo, quod natura non est; & alioquin indebita est naturæ, ac proinde nullo ex capite naturalis. At forma substantialis entitativa eo ipso esset de constitutivo alicujus suppositi creati, habens se in recto, & tanquam natura talis suppositi: ac proinde eo ipso esset naturalis; imò & ipsissima natura creata, cui eo ipso repugnat entitativè conceptus supernaturalitatis sibi essentialis, & intrin-

*sect. 4.*  
\*\*

SECTIO VI.

Quid sit constitutivè, & primariò ens supernaturale supra Naturam Theologicè sumptam extollendum.

64. **R**eponenda sunt hic verba S. S. Tho. Tho. 1. p. 9. 13. art. 2. quæ *Supra* transcripsimus *disp. 5. num. 41.* ut discer. *disp. 5.* namque conceptus rerum ethymologicos à *sect. 3.* primariò constitutivis. Sæpè namque rerum nomina ducunt ethymon à conceptibus secundariis; imò & ab accidentibus primò occurrentibus, ut exemplificat scitè S. Tho. in lapide, quæ dicitur à lætione pedis, quin per hunc effectum constituitur.

65. Atque hinc primò relinquenda potius est, quam impugnanda, quortumdam opinio, qui conceptum entis supernaturalis dicunt esse superare naturam, ut præferat ipsum ens supernaturalis nomen. Cæterum hæc potius est ethymologia vocis, quam constitutio primaria rei; nam effectus superandi naturam aliquam specialem dignitatem præsupponit in ente supernaturali, in qua stet excellentissimus ipsius conceptus, & ex qua sequatur esse supra naturam. Et saltem deberet explicari, in quo debeat superare naturam ens omne supernaturale, quod involvit difficultates decidendas à *sect. 10.*

66. Respondent cum Arriaga *disp. 3. infra sect. 10. Arriag.* se contentos esse explicando ens supernaturale per ejusmodi conceptum secundarium; quia primarius est inassignabilis; aut quia non datur conceptus primarius, in quo cuncta supernaturalia generatim conveniant, ut aiunt aliqui: aut quia, ut alij dicunt, quamvis detur, est à nobis invenibilis. Contra primò argumentum est, talem conceptum assignare, quod Deo dante præstabilimus *sect. 8.* id quod ipsi nec à Deo esse assignabile dicuntur sunt. Contra secundò nihil insuper habeo quod dicam, nisi quod querant, & inveniant. Ego non ita facile animum, & ingenium despondeo: humilitatem amo magnanimam.

67. Venio igitur ad varia Theologorum judicia circa primarium constitutum entis supernaturalis in genere. Atque in primis stare non potest, ut aliqui dicuntur, in eo quod sit ens à solo Deo

*infra sect. 10. Arriag.*  
*infra sect. 8.*

Deo productum. Nam substantiæ Angelicæ, & animæ rationalis à solo Deo producuntur, & supernaturales non sunt: & è contra nonnulli actus nostri vitales supernaturales sunt, & non à solo Deo, sed à Deo simul, & à nobis producuntur.

Zumel.

68. Alij, pro quibus citati solet Reverendissimus Zumel; aiunt, ens supernaturale esse quod respicit Deum ut Trinum; sicut naturale, quod Deum ut Unum. Cæterum, nisi hoc specialitè explicetur; utraq; ex parte deficit. Nam actus naturalis affirmans, seu negans, Deum esse trinum, respicit Deum ut trinum, & supernaturalis non est: è contra verò actus Fidei Theologicæ credens Deum esse unum, aut omniscium, respicit Deum ut unum; & supernaturalis est.

Curiel. Albeld.

69. Alij, quibus adhærent Curiel, & Albelda, volunt, ens supernaturale esse, quod participat Dei essentiam, aut Attributa, ut sunt in se. Non tamen satis explicant ejusmodi participationem. Neque enim est, esse ejusdem speciei cum Deo, ut per se patet. Neque est uniri essentialiter physicè cum Deo: hoc enim solum convenit unioni hypostaticæ; neutquam verò aliis donis supernaturalibus. Neque est, ut ait Albelda; specialis respectus, quo supernaturalia tendunt ad Deum in se, sive ut ad objectum formale, sive ut ad terminum specificativum, sive ut ad finem. Nam hoc multis naturalibus convenit: cum etiam naturalia tendant ad Deum ut ad finem suum. Nisi ergo amplius explicetur specialis ille respectus supernaturalium, hæc doctrina insufficientis est, nec satis vera.

Heriz.

70. P. Herize, *disp. 48. c. 3.* ait, ens supernaturale esse quod petit connecti cum Deo ut est in se: sive physicè, ut unio hypostatica; sive intentionaliter, ut visio; sive etiam mediatè, ut quidquid ordinatur ad illas cum Deo conjunctiones. Fortè vult hoc ipsum P. Quiros *disp. 19. sect. 4.* dicens, ens supernaturale esse quod per modum quasi proprietatis, in aliquo statu mediatè, vel immediatè consequitur ad esse divinum. Difficultatem, & obscuritatem hujus sententiæ vide apud ipsum Quiros: Adversus Patrem Herize habeo, quod non satis explicat illam cum Deo conjunctionem: nam conjunctionem, seu connexionem intentionalem cum Deo, etiam habet actus naturalis evidens

Quiros.

de existentia Dei: & tamen supernaturalis non est.

SECTIO VII.

Sententia Patris Ripaldæ, & aliorum.

71. **P**ripalda, *disp. 4. sect. 3.* quem *Ripald.* multi sequuti sunt, constituit ens supernaturale per quidditativam cum gratia sanctificante connexionem: sive physicam, sive intentionalem, sive immediatam, sive mediatam. *Quidditativam*, inquit, hoc est, essentialem: quatenus impossibili gratia omne ens supernaturale esset impossibile. *Physicam*, qualis est inter causas, & effectus. *Intentionalem*, qualis est inter cognitionem intrinsecè infallibilem, & objectum. Addit, *sive mediatam*: quia sufficit, juxta ipsum, ad supernaturalitatem connexio cum aliquo immediatè connexo cum gratia.

72. Citat pro se multos Patres, & Doctores. Frustrà tamen: quippe quamvis interdum explicent supernaturalia per ordinem ad gratiam, & ordinem supernaturalem appellent ordinem gratiæ; dicantque contra Pelagium, naturæ non inesse sufficientes vires ad actus salutes; quia isti conducunt ad gratiam justificationis; cæterum, hanc coordinationem supernaturalium cum gratia, stare in prædictis connexionibus quidditativis, prout supponuntur, aut adstruuntur à Ripalda; ne leviter quidem indicantur Patres, aut Doctores, nec stando rationi solidè sustineri potest.

73. Primò: quia connexionem quidditativam cum gratia saltem mediatam, prout à Ripalda explicatam, omnia entia etiam naturalia habent, quatenus nempe, quolibet ente possibili factò impossibili, omnia essent impossibilia, cum & ipse Deus impossibilis esset, ut latè monstravimus *disp. 9. sect. 3.* si tamen contra, quod ibi diximus *sect. 4.* hoc appellari potest connexio. Undè dicemus *sect. 11.* ens supernaturale non debere superare naturalia penes ejusmodi connexionem: ergo infirmissima est, & omninò incongrua hæc *sect. 11.* entis supernaturalis constitutio: cui non nisi cum ingenti jactura plurium veritatum in Philosophia, & Theologia scortum ab hoc supernaturalitatis puncto statutarum,

*Supra disp. 9. infra sect. 11.*

Lumbier

turarum, adhære possumus, ut bene vidit Magister Lumbier qu. 6. de Vis. ar. 5. præsertim nu. 357 alioquin in sententiam Ripaldæ nimis inclinans.

Infra sect. 12.

74 Secundò: quia nec est de conceptu entis supernaturalis superare naturalia penes cognoscibilitatem evidentem: multa enim supernaturalia cognosci possunt evidenter viribus naturæ, ut ex professo dicemus sectione 12. ergo connexio illa intentionalis immediata, vel mediata cum gratia non constituit sufficienter ens supernaturale, prout meditari, & sibi explicat Ripalda.

75 Tertio: quia Visio beata eo ipso quòd concipiatur possessio Dei, concipitur supernaturalis potiori jure, quàm gratia habitualis: alioquin, cur gratia concipitur supernaturalis? ergo præcisim à prædictâ connexionem cum gratia habituali hæc in Visione Dei conceptus supernaturalitatis.

76 Dices, non concipi Visionem per conceptum propriæ supernaturalitatis, nisi per ordinem, seu connexionem cum gratia. Cæterùm hoc est ipsa quæstio: in qua è converso dicit Hurtadus, gratiam habitualem non concipi per conceptum propriæ supernaturalitatis, nisi per ordinem, seu connexionem cum visione: & quidem minus malè, cum potius gratia ordinetur ultimè ad visionem, quàm è contra. Gratis ergo constituitur à Ripalda totus ordo supernaturalis in ordine ad gratiam habitualem, potius quàm ad visionem, aut certè quàm ad unionem hypostaticam.

Hurt. Lugus.

77 P. Hurtadus ait, ens supernaturale esse quod pertinet ad ordinem videndi Deum: sicque videtur etiam sentire Franciscus de Lugo disp. 7. de Deo c. 3. Cæterùm, nisi hoc ulterius explicetur, etiam intellectus naturalis, sine quo hæc Visio dari nequit, pertinet ad ordinem videndi Deum. Præterea patitur hæc opinio in unionem hypostaticâ difficultatem, quam in Visione opposuimus Ripaldæ: quem nunc, & Hurtadum de novo impugno. Nam Unio hypostatica ex proprio ac speciali suo conceptu est supernaturalissima, non minùs, imò magis, quàm Visio, & gratia, aut saltem cur potius gratia, aut visio, quàm unio hypostatica? ergo seorsim etiam à connexionem cum gratia, & ab ordine ad visionem, dicit unio hypostatica specialem suum conceptum supernaturalitatis: ergo sicut non est totus ordo su-

pernaturalis constituendus per connexionem cum gratia habituali; ita pariter, nec per ordinem ad visionem beatificam.

Borrull.

78 P. Borrull disp. 13. sect. 2. ait, ens supernaturale consistere in intrinsecâ, & absolutâ proportionem cum Deo, quatenus potente in se ipso à creatura possideri: sive per possessionem physicam, quæ est unio hypostatica: sive per intentionalem, quæ est beatifica visio. Sic etiam ferè Fasolus, & alij. Qui duplici ex capite minus placent.

Fasol.

79 Primò: quia non satis expeditè explicant ejusmodi proportionem, ut non conveniat multis entibus naturalibus: uti videre est per ea quæ sibi opponit, nec, me iudice, satis exponit ipse Borrull: & in multis recurrit ad connexiones, seu inconnexiones illas supra impugnatas contra Ripaldam: præsertim dum ait, n. 32. humanitatem naturalem Christi non habere proportionem absolutam cum unione hypostatica; sed solum conditionatam: quia solum potest illam terminare si possibilis sit, quin tamen ex intrinsecis suis petat esse possibilem: quod quam sit à veritate alienum vidimus disp. 9. sect. 3. ubi ostendimus, nullum esse ens, quod absolutissimè non petat, omnia possibilia esse possibilia, sicut absolutè iadiget, Deum esse hunc Deum.

Supra disp. 9.

80 Secundò. Quia, sicut diximus nuper, unionem hypostaticam seorsim à visione, & visionem seorsim etiam ab unione hypostatica, & à gratia habituali, habere suos speciales conceptus supernaturalitatis; sic etiam gratia habitualis habet suum conceptum supernaturalitatis titulo participationis specialis divinæ naturæ: ergo non est cur recurrendum sit ad proportionem gratiæ cum visione, aut cum unione hypostatica, ad agnoscendum in gratia conceptum supernaturalitatis. Quinimò, sicut diximus, unionem hypostaticam, & beatificam visionem, seorsim etiã ab ordine ad gratiam, gaudere suo conceptu supernaturalitatis; sic dicendum est, gratiam gaudere suo etiam conceptu supernaturalitatis, seorsim etiam à proportionem cum visione, & cum unione hypostatica: aut cur non ita?

\* \*

SECTIO

SECTIO VIII.

Nostriiudicium circa conceptum consortii-entis supernaturalis in genere.

Suar.

81 Eximius Doctor in Titulo, præ-ludio, & progressu Libri secundii de Gratia constanter supponit, ens supernaturale esse, ens ordinis divini. Id ipsum docuit in Metaphysicis disp. 32. sect. 2. num. 31. pro eodem usurpans ordinem supernaturalem, & ordinem divinum. Et disp. 9. de Incarn. sect. 2. appellat gratiam, ordinis divini, eo quod sit participatio divinitatis. Ea quoque fuit quoad hunc saltem modum loquendi sententia Caietani: quem imitati sunt Illustrissimus Anton, Perez in Laurea Salmantina certamine 4. Scholast. & Balthasar Tellez in Metaph. disp. 34. sect. 1. num. 7. citans Fasolum, & Alarconem: consentiente obiter sapientissimo Lelsio lib. 12. de Perfect. divinis c. 11. n. 73. ubi ordinem supernaturalem vocat statum divinum.

Caiet. Ant. Pe. Tellez. Fasol. Alarc. Lelsius.

Psal. 81.

2. Pet. 1.

August.

Dionis.

82 Prima conclusio. Ens supernaturale primariò, & constitutivè est, ens ordinis divini. Consonant huic definitioni loquutiones SS. Patrum. Quippe effectus supernaturales vocant idemmodum effectus proprios Dei, opera divina, seu ordinis divini: & exinde homines justos vocant Deos, juxta illud Davidis: ego dixi, Deus estis: utpote ad supernaturalem ordinem elevatos per gratiam, quæ est participatio, & consortium divinæ naturæ. Quibus omnibus præluxit S. Petrus in 2. Canonicâ: ex qua nobis supernaturalis ordo magis inclaruit, illis verbis: maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divina consortes natura. Undè Augustinus contra Pelagium, ut probet, actus salutares esse supra vires naturæ, ac proinde supernaturales; ait, se ostensurum, quòd opus divinum sint: pro eodem scilicet sumens opus divinum, & opus supernaturale. Quò respexit etiam S. Dionysius dum dixit, Deum non esse substantiam; sed Super substantiam: quasi dicat, non naturam, sed Supernaturam: à cujus speciali consortio possint aliqua entia dici, & esse Supernaturalia: & pro eodem haberi ordo supernaturalis, & ordo divinus: ens supernaturale, & ens ordinis divini.

83 Labor est in explicando speciali

hoc ordine divino, aut quid intelligatur nomine entis ordinis divini. Imprimis enim non est, esse ejusdem speciei; aut generis, vel quasi generis cum Deo: nam illud, nulli; istud omni creaturæ convenit. Deinde nec est, esse ens utcumque connexum cum Deo: nam; tam naturalia, quàm supernaturalia essentialiter cum Deo connectuntur: quin etiam, & Deus mutuo cum ipsis, si connexionem vocare velitis, quòd impossibili uno, aliu. etiam foret impossibile, ut evicimus disp. 9. sec. 3. Præterea nec est, esse ens immediatè versans circa Deum: quia multi sunt actus; tam intellectus, quàm voluntatis naturales immediatè versantes circa Deum, qui tamen naturales sunt; ac proinde non ordinis divini, prout oportet ad supernaturalitatem. Quò igitur est ratio entis ordinis divini specialis, & propria supernaturalium?

Supra disp. 9.

84 Ut oportunè huic interrogationi respondeam, noto, quòd Divinitas, quæ in phrasi Philosophorum est, Natura naturalis à differentia naturalium creaturarum, quas vocant, Naturas naturatas: & in phrasi S. Dionysij est Super substantia, seu Supernatura, in ordine ad quam aliqua specialia Dei dona dicuntur supernaturalia, sicut alia in ordinè ad naturam dicuntur naturalia; relictet participativè specialiter in aliquibus formis creatis: quæ nimirum ratione propriæ perfectionis sunt talis participatio divinæ naturæ, aut tale divinitatis consortium, cui repugnet, non quidem generalis illa distantia, quæ semper est infinita inter Deum, & quancumque creaturam; sed speciale illud divortium, quo creaturæ à Deo disjunguntur, & recedunt per peccatum, quod est aversio à Deo. Tales formæ sunt Unio hypostatica, Visio beata, & Gratia habitualis, & si quæ fortè sunt aliæ formæ sanctificantes.

85 Hæc enim dona excellentissima sunt quædam participationes divinitatis, & consortia divinæ naturæ, quibus ex intrinsecâ suâ perfectione repugnat disjunctio, aversio, & speciale divortium à Deo per peccatum. Quare, cum Deus sit Supernatura per essentiam; hujusmodi dona creata possunt dici Supernaturæ per participationem, propter specialem rationem participandi divinam naturam, seu Supernaturam: quam participationem ex doctissimo Esparza explico per prædictum

Esparz. con-



confortium cum Deo, & divortium à peccato in Disputationibus de Justificatione inter cetera Gratia sanctificantis prædicata, super illud Petri: *ut per hæc efficiamini divina consortes naturæ*

86 Insuper noto, quod sicut ad rationem entis naturalis non requiritur pertinere specialiter ad omnem naturam, sed ad aliquam ex naturis, ut patet in calore, qui pertinet ad ignem, & non ad aquam, nec ad Angelum; sic, inquam, ad rationem entis supernaturalis, nec requiritur, esse omnem supernaturam, nec pertinere specialiter ad omnem Supernaturam; sed ad aliquam ex Supernaturis: nempe, vel ad Gratiam, vel ad Visionem beatificam, vel ad Unionem hypostaticam, quæ sunt Supernaturæ per participationem, & constituunt infra Deum præcipuos status supernaturales, scilicet statum hypostaticum, statum beatificum, & statum amicitia divina: ex quibus simul cum Deo, qui est Supernatura per essentiam, constituitur totus ordo divinus, complectens in Deo Deitatem, quam comitantur omnes increatæ perfectiones; in Christo Unionem hypostaticam, quam multæ quoque creatæ perfectiones exornant; in Beatis Visionem Dei; & in Justis Gratiam sanctificantem: quas Supernaturæ similiter condecorant propria eorum statuum perfectiones, propterea dictæ supernaturales. His prænotatis, respondebit ad difficilem interrogationem sequens conclusio.

87 Secunda conclusio. Cum dicitur, ens supernaturale esse *ens ordinis divini*, sic specialiter intelligendum est, ut sit ens de ordine divinitatis, aut in se sumptæ, aut quatenus participatæ per formas sanctificantes, quibus efficiamur *divina consortes naturæ*. Hujusmodi enim confortium, & participatio, creaturas cum Deo conjungit repugnanter cum divortio peccati, cum quo impossibilis est Unio hypostatica, beata Visio, & Gratia habitualis & si quæ alia est forma sanctificans.

88 Non, inquam, quod solæ istæ formæ, seu Supernaturæ sint supernaturales; sed istæ, & quidquid specialiter spectat ad ipsarum statum, & ordinem divinum: hoc est perfectiones aliæ, seu dona Dei, quæ sunt dispositiones ad illas, aut sunt illarum proprietates, aut causæ connaturales, aut ejusdem speciei cum istis, &c. Ex quibus omnibus, & ex prædictis Supernaturis, quæ sunt speciales participationes Di-

vinutatis, constituitur adæquatè specialis iste ordo divinus, & supernaturalis. Ad eum nempe modum, quo naturalis ordo complectitur substantias entitativas creatas, quæ sunt natura; at non solas illas, sed etiam modos, & accidentia, quæ sunt illarum, aut alicujus ex illis proprietates, dispositiones, effectus, aut passionis condebitæ. Quæ propterea ea proprietates, quamvis non sint natura, dicuntur naturales propter prædictam affinitatem ad naturam: ideoque ex illis, & ex substantiis entitativis creatis quæ in rigore sermonis sunt natura, constituitur totus ordo naturalis, quem superant supernaturales.

89 Longum esset conscribere Autoritates, quæ re, & voce huic sententiæ, & explicationi favent. Ultra eas, quas jam præmissimus præsertim *num. 77.* adest S. Tho. 1.2. qu. 62. art. 1. *Alia autem est S. Thom.* *beatitudo naturam hominis excedens, ad quam homo solâ divinâ virtute pervenire potest, secundum quamdam divinitatis participationem: & mox ad 1. explicans, quomodo virtutes Theologicæ supernaturales sint, & non sint virtutes hominis, distinguit; quod aliqua natura potest attribui alicui rei dupliciter: uno modo essentialiter, & sic hujusmodi virtutes Theologicæ excedunt hominis naturam; alio modo participativè, sicut lignum ignitum participat naturam ignis, & quodammodo fit homo particeps divina natura: & sic istæ virtutes conveniunt homini secundum naturam participatam.* Hæc natura hominibus per gratiam participata est natura, seu supernatura Dei: quæ Deo attribuitur *essentialiter*, & homini iusto *participativè*, ut loquitur S. Tho. homini autem sumpto secundum hanc Dei participationem conveniunt virtutes supernaturales Theologicæ, seu divinæ.

90 Similia leguntur in aliis SS. Patribus, jam de Visione beatificâ, jam de Gratiâ sanctificante, jam de Unionem hypostaticam sigillatim loquentibus. Unde autoritates quas pro suis sententiis congerunt sive pro Gratia, sive pro Visione, sive pro Unionem hypostaticâ sigillatim, Herize, Ripalda, Hurtadus, & Fasolus; coeunt ad confirmandam, & illustrandam nostram sententiam: æque complectentem in ordine divino simul cum Deo, qui est Supernatura per essentiam, has tres Supernaturas creatas per participationem, & perfe-

fectiones ipsis affines, & quidquid verè continent præcipuè sententiæ relata *sec. 6. & 7.*

Fasol.

91 Probatum deinde utraque conclusio discursu Patris Fasoli 1. p. 9. 12. art. 4. Nulla substantia entitativa creata, aut creabilis, est supernaturalis, imò omnis eo ipso est naturalis, & est ipsa natura Theologica, ut vidimus *sect. 3.* Unde è substantiis entitativis sola increatæ, & divina est supernaturæ, imò & est ipsa Supernatura per essentiam: ergo entia aliqua, seu dona Dei creata, eatenus solum dici, & esse possunt supernaturalia, quatenus speciali aliquo confortio accedunt, & accedere faciunt naturam, quæ est substantia creata, ad Supernaturam quæ est Super-substantia divina. Accessus autem iste exaggeratissimus in Scripturis, & Patribus est per formas creatas sanctificantis, quales sunt Gratia habitualis, Visio beata, & hypostatica Unio: quas, quia specialius sunt divinæ naturæ, seu Supernaturæ participationes, voco Supernaturas per participationem, & specialiter de ordine divino, ac supernaturali: quarum quælibet suum constituit statum supernaturalem multis aliis perfectionibus sui ordinis divini circumornatum. Ergo entia omnia, quæ supernaturalia sunt, idè talia sunt, aut quia divina essentialia sunt, aut quia speciales divinitatis participationes sunt, aut quia specialiter pertinent ad statum, & ordinem præstantissimum harum divinæ Supernaturæ participationum. Hic ergo est totus ordo divinus, per quem constituimus, & explicamus conceptum entis Supernaturalis.

92 Demum. Hæc nostra sententia sic proposita, & exposita complectitur expedire, & solide omnia supernaturalia, exclusis non supernaturalibus. Primum quidem complectitur perfectiones increatas Dei, ea ratione supernaturalissimas, quæ divinitissimæ sunt. Secundo, Unionem hypostaticam, Visionem, & Gratiam, quæ sunt speciales divinæ naturæ participationes, & radices suorum statuum supernaturalium. Tertio, lumen gloriæ, habitus, species & actus supernaturales. Hæc enim omnia sunt ordinis divini, utpote causæ, dispositiones, seu proprietates condebitæ, seu connaturales illorum statuum, seu Divinitatis ut participatæ per Gratiam, Visionem, aut Unionem hypostaticam: non minus quam species, habitus, & actus naturales sunt, & dicuntur ordinis naturalis:

quia spectant ad naturam, utpote, alicui substantiæ creatæ entitativæ condebitæ, cujus nempe sunt dispositiones, vel proprietates connaturales. Quædò auxilia gratiæ: quia sunt compingentia supra naturam: connaturalia tamen, & condebita statui supernaturali, & divino, ad actus supernaturales ordinis divini, & meritorios præmij supernaturales. Quædò Characteres Sacramentales: quia sunt qualitates spirituales extrinsecis suis signantes animam in ordine ad gratiam, & beatitudinem per virtutem Sacramentorum: imò sunt etiam veluti potentia, aut passiva, aut etiam activa saltem dispositivè ad aliquos effectus supernaturales: suntque quoddam veluti jus connaturale ad aliqua auxilia, per quæ homo exerceat salutariter functiones proprias Sacramenti cujus virtute imprimuntur: ut videre est ex S. Tho. & Scoto apud Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 11. Delugo disp. 6. de Sacram. Bernal disp. 15. Dicalillium disp. 2. & alterum Lugum disp. 10. de Deo cap. 3.*

93 Quod autem per hunc conceptum à nobis assignatum, excludantur ab hoc ordine divino entia non supernaturalia, constabit ex solutione objectionum. Quod si præstiterimus, nihil amplius pro hac nostra sententiâ desiderari poterit.

## SECTIO IX.

## OBJECTIONES.

94 Objicitur primum. Omnes perfectiones increatæ Dei sunt ordinis divini: sed non omnes sunt supernaturales: quia aliquæ illarum pertinent ad Deum, ut Authorem naturæ: ergo non est idem ens supernaturale, ac ens ordinis divini. Huic objectioni respondebit tota *sectio ultimarum*: ubi palam fiet *infra sect. ult.*

95 Objicitur secundum. Credat supernaturaliter Petrus id, Deo revelante, se nunquam habiturum formam ullam sanctificantem. Talis actus Fidei Theologicæ esset supernaturalis: sed non esset ordinis divini supra à nobis explicati: ergo non rite explicatur ratio entis supernaturalis per rationem entis ordinis divini modo à nobis explicato. Probatum minor. Talis actus Fidei, nec esset forma sanctificans, nec posset esse dispositio ad illam: quia scilicet ex intrinsecis suis potius essentialiter

ter excludit à suo subiecto : ergo non est quâ possit esse ordinis divini à nobis explicati. Respondetur, admissâ suppositione, & concessâ majori, negando minorem. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam : esset enim talis actus ejusdem ordinis divini cum aliis actibus Supernaturalibus Fidei dispositivis ad gratiam, & beatitudinem : quia esset ejusdem speciei Theologicæ cum illis, utpote ex eodem motivo divini testimonij. Quidquid sit de diversitate specificâ Logicâ ex aliis prædicatis : sicut omnes actus Fidei supernaturalis omnium hominum dicuntur esse ratione motivi ejusdem speciei Theologicæ, quamvis in specie Logicâ aliunde diversificentur.

96 Objicitur tertio. Amor super omnia Dei propter se, ita efficax, ut sit incompossibilis cum voluntate peccandi, non est eo ipso supernaturalis : nam potest aliquando esse naturalis : sed est ordinis divini modo à nobis explicato : ergo explicatio nostra non satis excludit à ratione entis supernaturalis omnia naturalia. Minor probatur : nam amor ille conjungeret sic amantem cum Deo repugnantem cum divortio peccati. Respondeo inexploratum mihi esse veritatem majoris : forte namque repugnat amor Dei propter se super omnia eo modo efficax, qui eo ipso supernaturalis non sit : sicut repugnat Visio intuitiva Dei, quæ eo ipso supernaturalis non sit : sicut enim visio Dei est perfectior modus creatus attingendi Deum intellectivè, & eo ipso supernaturalis ; sic amor Dei propter se ita efficax super omnia, est perfectior modus creatus attingendi Deum affectivè ; atque adeo videtur, quod eo ipso debet esse supernaturalis. Sed de hoc alibi. Pro nunc, admissâ majori, nego minorem. Neque enim actus ille naturalis repugnat cum peccato habituali, quamvis repugnet cum actuali, ut de actu etiam dilectionis supernaturalis Dei dicunt communiter in Tractatu de Justificatione omnes qui negant actui dilectionis Dei, vel contritionis vim formaliter sanctificandi : neque est dispositio, aut causa meritoria gratiæ, ut est actus supernaturalis : atque adeo non est undè sit ordinis divini, prout à nobis explicati.

97 Objicies quartò. Præsentia Sacramentalis Christi, & creatio accidentium in Eucharistia sunt naturales : sed

non sunt ordinis divini à nobis explicati : ergo curta est explicatio nostra. Probatur minor : quia si essent ordinis divini, maxime, ut vult Tellez, quia spectant ad constitutum Sacramenti Divinissimi, Fontis gratiæ : ac proinde non : quia multa etiam naturalia spectant ad constitutum Sacramenti. Tum quia illa ipsa præsentia, & creatio stare possent, quin constituerent Sacramentum ; ac proinde non habent ex intrinsicis suis spectare ad ordinem gratiæ, cujus Sacramentum est fons. Tum quia manet objectio in simili præsentia possibili lapidis, & in creatione possibili accidentium parietis : quæ essent eodem modo naturales sine speciali illo ordine ad gratiam, aut ad Visionem Dei, aut ad aliam formam sanctificantem : ergo stat ratio entis supernaturalis, sine ratione entis ordinis divini à nobis explicati.

98 Respondetur cum distinctione diligenter notandâ ex Herize *num. 39.* & ex Quiros *num. 37.* distinguendo majorem ; sunt naturales supernaturalitate absolutâ, & Theologicâ, nego : supernaturalitate Philosophicâ respectivâ secundum quid, concedo. Explico. Præsentia illa, & creatio sunt quidem naturales philosophicè respectivè, & secundum quid : hoc est, sunt miraculosæ, quatenus respectivè ad naturam Corporis Christi, & ad accidentia, quibus divinitus applicantur, superant illarum rerum exigentiam, & debitum, imò illis connaturaliter repugnant : sicut etiam Angelus creatus, seu productus ab alio Angelo esset sic effectus miraculosus. Non verò sunt naturales supernaturalitate Theologicâ, & absolutâ : quia non superant totam naturam, & totius naturæ ordinem : nam similes perfectiones competunt connaturaliter multis naturis : Angelus enim & anima, ejusmodi præsentiam connaturaliter habent : & per creationem naturaliter fiunt. Undè illæ, similesque perfectiones non sunt supra totum ordinem naturæ ; ac proinde nec absolutè, ac Theologicè supernaturales. Id quod sæpè etiam animadvertit sapientissimus Lessius *lib. 3. de Summo Bono,* & insinuat Herize ex Vasquez.

99 Addo nec præsentiam Corporis Christi Sacramentalem, nec creationem accidentium Eucharistiæ, esse quoad suum esse intrinsicum naturales ; sed solum extrinsecè, & quoad modum ; de quo,

quo, Deo dante, in Disputationibus de Eucharistia. Dices : possibles saltem esse modos præsentia, & modos creationis quo ad suum esse intrinsicum supernaturales. Ceterùm id quoque nego : sicut & possibilem esse albedinem entitativè supernaturalem, aut muscas entitativè supernaturales, quamvis possent esse miraculosæ. Ratio repugnantia pro musca est : quia eo ipso est substantia creata entitativa : pro modis verò ratio est : quia non est unde repugnet aliqua substantia entitativa creata, cui similes modi præsentia, & creationis deberentur, essentque connaturales. Undè si essent quoad suum esse intrinsicè absolutè supernaturales, essent simul absolutè supernaturales, ut supponitur ; simulque naturales, quia alicui naturæ deberentur illi, vel similes modi : ac proinde essent de ordine naturæ. Nam, ut notabam *nu. 86.* ut aliquid sit de ordine naturæ non requiritur deberi omni naturæ, sed sufficit alicui.

100 Objicies quintò. Dotes corporis gloriosi, scilicet claritas, agilitas, subtilitas, & impassibilitas, sunt entitativè, & absolutè supernaturales : sed non sunt ordinis divini prout à nobis explicati : ergo non rectè explicuimus conceptum entis supernaturalis. Respondeat aliquis, negando minorem : quis ejusmodi dotes jam spectant ad statum, & ordinem beatificum, qui est ordo divinus. At quid si aliquam ex illis dotibus conferret Deus ut potest alicui non beato ? & sine ordine ad beatitudinem divinæ visionis ?

101 Respondetur solidius, negando majorem cum S. Tho. apud Lessium *c. 5.* contra quosdam opinantes, dari in beatis materialem lucem, & colores entitativè supernaturales. Falsò tamen : quia nec dantur, nec dables sunt, ut nuper dixi de modis præsentia, & creationis. Et ratio est eadem : quia color, seu lux illa beatorum, seu quæcumque alia materialis producatur, esset entitativè supernaturalis, ut supponitur ; & non esset supernaturalis, utpote alicui supposito à Deo creabili, atque adeo naturali, connaturalis. Cur enim repugnet corpus tam perfectum, cui connaturalis esset ejusmodi lux, aut color, sicut lux hæc, quam nos videmus, est connaturalis proprietatis solis, non verò lapidis ?

102 Similiter nec agilitas, subtilitas, aut impassibilitas sunt quid entitativè, aut absolutè supernaturale, ut doctè tener, & explicat Lessius. Nam ejusmodi dotes,

quibus supra naturam suam decedunt corpora beatorum, sunt connaturales spiritibus naturalibus, aut saltem aliæ similes ejusdem rationis, & speciei. Ad hoc autem ut absolutè entitativè, & Theologicè essent supernaturales, & ordinis divini, deberent esse supra omnes naturas : nam esse supra aliquas tantum, solum arguit miraculositatem, seu supernaturalitatem respectivam, secundum quid, & quo ad modum. Videatur etiam Franciscus de Lugo citatus, differens copiosius de singulis.

103 Hinc deciditur difficultas, quam indecisam reliquit Herize *num. 43.* an videlicet possibilis sit alius ordo entium supernaturalium, qui non sit ordo divinus, aut ordo alicujus sanctitatis. Respondendum est enim ex dictis negativè. Nam eo ipso quod aliquid ens non esset de ordine divino supra explicato, seu de ordine alicujus formæ sanctificantis conjungentis naturam cum supernatura divina, de quo ordine loquuti sunt universim Scripturæ, & SS. Patres ; esset creabile à Deo aliquod suppositum, cui ens tale deberetur, aut connaturaliter competere posset : nulla enim in hoc assignari, nec præsumi prudenter potest repugnantia : cujus assignandæ, & probandæ onus transferimus in adversarios : qui fortè vellent etiam, possibles similiter fore leones, & lapides, entitativè supernaturales.

104 Maneat ergo supernaturalitatem entitativam absolutam, & Theologicam coactari ad ordinem Gratia, seu alicujus perfectionis sanctificativæ, qui est ordo divinus propter specialem participationem Divinitatis, & Naturæ, seu Supernaturæ divinæ consortium, juxta illud : *ut per hac efficiamini divina consortes natura :* scilicet per ejusmodi dona gratiæ, quæ propterea vocat ibi S. Petrus *maxima, & pretiosa.*

105 Inferes tandem, frustra desiderari ab eodem Herize *num. 39.* conceptum entis supernaturalis univoce communem ad supernaturale quoad entitatem, seu quoad substantiam, ut sunt Gratia, & Unio hypostatica ; & ad supernaturale tantum quoad modum, seu quoad extrinsecum, ut sunt resurrectio, & restitutio miraculosa visus. Non enim univoce conveniunt in absolutâ ratione entis supernaturalis, sicut neque homo verus, & pictus in absolutâ ratione hominis. Nam supernaturale quo

Supra  
sect. 8.

Heriz.  
Quiros.

S. Tho.  
Less.

Lessius.  
Heriz.  
Vasquez.

Lessius.

ad modum solum est supernaturale secundum quid, & improprie, & respectively ad aliquam naturam cui indebité, & miraculose applicatur. Nostri autem disputatio Theologica est de ente supernaturali supernaturalitate absoluta, & Theologica, totam superante naturam: & de hoc diximus esse ens ordinis divini supra explicati.

106 Dices. Etiam ratio divini, absolute, & proprie solum convenit Deo; aliis vero solum improprie, secundum quid, & participative. Fateor: at nos non dicimus, ens supernaturale ut sic, esse proprie ens divinum: quod certe soli Deo convenit proprie; sed, esse ens ordinis divini: quod proprie, & absolute convenit non soli Deo, sed donis etiam infra Deum spectantibus ad ordinem divinum prout explicuimus, quamvis proprie ens divinum non sint.

### SECTIO X.

*Quâ ratione, quovè excessu debeat Ens Supernaturale superare naturam.*

*Ripald.* 107 **P** Ripalda multa super hoc fusè docet. Primò, supernaturalia debere superare naturam connexionem: ita nempe, ut nihil naturale possit essentialiter connecti cum supernaturali, adhuc ut possibili: quamvis bene supernaturale cum naturali. Sic *disp.* 32. Secundò, evidenti cognitione: ita nempe, ut nequeat dari evidens cognitio naturalis de objecto supernaturali. Sic *disp.* 10. & 11. Tertio, appetitu, & exigentiâ: ita nempe, ut nihil naturale possit naturaliter exigere, aut innatè appetere supernaturalia: quamvis bene è contra aliquid supernaturale naturalia. Sic *disp.* 9. Quarto, activitate, & receptione: ita nempe, ut natura nequeat suis viribus producere, nec recipere supernaturalia. Sic *disp.* 8. Quintò, merito: ita nempe, ut præmium supernaturale nequeat cadere sub meritum naturale. Sic *disp.* 15. 16. & 17. Non tamen perfectione: quia, inquit, aliqua entia naturalia sunt perfectiora aliquibus supernaturalibus. Sic *disp.* 21. His doctrinis ducuntur communiter Recentiores post tantum Magistrum.

108 Prima conclusio. Supernaturalia superant naturam merito. Hoc est certum

inter Theologos ex SS. Patribus, & Conciliis, prædicantibus necessitatem auxiliorum divinæ gratiæ ad actus salutare meritorie præmij supernaturalis: ex eo scilicet, quod per actus viribus naturæ factos mereri non possumus præmium supernaturale. Quod intellige non solum de condigno, propter inæqualitatem; sed ne quidem de congruo propter improportionem obsequij naturalis ad præmium supernaturale: de quo uberius in Disputationibus de Merito. Interim videndus Ripalda *disp.* 15. 16. & 17. monstrans eruditè, hanc superioritatem Supernaturalium supra meritum naturale esse apud SS. Patres familiarius argumentum supernaturalitatis.

109 Secunda conclusio. Superant etiã activitate. Est etiam communis doctrina, & colligitur similiter ex SS. Patribus. Quippe ob insufficientiam naturæ per suæ activitatis vires ad operandum supernaturaliter, requirunt contra Pelagium ad eliciendos actus salutare, seu supernaturales auxilia supernaturalia elevantiâ naturam ad supernaturaliter operandum: ergo quia opera supernaturalia certò superant activitatem naturæ suis viribus relictæ, & per vires supernaturales non elevatæ.

110 Tertia conclusio. Superant etiam receptione. Hoc non est ita commune. Nam multi Scotistæ, & Coninc id inficiantur: opinantes formas supernaturales, quamvis in produci superent vires activas naturæ, semel tamen productas non superare potentiam receptivam subjecti naturalis: sicque jam connaturaliter in eo recipi. Et opitulari videtur S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 10. quatenus ait, naturaliter animam esse gratiæ capacem. Et ratio esse potest: quia, quamvis anima nequeat mereri, aut producere naturaliter Visionem Dei, aut gratiam; at semel à Deo elevata ad illam producendam, seu merendam, non eget novâ elevatione ad recipiendam: ergo quia receptio istarum formarum supernaturalium, quamvis sit supra potentiam activam, non est supra potentiam receptivam naturæ: ac proinde tales formæ non superant naturam receptione.

111 Cæterum probatur nostra conclusio, & loquutio communis, & simul occurritur rationi contrariæ. Quia, quamvis non semper opus sit novâ elevatione, ut natura recipiat ejusmodi formas semel productas; at ea ipsa elevatio ad illas producendas, est simul elevatio ad easdem reci-

piendas: ac proinde nec producuntur, nec recipiuntur solis naturæ viribus. Cum discrimine tamen notando, quod activitas naturæ elevatur ad agendum supernaturalia per virtutem auxiliatricem in eodem genere causæ, scilicet activæ; potentia verò receptiva naturæ non elevatur ad recipiendum supernaturalia per virtutem auxiliatricem in eodem genere causæ receptivæ: quia auxilia elevantiâ non recipiunt eas operationes, quas agunt; sed agendo elevant naturam, ut agat, & recipiat. Sic ergo ad rationem oppositam negatur consequentia: quia nec ad recipiendas ejusmodi formas supernaturales jam productas est absolute in natura potentia proportionata, nisi elevetur.

112 Quarta conclusio. Non superant perfectione. Quod ita intelligo, ut non quodlibet ens supernaturale debeat esse perfectius quolibet naturali: quamvis verum sit, collectionem supernaturalium, utpote includentem Deum, esse infinite perfectiorem collectione omnium naturalium, quæ est ex totis creaturis. In conclusione sic expositâ convenio cum Suarez Vasq. & Ripalda quibus accedit Arriaga 1. 2. *disp.* 43. *sect.* 3. quamvis ab illis dissentiam in eo quod in Disputationibus de Justificatione teneo cum Molina, Valentia, & Granada ex Augustino, & Thoma, gratiam sanctificantem esse perfectiorem omni ente naturali. Idquod eadem ratione dixerim de Visione beatificâ, & à fortiori de Unione hypostaticâ: quam tamen plus nimio deprimere conatur Antonijus Perez, cujus subtilitatibus satisfacemus in Disputationibus nostris de Incarnatione.

113 Ratio conclusionis est: quia incredibile est, quamlibet entitatum supernaturalem, ut habitum, actum, & auxilium quodlibet de ordine gratiæ, esse perfectiorem substantiis animæ, & Angeli. Dices: ordo naturæ non nisi per elevationem proportionatam ordini supernaturali: ergo quia quodlibet naturale est imperfectius quolibet supernaturali. Negatur tamen consequentia: nam ut naturalia dicantur elevari ad supernaturalia, satis est quod supernaturalibus superantur quo ad exigentiâ, & activitatem, quamvis non quo ad perfectionem. Sic quamvis anima sit imperfectior Angelo, hic non nisi elevatus posset producere animam, quæ est supra Angeli activitatem.

Mihi certè nihil incertius, & difficilius, quàm emetiri, & comparare singularum rerum perfectiones. Ideò de hoc nihil amplius.

104 Quinta conclusio. Superant etiã exigentiâ naturæ; non tamen appetitum. Prior pars est communis. Posterior est contra communem sensum Recentiorum pro eodem accipientium appetitum innatum, & exigentiâ. Sed, ut reor, non bene. Mihi enim in eo discrepant appetitus innatus, & exigentiâ; quod ista solum est ad terminum sibi bonum, & debitum; ille verò ad terminum sibi bonum, sive debitum, sive non debitum. Itaque discretius loquendo distinguenda sunt in subjectis hæc tria: capacitas, appetitus, & exigentiâ. Capacitas est ad formam, sive debitam, sive non debitam, sive bonam, sive non bonam subjecto: sic aqua est capax etiam caloris, sibi nec debiti, nec boni. Appetitus, est ad formam bonam, sive debitam, sive non debitam subjecto: subjectum enim non appetit innatè, nisi sibi bonum: nec ad appetendum innatè, sicut nec elicite requiritur, quod tale bonum sit debitum. Exigentiâ, est ad formam bonam, & debitam subjecto, quasi jure suo inductivo illius. Undè capacitas latius patet, quàm appetitus; & appetitus latius, quàm exigentiâ: & omnis exigentiâ est appetitus; & omnis appetitus est capacitas; non verò omnis capacitas est appetitus, nec omnis appetitus est exigentiâ: ut scite discernit sapientissimus Montoya *disp.* 1. *de Voluntate Dei*: Montoy. quidquid passim hæc duo confundant Recentiores. Quibus sic distinctis.

105 Probatur prior pars conclusionis, in qua convenimus. Quia nihil ferè apud Theologos, & Patres conclamatius ex Paulo *Rom.* 11. quam dona supernaturalia non esse ex debito naturæ; sed esse omnino gratuita, ut explicuimus à n. 31. *Supra* ita scilicet, ut ad illa inducenda, seu acquirenda non sint in naturâ universâ sufficientes vires, nec physiciæ, nec morales: quia nempe sunt toti naturæ indebita: ergo superant naturæ exigentiâ, quæ ut vidimus, est ad bonum aliquod debitum exigenti. Si dicas, Deum esse ens supernaturale: & tamen est in natura exigentiâ summa Dei, sine quo scilicet esse non potest; dicam, hanc non esse exigentiâ, sed indigentiam summam, & essentialem connexionem: quam naturæ non repug-

*Ripald.*

*Scotist. Coninc.*

*S. Tho.*

*Suar. Vasquez Ripald. Arriag. Molin. Valent. Granad. August. S. Tho.*

*Rom. 11.*

*Supra sect. 4.*

nare respectu entis supernaturalis videbimus *sect. seq.* Ratio autem cur hæc non sit exigentia est, quia stricta exigentia debet esse inductiva termini ex æsti, ut bene loquitur Quiros *disp. 5.* citans Vasquez, Falolum, Alarcionem, & alios: creaturæ verò, quamvis lumine indigeant Deo, nullatenus sunt inductivæ Dei; sed illum essentialiter præsupponunt.

116 Posteriori conclusionis pars, in qua à multis diffidemus, probatur. Tum quia natura est capax elevati ad dona supernaturalia, quæ sunt ipsi valde bona: hoc autem, ut vidimus, sufficit ad innatum appetitum: ergo supernaturalia non superant appetitum naturæ. Tum quia favent hinc sensui multæ SS. Patrum locutiones videndæ apud Ripaldam *disp. 9.* Tum quia sic sibi consonat S. Thom. dicens alibi supernaturalia esse *supra naturam*, & alibi esse *secundum naturam*: illud prius intelligo, quantum ad exigentiam; istud posterius, quantum ad appetitum. Non ergo sunt supra appetitum innatum, sicut nec supra elicatum naturæ. Sic Valentia *10.2. disp. 1. q. 5. p. 1.* & Montoya cit. cum Doctissimis Scotistis, contra Ripaldam, & Recentiores nostros.

### SECTIO XI.

*An Supernaturalia superent naturam connexionem. Ubi de connexionem potentia obedientialis cum effectibus supernaturalibus.*

117 **I**N hunc scopulum offendunt passim doctrinæ Recentiorum, opinantium post Ripaldam, supernaturalia debere superare naturam connexionem; ita nempe, ut nihil naturale connecti essentialiter possit cum supernaturali, adhuc ut possibili: quod ita intelligunt, ut impossibilibus omnibus supernaturalibus, non perinde essent impossibilia, aut desinerent existere naturalia. Hoc mihi, quasi liberimè dictum vehementer displicet. Contra quod sit

118 Sexta conclusio. Supernaturalia non superant naturam connexionem, aut, quod idem mihi est, essentiali indigentia. Ita Vasquez, Quiros, citatus, Aldrete *disp. 38. de Incarn. sect. 2.* Izquierdo *disp. 18. de Vis. q. 8.* & Anton. Perez *tom. 2. disp. 3. de Anxi.* Probatur. Connexio, ut oportu-

nè explici *disp. 9. sect. 4.* est unum non posse esse sine alio: si naturaliter unum non potest esse sine alio, est connexio connaturalis; si nec divinitus, est connexio essentialis. Unum autem non posse esse quin aliud sit possibile, non est connexio; sic enim omnia omnimodò contra essentialiter invicem conneckerentur, ut ibidem ostendit. Unde Recentiores, qui communiter cum Ripalda hoc intelligunt nomine connexionis, ex ibi dictis manent funditus impugnati. Nam in hoc sensu abusive connexionis æque naturalia cum supernaturalibus, supernaturalia cum naturalibus, & naturalia inter se sunt universim essentialiter connexa: quia quocumque ex possibilibus factò impossibili, omnia essent impossibilia: nam in eo casu impossibili ipsa Dei omnipotentia, tetraque Deus esset impossibilis: quo impossibili, nihil fore possibile, manifestum est: ut vidimus eadem *d. 9. sect. 3.* Nec dicere, hanc connexionem naturalium cum supernaturalibus esse mediatam; mediâ scilicet connexionem omnipotentia, proinde potest dicentibus sufficere ad rationem entis supernaturalis connexionem mediatam cum gratia: ut semel, & iterum expendimus *num. 11. & 73.*

119 Præterea, adhuc stando cum Recentioribus sive abusive acceptioni connexionis, ad rem potius quam ad voces intentus, arguo pro conclusione sic. Potentia obedientialis elevabilis ad effectus supernaturales, ut intellectus ad actum visionis beatificæ, ipsa natura est, juxta communem nostrorum sententiam ex P. Suarez apud Franciscum de Lugo *lib. 1. disp. 11. c. 3.* nam ipsa entitas intellectus naturalis, ex se, & ex viribus totius naturæ insufficientis ad visionem, est quæ obedit elevationi: non verò complexum ex intellectu elevabili, & ex ipso lumine elevante: hoc enim complexum jam involvit, potentiam, seu virtutem principalem proportionatam visioni. Atqui ejusmodi potentia obedientialis, quæ est entitas naturalis intellectus creati, est, eo adversariorum modo, essentialiter connexa cum effectibus supernaturalibus ut possibilibus: ergo juxta adversariorum explicationem non superat ens supernaturale omnem connexionem essentialem naturæ.

120 Minor, in qua est difficultas, probatur contra multos Juniores sequutos P. Borull *num. 77.* Si effectus supernaturales essent

essent impossibiles, impossibilis esset potentia obedientialis ad illos: ergo connexionem hæc modulo explic. tam, potentia enim obedientialis, quæ entitas naturalis est, habet cum entibus supernaturalibus. Probatur antecedens: nam ad effectus impossibiles eo ipso modo quo non datur potentia connaturalis, nec datur obedientialis: quippe pariter repugnat, si è connaturaliter, sive obedientia ut quidquam producere chimeram, qualis esset effectus quicumque, casu quo esset impossibilis.

121 Dices: potentiam obedientialem non esse propriè, & absolutè potentiam: ideoque SS. Patres naturam sic potentem absolutè vocant impotentem ad actus supernaturales: undè est, quod, adhuc his impossibilibus, stare posset ejusmodi potentia: utpote non absolutè eorum productiva, sed solum conditionatè, & secundum quid, pro hypothesei nimium, quod essent possibiles.

122 Contra tamen. Primò, adversus illos qui Omnipotentiam similiter inconnexam defendunt cum creaturis possibilibus. Nam in istorum sensu non potest fundari ratio dictæ responsionis in imperfectione, seu in improportione potentia obedientialis: siquidem de Omnipotentia perfectissima, & proportionatissima ad quoscumque effectus similiter sentiunt, & loquuntur. Secundò, adversus alios, qui eam connexionem Omnipotentia, & causis naturalibus cum effectibus connaturalibus concedunt. Nam neque actus naturales potest intellectus solus elicere sine consortio specierum, & omnipotentia; & tamen cum illis ut possibilibus essentialiter connecti dicunt: quia nempe, si actus naturales essent impossibiles, non posset intellectus, nec se solo, nec in consortio specierum, & omnipotentia illos elicere: ergo quod potentia obedientialis se solâ nequeat elicere actus supernaturales, non potest his Authoribus esse ratio, cur non sit sic essentialiter connexa cum illis.

123 Alioquin intellectus naturalis secundum se, & ex intrinsicis suis non magis esset obedientialiter potens ad actus supernaturales, quam ad producendam chimeram, scilicet quam ad actum omnimodò repugnantem, qualis esset actus, qui simul esset assensus, & dissensus ejusdem objecti; aut quam ad actum supernaturalem Fidei falsum: ergo intellectum esse

aliquo modo intrinsicè potentem obedientialiter ad actus supernaturales potius quam ad actus chimericos, dicit ejusmodi connexionem cum eo quod actus supernaturales sint possibiles: ita nempe, ut si fierent impossibiles, non daretur potentia obedientialis ad illos, sicut nec potentia connaturalis.

124 Nec juvat, quod SS. Patres, naturam solum obedientialiter potentem, vocent absolutè impotentem ad effectus supernaturales. Id enim ideo dicunt, quia potestas hæc obedientialis nature ad illos est adeò imbecillis, ut ad illos egeat viribus, ad quas præstandas insufficientis est universa natura; non vero, quia illis adhuc effectibus impossibilibus, stare posset hæc ipsa potentia obedientialis in natura: hæc enim inanitas, ausim dicere, nec venit unquam in mentem SS. Patrum.

125 Obijciat aliquis. Si potentia obedientialis dicto modo conneckeretur cum effectibus supernaturalibus, ut possibilibus; conneckeretur eodem modo cum omnibus omnimodò effectibus possibilibus: quia nullus est effectus possibilis, ad quem in qualibet re non detur potentia obedientialis, à Deo elevabilis ad illum producendum: ergo nulla res naturalis posset ab Angelo naturaliter comprehendi: nam ad illam comprehendendam deberent cognosci omnes effectus possibiles, cum quibus scilicet illa essentialem habet connexionem. Hæc autem absurda sunt. Respondetur falsissimum mihi esse antecedens, ejusque rationem. Nam, ut alibi defendo cum P. Vasquez, nec est verum, nec verisimile, in quavis re dari potentiam obedientialem ad quoscumque effectus; sed ad certos quosdam juxta ipsius naturam, & virtutem inchoatam: ad modum quo non in quavis re datur virtus naturalis ad producendos naturaliter quoscumque effectus; sed in una ad unos, & in alia ad alios: de quo alibi.

126 Non perinde nego, in qualibet re dari connexionem illam abusivam essentialem cum omnibus rebus: cum sæpè dixerim, qualibet re ex possibilibus factâ impossibili, omnia fore impossibilia. Quod nunc dico est, id non ex eo provenire, quod in qualibet re detur potentia obedientialis ad quosvis effectus, cum re vera non detur. In consequentia nihil video absurdi: cum enim quodlibet ens cum omnibus dicto modo conneckeretur,

Quiros.  
Vasquez.  
Falol.  
Alarc.

Ripald.  
S. Tho.

Valent.  
Montoy.  
Scottist.  
Ripald.

Supra  
sect. 2. &

Suar.  
Lugus.

Borull.

ac proinde cum possibilitate Incarnationis, & cum existentia Trinitatis : non mirum quod nihil possit ab intellectu naturali naturaliter comprehendi. Sic ferme P. Doctor Augustinus de Herrera qu. 3. de Trinit. sect. 2. à num. 42. Sicque infert ex aliquorum Doctrinis P. Doctor Thyrsus tom. I. Select. disp. 5. sect. II. n. 61.

Herrera.  
Thyrs.

127 Loquendo jam de verâ connexionem, seu de essentiali indigentia, probatur etiam nostra conclusio. Quia omnis, & quælibet natura connectitur essentialiter cum Deo ; eoque ita summè indiget, ut sine illo existente existere nullo modo possit : sed Deus est ens supernaturalium supernaturalissimum : ergo ens naturale non superat essentialem naturæ connexionem, & indigentiam. Min. probabitur sect. ult. præclufis aliquorum effugiis. Hinc teneo etiam in Disputationibus de Justificatione, actionem naturalem, qua generantur habitus acquisiti virtutum ab actibus supernaturalibus earumdem repetitis, essentialiter connecti cum actibus supernaturalibus generantibus ejusmodi habitus.

128 Premo denique multos ex adversariis hoc dilemma. Vel Deus ut unus, seu ut Author naturæ, est ens naturale, vel supernaturale. Si supernaturale, quomodo cum illo connectitur essentialiter natura : cum sit per vos essentialiter inconnexa cum omni naturali ? Si est naturale, quomodo plusquam essentialiter connectitur, siquidem realiter identificatur, cum Trinitate, seu cum Deo ut Authore Gratiæ, qui est ens supernaturale ; cum per vos nullum ens naturale possit essentialiter connecti cum naturali ? Respondent Deum esse ens supernaturale in excellentia. At hanc supernaturalitatem quomodo negant Deo ut uni, seu ut Authori naturæ ? aut si hoc supernaturale excellentiæ non est supra connexionem, & indigentiam naturæ ; quid excellentiæ adrogant aliis entibus supernaturalibus, contendendo, quasi pro aris, & focis, debere esse præ ipsius dignitate

supra connexionem  
naturæ ?

\* \*

## SECTIO XII.

An Supernaturalia debeant superare naturam quoad evidentem cognoscibilitatem.

129 Septima conclusio. Neque superant supernaturalia naturam in evidente cognoscibilitate : ita nempe, ut nequeat ens supernaturale evidenter cognosci viribus, aut lumine naturæ. Ita Vasquez, Arrubal, & alij apud Ripaldam adversantem disp. 11. Itemque Aldrete disp. 38. sect. 7. Quiros disp. 22. sect. 3. citans Recupitum, & Delugo : & ex parte Antonius Perez tom. I. disp. 2. de Visione c. 2. num. 110. viderique potest alter Lugus lib. 3. disp. 12 contra multos, præsertim Recentiores.

Vasquez.  
Arrub.  
Ant. Per  
Aldrete.  
Quiros.  
Recup.  
Delug.  
Lug.

130 Ut ab incertis certa separemus, convenimus in eo quod probabiliter possint viribus naturæ cognosci entia supernaturalia. Quinimò, quod possint etiam naturaliter cognosci aliquo modo cognoscendi naturali evidenti circa ipsa, videtur innegabile : nam apprehensâ naturaliter Gratiâ, sive Incarnatione, scitur evidenter naturæ lumine, illam, vel existere vel non existere : hæc autem est aliqualis evidentiâ circa Gratiâ, & circa Unionem hypostaticam supernaturales. Præterea evidenter naturaliter scitur Deum esse, & esse cum omnibus perfectionibus sibi necessariis : in quibus certè involvitur Trinitas. Similiter scitur omne existens esse ens : quæ notitia evidentiâ, & naturalissima amplectitur, tam supernaturalia, quam naturalia : aliqualis ergo cognitio naturalis evidens circa supernaturalia negari non potest. Superest itaque, solam illam cognitionem evidentem naturalem de supernaturalibus dici ab adversariis repugnare, quæ de aliquo ente naturali evidenter affirmet existere, posse existere, aut aliquid hujusmodi. Et in hoc etiam sensu procedit nostra conclusio è directo opposita.

131 Probatur primò : quia nulla datur ratio hujus repugnantia. Si enim dicas rationem esse : quia supernaturalia debent superare naturam quoad vim cognoscitivam ; hoc generaliter dictum, falsum esse vidimus num. præcedenti ; cum innegabiles sint naturæ aliquæ cognitiones saltem probabiles circa supernaturalia. Si dicas, quia

quia debent superare cognitionem evidentem ; id quoque falsum esse vidimus in universum. Deveniendum ergo est ad rationem repugnantia specialis alicujus cognitionis evidentiæ naturalis de supernaturalibus.

132 Dices, repugnare specialem illam evidentiam naturalem, determinatè assertivâ : quia diceret connexionem essentialem cum objecto naturali. Contra tamen. Primò : quia jam vidimus sect. præcedenti, hanc connexionem in ente naturali cum supernaturali minimè repugnare. Secundò : quia cognitio naturalis, quæ evidenter negaret existentiam alicujus entis supernaturalis nullam diceret essentialem connexionem cum illo. Dicant ergo, an evidenter naturaliter cognosci possit non existere unionem hypostaticam in Petro, aut gratiam in parvulo ? & an impossibilitas id evidenter cognoscendi proveniat ex essentiali connexionem ? Tertio : quia valdè dubium est : an cognitio naturalis evidens, adhuc evidenter affirmans existentiam objecti, dicat essentialem connexionem cum existentia objecti ? Circa quod videri possunt Hurtadus disp. 8. de Anima, & Lynceus lib. 7. Methaph. tract. 6. propter discrimen videlicet formalis certitudinis ab evidentiâ : quod formalis certitudo dicatur per connexionem actus certò affirmantis cum re affirmatâ sicut ipse dicit ; evidentiâ verò potius à determinatione principij ratione perspicuitatis objecti. Undè est quod aiunt multi cum Ripalda, Oviedo, & Arriaga, nullam dari cognitionem naturalem quantumvis evidentem, quæ sit formaliter Methaphysicè certa. Sed de his in Disputationibus de Fide. Hæc nunc hinc inde libaverim, ut perspicatur, quam infirmis nitatur fundamentis excessus iste, quem adstruere conantur Recentiores, in supernaturalibus ad naturalia quoad cognoscibilitatem.

133 Probatur secundò. Deus est ens supernaturale : sed Deus cognoscitur evidenter naturaliter, ut monstravimus disp. 1. sect. 2. & 3. ergo non est de ratione entis supernaturalis superare naturam quoad evidentem cognoscibilitatem. Responderi solet, Deum secundum perfectiones, quas dicit ut unus, & ut Author naturæ, non esse ens supernaturale : cum autem solum secundum istas sit Deus cognoscibilis evidenter naturaliter ; non verò secundum alias, quas dicit ut trinus, & ut Author

gratiæ ; hinc manet, quod non exinde sequatur, quidquam supernaturale esse cognoscibile naturaliter evidenter.

134 Contra tamen : & in primis de illa distinctione Dei ut Authoris naturæ, & Gratiæ, quoad supernaturalem feremus ultimum judicium sect. sequenti. Deinde : intuitio, qua Deus se videt ut unum, æternum, immensum, &c. cognoscitur à nobis naturaliter evidenter : quippe eodem naturæ lumine, quo cognoscimus Deum unum, æternum, & immensum, cognoscimus perfectissimè sapientem, ac proinde intuitivè videnter has suas perfectiones, quas responsio dicit esse naturales : sed ea intuitio ut nobis in terminis concedit Mag. Lumbier q. 3. de Incarn. art. 3. n. 135. (est supernaturalis, utpote formaliter beatificans : alioquin cut intuitiva visio creata Dei ut unius, æterni, & immensi esset ex proprio conceptu beatificans, & supernaturalis ? ergo perfectionis Dei certissimè supernaturalis dari potest in nobis evidentiâ naturalis.

135 Probatur tertio conclusio. Angelus evidenter naturaliter cognoscitur, se non posse intuitivè videre Deum naturaliter. Videat ergo Deum supernaturaliter, & postea cesset à visione relictus suo lumine naturali. Tunc certè evidenter recordabitur se vidisse Deum : non minùs ac cæcus recordatur se aliquando videri lucem : sed visio Dei est supernaturalis : Scitque Angelus, non posse esse naturalem : ergo in hoc casu haberet Angelus memoriam, seu cognitionem evidentem alicujus entis supernaturalis. Quod si hæc non sit evidentiâ, de qualibet evidentiâ naturali dici eadem facultate poterit, non esse evidentiâ.

136 Probatur quarto ad homines ex variis Adversariorum doctrinis. Juxta Ripaldam, & alios, potest Deus ut Author naturæ aliquid creaturis revelare : decernat ergo, nihil occultare Angelo ex iis, quorum habere potest Angelus evidentiam naturalem. Hoc decretum per vos naturale est, utpote juxta connaturalitatem naturæ Angelicæ. Revelet deinde illud Angelo Deus ut Author naturæ : & privet aliquam humanitatem propriâ personalitate. Nunc sic : ejusmodi privatio per vos est ens supernaturale : sed Angelus eam cognoscet evidenter naturaliter : ergo dabilis est evidentiâ naturalis de ente supernaturali.

Probatur

Hurt.  
Lync.

Ripald.  
Oviedo.  
Arriaga.

Supra  
disp. 1.

Lumbier.

Ripald.

137 Probatur minor: nam evidenter naturaliter scit Angelus, se in ea humanitate non videre propriam personalitatem: sed scit evidenter etiam naturaliter, quod eam videret, si adesset: ergo evidenter infert ibi non adesse: hoc nimirum discursu evidentissimo: *si in hac humanitate esset propria personalitas, eam cognoscerem: sed eam non cognosco: ergo non est.* Quod si vera est opinio asserentium, humanitatem non posse esse sine omni personalitate, & per nullam alienam creatam posse personari; id sciret Angelus naturaliter evidenter. Unde ulterius inferret eandem evidentiam, illam humanitatem esse unitam hypostaticè alicui personalitati divinæ. Et obiter noto, veritatem objectivam illarum præmissarum esse necessariò connexionem cum veritate objectivâ conclusionis: quod nescio an satis animadvertent qui connexionem entis naturalis cum supernaturali asserantur.

138 Probatur quintò similiter ad homines. Resurrectio Lazari fuit supernaturalis: sed cognosci potuit naturaliter evidenter: ergo. Probatur minor: nam Angelus, quin etiam ex homo, evidenter novit Lazarum vivum, & mox fuisse mortuum: nam utrumque hoc naturale est: deinde evidenter novit iterum vivum: ergo evidenter novit resurrectisse: & quidem miraculosè, & supernaturaliter resurrectisse: quia evidens est naturæ lumini, non potuisse tam subito naturaliter evenire, itemque si corpus hîc positum, alibi bilocaretur, Angelus vel homo illud intraens hîc, & alibi locatum, evidenter nosceret bilocationem: quæ quidem naturalis non est. Nolo contendere, an hæc sint evidentiæ, necne? Solum dicam has notitias fore Angelo, & homini tam perspicuas, ac notitia de eo quod nunc orto sole dies est, & post solis occasum erit nox: ut contentant deinceps inter se qui illud nobis negent, an hoc sit evidens: has enim evidentiis possemus illis obscurare eadem arte, quâ ipsi illas nobis: & audire vellem, quomodo sibi, & aliis persuadere audeant, Angelos, hominesque Philosophos evidenter naturaliter cognoscere dari Deum, dari materiem primam, aut possibilem esse alium mundum.

139 Nec ipsis proderit respondere, resurrectionem illam, & bilocationem, esse supernaturales quo ad modum. Tum quia ipsimet docent, supernaturalia quo

ad modum secundum modum suæ supernaturalitatis pariter esse supra naturalem evidentiam, ac supernaturalia quo ad substantiam. Tum quia Angelus ille, vel homo, dicto modo cognoscens bilocationem, & resurrectionem, simili evidentiam inferret dari in Deo decretum eas patrandi, & dari scientiam ipsarum: ejusmodi autem decretum, & scientia Dei sunt proculdubio perfectiones Dei supernaturales: utpote ex illarum serie, quæ non spectant ad Deum, ut Authorem naturæ: ergo in hoc ipso convincitur, dari naturalem evidentiam entis entitativè supernaturalis.

140 Objicies. Si ens supernaturale non esset supra evidentem naturæ cognitionem sequeretur primò, haberi posse naturali lumine evidentem notitiam Mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis. Secundò, posse hominem absquæ speciali Dei revelatione evidenter, certòque scire naturaliter, se esse in gratia contra Tridentinum *sess. 6. c. 9.* Tertio, posse naturaliter evidenter cognosci possibilitatem, imò & existentiam visionis beatificæ contra quod ait Apostolus 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit qua præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

141 Respondetur, negando primam sequelam. Nam evidens notitia naturalis Trinitatis, & Incarnationis aliunde specialiter repugnat: non ex præcissa ratione supernaturalitatis illorum Mysteriorum; sed ratione principiorum naturalium obstantium creato discursui ducto per naturæ lumen, ut expendo in *disp. de Incarnatione.* Ad quam nostram doctrinam recurrant necesse est multi ex Adversariis: qui, cum notitias probabiles admittant de aliis entibus supernaturalibus, eas de Trinitate, & Incarnatione negant.

142 Nego similiter secundam sequelam: non ex præcissa ratione entis supernaturalis; sed quia, seclusâ speciali Dei revelatione, non est medium homini viatori, quo duci possit ad certò sciendum se esse in gratia, sicut nec ad sciendum se esse prædestinatum. Et ut pateat clariùs, quàm extra rem adducatur Tridentinum contra nos, notare potuissent adversarij, Concilium loqui de certitudine, tam naturali, quàm supernaturali, qua dicat aliquis citra specialem revelationem, scire se esse in gratia.

143 Ad tertiam dico, intellectam de possi-

possibilitate visionis, nihil continere absurdum, quidquid sit de ejus veritate; intellectam verò de existentia visionis, esse falsam: non ex præcissâ ratione supernaturalitatis divinæ visionis; sed quia seclusa revelatione non est nobis medium, ex quo sine formidine possimus scire naturaliter aliquem actu videre, aut vidisse Deum: nisi in casu posico *num. 135.* aut Deum, cujus judicia sunt inscrutabilia, decrevisse præmiare visione sui merita nostra. Locus Pauli nihil efficit nostræ doctrinæ. Nam cum evidentia possibilitatis visionis, sicut & cum fide certâ etiam supernaturali de ejus existentia, stat optimè prætervolare omnem viatorum notitiam, quanta sit felicitas Gratia, & Visio Dei, statusque gratiæ, ac beatificus: & hoc quidem, quamvis evidenter naturaliter scitemus, sicut certò credimus supernaturaliter ex Fide, quam significat etiam Paulus illis verbis, *nec auris audivit*; nos & alios Filios Dei futuros per gratiam adoptionis, & Visuros Deum in Patria.

## SECTIO XIII.

*An & quomodo Deus sit ens Supernaturale: & an secundum omnes ejus perfectiones, & Attributiona supernaturalis sit.*

144 **U**T Deus ipse, à quo, & in quem omne nostrum studium esse debet, his nostris de Deo elucubrationibus, sicut dedie exordium, & progressum, coronidem etiam imponat; placuit in postremum istum locum Dei supernaturalitatem remittere.

145 Sæpè memini distinctionis Recentioribus nostris familiarissimæ, quâ in Deo aliquas agnoscunt perfectiones naturales, quæ scilicet ad illum ut unum, & Authorem naturæ pertinent; alias verò supernaturales, quæ pertinent ad Deum ut trinum, & ut Authorem gratiæ. Alij è diverso loquuntur, Deum esse ens supernaturale supernaturalitate excellentiæ eminentissimâ; non verò supernaturalitate, quam vocant exigentiæ, vel connexionis, de qua, uti propriâ donorum supernaturalium gratiæ, instituitur præsens disputatio. Quàm mihi displiceant ejusmodi doctrinæ non semel insinuativi: earum insubstantiam hîc tandem petefacio.

146 **Conclusio.** Deus est ens super-

naturale propriissimè, & absolutissimè: & quidem secundum omnes omnino ipsius Perfectiones, & Attributiona. Sic ex Damasceno, Dionysio, & S. Thom. Queros *tom. 1. disp. 19. n. 30.* Alarcon *disp. 2. c. 7.* Tellez ubi suprâ, citans Albertinum, Antonium Perez, Benedictinum, Herize, Hurtadum, Fasolum, Granadum, Arrubal, & Suarez: contra Ripaldam, cui adhærescit Borrull *disp. 13. de Visione num. 58.* plaudentibus immeritò communiter Recentioribus.

147 Probatur primò ex *num. 84.* ubi vidimus Deum vocari à Patribus, præsertim Dionysio. *Super substantiam*: quasi, *Supernaturam*: quò fortè respiciunt Phylolophi, dum Deum non utcumque naturam vocant; sed *Naturam naturantem* à differentia naturarum creaturarum, quæ vocantur, *Natura naturata.* Uodè intulimus Deum esse Supernaturam per essentiam: à quo alia entia ordinis divini dicuntur Supernaturæ, seu Supernaturalia per participationem.

148 Secundò: quia vel ens supernaturale est, ut diximus, ens ordinis divini: & sic certum est, Deum, omnèque divinas perfectiones esse supernaturales: cum omnes fiat ordinis divini, ac propriè divinitissimæ. Vel est ens connexum mediatiè, vel immediatiè cum gratiâ, ut vult Ripalda: & sic omnes divinæ perfectiones sunt connexæ cum gratia in sensu Ripaldæ: cum Deus sit causa proportionatissima gratiæ, & evidenter cognoscens gratiam, omnèque divinæ perfectiones sint plusquam connexæ, utpote realiter identificatæ, cum eminentia divina productivâ gratiæ, & cognoscitivâ gratiæ. Vel ens Supernaturale est quod pertinet ad ordinem videndi Deum, ut vult Hurtadus: vel quod est intrinsecè proportionatum cum Deo, ut potente à creatura possideri, ut vult Borrull. Et sic cum Deus ipse sit visio comprehensiva Dei, sitque objectum causæque proportionatissima possessionis sui à creatura, & ipse sit possessio perfectissima sui; nihil certè est magis pertinet ad ordinem videndi Deum, aut magis proportionatum cum Deo ut potente à creaturâ possideri, quàm ipse Deus, & omnes omnino perfectiones increatæ Dei, utpote realiter identificatæ cum visione, quâ Deus se videt, & beat: sintque objecta propriissima visionis creatæ beatorum, eam in genere objecti causantes non mi-

Damasc.  
Dionys.  
S. Tho.  
Quiros.  
Alarc.  
Tellez.  
Albert.  
Ant. Per.  
Heriz.  
Hurt.  
Fasol.  
Granad.  
Arrub.  
Suar.  
Ripald.  
Borrull.  
Dionys.

nus quam species supernaturales cognitionem nostram supernaturalem. Quomodo-  
documq; igitur ens supernaturale constituatur, Deus, omnēque ejus Perfectiones, & Attribute sunt ens supernaturalissimum: imò & realiter ipsa Supernatura per essentiam, & formaliter de ordine illius.

149 Dices: multas Dei perfectiones non superare connexionem, & evidentiam naturæ. Fecit: at jam evicimus *sect. 11. & 12.* id non esse de conceptu entis supernaturalis. Et dicant nunc adversarij: quomodo in Deo sint perfectiones supernaturales, cum quibus tamen aliæ divinæ perfectiones, quas volunt esse de ordine naturæ, plusquam essentialiter connectuntur? aut quomodo sufficit ad formalem supernaturalitatem multorum donorum creatorum connexio mediata, & per varios anfractus quæ sita cum Gratia, aut cum Visione, aut cum alio supernaturali; & non sufficiat ad formalem supernaturalitatem cujuscumque divinæ perfectionis realis identitas, quæ est plusquam realis connexio, immediatissima cum aliis perfectionibus Dei, quas dicunt esse supernaturales. Nec valet dicere: Deum esse ens supernaturale per excellentiam: nam excellentia Dei non officit, imò juvat ad conceptum propriissimæ supernaturalitatis.

150 Hinc probatur secundò conclusio universaliter contra hos ipsos Authores. Aliquæ divinæ perfectiones sunt formaliter supernaturales: ergo & omnes. Probatur consequentia: quia omnes sunt essentialiter plusquam connexæ cum illis supernaturalibus: multò magis quam dona alia supernaturalia creata cum Gratia, Visione beatâ, seu cum Unionem hypostaticâ. Si ergo connexio cum istis facit esse, formaliter supernaturales alias perfectiones cum istis connexas; certè intimior plusquam connexio omnium divinarum perfectionum cum quibusdam perfectionibus divinis supernaturalibus faciet à fortiori, omnes sic plusquam connexas esse formaliter supernaturales.

151 Fecellit multos, & est totum fundamentum contrarium, communis loquutio, quâ dicimus, Deum inspicit posse, ut Authorem naturæ, seu naturalem, & ut Authorem gratiæ, seu supernaturalem: in Deo dari scientiam, & voluntatem naturales, & alias supernaturales: & similiter inter eminentias Omnipotentia

esse quæ dicuntur naturales; alias, quæ supernaturales: ergo quia sunt in Deo aliquæ perfectiones increatae, quæ sunt ens naturale, & aliæ, quæ sunt ens supernaturale.

152 Iste tamen modus inferendi corrigendus est, & neganda consequentia. Alioquin ex eo quòd in Symbolo dicitur Deus creator visibilium, & invisibilium, inferres pariter, aliquas eminentias divinæ Omnipotentia esse visibiles, & alias invisibiles: & ex eo quòd agnoscamus in Deo providentiam physicam, & moralem pro diversitate objectorum; inferre posses providentiam physicam Dei non esse in Deo entitative quid morale, & liberum: & providentiam moralem non esse quid physicum: refundendo scilicet in perfectiones Dei increatas entitative istas objectorum differentias: similiter ex eo quòd Deus sit Author Angelorum, & Lapidum, inferre posses, esse formaliter Angelicum, & Lapideum: & esse in se formaliter materiale, ex eo quòd sit Author rerum materialium: eodem ipso jure, & filo, quo ducis ad dicendum, esse formaliter in se ens naturale secundum aliquas perfectiones, quia est Author naturæ, & rerum naturalium.

153 Itaque admissis communibus illis loquutionibus usurpatis à SS. Patribus, præsertim August. & Thom. apud Ripaldam *disp. 2. num. 2.* dico, Deum dici Authorem naturalem, & supernaturalem denominative, & respectivè ad effectus creatos naturales; non verò quia secundum perfectiones suas increatas, quas dicit ut Author naturæ, non sit in se formaliter supernaturalissimus: sicut ut Author etiam effectuum materialium est spiritualissimus: quinimò, ut Author supremus naturæ, est supra naturam, ac proinde supernaturalis.

154 Similiter dicitur Deus habere aliquas scientias, voluntates, & eminentias naturales, alias supernaturales: non quia omnes in se formaliter non sint supernaturalissimæ, eo ipso modo quo divinissimæ; sed terminative: quia aliæ sunt formaliter ad terminos creatos naturales, aliæ ad supernaturales. Quemadmodum dicitur, etiam habere providentiam physicam, & moralem: terminative scilicet respectu terminorum capacium sive incapacium moralitatis, & laudis: cum tamen in se formaliter, tam secundum perfe-

fectiones, providentia: physicæ, quam moralis, sit moraliter liberrimus, & laudabilissimus.


155 Doctrina nostræ responsionis est adeò trita, & obvia, ac est in Philosophia distinguere productiones substantiales, & accidentales respectu terminorum, quæ substantia: sunt, aut accidentia: quamvis in se formaliter omnes illæ productiones accidentales sint, & de genere accidentis.

156 Nec tandem momenti est, quod à nonnullis ratione pressis interdum auditur; per hæc non tolli, quominus Deus præcisim ut productivus, vel ut cognoscitivus naturalium, sit ens naturale; & ut supernaturalium, supernaturale. Certè similes præcisivoculas facere liceret in Gratia, & Visione Dei creatis, eas considerando, ut sunt ens, vel ut sunt accidens: penes quos conceptus præcisim non sunt supernaturales: quin perinde naturales sint: hoc enim repugnat earum supernaturalitati: quamvis non repugnet, imò sit verissimum, quòd absolute sint ens supernaturale, & secundum illos conceptus præcisim non sint ens supernaturale: quippe conceptus illi abstrahunt à naturali, & supernaturali. Sic homo est absolute rationalis, & non est irrationalis: quamvis verum sit, quòd ut animal, seu secundum conceptum animalis, non sit ratio-

nalis: non quia, ut animal, sit irrationalis, sed quia, ut animal abstrahit à rationali, & irrationali.

157 Sic, inquam, qualibet divina perfectio, eo ipso quòd divina sit, est supernaturalis; quamvis penes aliquem conceptum, quem includit, non sit supernaturalis: non quia penes illum conceptum naturalis sit; sed quia penes illum conceptum abstrahit à naturali, & supernaturali. Quod in Gratia, & in Visione creatis adæquatè supernaturalibus, imò & in Trinitate apud omnes supernaturalissimâ, verificatur: quin propterea verè dicantur esse ens naturale.

158 Non est ergo unde argui possint in Deo perfectiones aliæ supernaturales, & aliæ naturales formaliter: quòd mihi perinde est, ac dicere, divinas, & non divinas. Maneat itaque, omnes perfectiones divinas esse supernaturales; & nullas esse naturales, ut dicere necesse est de prædicatis Gratia, & Visionis Dei. Nulla igitur divini perfectio est ens naturale: quia omnis divina perfectio divinissima est: atque adeò totus omnino Deus secundum omnia sua Attribute, & Perfectiones est ens supernaturalissimum, utpote secundum omnia sua, etiam ut Author naturæ, strictissime pertinens ad ordinem, & statum supremæ Supernaturæ.



PISSIMI, ET SAPIENTISSIMI VIRI  
V. P. Leonardi Lessij post libros primum, &  
ultimum de Perfectionibus divinis

RECOLLECTIO PRECATORIA.

**D**OMINE Deus meus, Deus magne, & terribilis, Deus immensa majestatis! Tu pelagus infinitam essentia, bonitatis, & beatitudinis, omne esse, & omne bonum in te concludens, & ab aeterno eminenter anticipans, & præhabens, tamquam fons totius entitatis. Tu fundamentum possibile omnium, esse superessentiale omnium quæ sunt, & quæ non sunt: sine quo non solum nihil potest esse actu, sed nec potestate; nec ullam habere rationem conceptibilem, vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis, omnium con-

ator, & formator, omnium sustentaculum, omnium locus, omnium ævum, duratio, terminatio, ordinatio, connexio, concordia, consummatio. In te omne bonum Angelorum pariter, & hominum, atque totius nature, quæ est, & quæ non est. In te omnis gloria, & dignitas, omnes divitiæ, & thesauri, omnes voluptates, & consolationes, omnes delicia, omnia gaudia, omnes beatitudines. Infinitum inter te, & nos est intervallum, non loci, sed nature, ut qui infinitè supra omnia elevatus superemines, intercedentibus infinitis rationalis nature gradibus, quos in tua sapientia, & potentia dispositos contines: nihilominus tanta est potentia bonitatis tuæ, ut mentem nostram supra omnia creata, & creabilia elevare possis, & miro modo absque medio tibi per visionem, amorem, & gaudium conjungere. O admirabilem, beatam & gloriosam unionem, in qua simul, & summum bonum nostrum, & summa gloria tua reposita! per illam enim efficimur participes Divinitatis, & omnium bonorum ac gaudiorum tuorum; & per eandem Divinitas tua summè fulget extra se in speculo mentis creatæ, sicut intra se fulget sibi. Tu Deus meus, & omnia mea, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara sint mihi omnia tua; & tu Deus meus plus quam omnia. Quid enim sunt cetera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus sunt, umbra sunt, & vanitas omnes divitiæ, & delicia, omnisque gloria hujus mundi, quæ miserè oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona, quæ in te sunt cognoscere, & persequi valeant. Fac ut illa nobis semper ob oculos versentur, quibus ad æternorum amorem ac studium impellamur. Numquam flaccescant suspiria, & conatus nostri, donec ad viciniam hujus terminum perventum fuerit; in quo per gratiam tuam digni inveniamur regno tuo, & quiete illa, qua omnes Sancti in te ultimo fine, & summo bono suo, per visionem, & amorem cum ineffabili gaudio, omnium votorum suorum compotes effecti, quiescent. Nihiligitur transitorium estimem, sed te solum, & bona tua, quæ in te recondita, quæ tu ipse es, quibus fruuntur æternum, qui hisce caducis contemptis, tibi inhaerint. Amem te supra omnia, & semper serviam tibi: quia infinitè melior es omnibus, & dignus, ut omnis amor, omnis benedictio, omnis gratulatio, omnis gloria, omnis servitius tibi ab omni creatura in omnem æternitatem deferatur, & impendatur.

ILLU-



# ILLVSTRISSIMÆ, REVERENDISSIMÆ,

AC PER VETVSTÆ PROVINCIÆ  
ECCLESIASTICÆ TARRACONENSI.


## OBSEQVIVM AVTHORIS.

PRO DISPV TATIONE SEQVENTI DE  
*Beneficiis Personalibus.*




INSIPIENTER, & indecorè me acturum existimarem, Illustrissimi, ac Reverendissimi Præfules, si prorsus infalutatis Illustrissimis Dominationibus vestris, Opusculum istud de Personatibus Tarraconensibus in lucem mitterem: quasi falcem missurus in alienam messem, nulla venia, aut obtenta, aut petita à Domino Messis. Impulit me tandem aliquando, ut id perficerem, Pastoralis zelus insignium Prælatorum, aliorumquè, qui de jure convenistis in postremum Concilium Provinciale Tarracone coactum anno 1685. Præsidente Metropolitanò, Illustrissimo, ac Reverendissimo D.D. F. Iosepho Sanchiz Archiepiscopo Tarraconensi, &c. Quandoquidem inter alias Ecclesiasticæ disciplinæ curas, illa vobis fuit minimè postrema, quòd adhiberentur opportuna remedia contra deprehensos, aut saltem imminentes abusus in institutionibus, & permutationibus Beneficiorum Personalium: ne fortè laudabilis hæc, & perantiqua Provinciæ vestræ consuetudo, legitimo immemoriali-

tatis





tatis jure satis superq; communita, deflecteret sensim in corruptelas, ab iis minimè tolerandas, quos *Spiritus Sanctus* posuit *Episcopus regere Ecclesiam Dei, quam adquisiuit sanguine suo*: ut eam Authori summo exhibeant non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi: & quantum ab humana fragilitate obtineri potest, æmulantem charismata meliora, quibus inter hujus viæ, ac vitæ varietates militans, triumphantis Ecclesiæ pulchritudinem imitetur. Novi iudicia congregatorum Patrum, & Theologorum in prædicto nuper Concilio circa potissima, quæ occurrerunt, sive pericula, sive dubia in præfenti materie. Quapropter, ut inoffenso decurrerem pede in praxi lubrica, eorum vestigiis inhærere studui, quorum autoritas, & me in scribendo, & alios in operando, possit reddere securos, & benè conscios, quod *mea doctrina non est mea*; sed eorum præcipuè, quibus per Sacros Canones datum est jus istud municipale intra legitimæ consuetudinis metas pro communi bono tueri, & adstruere. Si verò quidquam mihi alienum ab hujusmodi instituto incogitantè, aut quoquo modo inter scribendum exciderit, uniuscujusque iudicio, & correctioni subijcio, paratus ingenuè ab omnibus edoceri, eoquè contentus, quod occasionem saltem doctioribus obtulerim discutiendi ulterius, & dignius statuendi veritatem juxta mentem, & observantiam celeberrimæ Constitutionis, & consuetudinis Tarraconensis. Cum certè nec fuerit animus ne quidem ausus temerarius in gravissimo Vestrum prospectu, vel minimùm discedere à doctrina, prudentia, maturoquè iudicio tot, tantorumquè, qui sacro illi, ac venerabili Coetui interfuistis, Illustrissimorum Patrum; quibus imò potius obsequi, & fausta cuncta adprecari debeo ad Ecclesiæ Sanctæ Dei, in hac vestra Provincia à diebus Apostolorum florentissimæ, regimen, & ornamentum.



PARERAGON MORALE  
DISPUTATIO SINGULARIS

DE

PERSONATIBVS PROVINCIÆ  
Tarraconensis.

AUTHORE P. THOMA MVNISSA  
Societatis Iesu.



X Authoribus, quos ipse viderim, unus Martinus Navarrus hanc materiam, ad Tractatum de Beneficiis Navarræ spectantem, ex professo evulgavit lib. 5. Consiliorum Consil. 43. & 44. ad Titulum de Simonia. Summatim eam perstrinxit P. Andreas Mendo in Epitome moralis. Mendo. li. Verb. Beneficium num. 18. ex iis fortè, quæ non semel uterque familiariter contulimus, dum in hoc Barcinonensi Collegio versaretur, Excellentissimo Domino Duci Ossunensi Cathalonix tunc Proregi à confessionibus. Eam incidenter, & frustatim retigerunt Flaminius Parisius *quæst. 18. de Confidentiis benef. Paris. num. 24.* Alcan. Tambur. *tom. 1. de iure Abb. disp. 1. quæst. 2. nu. 26.* Alphonsus de Leone *de offic. Capell. quæst. 3. num. 46.* Ægidius Trullench *to. 2. Decal. lib. 7. cap. 12. dub. 6.* Et Rota apud Rub. *par. 5. tom. 1. decis. 379.* quæ habetur etiam ad finem *tom. 2. Tamburini de iure Abb. decis. 14.* Extat præterea superstes apud me doctissimum Opusculum manuscriptum Sapientissimi Theologi P. Joannis Pauli Boxassa, Primarij Theologiæ Antecessoris in hoc eodem nostro Collegio: cujus præsertim vestigiis insistam, ut a tanto Magistro edoctus, multorum votis satisfaciam, qui propter varias difficultates quotidie in praxi occurrentes circa hujusmodi Personatus in Cathalonix, aliquam hac de re tractationem in lucem noviter edi desiderant. Duplici potissimum de causa. Unâ, nè qui plenam nondum habuere notitiam Personatum Tarraconensium, laudabilem eorum usum temerè, ut accepimus, aut damnent, aut contemnant. Aliâ, ut ab eorum abusu quoad aliquas corruptelas simoniacæ labe infectas abstineant alij, qui aut ex inscitia, aut ex auri sacra fame, in Personatum institutionibus, collationibus, & permutationibus nonnulla paciscuntur præter jus, & fas. Cum autem totum fundamentum doctrinæ, & praxis Personatum sumendum sit ex Constitutione Provinciali Tarraconensi, eam ante omnia hinc transcribere oportet.

## SECTIO I.

Textus Constitutionis Tarraconensis in sex clausulas distribuitus.

**I** Licet Personatus, sive Personalia Beneficia ideo nuncupata sint, quod non ut in perpetuum Beneficia remanerent, sed ad vitam aliquarum Personarum Ecclesiasticarum dumtaxat, instituerentur, & postea eorum redditus in alios pios usus applicarentur: & ab immemoriabili tempore in hac nostra Tarraconensi Provincia erigi, & institui consueverint; cum ea in divini cultus augmentum tendant, ac Christi fidelium pias voluntates ampliari, non autem restringi conveniat; institutiones eorumdem adjuvari oportere censuimus.

**2** Verum, cum nonnunquam in dictorum Personatum, seu personalium beneficiorum fundatione plurima fraudes, & sepe non sine simoniaca labe, quod vehementer dolemus, commissa fuerint; ut huiusmodi fraudibus, quantum a nobis fieri possit, occurratur; Sacri approbatione Concilij statuimus, ut nullus Personatus, seu personale beneficium, sine auctoritate, & decreto Episcopi, seu ejus Vicarij Generalis erigatur: qui decretum, & auctoritatem suam in fundatione interponere non possint, nisi dos assignata in censualibus, vel aliis redditibus perpetuis consistat.

**3** Ea vero, dos, sive ij redditus non super bonis dotantis, vel ejus, qui Patronus efficitur ex censuali, vel alio novo contractu fundentur; sed sint alij veri redditus in locis tutis, & firmis consistentes ab eisdem Ordinariis antea approbandi; ita ut prius pecunia collocata sint, quam decretum interponatur: nec dos in sola pecunia numerata consistat, aut in pradiis, vel domibus inutilibus, alijsve rebus mobilibus, vel immobilibus, aut animalibus, nisi ea perpetuo fructuosa esse verisimiliter possint.

**4** Quodsi permittatur in fundatione, ut in alia opera pia redditus supradicti collocentur, post prima, vel secunda, vel ulterioris persona obitum, qua beneficium obtinebit; (nolumus enim, ut post earundem resignationem, aut aliam vacationem, id fieri permittatur) in ipsa erectione, seu fundatione declarentur species pio-

rum operum; & cum casus evenerit, in ea pia opera illi redditus distribuantur.

**5** Et ut horum omnium, & singulorum nihil unquam possit calari, in libro Speciali, tam personatum erectiones, & dotationes, quam collationes, & institutiones, nec non in libro piarum causarum, vel operum piorum ea pia opera in dictos eventus instituta describantur.

**6** Maximam quoque curam prædicti Ordinarij adhibebunt, ne quis dolus, vel fraus, aut aliqua Simoniaca pactio, in erectione, aut fundatione, vel in collatione, aut institutione, aut etiam in permutatione dictorum personatum, sive personalium beneficiorum interveniat: eaque prohibere, ac punire severitate canonica procurent: quod non solum in futura, sed etiam in præterita crimina jure communi prohibita locum habere declaramus.

**7** Sic habetur lib. 3. Constitutionum Provincialium Tarraconensium, Titulo de Institutionibus cap. 5. ubi agitur: Quo pacto Beneficia Personalia instituenda sint, ut omni Simoniaca labe careant. Quem in scopum occurrunt sequentes difficultates.

## SECTIO II.

Quid sint ejusmodi Personatus? Cur sic vocentur? & an laudabiliter promoveatur eorum consuetudo.

**8** Circa primum, dicti Personatus Tarraconenses sunt Institutiones, seu Beneficia quædam auctoritate Episcopi constituta ex redditibus certis, & stabilibus in favorem alicujus personæ, quæ vel aliæ duæ, vel tres successivè juxta voluntatem fundatoris illa obtineant: post eorum vitas convertenda in alia pia opera à fundatore designata. Hæc descriptio deducitur ex primâ, secundâ, & quartâ clausulâ Constitutionis. Et in eundem ferè modum traditur à P. Mendo verb. Beneficium num. 8. Scio alias quoque esse Præbendas, seu Dignitates juris communis, quæ vocantur etiam Personatus, penes Barbosam lib. 1. Invis univ. cap. 21. nu. 25. & cap. 4. de Canon. & Dignit. num. 19. Flam. Paris. de Resign. lib. 2. q. 1. num. 90. & lib. 3. q. 1. num. 108. Pyrrum Corrad. in Praxi Benef. lib. 2. cap. 12. num. 150 &

Alcan.

Tambur. Alcan. Tamburino, lib. 1. de jure Abb. disp. 20. quest. 3. num. 7. Sed in Personatus sunt extra nostrum institutum: tamen enim agimus de Personatibus juris specialis Provincia Tarraconen.

**9** Circa secundum, variis nominibus vocari solent ejusmodi institutiones. Vocantur, Personatus, Beneficia Personalia, Temporalia, & Libera. Vocantur Personatus: quia, ut exponit prima clausula

Constit. non instituantur ut perpetuo durent in esse beneficij; sed ad vitam dumtaxat certarum personarum, in quarum favorem destinantur, & post earum vitas in aliud opus pium convertuntur. Ob eandem rationem vocantur etiam Beneficia Personalia, & Temporalia: id est, non perpetua in ratione beneficij: & in hoc exhorbitant à jure communi aliorum beneficiorum: quæ scilicet in ratione beneficij perpetua sunt, & non ad certum tempus vitæ aliquarum personarum constituta, juxta præsentem saltem juris communis Ecclesiastici institutionem, ut habet Castro Palau tom. 2. tract. 13. disp. 1. punc. 1. n. 5. Denique vocantur Beneficia libera: quia conferuntur liberè ab ipso Institutore, & possessore etiam privato, sive per scripturam Notarij publici, sive per testamentum, sive verbo tenus; dummodo tamen Ordinarij adsit Auctoritas. Quod fortè verum erat juxta præxim antiquiorem, ut colligitur ex Navarro consil. 43. præsertim num. 17. Nam hodiè video, ab Ordinariis fieri collationes horum Personatum, dum in esse Beneficij perseverant: ut ex varijs Diocesisbus accepi juxta præsentem præxim, inspectis multis instrumentis collationum Ordinariorum tam in Permutationibus, quam in primis Institutionibus Personatum.

**10** Circa tertium constat ex clausula prima Constitutionis, consuetudinem hanc Provincia Tarraconen. in prædictis Personatibus, si debita conditiones serventur, laudabilem, & piam esse: ac proinde ejusmodi Institutiones, servatis servandis laudabiliter promoveri, ac promovenda, esse. Rationem dat ipsa clausula Constitutionis tripliciter. Primò, quia ejusmodi consuetudo viguit ab immemoriabili tempore in hac Provincia: ut jam ante annos centum viginti testabatur dicta constitutio: in Concilio nempe Tarracone, & Barcinone celebrato anno 1564. & deinceps continuata fuit, & facta decursu tem-

poris immemorabilior cum notitia, approbatione, & cooperatione Prælatorum per quotidiana sua decreta pro fundationibus ejusmodi Personatum. Secundò, quia tendit in Divini cultus augmentum: multis sine dubio redditibus sic fundatis pro Ministris Ecclesiæ, quæ alioquin minime fundarentur. Tertio, quia expediens, & laudabile est Christi fidelium pias voluntates ampliari; non autem restringi: has verò Personatum Institutiones esse pias fidelium voluntates certum est: cum sic multæ temporalitates conferantur primùm Ecclesiæ in suis Ministris ad aliquorum vitas, & deinceps operi alicui pio interserviant.

**11** Simili ratione ducti videntur Auctores apud Barbotan in Collect. & p. 2. Barbos. de potest. Episc. alleg. 60 & apud Palau Palau. tom. 2. tract. 13. disp. 4. punc. 3. ut requisitum quatuordecim annorum pro obtinendo beneficio juxta Trident. sess. 23. cap. 6. Trident. de reformatione, limitandum dicant, nisi fundator in institutione beneficij aliter voluerit. Noluit enim Concilium quando per ejusmodi requisitum jus ad beneficia quodammodo restringebat, pias fidelium voluntates à beneficiis fundandis retrahere. Unde est quod Constitutio nostra Tarraconen. in eandem mentem consultissimè censuerit suorum Personatum Institutiones adjuvari oportere. In quos etiam pios, ac honestissimos fines, eas privato etiam calamo promovere, ac fovere, nequit non esse laudabile.

**12** Quocirca graves Theologi consulti nuper à Concilio Provinciali Tarracone celebrato anno 1685. Præsidente Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. F. Josepho Sanchiz Archiepiscopo, Religione, doctrinâ, & virtutibus, quæ tantum decent Metropolitanum Antistitem, præclaro; ad præsens punctum, quod pastoralis zelus tot, tamque insignium Prælatorum voluit maturè considerari; responderunt optimè hunc in modum. Ad secundum, in quo queritur: an dato, quod hi contractus, & permutationes non sint simoniaca, eas prohiberi conveniat ob scandala, qua inde oriuntur, & sunt notissima? Responso. Beneficia Personalia, qua eriguntur, & permittantur secundum requisita Constitutionis, non dare occasionem scandali, & propterea non esse abolenda, & prohibenda. Imò potius majora scandala, & inconvenien-

Tambur.  
Constit.

Palau.

Navarr.

Constit.

Constit.

Mendo.

Barbos.

Paris.

Corrad.

ria ex illorum prohibitione, & permutatione suborirentur, qua cuique facile occurrunt. Si tamen aliquod scandalum, quod verè tale esset nasceretur, contingeret ex non observantia Constitutionis prædictæ. Sic censemus. Doctor Ioannes Raphael Oliart, Canonicus Pœnitentiarii Gerundensis. Doctor Iacobus Andreu Pœnitentiarius Urgellensis. Fr. Iosephus Leonart Ordinis Prædicatorum, Lector Sanctæ Ecclesiæ Tarraconensis. Didacus Ximenez Royo, Rector Domus Probationis Soc. Iesu Tarraconensis. Meritissimus postmodum Aragoniæ Provincialis.

12 Ex quorum Sapientium iudicio consuetudo ista Tarraconensis, servatis servandis iuxta Constitutionem, increpari non debet, imò laudari, ac promoveri, amandatis, quoad fieri possit, abusibus, & corruptelis, contra quas pro munere suo invigilant Illustrissimi Domini Archiepiscopus, & Episcopi.

13 Nec officit, quod in foundationibus, & usu Personatum aliqui iunisceantur abusus, & interdum Simonæ, quod jam fatetur, & dolet eadem Constitutio in secunda clausulâ, ibi: *Cum nonnunquam in dictorum Personatum, seu Personalium beneficiorum fundatione plurima fraudes, & sæpè non sine simoniacâ labe, quod vehementer dolemus commissæ fuerint.* Hoc enim non est vitium earum Institutionum; sed aliquorû instituentiû nonnullis corruptelis labefactentium laudabilem consuetudinem à Concilio approbatam, & promotam. Nec quidem à similibus fordibus pro humana, quandoquæ perversitate expertes sunt collationes Beneficiorum juris communis. Hinc illud: *nihil utile quod non cadere possit idem.* Id quod in responsione sua sæculò etiam tetigere prædicti Theologi, ibi: *si tamen aliquod scandalum, quod verè tale esset, nasceretur, contingeret ex non observantia Constitutionis prædictæ.*

14 Nec item officit, quod ejusmodi Personatus exorbitent à iure communi, nec in omnibus servant regulas aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum. Hoc enim honeste potest legitima consuetudo, qualis est ista à tempore immemorabili; & quidem cum omnibus circumstantiis, & conditionibus legitimæ consuetudinis: quæ, ut in genere tradunt Suarez ex multis textibus *lib. 8. de legibus cap. 7. à num. 5.*

& Pirhingus *lib. 1. tit. 4. sect. 1. à num. 69.* Pirhing. & in specie de hac consuetudine Tarraconensi Navarius dicto *consilio 43. num. 10.* Navarr. habet vim privilegij. Undè sicut privilegium honestat multa, quæ deviant, & exorbitant à lege, seu à iure communi; sic etiam, & consuetudo legitime introducta, qualis siue dubio est ista de Personatibus Tarraconensibus.

SECTIO III.

Quid veniat nomine cause piæ, in quam converri, debent, aut possunt Personatus Tarraconenses.

15 **T**Ripliciter usurpatur in Jure *Causa pia.* Primò largissimè: pro re quacumque, quæ ex humanitate, & pietate quadam meretur favorem juris. Et sic omnes ultimæ voluntates vocantur piæ causæ. Secundò minùs largè pro specialitèr concernentibus publicam utilitatem. Sicquæ causa publica vocari solet *Causa pia*: fortè quia ordinatus amor Patriæ spectat ad virtutem moralem Pietatis. Tertiò propriè, & strictiùs, pro eo quod fit intuitu Dei in ordine ad ejus cultum, vel per opera misericordiæ erga proximos in spirituale bonum animæ id facientis. Sic in genere colligitur ex intelligentia communi Theologorum apud Molinam *Molina. de iust. tract. 2. disp. 452.* & Juristarum etiam apud Paul. Rubenm *de Testam. Rubens. cap. 1. & Barbos. lib. 3. iur. Univ. c. 27.* Barbos. quos & alios recenset, cruditè Doctor D. Franciscus de Mostazò *in Opere absolutissimo de Causis piis tom. 1. lib. 1. c. 1.* De quo etiam Fragolus *p. 3. l. 4. s. 4.* & Diana *Fragol. Dian. p. 7. rr. 6. ref. 30.*

16 Sermo nobis est in præsentem de causa pia in hoc tertiò sensu strictiori acceptâ. In hujusmodi enim causas piæ, seu opera pia converti potest licitè Personatus: non in alia laxiùs dicta: quæ quidem non dicuntur pia absolutè loquendo, sed manent absolutè, & in re profana sub nomine, & aliquali specie pietatis in alio sensu dictæ. Pietas autem non stat in puro nomine pietatis, sed in substantia veritatis, & charitatis; ut ex varij iuribus habet Rubens *num. 11.*

17 Ratio est: quia in præsentem sumitur causa pia in eo sensu, quo causæ piæ privilegiantur in jure quoad multa, de quibus Tiraquellus in celebri Tractatu *de Tiraq. Privi-*

*Privilegiis causa pia*: & in eo sensu, in quo usurâ, & alia malè ablata, non comparante domino, cui fiat restitutio, dicuntur debere dari pauperibus, aut causis piis, idèoque subjacere dicuntur specialitèr spirituali Ecclesiæ regimini, tanquam quid accessorium ad facultates Ecclesiasticas. Certum autem est, hæc intelligi communiter ab omnibus de causis, seu operibus piis in tertio, ac strictiori sensu.

18 Quo sensu quænam dicantur propriæ causæ piæ in specie, discernendum est juxta explicationem in genere datam ad finem *num. 15.*

19 Primò: pium est quod legatur, donatur, relinquatur, seu instituitur pro Ecclesiis, & Monasteriis, sive erigendis, sive ampliandis, sive ornandis, sive conservandis, sive locupletandis: & consequenter pro Beneficiis, seu Capellanis instituendis, aut Missis celebrandis: & quod pro anima relinquatur nomine suffragij. *Diana. Diana. cit.* Et hoc quidem quamvis aliquin paupertate non laborent. Hæc enim, seorsim etiam à circumstantia paupertatis, sunt opera per se spectantia ad divinum cultum: in quò pietas erga Deum potissimum elucet. Idem est de Oratoriis, Capellis, imò & de sepulcris cum decenti ornatu: quia omnia hæc sunt accessoria ad Ecclesias, & Religionem adstruunt. *Barbosa num. 20.*

20 Secundò: quod pro Hospitalibus eodem modo. Et hoc quidem quamvis absque Episcopi autoritate sint erecta. Quia quamvis erecta absque autoritate Episcopi non sint loca Ecclesiastica, & Religiosa; sunt, quod latius multo patet, loca & opera pia per se spectantia ad misericordiam erga proximos. Sic contra aliquos ampliant Tiraquel. Riccius, Rubens, Molfes. Garcia, Diana, Bossius, Barbosa, & alij apud Mostazum à *num. 31.* Qui tamen *num. 34.* id limitat excludens casum, quo Hospitalè nondum esset formatum; sed quo tantum privatus aliquis peregrinos, aut pauperes exciperet cum facultate, & voluntate id convertendi pro suo libito in usum, quos voluerit. Quamvis in hoc etiam casu esset opus pium quod erogaretur ad opera illa misericordiæ, quæ ibi interim exercentur.

21 Tertiò: quod pro Confraternitatibus, Sodalitatibus, seu Congregationibus: in quibus opera religiosa frequentantur. Nam si solum sint communitates quæ-

dam, seu societates multorum ad temporales utilitates, veluti ad convivias, seu meretricionia; pietatem minimè redolent. Pignora confraternitates, seu congregationes, vel sunt jam erectæ autoritate Ecclesiastica juxta decretum Clem. VIII. & sic certa jam est earum pietas. Vel sunt dumtaxat quasi in via, & dum expectatur Ecclesiastica Autoritatis confirmatio, exercent jam confratres, seu sodales ibi aliqua opera religiosa. Et sic negant aliqui illis pro eo statu rationem pietatis sufficientis, ut legatum pro ipsis dicatur pium. Oppositum tamen sentit merito cum aliis *Mostaz. Mostaz. num. 39.* Quia id, quamvis relinquatur Personis illis propria autoritate sic congregatis, non relinquatur intuitu personarum; sed intuitu piorum operum, quæ ibi exercentur, & in ordine ad obtinendam confirmationem requisitam, ut absolutè ejusmodi sodalitates sint piæ, & religiosæ, & ejusmodi legata in usum pium resolvantur.

22 Quartò: quod pro pauperibus sublevandis, sive alendis, sive excarcerandis, sive è servitute, etiam apud Christianos, redimendis: & quamvis etiam ex culpa sua ratione delictorum, ea mala patiantur. Sunt enim per se ea opera misericordiæ: & quidem commendatissimæ. Nomine autem Pauperum, veniunt non solum mendici; sed multi etiam, quibus non licet vicatim mendicare. & necessaria non habent ad vitam juxta statum præcisè transigendam. Itemque qui ex professione pauperes sunt, ut Religiosi: quod ad Novitios etiam extenderem: cum versemur in favorabilibus. Quid de legato, seu elemosinâ misericorditer datis pauperi existimato simulanti paupertatem? Quoad Deum, dicitur pium. Quoad privilegia juris, habebitur etiam ut pium. Detectâ verò simulatione, convertendum in veros pauperes. *Tiraq. in Præfatione Tiraq. num. 10. Moneta de Commut. c. 4. num. 3. Monet. Genuen. Bossius. De Lugo.*

23 Quintò: quod pro maritandis, aut monachandis puellis: alioquin juxta statum suum indotatis. Id quod ad puellas etiam divites ampliant nonnulli ex aliquibus juris Textibus, ubi dotare absolutè pietas appellatur. Sed melius alij communiter id intelligunt de pietate latè dicta, prout distinximus *num. 15.* *Mostaz. c. 2. Mostaz. num. 3.*

Constit.

Suar.

Diana.

Barbos.

Molina.

Rubens.

Barbos.

Mostaz.

Fragol.

Dian.

Tiraq.

Riccius.

Rubens.

Molfes.

Diana.

Bossius.

Barbos.

Mostaz.

Rubens.

Tiraq.

Privi-

num. 8. De monachandis, aliter dicendum videtur: scilicet carum donationes esse factas: Et pias, quamvis pueri, si ues sint: nam scorsim etiam à circumstantiâ paupertatis sublevandæ, maior titulus Religionis, qui pius est. Unde sumitur etiam ratio disparitatis, cum legata Ecclesiis, alioquin divitibus, sint pia; non autem sic legata personis divitibus, ut jam tetigi *num. 19.* & res petam *num. 30.*

24. Sexto: quod pro puris ad studia transigenda. In quo alij generaliter sic affirmant: quia Scholares in Jure personis miserabilibus adnumerantur, ut assertit Velasco *de priv. miserabilium personarum q. 14.* Alij non ita generaliter aiunt quod in studiis, Medicinæ, Juris, Civilis, & Philosophiæ, quamvis exact ratio publicæ utilitatis; non tamen propterea ratio causæ piæ strictim acceptæ. Dicendum videretur, quod, si Scholares sunt pauperes, cum jam titulus paupertatis de suo, det rationem causæ piæ, non est necesse recurrere ad discrimen illud, scientiarum. Si verò pauperes ita non sunt, sed habent aliunde congruam sustentationem; relinquunt tamen illis legatum pro studiis; censet pius & ex causa stricti piæ Mostazo alio citans *num. 23.* si est pro studiis Theologiæ, aut Juris Canonici, & secularium minorum in ordine ad istas; secus verò si pro studiis aliarum scientiarum. Unde semina studentium instituta juxta *Trid. sess. 23. de Ref. c. 18.* ad educandos, & Ecclesiasticis dogmatibus instruendos adolescentes, sine dubio opera pia sunt.

25. Septimo; quod pro Montibus pietatis, in id, ut sonat, instituendis; ut pecunia, vel instrumentum pauperibus moneatur sub pignoris, vel hypothecis: cum illis tantum expensis, quæ sufficiunt ad illorum conservationem. Colligitur ex *Trid. sess. 22. de Reform. c. 8. & 9.* de quo Molina tractat *de Inst. disp. 32.*

26. Non verò quod pro reparandis pontibus, fontibus, & viis publicis. Nisi casu quo reparatio necessaria esset, & Republica ita pauper esset, ut ad id non haberet. Nam, sicut privata Persona, ita & Republica, potest de pauperibus, & tunc illi subvenire, pius esset, sicut & privata persona. Tirag. Meaorch. & alij apud Barbosa *num. 21.*

27. Quod verò donatur, vel legatur consanguineis, aut amicis, indiget distinctione. Si pauperes sunt, non sunt certe

personis conditionis, quam extranei: nec est minus pius illis subvenire quam extraneis: ac proinde legatum, aut donatum pro ipsis pius opus est, & causa pia. Et hoc quidem, quamvis legans; aut donans intuitu etiam sanguinis, & amicitie moveatur: non enim petinde tollitur alter finis inopiæ sublevandæ: imò in dubio præsumendus est pro foro etiam externi

Mostaz. *Delug. Dian.* *Meftaz. c. 1. n. 24.* cum multis Juribus, & Juristis. Card. de Lugo *10m. 2. de Inst. disp. 24. sect. 9.* Diana *p. 7. r. 6. ref. 30.* Dummodo tamen donationes ejusmodi immodicæ non sint, nec prætergressæ fines sublevandæ paupertatem amicorum, aut consanguineorum, ulterius procedant, ad illos locuplerandos, supra statum competentem. Habito etiam proportionato respectu in consanguineis ad statum præsentem ratione dignitatis dominantis, aut legantis: illi enim consanguinei opifices, quibus juxta statum suum antiquiorem pauca sufficerent, pinguiori jam egent sustentatione, ne mancant in illa infirmitate facti jam consanguinei Personæ in dignioribus constituta. Sanchez *lib. 2. cont. fil. c. 2. dnb. 38.* Delugo *disp. 4. de Inst. num. 70.*

29. Si verò consanguineis, vel amicis nullo ex his modis sint pauperes, nec accedat titulus alius Religionis juxta dicta *num. 23.* legatum, vel donatio pro illis non induit rationem operis piæ, seu causæ piæ; sed sciendum est de ipsis, sicut de aliis divitibus, aut non pauperibus extraneis. Quia titulus consanguinitatis, vel amicitie non præferret rationem pietatis strictim dictæ, prout in præsentibus loquimur.

30. An quid, si diviti, sive consanguineo, sive amico, sive extraneo, fieret legatum, aut donatio ex sine amoris Dei, seu pro bono animæ: puta, ut pro te orer, vel ut melius possit pro te elemosinas erogare? Dupliciter posset id accidere. Uno modo si tale legatum, aut donatum fiat res divitis; Alio modo, si non fiat res divitis, sed sub illius administratione relinquatur, ut expendat in elemosinâ, suffragiâ, aut pia alia opera pro bono animæ legantis, aut donantis.

31. In priori casu non est legatum pius: ad hoc enim non sufficit intentio illa spiritualis, & pia, quæ certè in quicumque donatione, legato, & testamento intervenire potest; sed requiritur, quod opus ipsum materiale, ut jam innumis ad finem

Mostaz. Delug. Dian.

Sanchez

Sanchez Delugo.

Delugo

Navarra Sanchez Molina Bonac.

num. 23. ex speciali sua natura, & circumstantiis redoleat pietatem: quod usque adeo verum est, ut legatum Ecclesiæ factum sit, & vocetur verè pius, quamvis ex inanis gloriæ sine legaretur. Legatum autem, aut donatum diviti ex se non redoleat pietatem: cum nec sit reipsa sublevatio miseræ, nec Dei cultus. Et sic procedit doctrina Diana, Barbozæ, Ancharani, & aliorum apud Mostaz. *c. 1. n. 13.* quod pietas non dicitur quæ simulatur, sed quæ consistit in substantia veritatis *l. C. de mendic. lib. 1. l. cum hi 8. §. sed in annos ff. de Transact.*

Dian. Barboz. Mostaz. Anchar.

Mostaz.

Delug.

Navarra Sanchez Molina Bonac.

Navarra Sotus Sanchez Molina.

tiones erga spurios, ut videre est apud Bossium *c. 6. n. 65.*

36. Per hæc, & alia, quæ fusiùs videri possunt apud Auctores citatos, satis latus patet campus piorum operum, in quæ convertibiles sunt Personatus Tarraconenses: servatâ semper ratione perpetuitatis juxta Constitutionem, ut dicemus *sect. sequenti.*

Bossius.

Sanchez

SECTIO IV.

An opus pius, in quod post aliquos Personatariorum, ut as convertitur, Personatus, debeat esse perpetuum.

37. Ex clausula 4. & 5. Constitutio- nis colligitur, hæc Personalia Beneficia, utpote non perpetua in ratione Beneficii Ecclesiastici, post aliquot Personatariorum, vitas in fundatione designatas converti posse; amittendo jam rationem, & statum Beneficii, in aliud opus pius designatum similiter in fundatione Personatus. Queritur: an hoc opus pius, in quod tranfit Personatus, debeat esse perpetuum; ita ut, quamvis desit perpetuitas in ratione Beneficii, adesse tamen debeat perpetuitas in ratione operis piæ ex redditibus Personatus: an verò tranfire possit in opus pius temporarium, consumptâ nimirum unâ, aut duplici vice proprietate, seu dote Personatus in aliquo opere pio, v. g. in maritandâ puella, vel dotandâ Moniali.

38. Audivi à fidedignis, aliquos Ordinarios hoc postremum nonnunquam tolerasse: quod nimirum dos, seu proprietatem Personatus converti in opus pius, in totum, vel in partem consumeretur in tali opere pio. Quippe in ea erant sententia, quod non sit necesse opus pius, in quod convertitur Personatus, fore perpetuum. Quæ sententia potest tripliciter fundari.

39. Primò: quia dos illa Personatus post vitas Personatariorum, qui ex institutione illum possederunt, jam desinit esse proprietatem Beneficii, solumque retinet qualitates, seu proprietatis operis piæ, in quod Personatus conversus est: at de ratione operis piæ non est perpetuitas, cum stet ratio operis piæ, consumptâ totâ proprietate pro una vice: ergo non est cur dos illa nequeat una vice consumi in opere

Sanchez

Sanchez

re

Velasco

Mostaz.

Trident.

Trident.

Molina

Tirag.

Menoch.

Barbosa.

Sanchez

re pio, aut cur debeat esse perpetua in ratione operis pij.

40 Secundò: quia sæpè opus istud pium, in quod convertitur dos Personatùs, est maritare puellas pauperes, ita ut dos Personatus transeat in dotem pro matrimonio, ut est praxis, quam jam supponit Navarrus *vers. Ex quibus*: ergo tunc unâ vice consumitur dos Personatus, nec manet jam ad ulterius opus pium in perpetuum.

Navarr.

41 Tertio: quia posset fundator Personatus sic instituere illum ab initio, ut nullatenus velit illa bona sua applicari Ecclesie, nisi sub hoc pacto, & conditione, quòd post vitas Personatariorum, quos designat, insumatur, & extinguatur tota illa dos Personatùs unâ vice in aliquod opus pium. Non est etenim unde id videatur repugnare. Credibile igitur est, sic evenire de facto in Personatibus Tarraconen. aut saltem non esse contra ipsorum naturam, quòd modo dicto eorum dos post finitas vitas Personatariorum extinguatur, insumpta semel in aliquo opere pio, v.g. in dotandâ puella pro matrimonio, vel pro ingressu Religionis: quin sit necesse converti in opus pium perpetuum.

42 Si non obstaret Constitutio ipsa Tarraconensis cui in his omnibus inhæremus, tolerari fortè posset hæc sententia. Me tamen iudice, stando Constitutioni sustinenda non est. Sicque censuit P. Joan. Bossa. *cap. 6.* fertque communis praxis, non permittentibus communiter Ordinarijs, dotem Personatùs converti in opus pium non perpetuum, inò caventibus in ipsi Institutionibus, ne dos illa, sive proprietatis consumatur; sed maneat reddituus, & fructificans in perpetuum pro opere pio ex redditibus, seu fructibus perpetuando. Quod si aliter faciant possessores Personatum, absumentes uno actu totam dotem in opere pio; verendum est ne fiat dolo, & fraude, & ferè semper sine consensu Ordinariorum.

Bossassa.

43 Fundamentum est: quia quando Constitutio loquitur, juxta quam laudat consuetudinem immemorialem, de convertendo Personatu in aliud opus pium; semper supponit, operi pio applicari redditus ibi, *claus. 1. & postea eorum redditus in alios pios usus applicarentur.* Si autem tota dos, seu proprietates in opere pio insumeretur, hoc quidem non esset applicare

Constit.

redditus, sed proprietatem operi pio. Insuper *claus. 4.* ibi: *Quod si permittatur in fundatione, ut in alia opera pia redditus supradicti collocentur.* Et inferitis in eadem *claus. 4.* ibi: *in ipsa erectione, seu fundatione declarentur species piorum operum: & cum casus venerit, in ea pia opera illi redditus distribuantur.* Semper ergo loquitur Constitutio de redditibus, & solum loquitur de redditibus, quando ex immemoriali approbat, seu tolerat applicationem illam Personatùs in aliud opus pium: ergo insumere proprietatem Personatùs in opere pio, & est contra mentem Constitutionis, & contra consuetudinem in ea toleratam, & laudatam.

Constit.

44 Confirmatur ex severo illo conatu ejusdem Constitutionis, quo maximè commendant *claus. 2.* ne fundentur Personatus, nisi dos assignata, in censualibus, vel aliis redditibus perpetuis consistat. Et præscribit Episcopis, ut aliter decretum & auctoritatem suam in fundatione ininterponere non possint. Et *claus. 3.* statuit, ut dos, sive bona illa Personatùs sint aliqui veri redditus in locis tuis, & firmis consistentes, & ab iisdem Ordinarijs antea approbandi. Et paulo post ibidem: *nec dos in sola pecunia numerata consistat: aut in prædiis, vel domibus inutilibus, aliisve rebus mobilibus, vel immobilibus, aut animalibus, nisi ea perpetuo fructuosa esse verisimiliter possint.* Quorum autem, precor, vehemens iste conatus Patrum Tarraconensium in celebri illa sua constitutione circa firmitatem, & perpetuitatem reddituum pro fundandis Personatibus non duraturis in ratione Beneficij, si saltem in ratione operis pij non requireretur perpetuitas? Ergo ex mente dictæ Constitutionis adesse debet ea perpetuitas in ratione operis pij ex redditibus dotis Personatùs; ac proinde non licet absumere uno actu proprietatem dictæ dotis in opere pio.

Constit.

45 Fundamentum alterum est ex dispositionibus Iuris communis, cui subjiciuntur isti Personatus in iis, in quibus specialiter non privilegiantur ex consuetudine immemoriali approbata, seu toleratâ à dicta Constitutione Tarraconensi. Nam dotes, seu proprietates Personatum, quamvis extincto post aliquot vitas Beneficio, desinant esse dotes, & proprietates Beneficij præsentis; fuerunt tamen dotes,

dotes, & proprietates veri Beneficij Ecclesiastici, & transferunt ad opus pium affecta hac qualitate bonorum Ecclesiasticorum: supra quæ hotta cadit solemnitas illa prohibitio alienandi Ecclesiastica bona, constans ex Sacris Canonibus, præsertim ex rigidissima Extravag. *ambitiosa.* in qua prohibentur alienationes bonorum Ecclesiasticorum, ut explicat latè Barbo. *de Paroest. Ep. p. 3 alleg. 95.* & Castro Palau *tom 2. tract. 12. p. 15.* At certè si dos tota, quæ fuit dos Personatùs insumeretur unâ vice in opere pio, scilicet pro maritanda puellæ hæc mortuâ, dos sive proprietates illa veniret ad ejus hæredes inter bona merè laicæ, absque ullo deinceps vestigio rei Ecclesiasticæ, aut operis pij: quæ videtur esse alienatio bonorum Ecclesiasticorum in casu à jure non permisso.

Barbo. Palau.

46 Undè frustreretur magna ex parte laudabilis finis Constitutionis Tarraconensis: quæ ex eo promovere studet horum Personatum consuetudinem, quia sic multe proventus accrescunt Ecclesijs; cum per fundationes Personatum multa bona, sæcularia fiant bona Ecclesiastica; Deoque per hujusmodi Beneficia Personalalia consecrentur. Si autem postmodum, consumptis proprietatibus, insumeretur dos, una vel duplici vice pro maritanda puella; jam iterum bona illa fierent omnino sæcularia: & desinerent omnino esse bona Ecclesiastica: & fraudaretur Ecclesia radicibus illis bonis, quæ per Institutiones Personatum adquisiverat, & facta fuerant bona Ecclesiastica, ut expendit

Navarr.

Navarrus *d. cons. 43. vers. Quæ omnia.*  
47 Ad primam rationem contrariam positam *num. 39.* verum est quòd dos illa Personatùs post vitas Personatariorum, qui illum possederunt, desinit esse proprietates Beneficij, solumque retinet qualitates operis pij. At non qualiscunque operis pij, sed operis pij perpetui, ut expendimus ex tenore Constitut. Tarracon. & contra hanc rationem operis pij perscriptam à jure speciali Constitut. Tarracon. esset consumere, & uno actu extinguere totam illam dotem, & proprietatem quantumvis in opere pio.

Navarr.

48 Ad secundam ex *num. 40.* verum estiam est quòd ait Navarr. sæpè opus illud pium, in quod convertitur Personatus esse maritare puellas pauperes. Cæterum hoc non est sic intelligendum, ut ea proprietates absumatur in maritanda, unâ vel

duplici puella; sed sic; ut manente in perpetuum eâ proprietate, assignentur aliquot pensiones annuæ, plures vel pauciores, prout maior, aut minor erit pensio, & dignior puella maritanda: manente tamen in perpetuum ad similes usus pios capitali dictæ proprietatis: & de hac praxi potuit loqui Navarr. quam, & nos aliam videtur approbare consuetudo, & Constitutio Tarraconensis.

49 Ad tertiam ex *num. 41.* verum etiam est, posse aliquem Institutorem eo pacto, & non aliter, velle fundare Personatum: nec id ex natura rei repugnare. Non est autem credibile, nec verisimile, sic evenire de facto in Personatibus Tarraconensibus. Velunt enim Institutores fundare suos personatus juxta Constitutionem Tarraconen. & juxta eam interponunt Ordinarij decretum suum: at juxta prædictam Constitut. ut expendimus *num. 43. & 44.* conversio Personatùs in opus pium debet esse in opus pium perpetuum: sicque fert etiam consuetudo. Undè, quamvis modus ille instituendi Personatum cum eo pacto irregulari, non repugnet ex natura rei, nam potuit, sic etiam abire in consuetudinem immemorialem, & tolerari ab Ecclesia; repugnat tamen Constitutioni, & consuetudini Tarraconensi, prout de facto: & repugnat etiam naturæ Beneficij Ecclesiastici, requirentis juxta Sacros Canones perpetuitatē: nisi in aliquo casu ex privilegio, vel quasi privilegio, aliter permittatur. At certè, quamvis in hac Provincia ab immemoriali permittatur quòd Beneficia isthæc Personalalia, temporaria, seu libera, deficiant à regula, & à lege perpetuitatis in ratione Beneficij; at non nisi retentâ perpetuitate in ratione operis pij: cum aliquali videlicet respectu ad statum beneficiale, quem habuerunt, requirentem ex jure communi perpetuitatem.

## SECTIO V.

*An dicti Personatus Tarraconenses sine propriè, reliquæ appellentur Beneficia Ecclesiastica.*

50 **R**atio dubitandi pro parte negativâ duplex est. Prima: quia de ratione Beneficij Ecclesiastici est quòd sit perpetuum, ut colligitur ex *C. Sandorum 70. c. penult. de Cler. agrot. & C.*

& C. si gratiosè de Rescriptis in 6. ex quibus, & aliis Textibus, multisque Authoribus sic definit Beneficium Barbosa lib. 3. de Iure univ. cap. 4. n. 8. jus perpetuum, quoad ipsum accipientem spiritualibus annexum ad percipiendos redditus Ecclesiasticos ratione spiritualis officij Ecclesiasticæ Auctoritate constitutum. At Personatus Tarracon. non sunt perpetui, cum sint, & dicantur temporarij ad aliquot certarum personarum vitas: ergo non sunt propriè Beneficia Ecclesiastica.

51 Secundò: quia hujusmodi Personatus conferuntur ab Institutibus etiam privatis, & deinceps à collatoriis etiam privatis instrumento cujuscumque Notarij: imò & solo verbo; quin sit necesse conferri ab Episcopo, quamvis interponi debeat Episcopi Authoritas. At de ratione Beneficij Ecclesiastici est debere conferri ab Episcopo, aut saltem à superioribus Ecclesiasticis: ex C. Massana de elect. C. Si quis deinceps: C. Nullus laicorum apud Palaum nu. 3. & ex multis aliis apud Barbosam nu. 25. ubi vocat requisitum necessarium, ut sit aliquod Beneficium, quòd conferri non possit, nisi ab Ecclesiastica Persona, Episcopo, vel Pralato; non verò à laico.

52 Respondetur tamen ad primum, perpetuitatem non esse de ratione essentiali Beneficij Ecclesiastici: quamvis verum sit, quòd ex dispositione Juris communis Beneficia sint perpetua, ut bene convincitur ex juribus citatis. Undè est quod cum Vasquez ait Palaus n. 5. posse Ecclesiam instituere Beneficia pro aliquo tempore determinato, & sic instituta veram habere rationem Beneficij: quia saltem pro illo tempore essent jus spirituale percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis.

Hoc autem, quod posset ubique introducere potestas Ecclesiæ, introduxit legitima consuetudo in Personatibus Tarraconensibus: qui propterea veram, propriam, & essentialem retinent rationem Beneficij, quamvis quoad perpetuitatem exorbitent, & excipiantur à jure communi Beneficiorum. Undè est quod ait ipse Barbosa n. 11. non tamen repugnat, ut speciali jure, & privilegio aliqua Beneficia possint non esse perpetua: & inter alia allegat Rotam in quadam Gerundens. Personatus, & Causa piæ, quam etiam allegat Ascan. Tamburin. id ipsum affirmans to. 1. de Iure Abb. disp. 1. quaest. 2. num. 26. in nostris

terminis de Beneficiis Personal. Tarracon.

53 Ad secundum respondetur in primis, Personatum collationes jam fieri per Ordinarios, ut notavimus sect. 1. nu. 9. Quodsi forte verum est quod scribit Navarrus ibi citatus ex antiquiori praxi; respondetur aliter, hæc Beneficia personalia fuisse quoque ex consuetudine privilegiata, quoad regulam juris communis, præscribentem, Beneficia non conferenda, nisi à superiore Ecclesiastico. Quod privilegium, seu quasi, non tollit ab illis veram, & propriam rationem Beneficij: quamvis faciat, ne sint Beneficia, sicut alia Juris communis, de quibus intelligendi sunt Textus & Authores, quos allegat Barbosa: præsertim cum, & scævina quoque ex privilegio Papæ possit conferre Beneficium, ut in sua Praxi Benefic. adnotat ex multis Pyrrhus Corr. lib. 1. c. 4. n. 81.

54 Notandum venit, aliud esse, quòd Personatus instituantur, & conferantur absque Authoritate Ecclesiastica; aliud quod non conferantur à Pralato Ecclesiastico. Illud prius est falsum; semper enim intercedit Authoritas Episcopi, sine cujus licentia, nec instituantur, nec conferuntur: istud posterius est verum. At ratio Beneficij Ecclesiastici non omninò requirit debere conferri à superiore Ecclesiastico, ut multis probat Navarrus dicto consil. 43. num. 10. quamvis omninò requirat institui Authoritate Ecclesiasticâ: cum ex S. The. 2. 2. qu. 100. art. 4. aliisque Theologis, & Canonistis, sit jus spirituale, vel spiritualibus annexum: per eundem Navarrum num. 7. Hanc autem Authoritatem, jam præferunt Personatus Tarraconenses ex clausula 2. Constitutionis: ac proinde ex hac parte non deficiunt à ratione essentiali Beneficij Ecclesiastici.

55 Conclusio. Personatus hujusmodi Tarraconenses sunt verè, & propriè Beneficia Ecclesiastica. Sic absolutè loquuntur Navarrus, & Mendo ubi supra, & Trullench lib. 7. Decal. c. 12. dub. 6. n. 4. Idque supposuit, ut indubitatum Sacra Rota in una Gerundens. Personatus, quæ est 379. Novissimarum apud Paulum Rubeum p. 5. tom. 1. sub 17. Martij 1630. & exinde Ascan. Tamburin. in Indice to. 3. de Iure Abb. verbo Personatus: & Corradus in Praxi Benef. lib. 1. cap. 6. num. 284.

56 Ratio autem est: quia Constitutio Tarraconensis Personatus suos appellat Bene-

Beneficia. Nec obest quod addat personalia: quod videtur additum diminuens, quasi simpliciter, & absolutè Beneficia non sint, sed impropriè, & cum addito. Nam reverà illud non esse additum diminuens, sed differentiale ab aliis Beneficiis Juris communis, colligitur ex ipsa Constitutione. Supponit enim, consuetudine immemorabili quasi speciali jure inductum esse, ut quo ad aliqua exorbitent à Jure communi. At certè si propriè, & absolutè non essent Beneficia Ecclesiastica, nec esset cur dicerentur exorbitare à Jure communi, nec opus esset recurrere ad consuetudinem habentem vim privilegij ad honestandas ejusmodi Institutiones. Nam relinqui, seu applicari aliquos redditus Ecclesiæ per modum fideicommissi, mutui, aut aliter non perpetuos, & absque collatione superioris Ecclesiastici, in nihilo exorbitat à Jure communi, nec indiget privilegio. Dicit ergo hujusmodi Personatus exorbitare à Jure communi, & recurrere pro illis ad consuetudinem habentem vim privilegij, est supponere esse propriè Beneficia Ecclesiastica; privilegiata tamen in eo quòd non sint perpetua, nec à superiore Ecclesiastico conferenda: quod tamen deberet esse de Jure communi.

57 Præterea eadem Constitutio clausula 2. prohibet, ne Personatus isti, sine Authoritate, vel decreto Episcopi, seu ejus Vicarij Generalis erigantur: & clausula tertia præscribit, ut dos illorum sint bona firma stabilia, & quæ verisimiliter sint perpetuò fructuosa: & hoc quidem in judicio, & approbatione Episcopi. Ad quid autem hæc omnia, si Personatus non essent propria Beneficia? nam alia bona, quæ reliquuntur Ecclesiis per alios titulos, non requirunt has solemnitates.

58 Accedunt aliæ multæ conditiones propriæ Beneficiorum. Prima, quòd in istorum Personatum fundatione, resignatione, & permutatione, committi possunt simoniæ, ut ait ipsa Constitutio: Undè ergo nascerentur istæ simoniæ, si non essent Beneficia Ecclesiastica? Secunda, quòd possunt permutari cum aliis Beneficiis Juris communis, & quotidie permittantur, ut supponit eadem Constitutio: & Navarr. ex illa, & ex consuetudine Navarrus n. 17. notat specialem modum harum permutationum. Si autem Personatus non essent

Beneficia, non possent fieri tales permutationes. Tertia, quòd nequeunt conferri nisi clericis, & vacant, eo ipso quòd habens Personatum contrahit Matrimonium. Quæ conditiones indicant, eos esse veras, & propria Beneficia Ecclesiastica: alioquin conferri possent laico, & non vacarent subsequuto Matrimonio. Accedit, quòd nunc Personatum collationes, tam in prima Institutione, quàm in subsequen- tibus Permutationibus, jam fiunt ab Ordinario Ecclesiastico, more aliorum Beneficiorum, ut monui sect. 2. num. 9.

59 Nec ab hoc nostro sensu discrepat Barbosa, loquens de Capellaniis c. 5. & de Præstimonis cap. 8. De utriusque enim ait esse propria Beneficia Ecclesiastica, si Authoritate Ecclesiastica instituantur, si Solis clericis conferri possint, & aliquod spirituale obsequium annexum habeant: quæ omnia Personatibus Tarraconensibus, sine dubio conveniunt: atque adeò sunt, & dici debent absolutè, & propriè Ecclesiastica Beneficia: ut de Præstimonis habet etiam Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 22. à num. 7. præsertim post motum proprium Pij V. quem refert n. 10. Illud postremum, quod exigitur in definitione Beneficij Ecclesiastici, de obsequio spirituali annexo Personatibus, constabit ex sect. sequenti.

## SECTIO VI.

An hujusmodi Personatus importent onus recitandi Horas Canonicas.

60 Videbitur forsitan alicui, quòd non. Quia obligatio ad horas Canonicas inducitur à Jure communi. At Personatus illi Tarraconenses non sunt de Jure communi: in Constitutione autem speciali Tarraconensi nulla fit mentio talis obligationis: non est ergo unde imponatur habentibus tales Personatus. Propter quod, & propter consuetudinem, quam à viro probo se intellexisse testatur, inclinatur in hanc partem negativam Trullench. lib. 7. Decal. c. 12. dub. 6. n. 6.

61 Conclusio tamen certa fit cum Navarro d. consil. 43. n. 18. & Mendo num. etiam 18. hos Personatus per se loquendo importare onus, & obligationem Horarum. Dixi per se loquendo: nam propter eorum exiguitatem possent aliqui Personatus

A A a natus

Barbos.

Navarr.

Barbos.

Pyrrh.

Palaus.  
Barbos.Navarr.  
S. Tho.Vasquez.  
Palaus.

Navarr.

Constit.

Barbosa.

Navarr.  
Mendo.  
Trullench.  
Rota.

Rot.

Rubeus:  
Tambur.

Tambur.

Corrad.

Constit.

natus per accidens ad quotidianum Horarium pensum non obligare, ut idci solet cum Soro, & Lessio de aliis Beneficiis Juris communis: quorum si annui redditus non sufficiant ad bonam partem congruam sustentationis, scilicet ad quartam juxta aliquos, aut juxta alios ad tertiam: non obligant ad Horas: ut est apud Dianam p. 2. tract. 1. 2. resol. 9. & Tamburin. lib. 2. decal. c. 5. à n. 24. quamvis Suarez, & plures alij omni Beneficio, & consequenter omni Personatui, etiam per exiguo, Horarium pensum imponant.

Sor. Lessio

Dian. Suar.

62. Ratio conclusionis est valde con-  
suetaria ad doctrinam sectionis preceden-  
tis. Nam hi Personatus, quamvis non sint Beneficia Juris communis, sunt tamen verè, & propriè Beneficia, ut vidimus: & propterea gaudent privilegijs aliorum Beneficiorum Juris communis: non est ergo cur eximantur ab oneribus aliorum Beneficiorum, neq. cur quoad omnia exorbitare debeant, nisi quoad id dumtaxat, quod invaluit ex consuetudine inmemorabili. At consuetudo eximendi obtentores Personatum Tarraconensem ab onere divini officij non extat, nec colligi potest ex Constitutione; imò consuetudo est in contrarium pro hac obligatione. Cum ergo Beneficium sit propter officium, & officium Beneficiorum sit Horas Canonicas recitare, ad eas tenebuntur obtentores horum Personatum pariter, ac alij Beneficij Juris communis.

Constit.

63. Insuper Constitutio Tarraconensis, demptis illis duabus conditionibus, nempe perpetuitatis, & collationis fortè à Superiore Ecclesiastico, quoad alia supponit, hos suos Personatus subjacere legibus Juris communis, sicut alia Beneficia: quatenus in 6. clausula monet Episcopos, ut severitate Canonica procedant contra eos, qui in fundatione, collatione, & permutatione Personatum commiserint aliquid contrarium Juri communi, exceptis his, quæ ex consuetudine privilegiante declarata in eadem Constitutione, sunt specialia, & propria horum Personatum; & subjungit: Quod non solum in futura, sed etiam in præterita crimina, jure communi prohibita locum habere declaramus. Per quæ supponit aperte Constitutio, exceptis illis duabus conditionibus ex speciali consuetudine, debere servare suos Personatus leges aliarum Beneficiorum Juris communis, ac proinde non eximi ab

obligatione Horarum. Alioquin, si ex eo quodd Personatus non sint Juris communis, liceret eos eximere à legibus aliorum Beneficiorum, præter illas etiam duas conditiones, in quibus ex consuetudine privilegiantur: dici etiam similiter posset, non esse materiam simoniæ eorum privatas permutationes: cum ejusmodi Simonia permutationis Beneficiorum solum sit ex Jure communi Ecclesiastico. Et tamen supponit Constitutio in 2. & 3. clausula, committi simonias contra jus istud commune in fundationibus, collationibus, & permutationibus Personatum: ergo quis, demptis illis duabus conditionibus, supponit, quoad alia subjacere hæc personalia Beneficia legibus Beneficiorum Juris communis: atque adeo obligationi Horarum Canonicarum.

64. Hinc ad rationem oppositam n. 60. respondetur facile, verum esse, obligationem Horarum induci à Jure communi, & Constitutionem Tarraconensem, non specialiter illis imponere hæc obligationem. Cæterum hæc obligatio resultat in hæc Beneficia personalia ex Jure communi: Beneficiorum: cui Juri communi manent subiecta in his omnibus, in quibus à consuetudine non privilegiantur. Cum autem, ut ex dictis, & ex ipsa Constitutione constat, non privilegiantur à consuetudine quoad obligationem Horarum, inde est quod ex Jure communi competat illis, sicut, & aliis Beneficiis Ecclesiasticis ejusmodi obligatio persolvendi divinum officium.

65. Inferitur, quod ex falsa narratione consuetudinis legitime, & inmemorialis processit Trullench; tentans propter illam excusare obtentores Personatum ab obligatione Horarum: quod nec probabile nobis esse potest, certò scientibus consuetudinem recitandi. Fortè vir ille probus, cujus dicto nimis acquievit Trullench, retulit indiscretè consuetudinem non recitandi, quam observare potuit in aliquibus obtentoribus Personatum non sufficientium ad bonam partem sustentationis. Ex quo non sequitur, hujusmodi Personatus per se loquendo non obligare ad Horas Canonicas; sed obtentores aliquorum Personatum exiguorum se immunes ab ea obligatione judicasse ex opinione eximente ab obligatione recitandi eos, qui Beneficia etiam Juris communis obtinent

Trullench.

Trullench.

nant exiguorum reddituum, ut præmonui n. 61.

SECTIO VII.

An hujusmodi Personatus sint titulus aprius, quo possint Personatary in Sacris Ordinari.

Trident.

67. Sermo est hinc de Personatibus, quorum redditus sufficiunt ad congruam sustentationem clerici, qui ad ejusmodi titulum ordinatur in sacris: quæ etiam sufficientia ad congruam sustentationem requiritur in Beneficiis Juris communis, ut Beneficiarius possit ad eum titulum sacris initiari: juxta decretum Tridentini sess. 21. cap. 2. de Reform.

68. Conclusio est affirmativa, quam tenet Mendo, & probat quotidiana praxis Episcoporum Provinciae Tarraconensis, ordinantium in Sacris ad titulum Personatus. Et procedit sine difficultate, supposito, quod hi Personatus sint verè Beneficia Ecclesiastica; & effectivè habeant jam redditus sufficientes ad congruam sustentationem. Si enim dos Personatus nondum esset constituta in censuale, sed dumtaxat deposita ad censuale creandum, uti solet fieri ex dicendis sect. 10. non existimarem, esse titulum aprium ad Ordines sacros.

Trident.

69. Quinimò, & quamvis non essent propriè Beneficia Ecclesiastica, possent dici Personatus esse titulus sufficiens ad sacros Ordines: ut solet dici de Pensionibus, & alijs redditibus Ecclesiasticis, qui Beneficia non sunt, & ad congruam sustentationem sufficiunt. Et ratio est, quia Concilium ex eo hujusmodi titulos requirit, ne ordinati in sacris cogantur cum dedecore mendicare: habens autem Personatum prædictum jam habet quo decentè, & honestè vivat, quin cogatur mendicare.

70. Personatum autem, cujus titulo quis ordinatus est in sacris, non poterit resignare, nisi mentione facta, quod ad illius titulum ordinatus est: alioquin nulla foret resignatio ex Trident. cit. Nec resignatio potest ab Ordinario admitti, nisi constet, talem Ordinatam habere aliunde congruam. Nec poterit talis Personatus permutari cum Beneficio non sufficiente ad congruam. Quod totum procedit ex jure Tridentini de titulo Ordinandorum in sacris.

SECTIO VIII.

An ejusmodi Personatus afferant privilegia Fori, & Canonis, & exemptionis à gabellis.

Trullench.

Supra sect. 5.

71. DE privilegio Fori, & de exemptione à Gabellis affirmat merito Trullench num. 4. in nostris terminis: quis, inquit, ejusmodi Personatus sunt Beneficia Ecclesiastica, ut & nos vidimus sect. 5. ac proinde eorum obtentores gaudent privilegijs aliorum Beneficiorum Juris communis: ergo eo modo quo alij Beneficiarij gaudent privilegio Fori, & eximuntur à Gabellis, tributis, & vestigialibus; sic etiam qui ritè possident hujusmodi Personatus.

72. De privilegio Canonis similiter affirmandum est à fortiori. Quis hujusmodi Personatus supponunt statum Clericalem: cum nequeant conferri, nisi habentibus primam tonsuram: ergo æquiparandi sunt alijs Beneficiis Juris communis, quo ad hoc etiam privilegium Canonis.

Palau.

73. Nec mirum: cum, quoad hos favores, nomine Beneficij Ecclesiastici veniant etiam Præstimoniam, Capellaniam collativam, imò & Coadjutoriam cum assignatione Pontificis. Quinimò & probabiliter Pensiones Ecclesiasticæ. Quæ omnia videri possunt apud Palau tom. 2. tract. 12. punc. 2. ubi plenè, & distinctè id pertractat. Ergo multò melius ampliari id potest, ac debet ad Beneficia Personalia Tarraconensia, quæ, ut vidimus, verè Beneficia Ecclesiastica sunt.

SECTIO IX.

An ejusmodi Personatus sint Beneficia secularia? an regularia? an mixta?

Navarr.

74. NAVARRUS num. 16. defendens, hos Personatus esse Beneficia Ecclesiastica, opponit sibi, quod omne Beneficium est, aut Sæculare, aut Regulare: at prædicti Personatus non videntur esse Sæculares, quia si eorum obtentores fiant Canonici Regulares non mendicantes, non perinde vacant. Deinde neque sunt Regulares, quia conferuntur Sæcularibus: ergo non sunt Beneficia Ecclesiastica.

75 Respondet tamen, divisionem illam, procedere de Jure communi: juxta quod omnia Beneficia sunt, aut regularia, aut secularia: ad hunc effectum, ut secularia solis secularibus; regularia vero solis regularibus conferantur. Privilegio tamen Papat fieri posse, ut unum, & idem Beneficium sit regulare, & seculari ad hunc effectum, quod conferri possit, tam Regularibus, quam Sæcularibus: hoc autem induxisse videtur in hos Personatus consuetudo vim habens privilegij. Per quæ admisisse videtur Navarrus, hos Personatus esse de Jure speciali tertiam quamdam speciem Beneficiorum mixtam ex seculari, & regulari, utpote de utroque aliquid participantem.

76 Res est exigui momenti. Si minus alicui placeat modus loquendi Navarri, poterit dicere hos Personatus esse absolute Beneficia secularia. Nam eo ipso quod clericis secularibus conferri possint, secularia sunt, quamvis conferri quoque possent Regularibus, aut ab ipsis possint retineri. Quemadmodum bona dicuntur secularia, quæ usibus profanis servire possunt; quamvis sacris etiam usibus quandoque inserviant: at ut dicantur bona Ecclesiastica debent adstringi usibus sacris.

77 Favet quod Regularis Societatis JESU post vota biennij possidere potest aliquod Beneficium Ecclesiasticum Juris communis penes Sanchez tom. 2. Decal. lib. 7. cap. 29 num. 10. Pellizarium tom. 1. Regular. tract. 4. cap. 2. num. 52. & Barbosa de Potest. Epist. allegat. 57. nu. 208. Quinimodò, & potuisse olim à Regularibus Jesuitis obtineri ejusmodi Beneficia, colligitur satis ex decreto 139. & ex canone 2. Congreg. 1. quamvis postea id fuerit illis ab ipsa societate prohibitum, ut saltem absque expressa licentia Præpositi Generalis id nullatenus liceat. Quin perinde talia Beneficia sint, aut dicantur regularia, nec mixta; sed absolute secularia: quia conferri etiam possunt ex Institutione sua Clerico

Sæculari.

\*\*

\*

### SECTIO X.

*An deposita tunc pecunia, quæ est dos Personatus, nondum creato ex illa censuali, aut alio reddito, constituantur jam Personatus ad effectum permutationis*

78 Hoc punctum est magni momenti pro praxi. Sic titulum expono. Destinat quis mille pro Personatu dotando. Et quia non semper occurrunt occasiones congruæ ad creandum censuale, vel ad emendum prædium fructiferum; deponit illam dotem in banco, seu in mensa Civitatis, ubi deposita fideliter servantur; vel, ut cautius sit in aliquibus Diocæsis, in gazophilacio Ecclesiæ ad id destinato, non inde extrahendam, nisi ad effectum creandi censuales, vel emendi prædium fructiferum, quos redditus percipiat qui nominatus est possessor talis Personatus. Quæritur in eo tempore, quo dos illa effectivè non fructificat, nec reddituat, sed asservatur, ut dictum est, tanquam depositum, sive apud sæculares, sive apud Ecclesiasticos; intelligatur jam, & sit fundatus, & constitutus Personatus, ita ut in eo statu possit licite absque labe simoniæ fieri permutatio illius cum aliquo Beneficio.

79 Testatur de se P. Joannes Paulus Boxassa in suo doctissimo Manuscripto cap. 5. se aliquando id approbasse, aut saltem non ausum esse reprobare, & damnare. Dummodò servarentur quatuor conditiones. Prima: quod dicta pecunia dotis sit verè, & effectivè deposita in banco, aut mensa: quod saltem significat, & requirit Constitutio Tarracoenſ. claus. 3. ibi: *ita ut prius pecunia rectè collocata sint, quam decretum interponatur.* Secunda: quod pecunia sic prius deposita non possit inde liberè extrahi à possessore Personatus, nisi approbante Ordinario. Tertia: quod inde non extrahatur, nisi ad creandum censuale perpetuum, vel ad emendum prædium, aut quid simile perpetuè fructiferum. Quarta: quod inde ad hunc effectum extrahatur quamprimum fieri commodè poterit, ita ut redditus ipsi inservire possint, non solum pro opere pio; sed prius pro Beneficio.

80 Movebatur: quia usus ille deponendi

nendi modo dicto pecuniam dotis, & æquæ effectivè ex deposito extrahatur, instituendi Personatum, & faciendi permutationes cum aliis Beneficiis Ecclesiasticis Juris communis, invaluit apud multos, scientibus, & non contradicentibus Ordinariis, inò & interponentibus sua decreta ad ejusmodi Institutiones, & permutationes. Nec videtur id opponi Constitutioni Tarracoenſi: nam dos illa sic deposita non consistit utcumque in sola pecunia numerata, sed in pecunia illa ut destinata, & obligata, jam ad habendum suo tempore statum fructificandi redditus perpetuos pro Beneficio Personatu. Sicque intelligi posset illud: *ita ut prius pecunia rectè collocata sint &c.* Nec aliunde est de essentia Beneficij, quod illius dos sit semper actu, & effectivè fructifera. Sæpe namque contingit in aliis etiam Beneficiis Juris communis redimi censuale, in quo consistebat eorum dos, deposito pretio in banco, ubi asservatur aliquandiu quin fructificet, aut redditus aliquos patriat: quin tamen propterea cesset tunc temporis ratio Beneficij Ecclesiastici. Similiter ergo, quamvis nondum redditus effectivè illa dotis pecunia, dummodò tamen sit cum prædictis conditionibus tunc deposita, apta est ut accedente decreto Ordinarij instituat, & constituatur in ratione Beneficij Personatus Ecclesiastici.

81 His tamen non obstantibus, post longam experientiam, re maturius consideratà, quia vidit quatuor illas conditiones sæpe non observari, judicavit prædictus Author, ejusmodi usum reprobandum esse. Prima, inquit, & secunda conditio servantur. Tertia, quandoque non servatur; sed possessor Personatus ex composito cum tertia alia persona illud simulatè in suo capite suscepturà, extrahit è deposito pecuniam illam dotis, sibi que assumit, & expendit pro libito, sacrilegè nimirum, & simoniacè, aut una vice consumit in opere pio contra quod diximus sect. 4. aut etiam in usibus profanis. Quarta quoque frequentius non servatur; sed pecunia illa manet in deposito: non ut ex illa fiat redditus pro Beneficio Personatu, ex quo convertenda postea erat in aliud opus pium post aliquot Beneficiatorum vitas; sed immediate, & per saltum pro illo alio opere pio: sicque Beneficium illud personale nunquàm habet pro dote censuale aliquod, aut præ-

dium fructiferum, nec redditus veros, dum Beneficium est: nam statim atque incipit reddituare inservit operi pio: & ille qui dicebatur Beneficiarius dum pecunia erat in deposito, illà extractà, & constitutà effectivè ad reddituandum, desinit esse Beneficiarius.

82 Meum judicium duabus conclusionibus declaro. Prima est, ejusmodi usum minime expedire, nec esse tolerandum ab Ordinariis. Quibus propterea cavendum sedulo est, ne tuum decretum institutum interponant, dum pecunia dotis jacet mortua in deposito, donec effectivè constitutur in statu fructificandi, aut reddituandi Beneficiario.

83 Hæc conclusio est clarissima ex dictis experientiis, quæ frequentissimæ sunt, quantumvis invigilent Prælati, & puniant quos interdum deprehendunt transgressores earum conditionum. *Maximam curam*, inquit Constitutio claus. 6. *prædicti Ordinarij adhibebunt, ne quis dolus, vel fraus, aut aliqua simoniaca pactio in erectione, aut fundatione, vel in collatione, aut institutione, aut etiam in permutatione dictorum Personatum interveniat.* Cum autem notissimum sit, fraudes, & dolos passim committi, & quidem, experientiâ ipsâ teste, ferè inevitabiliter ex hoc præsertim usu interponendi decretum institutum super dotem effectivè reddituantem, sed emortuè depositam; in id cura illa maxima, quam illis injungit Constitutio, impendenda est, ut talis usus radicatus aboleatur, non interposito decreto suo, donec dos illa Personatus effectivè constituta sit cum redditibus, seu fructibus applicandis possessori Beneficiario, ne hanc ansam tot fraudibus, & dolis sacrilegis, & simoniacis præbere videantur qui ex officio Pastoralis, & ex monitu speciali dictæ Constitutionis hujusmodi scandala pro viribus evitare tenentur.

84 Accedit, quod hic usus celebrandi permutationes Personatum, consistentium adhuc in illa pecunia suæ dotis dicto modo deposita, cum Beneficiis aliis Juris communis simplicibus, vel curatis; dat ansam loquutioni vulgarissimæ, quæ vehementer offendit aures, idemidem audientes, Rectoriam, vel Canonicatum permutari, non quidem pro Beneficio personali quinquaginta, vel centum aureorum annuorum; sed dari, ne dicam divendi, pro

Sanchez.  
Pelliz.  
Barbos.

Boxassa.

Constit.

Constit.



pro pretio mille, vel bis mille aureorum: quæ loquutio indecens, & scandalosa increbuit apud vulgus ex isto nimirum usu permutationum, nondum fundatis redditibus pro Personatu, sed depositis illis mille, vel bis mille pecuniæ numeratæ in banco. Loquutio profectò intolerabilis, nec aliter à Prælati, ut expedit, abigenda, nisi non interponendo similia decreta Personatum donec ex illa pecunia sint effectivè fundati redditus percipiendæ Beneficiario primo possessore Personatus ante permutationem.

85 Nec excusat, quòd non semper adest præstò commoditas constituendi censuale firmum, aut emendi prædium fructuosum pro Personatu. Satius enim est quòd differatur interdum institutio Personatus. Nec prodest dicere, sæpè multum differri sic opus esse fundationem censualis injuriâ temporum, & evenire posse, quòd nunquam fortè fieri. Respondetur enim, hoc potius impugnare, quam adstruere prædictum usum: quandoquidem in his casibus crescerent inconvenientia, & pericula dolorum, & fraudum ex diuturnitate temporis, quo duraret illa pecunia in eo statu. Nec est inconveniens, imò convenientissimum, quòd nunquam fieret talis Personatus, si semper maneret dos in eo statu.

86 Optandum propterea maximè foret, quòd in singulis Diocæsisbus recognoscerentur interdum accuratius libri speciales, in quibus juxta claus. 5. Constitutionis describi debent, tam Personatum erectiones, & dotationes, quam collationes, & institutiones: necnon in libro piarum causarum, vel operum piorum, ea pia opera in dictos eventus instituta. Fortè namque deprehenderetur, multas dotationes Personatum evanuisse ante statum fructificandi, aut reddituandi pro opere pio, imò fortè, & pro Beneficio. Ea scilicet de causa, quòd pecunia illa modis supradictis deposita pro dotatione Personatum, inde subtracta fuerit peractis permutationibus, prætextu illam collocandi in statu reddituandi, seu fructificandi, & radicitus consumpta cum ingentium Ecclesiasticarum, & conscientiarum jacturâ. Quibus malis satis occurri nunquam poterit, experientia teste, nisi non interponentibus Prælati sua decreta pro instituendis personatibus, donec dotes personatum positæ sint in actuali statu reddituandi, seu fructificandi.

## SECTIO XI.

*Altera conclusio resolutoria circa propositam difficultatem.*

87 **A**ltera, & principalis conclusio est, nullatenus esse licitum prædictum usum instituendi Personatus, antequam dos illorum sit constituta in statu reddituandi Personatario possessori. In hanc etiam conclusionem inclinat, re melius considerata, supra laudatus Author: à cujus maturiori judicio non audeam in praxi discedere.

88 Fundamentum est tenor ipsius Constitutionis Tarraconensis: ex qua dos seu proprietas Personatus debent esse veri redditus: ibi claus. 2. *Sacri approbationis Concilij statuimus, ut nullus Personatus, seu Personale Beneficium, sine Auctoritate, & decreto Episcopi, seu ejus Vicarij Generalis erigatur: qui decretum, & Auctoritatem suam in fundatione interponere non possint, nisi dos assignata in censualibus, vel aliis redditibus perpetuis consistat.* Et claus. 3. ibi: *ea vero dos, si vè y redditus non super bonis dotantis, vel ejus, qui Patronus efficitur ex censuali, vel alio novo contractu fundentur; sed sint alij veri redditus in locis suis, & firmis consistentes ab eisdem Ordinariis antea approbandi.* Nihil certè videtur esse in tota Constitutione severius commendatum, quam hoc: scilicet, quòd ante decretum Institutionum Ordinarij dos assignata Personatus jam consistat in censualibus, vel redditibus: & quod sint verè redditus, ut sacri approbatione Concilij jubet Constitutio. Addit insuper in eadem clausula 3. ibi: *ita, ut prius pecunia verè collocata sint, quam decretum interponatur: nec dos in sola pecunia numerata consistat: ita videlicet rectè collocata,* ut nec dos illa in sola pecunia numerata consistat, qualis est dum jacet infructifera in banco; *nec in prædiis, vel domibus inutilibus, non firmiter fructuosis; sed sint alij veri redditus in locis suis, & firmis consistentes: & hi quidem ab Ordinariis antea approbandi: hoc est antequam suum decretum interponant.* Ex quibus omnibus videtur indubitatum, prædictum usum instituendi Personatus, depositâ dote in banco, & idem est si in gazophilacio Ecclesiastico, ita præsertim, ut ejus redditus

diebus nunquam interserviant pro Personatu in ratione Beneficij, ut sæpius evenit, esse prorsus contrarium Constitutioni Tarraconensi, ac proinde omnino reprobandum.

89 Hinc fundatio illa, nondum pecuniâ reddituante, quocumque nomine appetitur, quantumvis accedat decretum Ordinarij, non videtur esse fundatio Personatus in sensu vero, & proprio Constitutionis Tarraconensis: ac proinde, nec ad effectum validum, & licitum permutationum sine labe simoniæ.

90 Ratio est: quia Ordinarius, non aliter interponit decretum, & Auctoritatem, nisi quatenus hoc obtinuit consuetudo immemorabilis confirmata per Constitutionem Tarraconensem: contra quam, ut nuper expendimus, est decernere tales Personatum institutiones, depositâ pecuniâ numeratâ, & nondum in redditibus effectivè constitutâ. Supra quam propterea illicitè, & nulliter cadere videtur ejusmodi decretum, utpote contra mentem, & tenorem dictæ Constitutionis: ibi claus. 2. qui, scilicet Ordinarij, *decretum, & Auctoritatem suam interponere non possint, nisi dos assignata in censualibus, vel aliis redditibus perpetuis consistat.* Quid quòd Ordinarij ipsi in suis decretis institutivis Personatum subjungere alicubi solent hanc clausulam: *ut prædicta procedant, & habeant suam firmitatem ac robur, dummodo aliqua illorum non sint contraria: statuta; Sacris Canonibus &c.* At institutio Personatum sine dote consistente in censualibus, vel redditibus perpetuis, est contra Sacros Canones, & specialiter contra speciale statutum Constitutionis Tarraconensis. Vel ergo ipsam Ordinarij decretum non intendit instituere Personatum super illam dote nondum consistentem in redditibus; vel contradictoria, & sibi repugnantia intendit: scilicet, ex una parte instituere Personatum super dote nondum consistentem in redditibus; & ex alia parte non procedere contra Sacros Canones, aut Constitutionem Tarraconensem, cui ejusmodi institutio aperitissimè contrariatur.

91 Fundamentum aliud solidum nostræ conclusionis esse potest: quia Personatus isti Tarraconenses sunt verè: & propriè Beneficia Ecclesiastica; sed de ratione Beneficij Ecclesiastici juxta Sacros Canones est, quòd ejus dos sita sit in fructibus,

seu redditibus percipiendis ex aliqua proprietate, modò hæc sit prædium, modò censuale, aut quid simile: ergo id quod necesse est observari à Personatibus: atque adeò fundari nequeunt super pecuniam numeratam nondum reddituante, sed emortuè depositam in banco, vel mensa civitatis. Majorem stabilivimus sect. 5. Minor constat ex communi definitione Beneficij posita num. 50. Undè communiter dicitur Beneficium Ecclesiasticum esse: *jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis clerico competens propter divinum officium.*

92 Dices, per eam definitionem definiti dumtaxat Beneficia Juris communis: ac Personatus isti Tarraconenses sunt Beneficia de jure speciali, & ex privilegio. Contra tamen: quia Personatus isti, ut expendimus section. 4. numer. 45. conveniunt cum Beneficiis Juris communis in ratione Beneficij Ecclesiastici, & debent conformari Juri communi quoad reliqua quæ Sacri Canones disponunt, exceptis his, in quibus ex consuetudine immemorabili juxta Constitutionem Tarraconensem specialiter privilegiantur: scilicet: quoad perpetuitatem in ratione Beneficij, & fortè quoad collationem à solo Superiore Ecclesiastico. At certè quoad institutionem super dote in redditibus Ecclesiasticis consistentem, tam longè abest, ut consuetudine laudatâ per Constitutionem privilegientur; quin potius ad id ex ipsa Constitutione specialiter obstringuntur, ut visum est. Non est ergo unde evadant legem illam Juris communis.

93 Denique Personatarius ille sic constitutus, nondum reddituante illa pecunia dotis sui Personatus, quòdnam, præcor, spirituale jus haberet in bona Ecclesiastica pro illo tempore sufficiens ad rationem Beneficij? Non certè ad proprietatem illius pecuniæ, cum de illa disporre non possit. Non ad redditus; quia pro eo tempore nulli sunt. Solum ergo habet jus, ut non inde extrahatur illa pecunia sic deposita, nisi ad fundandos illi redditus certos ac firmos: at hoc jus non sufficit ad rationem actualis Beneficij: nam ex testamento posset quis habere jus supra bona hæredis, ut ex illis fundaretur Beneficium personale, aut etiam Juris communis: quin tamen perinde intelligeretur fundatum Beneficium, quocumque interposito decreto: ergo adhuc interposito decreto

creto Ordinarij super illam pecuniam dotis dicto modo depositam in banco nondum reddituantem, nec fructificantem, nequit intelligi institutus, & fundatus Personatus in ratione Beneficij ad effectum licitæ, & valide permutationis cum alio Beneficio: decretum enim illud caderet super materiam nondum aptam in eo statu ad rationem Beneficij.

94 Ad rationes oppositas num. 79. respondetur, fatendo usum illum plus nimio invaluisse: negando tamen, id non esse contra mentem, & tenorem Constitutionis Tarraconensis, ut monstravimus: ac proinde tolerandum non est; sed dicendum, teneri Dominos Prælatos talē usum de medio tollere eodem jure quo tollere fatagunt fraudes, & dolos ex tali usu resultantes: & ex zelo, quo Constitutio ipsa Tarraconensis, videns, & vehementer dolens plurimas fraudes, & simonias, quæ quæ usum percrebuerant in fundatione Personatum, maximam curam adhiberi voluit ab Ordinariis contra similes corruptelas: specialiter decernens, nè decreta Ordinationum interponantur pro erectione Personatum, nisi super dotem in veris redditibus, seu fructibus consistentem, & non in pecunia numeratâ.

95 Nec desinit esse pecunia numerata, quamvis deposita sit cum ea obligatione illam non extrahendi, nisi ad fundandum censuale: sicut non propterea est censuale: illa enim obligatio non reddituat, nec facit illam pecuniam reddituare, aut fructificare, donec, expletâ eâ obligatione, creator ex illa censuale, aut emitur prædicti fructuosum. Nec illam pecuniam sic deponere est illam collocare sicut ad institutionem Personatus requirit Constitutio: cum clarè loquatur de collocaione in redditibus, aut in fructibus.

96 Nec valet illud postremum ejusdem num. 79. quod non sit de essentia Beneficij, quod semper illius dos reddituet, aut fructifiet. Aliud enim est, quod per accidens post institutionem hoc eveniat; aliud quod in ipsa Institutione id fiat. Certè, si ex illo ad istud valerent argumentum, probaret nimis: scilicet, & Beneficia quoque Juris communis, secundum Canones posse institui nondum constituta dote in statu reddituandi, aut fructificandi: cum in illis etiam contingat quandoque, quod redemptis censualibus, aliquandiu non reddituent, nec fructificent Be-

neficiario. Itaque ad argumentum, concessio toto antecedente, neganda est consequentia: nam post Institutionem Beneficij ritè factam super dotem reddituantem, seu fructificantem, jam illa dos est constituta Beneficialis, & manet taliter affecta habitualiter ex institutione super dotem ab initio Beneficij reddituantem, quamvis de peraccidens postea in aliquo eventu non reddituet. At si ab initio instituitur Personatus super dotem non reddituantem, nec actualiter, nec habitualiter est, nec fuit unquam institutio super dotem reddituantem: ac proinde non est unde afficiatur dignitate dotis Beneficialis magis quam antequam deponeretur in banco, si à testamento, promissione, aut voto obligatus esset aliquis ex aliqua pecunia numerata fundare Beneficium, quantumvis accederet Ordinarij approbatio, seu decretum: non enim posset esse pro eo statu decretum institutum Beneficij; sed aliter acceptativum illius pecuniæ sic obligatæ inter bona Ecclesiæ, quomodo libet nominetur. Nec ulus iste meretur nomen legitimæ, ac laudabilis consuetudinis innixæ Constitutioni Tarraconensi: cum potius videri possit, ac debeat abusus, & corruptela. è directo contraria Constitutioni, minimè sufficiens ad legitimandas ejusmodi Institutiones, & ad justificandas permutationes in eo rerum statu celebratas, easque à labe simoniæ detegendas.

97 Quam nostram resolutionem promovere studuerunt Theologi supra laudati *sess. 2.* dum in fine suæ doctrinæ responsionis ad sacram Congregationem Provinciale anno 1685. occurrere volentes inconvenientibus Personatum, concludunt sic: *si tamen aliquod scandalum, quod verè tale esset, nasceretur, contingeret ex non observantia Constitutionis prædictæ: ibi ad rem præsentem: maxime ex dotatione Personatus in numerata pecunia: quia Constitutio prædicta præcipit, ut dotatione Personatus fiat in censualibus, aut aliis rebus fructiferis perpetuis: quod valde conforme est Concilio Tridentino sess. 21. de reformatione cap. 2. Tridenti quod non faciunt, numerata pecunia tot periculis exposita, antequam annui redditus percipi possint.*

98 Et, quod caput est, ne in hoc quidquam dubij in posterum superesse posset, hoc Theologorum suorum judicium,

## SECTIO XII:

*Quam peccati speciem incurrant qui pecuniam numeratam depositam in Banco causâ fundationis reddituum pro Personatu, dolose extrahunt, & consumunt.*

101 **H**ujusmodi homines infidos peccare mortaliter, certum est: quia rem gravem furantur, & Prælatos decipiunt in re gravi. Undè tenentur ad restitutionem: & sic deprehenso obligant Prælati ad restitutionem, ut in facti contingencia vidi.

102 Deinde peccant peccato sacrilegij. Quia furtum illud est in materia jam Deo sacrâ, utpote de bonis jam Ecclesiasticis. Jam enim pecunia illa sic deposita est in statu apto, ut ipsi autumant, celebrandi permutationem: quod non posset esse, nisi in eo ipso, induisset rationem spiritualitatis, ut permutatio sit rei spiritualis pro spirituali: hæc autem eadem ratio spiritualitatis illam constitueret in ratione boni Ecclesiastici, Deo sacri, & ad Ecclesiam pertinentis.

103 Atque hinc est etiam, quod sic subdole extrahentes, & suffragantes pecunias illas incurrant, censuras, si quæ sunt in usu, fulminatas in Extrav. *Ambitiosa*, contra alienatores bonorum Ecclesiasticorum. De Extravaganti, illiusque acceptatione, & usu, sive quoad prohibitionem, sive etiam quoad censuras, videndus Barbosa de Potest. Episc. p. 3. allegat. 95. & Castro Palao tom. 2. tract. 12. punct. ult. §. ult. num. 7.

104 Est præterea dicta subtractio pecuniæ sic depositæ casus Episcopo reservatus, saltem pro Diocesi Barcinonensi. Quia est furtum sacrilegum: cum sit ablatio injusta rei sacræ: adhuc quando non est è loco sacro. Quod si esset è loco sacro, scilicet è gazophylacio Ecclesiæ, esset ablatio illa ex duplici capite reservata, ubi sacrilegium est casus reservatus: quia esset ex duplici capite sacrilega, utpote accipiens iniuste sacrum de sacro.

cium, nostramque sententiam Authoritate suâ confirmavit prædicta sacra Congregatio Provincialis Tarraconensis per utilissimum, & prudentissimum decretum, quod est hujusmodi.

99 *Ea est hominum versutia, etiam in Sacrarum legum intell. gentia, & usu, ut non satis sit optimas leges condere, sed oporteat illas decursu temporis innovare, & ad verum sensum reducere, atque authenticè interpretari. Cum igitur in hoc, aliisque Sacris Conciliis, sæpius tractatum fuerit de Beneficiis Personalibus (quæ ab immemorabili in hac nostra Provincia Tarraconensi institui solent;) ne in eorum fundatione, collatione, aut permutatione, dolus fraudis, illicita pactio, aut aliqua simoniaca labes (quod semper veretur,) contingat: sacri approbante Concilio, & prævio voto Dominorum Consultorum in Theologia ejusdem; firmiter decernimus, quod Constitutio Tarraconensis, quæ est lib. 3. tit. 5. de Institut. cap. 5. incipiens: Licet Personatus; litteraliter, & ad unquam observetur. Injunctes, quod in posterum hujusmodi Beneficia nullatenus fundari possint in pecunia numerata, etiam in theca, seu banco securo deposita; sed semper assignata dos sit in censualibus, vel aliis redditibus perpetuis, & rebus fructiferis: siquidem hoc est, & debet esse verum, & genuinus sensus prædictæ Constitutionis.*

100 Hucusque decretum novissimæ Congregationis anni 1685. ut omnino certum maneat, & extra controversiam, illicitas esse, & minimè permittendas Institutiones Personatum, depositâ tantum ubilibet numeratâ pecuniâ, donec re ipsa reddituet, aut fructifiet in perpetuum, aut sit saltem in eo statu reddituandi constituta. A qua sententia non recedam in praxi, donec mihi ostendatur consuetudo in contrarium sufficiens, citra admniculum Constitutionis Tarraconensis, cui adversatur, ad vim legis ex immemorabilitate, & ex aliis requisitis, quæ videri possunt apud Authores, ad constituendam consuetudinem æquivalentem legi, aut privilegio contra jus commune. Quod non credam in præsentem ostendi posse circa subjectam materiam.

\* \*

## SECTIO XIII.

*An pactiones anticipatae de fundando Personarum ut permuetur cum alio Beneficio sint licitae, an simoniaca?*

105 **C**asus est frequens, ejusque discussio pernecessaria ad praxim in hac Provincia. Desiderans Petrus obtinere Beneficium aliquod simplex, vel curatum, quod Paulus possidet, paciscitur cum Paulo, se fundaturum Personatum tantae quantitatis permutandum cum Beneficio Pauli, si Paulus promittit vicissim, annuere permutationi ex nunc pro tunc. Quo pacto inito, Petrus fundat Personatum, non aliter fundaturus, & deinde permutat cum Beneficio Pauli: non nisi sub tanta illa quantitate Personatus consentientis. Quæritur: an in fundatione dicti Personatus, præcedente tali pacto, & non aliter, nec sub minori quantitate ineundo, permutatione subsequuta, committatur simonia. Supponimus, tam fundationem, quam permutationem fieri cum Autoritate Ordinarii.

106 Dupliciter posset casus evenire. Primo, taliter, ut ex tali pacto fundans Personatum, prius fiat possessor Personatus & postea permuetur. Secundo, taliter, ut ipse fundator non factus possessor, in ipsa fundatione faciat illum alterum, cum quo permutat, primum possessorem Personatus, ut resignet Beneficium in favorem sic fundantis Personatum: sicque fiat permutatio.

*Navarr.* 107 Navarrus dicto consilio 43. à n. 20. id damnat, uti illicitum, & simoniacum: idemque sensit Flaminius Parisius *quest. 18. de confid. Benef. num. 24.* Non quidem quod quis fundet sibi Personatum ex intentione sibi retenta illum permutandi cum Beneficio alterius; sed quod id deducatur in pactum, facta inter utrumque conventionem ante fundationem Personatus de fundando, & permutando. Et quamvis P. Boxassa *cap. 7.* existimare videatur, Navarrum non loqui in primo casu, sed solum in secundo: si tamen attentè legatur totus ille *numerus 20.* cuique fiet perspicuum, utrumque casum in eadem esse damnationem simoniæ apud Navarrum, & consequenter apud Parisium.

*Mendo.* 108 Pater Andreas Mendo in sua *Ep.*

*verb. Beneficium, num. 18.* non discernens inter illos duos casus, indistinctè ait ejusmodi pactiones, si stemus regulis communibus, esse simoniacas; fieri tamen in Provincia Tarraconensi, scientibus viris doctis, & timoratis, nec referri eas Ordinario cum sit permutatio. Undè, inquit, sicut Papa *potuit facere ne essent simoniaca, consuetudine immemorabilem id præstitisse dicendum erit: alias simoniaca erunt censenda.*

109 P. Joan. Pau. Boxassa copiosius *Boxassa.* id tractans *cap. 7.* distinguit inter duos casus expositos *num. 10. 2.* & loquens de primo ait, & meritò, se non audere absolute damnare tanquam simoniacam pactionem, fundationem, & permutationem illam: loquens verò de secundo casu ait, videri habere speciem simoniæ.

110 Quoad posteriorem partem de secundo casu convenit hæc sententia cum sententiâ Navari: nec puto, ab hac parte discedere Patrem Mendo. Cum enim dictas pactiones solum audeat excusare à labe simoniæ ex consuetudine immemorabili Tarraconensi; *alias,* inquit, *simoniaca erunt censenda;* in casu pro quo non favet consuetudo, eas subicit communibus regulis simoniæ, censetque simoniacas. At certè consuetudo, ut à multis in praxi Curiarum Ecclesiasticarum Cathalonæ accipi, non favet secundo casui, sed primo: primo enim illo modo, & non secundo fiunt permutationes Personatum & juxta illum primum casum, & modum; non verò juxta secundum, præcedunt pactiones, interponuntur Ordinarii decreta, & fiunt permutationes, Personatus videlicet prius possessi à primo Personatario, & deinde permutandi cum Beneficio alterius, qui sit secundus possessor Personatus, resignans propterea Beneficium suum in favorem primi Personatarii.

111 Quinimo in aliquibus Synodis Diocesanis, ut de Tarraconensi sub Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. Fr. Emanuele de Espinosa à sinedignis accepti, cautum laudabiliter fuit anno 1670. ne ejusmodi permutationes fierent, aut ab Ordinariis decernerentur, quin per aliquot menses primus Personatarius possederit Personatum. Quod confirmatum denuo fuit in Concilio Provinciali anni 1685. sub Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. Fr. Josepho Sanchiz: ibi: *similiter, Sacro approbante Concilio, innovamus,*

*vamus, & confirmamus Constitutionem Sacri Concilii Provincialis anno 1670. celebrati: quod prædicta Beneficia nullatenus permuetur, nisi elapso mense, & dimidio a die fundationis, & possessionis eorumdem.*

112 Ergo secundus ille casus, & modus paciscendi, instituendi, & permutandi Personatum destitutus est à consuetudine, & ab Autoritate, ut liberetur à labe simoniæ, quæ in simili labe detrahet hujusmodi pactiones circa institutionem, & permutationes Beneficiorum Juris communis.

113 Quoad priorem igitur partem de primo casu, quæ potius praxim tangit, & ob sui difficultatem Authores divisit, probat hæc ultima, & vera sententia ejusmodi pactiones institutiones, & permutationes fieri absque labe simoniæ.

114 Primo: quia sic frequentissime fundantur Personatus in tota Provincia: scilicet intuitu, & inito pacto prædictarum permutationum, videntibus, & cooperantibus viris doctis, ac timoratis: scientibus, & non contradicentibus Prælati. Id quod Navarus ipse testatur est in d. *Navar. Consil. 43. vers. Sciendum igitur, & ad finem ibi: quæ quidem, prout fiebant, non narrabantur;* sed certissimum est, quod Ordinarii, & reliqui omnes Clerici, & Laici sciebant, hæc ita fieri, prout narrata sunt, & ita quotidie fit, & observatur passim: credendum igitur est, hunc modum instituendi Personatus in ista Provincia, præcedentibus prædictis pactionibus, & subsequuta deinde fundatione, & permutatione, prout exponitur in primo casu, fuisse jam ex consuetudine illa immemorabili introductam, & toleratam à Constitutione illa Tarraconensi anni 1564. & deinceps continuatam, sine contradictione Prælatorum, Conciliorum Provincialium, & Synodorum Diocesandarum, quasi licitum, & minime simoniacum.

*Navara.* 115 Nec obest quod opposuit Navarrus *num. 20.* Constitutionem illam Tarraconensem enixè commendare cavendas, & puniendas esse simonias, quæ committuntur in fundatione, & permutatione Personatum, & crimina etiam Jure communi prohibita, *claus. 6. ibi: Maximam quoque curam prædicti Ordinarii adhibebunt, ne quis dolus, vel fraus, aut aliqua simoniaca pactio in erectione, aut fundatione, aut institutione, aut etiam in*

*Constit.*

*permutatione dictorum Personatum, seu Personatum Beneficiorum interveniat: eaque prohibere ac punire severitate canonica procurem; quod non solum in futura; sed etiam in præterita crimina Jure communi prohibita locum habere declaramus.* Quæ verba tendere videntur contra pactiones frequentissimas nostri primi casus, quasi illicitas, & simoniacas ex Jure communi; & supponere, omnes pactiones, quæ simoniæ sunt in fundatione, & permutatione aliorum Beneficiorum, esse quoque simoniacas in his Personatibus: ergo ex ipsa Constitutione illicitæ sunt, & simoniacæ prædictæ pactiones.

116 Respondetur enim; ea Constitutionis verba non tendere contra pactiones nostri casus; sed contra alias, quæ simoniacæ sunt, & vera crimina, utpote prohibita à Jure communi, & non tolerata facileque licitæ per consuetudinem immemorabilem Tarraconensem. Tales nimirum essent, si pro fundatione Personatus daretur pretium temporale: si quis, ut satisfaceret creditori suo fundaret illi Personatum. Si quis, ut obtineat Beneficium ordinarium alterius pro Personatu suo paciscatur, se soluturum expensas quas alter fecit in bullis sui Beneficij. Hæc quidem, & aliæ multæ pactiones simoniacæ à Jure communi prohibita, intervenire possunt in fundationibus, & permutationibus Personatum: de quibus loquitur ac dolet Concilium Tarraconense in *claus. 1. suæ Constitutionis;* & contra quas tenebitur *Constit.* *claus. 6.* quin tamen sit ibi sermo contra pactiones immemorabili consuetudine introductas, quæ non sunt contra jus divinum, nec intrinsecè malæ; ideoque potuerunt fieri licitæ ex privilegio, adhuc dato quod ex Jure communi Ecclesiastico illicitæ forent, ut expenditur amplius *num. sequent.*

117 Secundo probatur intentum; quia prædictæ pactiones primi nostri, ac frequentissimi casus, non sunt de dando pretio temporali pro re spirituali: quod esset simonia juris divini, & intrinsecè malæ; sed sunt de fundando Beneficio personali ex una parte, & de resignando, ac permutando alio Beneficio ex altera parte. Undè nisi excusaret consuetudo immemoralis Tarraconensis, ad summum ex Jure communi pactiones illæ privatim factæ sine sufficiente Autoritate, prohibita foret ut simoniæ de jure Ecclesiastico, ut bene in-

*Mendo.* finu t P. Mendo vbi supra: tales scilicet vt poffet Ppa facere ne forent simoniae, nec vt tales prohibita. Hoc autem, quod Papa potest fuâ lege, vel privilegio introducere, potuit in hac materia introducere confuetudo legitima habens vim privilegij, vt identidem repetit Navarrus ipfe *d. illo Conf. 43 praefertim num. 3.* Adhuc igitur dato, quod ex iure communi damnandae fuiffent eiusmodi pactioes vti simoniae; at in fpecieâ confuetudine Tarraconenfi, non funt damnandae, fed tolerandae vti licitae. Quod certè fi vti licitum tolerandum non eft, etiam ferè effet de Personatibus Tarraconenfib; : quippè vix aliter fuiffent, nifi prout confuetudinis eft, iuxta primum cafum expofitum, n. 107.

*Navar.* 118 Atque hinc folvuntur alia, quae opponit Navarrus *num. 20.* quod nempe in praefenti cafu interveniunt pacta, & conventiones privatae fuper institutione, & fundatione, vel permutatione beneficii: omnis autem pactio, & conventio privata in materia beneficii eft à iure communi fimoniam *cap. Tun. de fimoniam, cap. finali de pactis, cum alijs textibus.* Deinde eiusmodi pacta, & conventiones quoad Personatus non approbantur iure fpeciali Constitutionis Tarraconenfi, ex qua videlicet folum privilegiantur dicti Personatus in eo quod non funt perpetui, nec fortè debeant à Superiore Ecclefiaftico conferri, ita vt poffint etiam auctoritate privata refignari: ergo quoad reliqua, vt fapè nos ipfi argumentati fumus, praefertim *sec. 4. & 6.* regulari debent per ius commune, ficut alia Beneficia, in quibus videlicet eiusmodi privatae pactioes, & conventiones funt fimoniae.

119 Quibus omnibus refpondetur: in primis, non omnes omnino pactioes, & conventiones privatae permutationum in materia beneficii damnari quali fimoniae à iure communi, vt videre eft apud Palaum *tom. 2. difp. 3. de Simon. punct. 25. num. 2.* Læfium *lib. 2. cap. 35. dub. 15. nn. 92.* Pirhing. *in fua nova Methodo Iuris canon. tom. 1. ad Tit. 35. de pactis, num. 25. ex lib. 1. Decretal. Dianem par. 10. tra. 26. refol. 16. verf. Sed hic quero* & magiftrali ter apud Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 32. n. 7.* vbi fatisfacit iuribus obiectis à Navar. & alijs pluribus.

120 Deinde, quamvis id effet verum de iure communi, & pro Beneficij iuris communis; falium eft quod eiusmodi pa-

ctioes non approbentur ex confuetudine immemorabili a iure fpeciali Constitutionis Tarraconenfi pro fuis Personatibus, vt expendimus *num. 114 & feq.* ex testimonio ipfius Navarri: ex qua Confuetudine potuerunt quoad hoc etiam privilegiari, vt vidimus ibidem. Nec nobis obefit, quod diximus *sec. 4. & 10.* nam quod reiecimus *sec. 4.* non habet pro fe, fed contra fe confuetudinem; & quod reiecimus *sec. 10. & 11.* habet exprefse contra fe Constitutionem ipfam Tarraconenfem, vt ibi expendimus: at quod in hac fectioe defendimus habet pro fe Confuetudinem receptiffimam, & nullum contra fe habet verbum Constitutionis. Vnde inferre licet, ab ipfa Constitutione approbari, aut faltem tolerari eiusmodi Confuetudinem, cuius vigore praedictae pactioes licent, & vitio fimoniae vacant de iure fpeciali, adhuc dato quod effent contra ius commune.

121 Quocirca pro complemento doctrinae non gravabor fubiungere verba P. Suarez *d. c. 32.* vbi poftquam retulerat *n. 6.* fententiam aliquorum dicentium, effe quidem licitum tractare prius de permutatione, fed non concludere, aut fe mutuo obligare, quia hoc effet pacifci, quod non licet fine confenfu Praelati; ponit, & fundat oppositum *n. 7.* adhuc ftando iuri communi: fic ibi:

122 *Dicendum ergo eft, licitum effe volentibus permutare, tractare de negotio, & concludere quantum eft ex fe praebendo fuum mutuum confenfum in ordine ad confenfum Praelati.* Et poft allegatos pro hac fententia infignes Canoniftas dat rationem: *quia hoc eft medium neceffarium moraliter ad finem permutationis: concesso autem fine, conceduntur media, praefertim atleò intrinfece, & neceffaria.* Adde *verò ulterius, etiam poft praedicta ita confentire, vt fe obligent ad ftandum conventioni inter fe facta, non fimpliciter, & abfolute, fed fub conditione, fi Praelatus confenferit. Ita hoc declaravit Siluefter: & probat optime: quia hoc etiam non eft prohibitum, fed fola permutatio, praefertim pactioe praemiffa, vt dicitur in *d. c. Quafitum. Pactio autem tantum conditionata, fi Praelatus confenferit, nec eft permutatio, nec fimpliciter pactio de permutatione, cum conditio fuspendat permutationem & fubijciat iuri voluntates contrahentium.* Hæc Suarez feillatim fibi opponens, & exponens folide Sacros Canones, quos*

*Suar.*

*Suar.*

*Silueft.*

quos pro fe folent allegare Auctores contrariae fententiae, prout videbimus *feft. fequenti.*

123 Iuxta hæc videri potefit licitum, etiam in Beneficij iuris communis; quibus non habens Beneficium tractaret cum Beneficiario de permutatione ritè exequenda huius Beneficij praefentis iam obtenti tum alio, quod ipfe obtinere fperat: quamvis poftea ex hac intentione ritè permutationis procurat, aut etiam fundat, aut fundari faciat fibi Beneficium: cum tota illa tractatio, & pactio fubijciat iuri voluntates contrahentium; non aliter volentium permutare, nifi fecundum ius, vt videre etiam eft apud Dianam *p. 12. num. 16. ver. 18.* vbi citat Siluestrum, & praefertim totius Orbis Christiani: non obftantibus aliquibus Textibus iuris, quos opponit Hoftienfis. Id quod videtur fimile praefertim, de qua loquimur, frequenti in Personatibus Tarraconenfib; eorumque permutationibus, fervatis fervandis de iure fpeciali Constitutionis Tarraconenfi.

*Dian.*

*Sylvest.*

*Hofien.*

SECTIO XIV.

*Refpondetur ad aliquos Textus Iuris Canonici, & concluditur vera refolutio.*

124 PRIMVS eft ex cap. *Quafitum de Rerum permutat.* vbi damnantur de iure communicationes Praebendarum praefertim cum pactioe praemiffa. Refpondetur, per hunc canonem non prohiberi quæcumque conventionem antecedentem volentium permutare; fed pactioem inter fe ipfos abfolutam & non subordinatam fuperiori legitimo, cuius confenfus expectatur, vt abfoluta fiat. Sic Suarez, & Palaus citati: & apud Palaum Frideric. Senenf. Cardinal. Flamin. Parisius, Valentia, & Læfius: Quibus adde Barbofam fuper dictam caput, ita feverè tenens interpretationem nobilitate refponfionis, ut oppositam aliorum veterum Canoniftarum cum Glosfa, damnantium omnes omnino conventiones; & tractationes praemiffas inter contrahentes ante confenfum Praelati, dicat non habere probabile fundamentum. Et nonnullos etiam Canoniftas pro nobis allegat.

*Suar. Palaus. Frider. Card. Paris. Valent. Læfius. Barbof.*

125 Secundus ex cap. *Cum omniverforum*, fub eodem Titulo: vbi dicitur de tractatu, & permutatione huiusmodi: ait Pontifex:

*Licet ipfi per fe non poffent Ecclefiaftica Beneficia permutare, &c.* quod referri videtur etiam ad tractationem: ergo, & hæc illicita eft ante confenfum legitimam ad id auctoritatem habentis. Refpondetur tamen in fpecie dicti Textus verbum illud, *permutare* non referri ad tractationem alio citoque initam feorfim ab abfoluta permutatione: fed, vel ad folam permutationem, vel ad tractationem concomitantem cum permutatione. Unde nihil eft perinde, quod prohibeat tractationem utriusque initam, dependentem à conditione, fi Superior confenferit in permutatione abfolute perficiendam. Sic Suarez, Palaus, & Barbofa fuper dictum caput, allegans Vgolium, Azor, Garciam, Læfium, & alios.

*Suar. Palaus. Barb. Vgol. Garc. Læf.*

126 Tertius ex cap. *Quam pio 1. q. 2. & cap. Super eo de tranfact. & cap. cum praedictis, & cap. vlt. de pactis*, vbi prohibetur generaliter omnis pactio, quæ pro fpiritualibus conferendis fit. Refpondetur in omnibus ijs Textibus prohiberi generaliter pactioes fpiritualium pro temporalibus: quæ quidem de re illicitæ funt. Non verò fpiritualium pro fpiritualibus, qualis eft pactio, feu conventio in noftro cafu, ut pote Beneficij pro Beneficio, dependentem à confenfu legitimo fuperioris, & fervatis fervandis de iure, ut licitè abfolute, & in facto exercentur. Sic Suar. *cap. 31. nu. 20.* Palaus *nu. 1.* citans Glosfam in cap. *Cum pio*, Abbatem, Cardinalem, Scutum, Toletum & Læfium praeter Auctores & iura, quæ colligerit eruditè Suarez in *dift. num. 20.*

*Suar. Palaus. Glosf. Abbat. Card. Set. Tolet. Læf.*

127 Per hæc expedita manet à labe, & fcriptulo fimoniae nofta doctrina, quoad fupra explicatas pactioes, feu conventiones partium de permutationibus Personatum Tarraconenfi. non tamen exequendis; nifi ex confenfu legitimi Superioris, & prout de iure, vel faltem, prout ex legitima Confuetudine conflituente ius.

128 Ad cuius refolutionis uberio rem firmitatem, hæud gravabor adnectere fuperioribus iudicium Theologorum, quos de hoc puncto confultit Concilium Provinciale Tarraconenfe ann. 1685. prout accèpi ab Illuftrif. ac Reverendif. Praefide D. F. Iofeph Sanchiz, Archiepifcopo Tarraconenfi. hunc in modum.

128 *Dubium primum: an fit fimonica Beneficiorum Personalium infirmitas, & permutatio modo infcriptio facta:*

Etia: & an ut talis à Sacro Concilio declaranda, & exterminanda? v. g. Vult Petrus obtinere Beneficium simplex, vel Curatum aut Præbendam à Ioanne possessam: ad quod inter se, vel medijs alijs paciscuntur, quod Petrus fundare debeat Beneficium Personatum tanta quantitatis, & non minoris, ut dictum Beneficium Personatum cum Beneficio, seu Præbenda Ioannis permutet permutatione reali. Ita quod nequè Petrus tale Beneficiū personale fundaret, nisi ex conventionem verbo, vel scripto facta, quod Ioannes permutaret cum illo, nec Ioannes promitteret permutare suum Beneficium, nisi præcedente pacto, quod Personatus futurus sit tanta, vel tanta quantitate.

Conc. Tarrac.

129. Responsio. Quod in presenti casu nulla committitur simonia, dummodo observetur ea, quæ præscribuntur in Concilio Provinciali Tarrac. lib. 3. tit. 5. cap. 5. Licet Personatus, &c. Nec pactio, & tractatus antecedens insicit labe simonia institutionem, aut permutationem.

130. Primò: quia pactū illud nō facit, quod detur aliquid temporale pro re spirituali, in quo consistit ratio simonia: quia talis pactio est saltē cū conditione implicita dādi spirituale pro spirituali: similiterque omnium requisitorum, utpotē foundationis, obtentionis, decreti Superioris, &c. ad illam permutationem. Quod autem animus iste, implicitus saltē, sufficiat ad excusandum tractatū à simonia, tenent D. T. in 4. sent. dist. 25. quæst. 3. art. 3. ad 8. his verbis. Ad 8. dicendum, quod in tali permutatione est simonia, si pro aliquo terreno commodò utriusque, vel alterius talis commutatio fiat: si autem pro aliquo spirituali, utpotē quia in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia: unde tunc potest fieri commutatio ex Auctoritate Episcopi Diocesani. Castropalao disp. 3. de Simonia, punct. 15. nu. 2. sic: Permittendum, & simoniacum non esse, nequè illicitum, ante consensum Prælati tractare partes de commutatione etiam sub onere pensionis, & se invicem obligare, si Superior consenserit. Bonac. expressè tract. de Sim. disp. 1. §. 12. nu. 5. quod volentes permutare Beneficium possunt inter se agere de permutatione faciēda, & inter se concludere: non absolutè; sed in ordine ad consensum Prælati, ut cap. de Rerum permutatione, Suarez, Ludovic. Lopez, Sylvest. Aranj. Ataujo de Statu civil. disp. 14. par. 2.

S. Tho.

Palau.

Banac.

Suar. Lopez. Sylvest. Aranj.

art. 3. num. 43. expressè.

131. Secundo: quia contractus, & pacta de re licitā non possunt esse illicitas atque permutatio Personatus etiam secundum requisita Constitutionis supradictæ cum quocumque alio Beneficio est res licita: ergo, & pacta. Maior constat quia ubi finis licitus est, & media ad illum licita sunt, ut communis Theologorum sententia est. Minorem probat supradicta Constitutio: ergo, &c.

132. Tertio: Quia dato, quod esset aliquis scrupulus in supradictis pactis, & conventionibus, atento iure communi, ut cogitavit Navarrus; tamen consuetudo immemorialis, qua legem facit, sic tractandi, tolleret quemcumque scrupulum: sicut eadē cōsuetudo tollit, ut possint circa scrupulum fundari in Provincia Tarrac. Beneficia non perpetua, quod est præter jus commune, ut ipse tenet: igitur, &c.

Navar.

133. Non propterea negaverim, prædictas tractationes, & pactiones puriores fore, si tantummodo ageretur de permutatione Beneficij cum Personatu, seorsim iam à pactione permutationis præinstituto: quamvis antequam Personatus fuisset fundatus, alter procurasset ex permutationis sine foundationem. Quinimò, & multò purius esset, si seorsim omninò ab hoc etiam sine fundaretur Personatus, post cuius institutionem, & foundationem ageretur de permutatione. Hæc tamen non faciunt, nec probant, illicitum esse quod superius diximus.

SECTIO XV.

An pro Coadiutorijs, si interveniat conventio de Personatu, debeat exponi Pontifici, qualitas huius Beneficij exorbitantis à iure Communi.

134. RESOLVTIO dubij erit in ipsis terminis responsio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum in vna Vicenc. Simoniæ, his verbis:

Congr. Card.

135. Vicen. Simoniæ. Sapè in consensibus Coadiutoriarum ad Canonicatus præstandis expressè paciscuntur, ut Coadiutor instituere, seu fundare debeat unum Personatum dotationis ducentarum auri duplarum, vel maioris, vel minoris quantitatis, illumque in manibus

SECTIO XVI.

An in fundatione Personatus possit permissi conditio, quod eius Dos, seu proprietas extinguatur possit.

141. VIDIMVS sect. 4. hoc regulatiter non esse in praxi. At quid si aliquis sic vellet Personatū institueret cū hac scilicet conditione, quod secundus, vel tertius possessor possit non solum redditus, sed etiam dotem, & proprietatem Personatus convertere in dotem pro puella maritanda, vel ingressura Religionem: aut saltem partem dictæ proprietatis infumere pro vestibus, & alijs expensis occurrentibus.

142. Respondetur, huiusmodi conditionem permissi non posse: utpotè adversatam Constitutioni, & Consuetudini Tarraconensi, requirenti perpetuitatem in suis Personatibus; siminò in ratione Beneficij Ecclesiastici, ac saltem in ratione operis pii: ut dictum est latè sec. 4.

143. Hinc, si quispiam vellet Personatum instituere cum eiusmodi conditione, aut cum pacto, quod expressitatus n. 41. esset quidem ab Ordinario repellendus: quia exorbitaret non solum à iure communis quin etiam à iure speciali Provincie Tarraconensis.

144. An verò eiusmodi pactum liberaret eam dotem, seu proprietatem repositam iam inter Ecclesiæ bona ab obligatione non alienandi, quam expendimus n. 45, pendet ex illo dubio: An res Ecclesiæ donatæ non aliter, nisi cum pacto donatoris, quod administratores talis Ecclesiæ possint eas res alienare, prout expeditre indicaverint, liberet eiusmodi res ab obligatione non alienandi res Ecclesiasticas sine solemnitatibus requisitis in Extrav. illa: Ambitiosa, & in alijs iuribus ad eiusmodi alienationes. Super quod dubium videri potest Barbosa de Potest. Episc. par. 3. alleg. 95. num. 70. id negans cum alijs: & Castrop. tom. 2. tr. 12. d. vnic. par. 15. §. 2. n. 14. id cum alijs affirmans; & Diana utriusque partis fundamenta referens p. 10. tract. 16. resol. 51. v. Id obiter, & resol. 85.

Barb.

Palau.

Diana

145. Inclino per se loquendo in partem hanc affirmantem cum Palao. Dixi, per se loquendo: nam iuxta sententiam, quæ

nibus Sanctissimi resignare debeat in ipsius Coadiutori favorem: & quod talis Personatus sit ad liberam Coadiutori voluntatem: Ita, & taliter quod iste illum possit perpetuare, seu Beneficium perpetuum facere, aut extinguere in totum, vel in partes in uno, seu pluribus actibus cum publico instrumento inter vivos, vel in testamento: ita ut possit proprietates redditus, & infra universa illius in totum, seu per partes convertere, commutare, cedere, & assignare in pias causas, & institutiones sibi bene visas.

136. An Coadiutoria huiusmodi cum resignatione, nullā factā mentione Sanctissimo de tali conventionem, nec de Personatus qualitate, imò exponendo, esse Beneficium Ecclesiasticum perpetuum, sint simoniaca.

137. Die 28. Septembris 1680. Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum respondit affirmativè. Cardinalis Columna Præfectus. Locus \* sigilli. Raynucius Episcopus Viterbiensis.

138. Unde constat, in casu proposito, & similibus, debere exprimi Sanctissimo qualitatem huiusmodi Beneficiorum. Quia, cum exorbitent à iure Communi, si hæc exorbitantia non exponitur, fiet Coadiutoria, vel permutatio sine consensu requisito, ut liberetur à labe simoniæ, saltem præcedentis ex iure Ecclesiastico.

139. Quæ labe clariùs dignoscitur in supradicto dubio exposito Sacræ Congregationi: in quo non solum non narrabatur verum Pontifici, non expressā qualitate Beneficij Personatus; quin etiam narrabatur falsum, exponendo esse Beneficium Ecclesiasticum perpetuum: quo nomine veniunt Beneficia iuris communis, exclusis huiusmodi Beneficij Personalibus, in eo potissimum à iure Communi exorbitantibus, quod in ratione Beneficij perpetua non sint, nec verè Beneficia Ecclesiastica perpetua appellari possint absolute, & per se loquendo.

Palau.

140. Quod faciunt, quæ scribit Castropalao tom. 2. num. 13. disp. 2. pun. 31. §. 4. sub titulo: Quæ Beneficiorum conditiones exprimenda sint in mandatis Apostolicis obtinendis.

tenuimus *sec. 4.* voluntas illa fundandi Beneficium Personale, simul volens non esse perpetuum adhuc in ratione operis p̄ij, est in re sibi repugnans. Ea tamen voluntate sic semel posita, sive ex errore, sive quomodocumque possit esse, quatenus alinud faceret illicitam illam alienationem; non tamen contra extravagantem *Ambitiosa*: ab hac enim, & ab ipsius p̄enis illam liberaret voluntas illa Institutoris sic, & non aliter eam dotem Personatus dantis Ecclesie. Postea etiam non fieret illius rei sic donatæ alienatio nomine administratoris Ecclesie; sed nomine sic, & non aliter donantis: ut per exemplum fideicommissi daci Ecclesie explicat appositè Palaus citat.

## SECTIO XVII.

*An liceat conditio, quod subsequens possessor Personatus possit illum convertere in opera pia, qua voluerit, aut deinceps variare pro libito.*

246 **H**VIC conditioni resistit tenor Constitutionis Tarraconensis: quatenus valde insistit in eo quod species piorum operum, in quæ convertendus est Personatus, designentur in ipsa fundatione: nec postea à secundo, vel alio possessore variantur.

*Constit.* 147 Claus. 4. ibi: *Quod si permittatur in fundatione, ut in alia opera pia redditus supradicti collocentur post primæ, vel secundæ, vel ulterioris persona obitum, qua Beneficium obtinebit; volumus enim, ut post earundem resignationem, aut aliam vacationem id fieri permittatur in ipsa fundatione, seu erectione declarentur species piorum operum; & cum casus evenerit, in ea pia opera illi redditus distribuantur.*

148 Et claus. 5 subiungit: *Et horum omnium, & singulorum nihil unquam possit calari, in libro speciali tam Personatum erectiones, & dotationes, quam collationes, & institutiones; nec non in libro piarum causarum, vel operum piorum ea pia opera in dictos eventus instituta describantur.*

149 Certè hæc omnia in id expressè tendunt, ut in ipsa fundatione Personatus designentur species piorum operum, in quæ post aliquot Personatariorum vitas Per-

natus convertendus est: & postea in ea ipsa opera tunc designata convertatur; & non in alia, factâ hac commutatione, seu variatione à secundo, vel tertio Personatario: imò, & nec ab ipso quidem primo possessore post factam semel designationem operum piorum in ipsa fundatione. Quod valde commendatum, & cautum voluit Sacra Constitutio: & quidem meritò, ut multis fraudibus, ac dolis aditus præcluderetur.

150 Dicitur est: *species piorum operum.* Nam non est necesse, quod ea designatio fiat quoad individua: cum id non præscribat Constitutio; sed solum, quod in erectione declarentur species piorum operum. Undè quoad individua potest relinqui electio, seu variatio personatarijs successoribus: v.g. quod redditus illi, si destinentur pro collocandis puellis, aplicentur huic, vel illi puellæ: aut si destinentur pro eleemosyna alicui pauperi, vel Ecclesie; applicentur huic, vel illi pauperi, vel Ecclesie.

## SECTIO XVIII.

*An liceat conditio, quod Personatus à primo, vel secundo, vel tertio possessore convertatur in Beneficium Iuris communis: sive in alium Personatum.*

151 **N**IMIRVM: an in ipsa fundatione Personatus possit adhiberi conditio, quod tam institutor, quam secundus, vel tertius possessor valeat disponere de Personatu, convertendo illum loco alterius operis p̄ij in Beneficium juris Patronatus laicorum, efficiendo, ut sit deinceps perpetuum in ratione Beneficij, & dando jus Patronatus, cui voluerit cum pactis, & conditionibus sibi placitis, vocando quas voluerit familias: dummodo anteriores possessores nondum disposuerint de Personatu, aut de eius redditibus.

152 Licitum id esse ex eo constat, quod non solum non opponitur Constitutioni Tarraconensi; quinimò est à fortiori iuxta illam. Cum enim Beneficium perpetuum Iuris communis sit opus valde pium, venit congruentissimè sub generalitate operum piorum, in quæ converti possunt Personatus ex vi Constitutionis Tarraconensis. Cur ergo non poterunt cõ-

verti

verti in Beneficia Iuris communis servatis servandis, sicut in alia opera pia? Undè posset in ipsa fundatione declarari disjunctim, ut post aliquot Personatariorum vitas converteretur Personatus, sive in Beneficium perpetuum, sive in alias certas piorum operum species ibi designatas.

153 Favet quod facultas extinguendi hæc Beneficia personalia post aliquot vitas, sicque faciendi, nè sint Beneficia perpetua, est privilegium, & dispensatio Iuris communis, ut sæpe diximus: cum autem necesse non sit uti privilegio, ex vna parte conformius esset Iuri communi, & ex altera parte minime contrarium Constitutioni Tarraconensi, quod eiusmodi Personatus, qui ex privilegio possent non esse perpetui in ratione Beneficij, sicut Beneficia perpetua iuxta Ius commune, & statuuntur deinceps de iure Patronatus etiam laici. Undè in posterum iam desinerent esse Beneficia libera, & induerent conditiones aliorum Beneficiorum Iuris communis.

154 Unum in his est sedulo curandum, & aliud cavendum. Curandum est, ut in designatione futuri Patroni, & in statuendo iure Patronatus observentur regulæ Iuris communis: non enim liceret Personatario instituere Patronatum futuri Beneficij perpetui pro libito contra Ius commune. Cavendum autem, ne in pactis, & conditionibus, quibus Personatarius vocabitur ad jus Patronatus Beneficij perpetui futuri irrepit aliquid Simonie. Nam jus Patronatus, etiam laicalis materia Simonie est saltem ex jure Ecclesiastico. *Castro Pal. 10. 3. tract. 17. disp. 3. punct. 14. ex Suarez cap. 28.*

155 Licitum similiter est consequenter ad dicta, apponere in fundatione Personatus hanc conditionem, quod secundus, vel tertius possessor possit illum convertete adæquatè, vel inadæquatè in alium, vel alios Personatus instituendos, extincto illo priori, in qualibet Diocesi Provincie Tarraconensis. Ratio est: nam Personatus etiam est opus pium: non est ergo, cur in illum converti non possit prior Personatus convertibilis in opus pium. Debet tamen ea de re fieri mentio specifica in fundatione primi Personatus, ut constat ex *sec. 17.*

156 Inferitur, licete quoque in fundatione Personatus hanc conditionem: quod nempe secundus, tertius, vel quartus possessor possit illum permutare cum alio

Beneficio, sive Personali, sive Iuris communis: possitque illum resignare in favorem cuiuscumque personæ habilis. Hoc enim, nec Constitutioni Tarraconensi, nec Iuri communi contrariatur. Et illud quidem de resignatione specialius supponitur in dicta Constitutione ex immemoriali claus. 4. ibi: *Nolumus enim, ut post earundem resignationem, &c.* *Constit.*

## SECTIO XIX.

*An liceat conditio, quod Personatus sit ad liberam dispositionem secundi, vel tertij possessoris, & quomodo?*

157 **N**IMIRVM: an in fundatione Personatus adhiberi possit conditio, quod Personatus sit ad liberam dispositionem, non ipsius fundatoris, sed secundi, vel tertij possessoris, qui vel in suo testamento, aut aliâ quacumque scripturâ possit Personatum relinquere cuicumque voluerit personæ aliâ idoneæ.

158 Respondetur licitum id esse ex speciali jure Tarraconensi in vi prædictæ Consuetudinis, & Constitutionis, de quo *Navarr.* Navarrus sic nu. 11. ibi: *Prædicta Consuetudo, & Constitutio significant, quod Consuetudine immemoriali introductum, & effectum sit, ut ij Personatus essent Beneficia spiritualia, temporalia, & ad tempus duratura: & qua conferri poterunt ab Institutore etiam privati: & à collateralibus, & nominatis etiam privati, etiam solo verbo, vel instrumento Notarij: modo auctoritas Episcopi in id accederet.* Igitur quod hoc ipsum ponatur pro conditione in ipsa fundatione Personatus, est iuxta Consuetudinem immemoriam laudatam à Concilio Tarraconen. ac proinde licitum.

159 Et quamvis de hoc non loquatur expressè Constitutio; hoc tamen continetur in Consuetudine immemoriali, quam ipsa Constitutio laudat, ut testatur Navarrus citatus: ac proinde approbat implicite ipsa Constitutio has specialitates dictorum Beneficiorum Personalium; quod nempe conferri possint ab Institutore etiam laicis, & deinde ab alijs ab ipso *Navarr.* nominatis, etiam privati, etiam solo verbo, vel instrumento Notarij: dummodo auctoritas Episcopi in id accederet, ut

Ccc

tetra

originitus lecti. 3. num. 15. ... SECTIONE XX. ...

160 V.G. sic statuendo in ipsa fundatione Personatus, ut si secundus possessor morte preventus non dispo...

Navar.

Respondetur hoc quoque licet esse, in potestate Constitutionis Tarraconensis, minime coherentium. Quibus, etiam...

Supra sec. 2. & 5.

162 Haec, & similes doctrinae limitantur, ut in his, quibus videtur prohiberi, ut in his, quibus videtur prohiberi, ut in his, quibus videtur prohiberi...

Rub.

163 Respondetur hoc idem collatione, quae de hoc Personatu semel, atque iterum facta fuit per Ordinarium, quae sola satis esse potest, ut appellatio etiam manualis, & arbitrabilis, reputari, & iudicari debeat...

Supra VI.

164 Quod verò testator voluerit durare Personatum ad quatuor vitas, vel quod hæc sic Consuetudo illarum partium, ut non antequam post successionem quatuor personarum terminetur; negarunt Domini obesse. Quia Consuetudo induxit quidem erectionem horum Personatum ad tres, sive quatuor nominationes; verum indeterminate, & secundum dispositionem fundatorum, quorum voluntati legem non imposuit; fundatoris autem voluntas non fuit in hoc casu præcisè determinata, ut Personatus fieri non deberet, nisi per quatuor nominationes, sed id voluit esse in facultate eorum, qui succedere debebant; quibus non aliter, quam sub conditione facultativa permisit, ut successorem sibi nominare possent.

165 Dubitavi, an esset factus locus successioni causa pie, vel consisteret nominatio Monserrati, qui, recusante Michaeli, solus fuerat institutus. Et Domini ad favorem causa pie responderunt, ut illa fundaret intentionem in successione huius Personatus.

166 Neque enim dubitavi, quin Personatus huiusmodi esset Beneficium Ecclesiasticum, licet perpetuo durare non deberet, sed ad vitam eorum, qui iuxta formam fundationis nominari debebant, cum habeat omnia requirita Beneficij Ecclesiastici, dum fuit erectum, & nomine Beneficij tum auctoritate, & decreto Ordinarii, sic permixtum cum alio Beneficio Ecclesiastico, vacet per ingressum Religionis, committatur in eo Simonia, & demum obiter non possit, nisi a persona Ecclesiastica: Quæ omnia distinguunt Beneficium ab Officio Ecclesiastico, vel alia pia dispositione, Penit. in cap. In nostra, num. 9. de Rescript. Sella de Benefic. qua sit. 2. par. 1. num. 7. Garc. de Benefic. par. 1. cap. 2. num. 1. & eadem se examinat, sublatis contrariis argumentis Navar. Conf. 8. de iure Patronatus.

167 Comprobat hoc idem collatione, quae de hoc Personatu semel, atque iterum facta fuit per Ordinarium, quae sola satis esse potest, ut appellatio etiam manualis, & arbitrabilis, reputari, & iudicari debeat Ecclesiasticum Beneficium, ut descendit Garc. de Benefic. par. 1. cap. 2. §. 1. nu. 313. & 19. Rebuff. de pacif. possessoribus, nu. 349. Guido q. 187. Neque obesse potest illa res potestatis, & excludendum statum, & qualitatem Beneficij: quia licet perpetui.

uitas de iure sit de essentia Beneficij, cap. Sanctissimarum 70. distinct. cap. penult. de Cleric. agrot. Achil. decis. 1. num. 4. de Officio Vicarij; non tamen repugnat, ut speciali iure, & privilegio aliqua Beneficia possint, non esse perpetua, cap. Si gratiosè, & ibi Gloss. de Rescript. lib. 6. cap. allegat. 9. Cassad. Decis. 12. num. 9. de Prabend. Garc. de Benefic. par. 1. cap. 2. num. 75. cuius privilegij vim habet immemorabilis Consuetudo, ex qua in Provincia Tarraconen. hi Personatus inducti sunt, ut etiam defendit idem Navar. Conf. 8. de iure Patron. n. 17.

168 His ista constitutis, negari non poterat, quin factus esset locus successioni causa pie, dum illa vocabatur deficientibus nominationibus, quas, permiserat fundatio: ita ut deberet eo casu extingui Personatus, & dos favore eiusdem causa pie applicari. Defectus enim nominationum controversi non poterat: cum nec valeret nominatio Michaelis, nunquam inhabilis, & quæ effectum sortita non fuit ex renuntiatione ab eo facta; neque sustineretur secunda nominatio in defectum primæ, tanquam facta de duobus, diviso inter eos æqualiter Beneficio contra expressam juris dispositionem: de qua in cap. Maioribus, ubi gloss. in verb. divisionem, cap. Tua fraternitatis, & cap. dilecto de Prabend. Lambert. de iure Patron. lib. 2. pa. 3. q. 5. art. 21. Atque ita, cessante nominatione, (cum perinde haberi debeat nominatio nulla, & invalida, ac si facta non fuisset, cap. Quæ contra ius de Regul. iur. lib. 6. l. non dubium, cap. de Legibus) devoluta fuit successio ad piam causam ex pacto expresso fundationis.

169 Quod verò testator voluerit durare Personatum ad quatuor vitas, vel quod hæc sic Consuetudo illarum partium, ut non antequam post successionem quatuor personarum terminetur; negarunt Domini obesse. Quia Consuetudo induxit quidem erectionem horum Personatum ad tres, sive quatuor nominationes; verum indeterminate, & secundum dispositionem fundatorum, quorum voluntati legem non imposuit; fundatoris autem voluntas non fuit in hoc casu præcisè determinata, ut Personatus fieri non deberet, nisi per quatuor nominationes, sed id voluit esse in facultate eorum, qui succedere debebant; quibus non aliter, quam sub conditione facultativa permisit, ut successorem sibi nominare possent.

170 Non etiam dici poterat, ut posterior nominatio, quam Petrus fecerat de duobus sustineretur saltem ab effectu, & quia dum eorum alter non acceptavit haberi deberet, ac si nominatus non fuisset, & sustineretur nominatio de persona alterius, & quia idem Petrus, qui nominavit, mandaverat, ut vno deficiente alteri eius portio accresceret argumento, l. vn. §. ubi autem legatarijs, vers. Si verò non omnes, C. de Cad. tollen. Cum enim hæc causa nominationis, tanquam individua non possit ex parte valere, l. 1. §. item quaeritur ff. de aqua quozid. astiva, l. grege, §. illud, & ibi Bart. num. 3. & 4. ff. de fideiusor. Rot. decis. 135. num. 9. decis. 551. n. 10 par. 1. & decis. 631. num. 7. par. 2. Rec. datâ nullitate nominationis à principio, nõ potuit ab eventu fieri valida, l. 1. ff. de qua pro non scripto habentur, l. vn. §. in 1. ff. de Caduc. tollen. Inò ratione incertitudinis, neque nominatio de duobus æqualiter facta sustineri posset, ac si in solidum facta fuisset, l. si ira, ff. de rebus dub. l. cum ex pluribus, ff. de manumiss. testam. glo. in cap. quoniam: Abbas in verb. Substituunt de offi. deleg.

171 Et ita, licet per nominationem nullam non consumeretur facultas nominandi, & potuisset Petrus etiam tertio nominare eundem Monserratum; quia tamen id non fecit, & nominationem, quam expressit, facere non potuit; succedit regula textus: quod potui nolui: de qua in l. nullum interest. c. Si quis alteri, vel sibi, c. Cum super 23. in fin. de offic. deleg. & mortuo Petro ultimo possessore fuit extincta hac facultas nominandi, & successio devolutio favore pia causa: sicut Domini responderunt. Viraque parte informante. Hactenus Rotæ.

SECTIO XXII.

An contractus, quo permutantes privatum paciscuntur, quod unus solvat expensas Curia, sit Simonia. Et quid de permutationibus, Dote consistente in pecunia numerata nondum reddituan.

172 DE hoc, cum generale sit ad quorumcumque Beneficiorum permutationes, non esset cur specialiter...

ter hic ageremus, nisi frequens, ut audio, abusus animadversione præfenti indigeret.

173 Casus est. Agitur inter duos de permutatione Beneficij iuris communis cum Personatu, servatis servandis instituto, interposita, ut opus est, auctoritate Ordinarij. Cæterum, cum ex iure pertineant expensæ ad utrumque permutatorem respectivè; inter se privatim conveniunt, quod unus solvat omnes utrinque expensas Curia, aliter non permutatur: de qua privata conventionione nihil manifestant Ordinatio.

Suar. Palao. Navar. Flamin. Garc.

174 Non potest hoc excusari a labe Simonia ut videre est apud Suar tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 34. num. 19. & Palaum to. 3. tract. 17. disp. 3. punct. 16. num. 5. citantes Navarrum, Flaminium, & Garciam.

175 Et ratio est clara. Nam illæ expensæ earumque obligatio, aliquid est pure temporale, & pretio æstimabile: prædicti vero contrahentes illas imponunt unipersonis, pro quibus, & pro Beneficio suo sit permutatio Beneficij alterius, aliter ex pacto non facienda. Unde Beneficium alterius, quod spirituale, quid est, datur pro illo alio Beneficio, quod spirituale etiam est, simulque pro expensis illis, quæ sunt pretium temporalissimum, & de iure non sic procedit: in quo patentissima est labe Simonia.

176 Hinc discurrere facile est ad similes etiam privatas pactiones similiter Simoniacas, & ut tales evitandas in permutationibus Personatum.

177 Talis esset pactio permutantium Personatum maiore pro minori, cõpensando inæqualitatem minoris per pretium temporale dandum illi, qui possidebat maiorem Personatum. Ut in simili circa Beneficia iuris communis tenet Palao num. 1. id damnans uti aperte Simoniacum ex cap. Ad quaestiones de Res. permut.

Palao.

178 Talis etiam esset pactio permutandi Personatum pinguem pro tenui: imposita pensione accipienti Personatum pinguem, solvendâ accipienti tenuem, aut etiam alteri tertio: nisi id fiat auctoritate legitimi Superioris. Hic solus est Papa iuxta Palaum num. 9. & communem sententiam: quamvis aliquibus videatur ad eiusmodi pensiones imponendas pro Beneficijs simplicibus sui iuris, habere potestatem Episcopos, ut videre est apud ipsos.

Palao.

179 Præsertim, quod observatu dignius est, posita doctrinâ à mihi ferè indubitata, quam stabilivimus sec. 10. & 11. quod intelligi nequit fundatum Beneficium Personale super pecuniam numeratam depositam, pro eo stato, quo nondum reddituar, nec fructificat; consequens est, quod permutationes Beneficiorum iuris communis, quæ fiunt pro eiusmodi Personatibus sic nulliter fundatis, sint Simoniacæ: & contractus de permutationibus sic perficiendis sint Simoniaci. Quia traditur aliquid spirituale, quale est Beneficium iuris communis, pro pretio, iuxta meam sententiam, temporale, quale est depositum illud pecuniæ numeratæ, nondum ritè constitutæ in esse Beneficij.

SECTIO XXIII.

An opus pium, in quod post aliquot vitas convertitur Personatus, sit materia Simonia.

180 EXACTIS duorum, trium, vel quatuor Personatariorum vitis, venit casus; in quo Beneficium Personale cessat in ratione Beneficij, & iuxta Constitutionem Tarraconensem, convertitur in opus pium: in quo opere pio insumuntur deinceps redditus, seu fructus proprietatis, quæ fuerat ante dos Personatus: manente Patronatu, seu administratione talis causæ piæ, ad ipsius conservationem, & distributionem iuxta mentem Institutoris, vel alterius Obtentoris, apud aliquem, vel aliquos ritè designatos in veluti Patronos, seu Administratores, penes quos sit deinceps ius administrandi, & distribuendi redditus, seu fructus dictæ causæ piæ.

181 Quæritur: an eiusmodi causæ piæ, seu ius istud eas administrandi, & distribuendi, sit materia Simonia; ita ut ius istud pretio temporali vendere, & emere Simonia sit: & an subiaceat poenis Ecclesiasticis latis contra Simoniacos.

182 Videtur quod non. Primò: quia ibi post illas vitas iam defecit ratio Beneficij, & bona illa, quæ fuerant dos Beneficialis, manent deinceps in esse puri operis pii: non autem est materia Simonia materia cuiuslibet operis pii: ac proinde non est cur bona illa sint iam deinceps materia Simonia. Nec ius illud quasi Patronatus ea administrandi, & distribuendi æquiparandum videtur iuri Patronatus ad Beneficia,

ficia: quod sine dubio est materia Simonia; atque adeò invendibile absque vitio Simonia; ut pro certo videre est apud Suar. tom. 1. de Rel. lib. 4. c. 28. & Castropal. to. 3. punct. 14. de Simon. sive sit Simonia iuris divini, & volunt Suar. & Palao, sive iuris tantum Ecclesiastici; ut apud ipsos volunt Sotus, Navar. Sylvest. & alij.

Suar. Palao. Sotus. Navar. Sylvest.

183 Secundò: quia Capellania, quæ Beneficia non sunt, utpotè absque auctoritate Episcopi erectæ, possunt absque labe Simonia pecuniâ obtineri: ut tenet Palao p. 13. num. 14. ex Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. attestante, sic sepè fuisse à Rota decisum: & videtur consentire Gibalinus q. 20. de Simon. cons. 6. in eo dissentiens a Palao, quod iste similiter sentiat de Coadjutorijs; ille verò aliter cons. 8. cum Suarez c. 27. num. 5. certum iudicante Coadjutorias esse materiam Simonia. Similiter ergo dicendum de causis pijs, in quas resolvuntur Personatus Tarraconenses: scilicet non esse materiam Simonia: sicut nec prædictæ Capellania.

Palao. Gonz. Rota. Gibal.

Suar.

184 Ex alia verò parte videtur id esse materia Simonia: atque adeò fore Simoniacos vendentes, & ementes Patronatum, seu ius illud administrandi, & distribuendi prædictas causas piæ. Cum enim Simonia sit, studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum: non omninò necesse est ad materiam Simonia, esse aliquid spirituale; sed sufficit, esse spirituali annexum.

Suar. Palao. Gibal.

185 Quamvis autem difficultas sit nõ modica in explicandâ hac annexione, ut videre est apud Suar. Palaum, & Gibalinum eos, & alios citantem à q. 9. usque ad 13. innegabile videtur, huic Patronatui, seu iuri administrandi prædictas causas piæ competere annexionem sufficientem, ut sit, & dicatur materia Simonia. Nam in primis earum dotēs fuerunt dotēs Beneficiales. Deinde institutæ sunt, non solum in ratione Beneficij pro aliquo tempore, sed in ratione etiam operis pii in perpetuum, auctoritate Ordinarij Ecclesiastici. Præterea alienari non possunt in alios usus, nec licitè extinguì; sed, manere semper debent cum speciali sua dependentiâ ab Ecclesia, cuius auctoritate institutæ sunt in specialia opera pia. Ergo ius illas administrandi, & distribuendi iuxta Ecclesiasticam earum institutionem, dato quod non sit omninò spirituale, est saltem spirituali annexum, quantum sufficit, ut sit materia Simonia.

186 Favet quod dici solet de Hospitalibus, & legere est apud Suar. c. 27. a num. 11. Palaum pun. 13. num. 15. & Gibalin. q. 20. cons. 9. Qui discernunt inter Hospitalia per privatam auctoritatem instituta: quæ neque Ecclesiastica Beneficia sunt nec sunt materia Simonia, etiam si sint loca pia, idest ad pietatem ordinata: quia nempe nullam spiritualement administrationem important, sed omninò temporalem; quantumvis piam, & religiosam: & inter alia Hospitalia, Episcopi auctoritate instituta: quo sunt insuper in duplici differentia. Alia, quæ sive ex institutione, sive ex consuetudine, dantur in titulum Personis Ecclesiasticis: & hæc quidem certò sunt materia Simonia: quia Beneficiorum naturam habent, aut imitantur. Alia quæ, sive habeant, sive non habeant sibi annexas capellas, laicis quandoque committuntur ad eam piam, & religiosam administrationem procurandam.

Suar. Palao. Gibal.

187 De his autem, quamvis nec Beneficia sint, nec Beneficiorum naturam imitentur, cum laicis conferantur ad ipsorum regimen temporale, scilicet ad sollicitudinem infirmorum, curamque bonorum, & reddituum Hospitalis; ait Gibalinus, quod, quamvis non sint materia Simonia iuris divini; sunt tamen invendibilia ex Jure Ecclesiastico in cap. Salvator 1. q. 3. In eo autem cap. omnis venditio administrationis Ecclesiasticæ vocatur Simonia, & ut talis prohibetur ibi ab Urbano II. Ideòque Suar. & Palao eiusmodi venditionem iudicant, & appellant Simoniam de iure Ecclesiastico. Similiter ergo iudicandum, & dicendum erit de prædicto veluti Patronatu, seu iure administrandi causas piæ, in quas convertuntur Personatus Tarraconenses: non enim sunt utcumque opera pia ex testamento relicta, sed auctoritate quoque Episcoporum instituta in ratione etiam causæ piæ. Hoc autem postremum genus Hospitalium nihil aliud videtur habere, nisi quod sit genus quoddam operis pii, seu causæ piæ, auctoritate Episcopi institutæ.

Gibal.

Suar. Palao.

188 Favet à fortiori casus propositus, & resolutus à Navarro lib. 5. Consil. 47. de Collegijs alicubi pro Scholasticis pauperibus Institutis: quorum Collegæ solent vendere tacitè sua loca alijs, quos Collegia ipsa rogata per Collegam venditorem, factâ per eum pro pretio sui loci renuntiatione, eligunt, vel recipiunt in Collegas. Quæritur autem

Navar.



tem tria. Primum an eiusmodi venditores comittant simoniam. Secundum: an subiciantur pœnis latis in Extravag. contra Simoniacos. Tertium: cui restituendum sit tale pretium, si sic acceptum restitui debet. Respondet autem tria.

189 Ad primum affirmativè: committi in eo simoniam: Quia inquit, loca illa, sive Sodalitia, licet non sint spiritualia, videntur tamen eis annexa sicut ius Patronatus Ecclesiasticum. Quæ resolutio, eiusque ratio prævalere videtur à fortiori in nostro casu: qui est de venditione iuris veluti Patronatus, non solum vnius admissionis in causam piam; sed administrationis totius causæ piæ.

190 Ad secundum negativè. Quia excommunicatio Extravagantis solum fertur contra Simoniacos in Ordine, & Beneficio Ecclesiastico: & præfata loca, seu Sodalitia non sunt Beneficia Ecclesiastica: Et ita inquit, sicut emens ius Patronatus, quamvis simoniam committeret, non tamen incidere in illam excommunicatiorem, ut aliàs in Prætorio Pœnitentiariae probavimus; similiter dicendum censet: scilicet, ementes huiusmodi loca simoniam admittentes; non tamen incidere in excommunicationem præfata.

191 Ad tertium ait primò, quod pecunia illa non est restituenda Collegio pro cuius Sodalitio accepta fuit. Non est enim cur ad id extendatur Canon. in c. de hoc præcipiens, quòd pretium simoniacè acceptum pro Beneficio restituatur Ecclesiæ, cui facta est iniuria. Ait secundò, quòd nec necesse est eam pecuniam restitui emptori, qui illam dedit. Quia turpiter datum, & turpiter acceptum non est necessariò restituendum turpiter danti iuxta regulam, in pari delicto, vel casu, melior est conditio possidentis. Ait tertio, ex opinione communi restituendū id esse pauperibus: quòd tamen ipse iudicat consilium; non præceptum. Ait quarto, satisfacturum eiusmodi venditorem, si impetret ab emptore donationem pretij sic accepti. Quia, cum satisfaciatur id restituendo, aut pauperibus, aut emptori; impetratā ab isto donatione pretij, manet iniustus, & Simoniacus venditor liber ab ulteriori restitutione. Hæc Navarrus.

192 Fundamentum præcipuum harum & similium doctrinarum sumitur, ex cap. Salvator 1. q. 3. vbi Urbanus II. vocat patenter Simoniacum, vendere rem

Ecclesiasticam. Quisquis igitur, inquit, res Ecclesiasticas, quæ dona Dei sunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, propter sua lucra vendit, vel emit, cum eodem Simone donum Dei possideri pecuniâ existimat. Et effert Concil. Chalcedonense prohibens, quemquam ordinari per pecuniam Procuratorem, vel Defensorem Ecclesiæ: & subdit: quòd eosdem Simoniacos iudicet: & postmodum: Nomine verò Procuratoris intelligit præfata Synodus quemlibet Ecclesiasticarum rerum Administratorem. Quo nomine videntur comprehendi Administratores prædictarum causarum piarum in nostro casu: ac proinde vendere, & emere, ius illud sic administrandi iudicandum esse Simoniacum.

193 Difficultatem huius Textus commendat, & merito, Barbosa in Collect. ad prædictum caput. Ex cuius tenore sequi videtur, omnem venditionem rerum quomodocumque Ecclesiasticarum fore simoniam: quòd certò falsum est cum licet vèdi possint in suis casibus multa bona temporalia, quæ verè Ecclesiastica sunt.

194 Quæ propter, explosis varijs variorum interpretationibus, existimat Barbosa ibi, duo mala considerari debere in venditione spiritualium: unum est avara cupiditas; aliud exinde estimatio spiritualium pro pretio temporali. Vtrumque hoc habuit Simon Magus: quippè ex avarâ cupiditate postea discedi ex patratione signorum, & miraculorum voluit emere sibi gratiam illam Spiritus Sancti. Unde utriusque illud vocatur ibi ab Urbano simonia à Simone. Cum discrimine tamen, quòd primum vocatur lætè simonia: cum solum secundum propria, & strictim simonia sit contractiùs iam apud Canonistas, & Theologos. Cum autem generaliter prohibeat Urbanus in dicto cap. omnem venditionem rerum Ecclesiasticarum uti simoniâ, non usurpat nomen simoniæ in secundò sensu proprio; sed in primo laxiori, pro emptione, & venditione rerum quarumcumque Ecclesiasticarum ex inordinatâ cupiditate pecuniæ uti satis se explicat Pontifex; non verò quando id fit licitè iustis de causis, & servatis servandis in vtilitatem Ecclesiæ. Vnde non mirum, quòd avaritia hæc cadens in res Ecclesiasticas vocetur aliquomodo simonia.

195 P. Suarez cap. 29. rejiciens num. 15. hanc interpretationem, existimat num.

Barbosa

Urbanus

Suar.

29. prædictum Textum loqui de vera simonia; non verò loqui de venditione quomodocumque bonorum Ecclesiasticorum utcumque, & secundum se spectatorum; sed de Ecclesiasticis administrationibus, & consequenter de his bonis quatenus sunt esse materia alicuius Ecclesiastici Officij seu Ministerij. Et hoc modo iudicat esse materiam veræ simoniæ & eorum bonorum venditionem esse simoniacam ex hoc iure Ecclesiastico illam uti talem prohibente. Quòd facit, quòd allegat ibi Urbanus ex Concilio Chalcedonensi damnaute, uti simoniacam venditionem Officij, seu iuris Procuratoris, & Administratoris Ecclesiæ, ut indicaverat ipse Suar. num. 3. Et hæc periculis videtur post casus venditionis Iuris veluti Patronatus, seu administrationis auctoritate Ecclesiæ dari Personis etiam laicis circa causas pias, in quas convertuntur Personatus Tarraconenses. Sic etiam Palus pun. 14. in fine.

Palus

SECTIO XXIV

Resolutio bipartita

196 Ex his omnibus dicendum iudicari prædictas causas pias spectatas secundum ius illud eas admittendi, conservandi, & distribuendi, & competens earum Patrocinij etiam laicis, esse materiam veræ simoniæ: ac proinde prædicti iuris venditionem, & emptiorem esse peccatum simoniacum. Non tamen subiacere excommunicationi, nec alijs pœnis Ecclesiasticis latis in Jure Canonico, contra Simoniacos.

197 Prior pars huius resolutionis constat ex partibus, & doctrinis adductis, & num. 184. Ex quibus ad rationem oppositam num. 82. fatendum est, eiusmodi dotes iam desiderare esse dotes beneficiales; & manere in esse cause piæ. Non tamen cuiuscumque cause piæ, sed cause piæ ex Beneficio derivatæ, & auctoritate Episcopi institutæ; ut expensum est in c. fundamenta alterius partis præcedentis num. 185. Et quamvis illud aliam in statuendum eiusmodi causas pias non omnino æquiparetur iuri Patronatus Beneficialis; valde tamen illud imitatur cum annexione ad spiritualia sufficienter ad materiam simoniæ, ut expensum est in superioribus. Ad partem contra Capellaniatum positam num. 187. quidquid sit de doctrina illa, Capellani non infirmitur

auctoritate Episcopi; illa datâ, negatur consequentia. Nam prædictæ causæ piæ institutæ sunt Episcopi auctoritate: in qua circumstantia potius æquiparantur alijs Capellanis collatis auctoritate Episcopi fundatis; quæ certo sunt materia simoniæ quatenus Beneficia non sint.

198 Posterior autem nostræ resolutionis pars colligitur ex doctrina Navarri relatâ num. 190. Et probatur: quia pœnæ Ecclesiasticæ contra Simoniacos non sunt lætæ nisi contra Simoniacos in Ordinibus, in Ingressibus Religionum, & in Beneficijs Ecclesiasticis, ut notat, & ex professo defendunt Suar. cap. 55. Palus pun. 21. Lessius lib. 2. c. 25. dub. 27. Gibalin. q. 24. & alij apud ipsos. Vnde, quamvis in alijs materijs sint multa alia peccata gravissima si ponat, sive à iure di. vno, sive à iure Ecclesiastico prohibita; non incurruntur propter illa peccata pœnæ Ecclesiasticæ lætæ contra Simoniacos.

199 Cum ergo peccata simoniæ circa ius Patronatus, & in presenti nostro casu ius administrandi causas pias Patronatus, non sint simoniæ in materia Ordinum, Ingressuum Religionum, nec Beneficiorum Ecclesiasticorum, quia eiusmodi Patronatus Beneficia non sunt, & passim laicis competere solent; non subiacent excommunicationibus, alijsque pœnis Ecclesiasticis latis in Jure contra Simoniacos. Fortè in aliquibus Decretis sunt contra hæc iure particulari lætæ aliqua pœnæ: quòd nobis particulimè constat. A Iudice tamen possent ferri.

Suar. Palus. Less. Gibal.

Garcia. Torre. Sot.

Pauli 2.

200 Oppositum sentiunt Garcia Raphael de la Torre, & ex parte Sotus, apud Gibalin. cit. ex eo dicit, quòd in Extravaganti 2. Cum de inhabile, de Simonia edita à Paulo II. renovantur censuræ, pœnæque omnes antiquitùs lætæ contra Simoniacos, ad quæ Pontifex, quas ipso facto eos incurrere volumus. Atqui in iure multæ sunt censuræ, & pœnæ ferendæ in Simoniacos. Reperiuntur c. Erga c. Quidquid, c. Nullus Episcopus. Reperiuntur cum alijs. l. 9. c. ult. l. 9. c. De hæc. c. Veniens de Simonia. Omnes ergo illæ suspensiones, depositiones, seu privationes, interdicta, & excommunicationes per antiquiores Canones ferendæ, sunt per Extravagantæ contra omnes.

201 Numis probat discursus iste. Cui enim iuxta antiquas pœnas ferendas in Simoniacos, sic depositio, & privatio Beneficiorum hæc etiam pœnæ essent lætæ post Extravagantæ.

travag. sicque omnes simoniaci in Ordine, & Beneficio essent ipso iure depositi, cunctisque Beneficijs privati: quod dixit nemo.

202 Quare respondendum est cum Suar. c. 55. a. n. 8. Feli. & alijs, Pontificem in dicta Extrav. per illa verba: *quas ipso facto incurrere volumus*; voluisse, quod simoniaci occulti, contra quos ibi extensive agitur, incurrerent easdem pœnas, quas olim publici: vnde, si aliquæ fortè reperirentur latæ contra publicos, ut aliqui opinabantur, incurrerentur deinceps ipso etiam facto ab occultis. Cùm autem nullæ antiquitatis latæ reperiantur in omnes simoniacos, ut sigillatim expendit Suar. a. n. 5. non concluditur ex Extrav. pœna ulla Ecclesiastica iure in omnes simoniacos. Quod inde mihi etiam persuadeo, quod Pontifex, si illis verbis intendisset omnes simoniacos incursums ipso facto pœnas quæ olim erant contra ipsos ferendæ; frustra postea stabili-ret specialiter contra simoniacos in Ordine suspensionem; & contra simoniacos in beneficio excommunicationem: hæ enim pœnæ iam erant inter alias ferendæ in iure antiquo, & mansissent latæ per Extravagantè, iuxta discursum Adversariorum. Itaque ad rationem oppositam n. 99. explicatâ maiori, prout nuper ex Suar. conceditur minor, & negatur consequentia.

203 Specialiter opponit Sotus pro excommunicatione latâ in omnes simoniacos verba ipsius Extrav. §. *Statuentes*: ibi: *Vniuersi, & singuli, qui quomodolibet dâdo, vel recipiendo, simoniam commiserint, aut quod illa fiat mediatores exierint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant.* Quæ verba, cùm ad nullam materiam restringantur, manent in sua generalitate: ergo ex vi illorum lata est excommunicatio in simoniacos cuiuscumque materiæ.

204 Respondetur ex Suar. n. 9. ea verba intelligi & restringi debere per præcedentia. Præcesserat immediatè sermō de Simonijs in Ordinibus, in Ecclesijs, Monasterijs, Dignitatibus, Personatibus, Officijs Ecclesiasticis, & quibusvis Beneficijs: & super simonias commissas in his materijs Ordinum, & Beneficiorum fertur excommunicatione: ac proinde non ita generaliter, ac fortis non videtur. Quod satis significat Textus subiungens, ibi: *Quos simoniam huiusmodi commississe, vel procurasse*; & c. ubi vox, *huiusmodi*, est relativa ad simonias, de quibus fuerat sermo: idèdque restrictiva. Nec officit vox: *Officijs Ecclesiasticis*:

quasi comprehendat simonias in venditionibus prædictarum Administrationum. Hæc enim non veniunt, præsertim in pœnalibus, nomine *Officij*; nisi exprimantur, ut in *cap. Salvator*: cùm non sint officia Ecclesiastica, nisi largo modo: ut habet Barb. de *Iur. univ. lib. 1. c. 21. n. 31.* & de *de Canon. & Dignit. c. 4. n. 24.*

205 Per hæc infert Palaus *pun. 21. in fin.* simoniacum in accipiendis, vel conferendis Sacramētis, præter Ordinem: in Cōsecrationibus, Benedictionibus, Dispensationibus, Delegationibus, & Iurisdictionibus concedendis: itemque in venditione, emptione, & redemptione, aut commutatione Pensionis, vel Vicarij temporalis; nullam pœnam ipso iure incurrere. Idem ait Piring. *to. 5. l. 5. tit. 3. n. 154.* Vnde pro casu nostræ Resolutionis, nō sunt latæ pœnæ Iuris communis. Quod notaverim pro dicendis in sequentibus.

SECTIO XXV.

*Pœna contra prædictas Simonias.*

206 N E verò ex ignorantia prædicti, alijvè similes contractus sacrilegij resumam hæc pœnas Iuris contra Simoniacos in re Beneficiali, provi ad præsens at-tinet: ex ijs, quæ latè scribit Castro Palaus *pun. 15.* postquam de pœnis aliorum Simoniacorum in Ordinibus, & Ingressibus Religionum egerat *punct. 12. & 14.* de quibus pro nunc non curamus.

207 Primò: imposita est pœna excommunicationis latæ sententiæ contra cōferentem, & procuratèrem alteri Beneficium mediâ electione, præsentatione, postulatione, institutione, cōfirmatione, seu commendatione, interveniente Simonia. Extravag. *Cùm detestabile. de Simonia, & Motus propr.* Pij Quinti: *Sanctum, & salutare.* Quem, quamvis Clemens Octavus revocaverit, & ad ius commune reduxerit non tamen quo ad pœnas Simoniacorum. Palaus *p. 14. & 15. num. 2.*

208 Secundò: per eandem Extravag. imponitur pœna irritationis, & annullationis provisionum Beneficialium Simoniacarum. Vnde per eiusmodi provisiones nullum acquiritur ius: nec sic provisus facit fructus Beneficij suos: quos si percipiat tenetur restituere. Et hoc, quamvis Simonia commissâ sit ab alio tertio, si provisus scivit, & non contradixit. *cap. Nobis fuit 27. de Simon.* Lessius *lib. 2. cap. 35. Suar. dub. 25. Suar. c. 57. n. 28.* Quod

209 Quodsi debitè contradixit obtentor, valida est collatio, *cap. Sicut suis. de Simonia.* Dixi: *debitè.* Quia si, quamvis contradixerit, tamen concitus Simonia, acceptavit Beneficium; non satis, nec debitè contradixit, nec provisio est valida. Quo in casu, quamvis acceptans non incurrat excommunicationem, quia non dedit causam contractui Simoniaci; sit tamen inhabilis ad Beneficium. Lessius *dub. 15. Suar. c. 59. num. 29.* cum alijs. Si verò, te prorsus incio, idèdque non contradicente, provisus es de Beneficio per Simoniam ab alio tertio commissam, subdistinguit Palaus *pun. 15. num. 3.* Si tertius ille id fecit in tui odij, ut scilicet te eo ipso inhabilitaret, validè, & licitè retines Beneficium: *ex cap. Nobis fuit. de Sim.* Si fecit ex amicitia in tui commodum; ubi id resciveris, teneris dimittere Beneficium, & fructus, ut inhabilis ad illud retinendum: *ex eodem cap. Nobis fuit, & cap. penult. de Elect.*

210 Nisi fortan excuset te ius triennialis possessionis in bona fide. Palaus *ibi. dem:* advertens tamen in *fine num. 3.* electionem esse validam, si commissâ fuit Simonia cum aliquo ex Electoribus, dummodo reliqui ab ea lahe liberi sufficientes fuerint ad eligendum. Cum Suar. Garc. & Rodr.

211 Tertiò: Pœna inhabilitatis ad alia Beneficia. Quoad hanc tamen, moderamine, & distinctione utendum est. Alia enim sunt Beneficia, quæ fortè antea habebat legitime Simoniacus; alia quæ post Simoniam obtinuit citra Simoniam. Circa priora ipso iure dimittenda, vera sententia, ut videre est apud Suar. *c. 58.* negat eiusmodi pœnam: quia nullibi lata reperitur. Quodsi in *c. Inquisitionis de Accusat.* dicitur obtineus Beneficium Simoniacè impediri à retentione Beneficij; intelligitur de Beneficio Simoniacè obtento.

212 Dixi: *ipso iure.* Nam à Iudice posset Simoniacus privari Beneficijs etiam antea ritè obtentis. Hinc ritè electus, & præsentatus, & postea Simoniacè confirmatus in Beneficio, non propterea patitur ipso iure nullitatem electionis, & præsentationis: quamvis per sententiam hæc possit, ac debeat annullari. Lessius *c. 35. dub. 25. Suar. c. 58.* Ugolin. & Felin. apud Palaum *pun. 25. num. 6.* & alij apud Gibalinum eos sequentem *q. 25. n. 3.*

213 Circa posteriora verò, ait Suar. *num. 11.* & probabilius iudicat Palaus *num. 7.*

Simoniacū ad ipsa reddi inhabilè: ac proinde ulteriorum Beneficiorum obtentionem esse nullam ipso iure: *ex Conttit. Pij Quinti dicentis*, quod Simoniacus illis, scilicet Beneficijs per Simoniam acquisitis, sit ipso iure, privatus, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & ad quæcumque alia obtinenda. Tametsi Navarrus dicat, Constitutionem quo ad hanc partem vsu non esse receptam: Idèdque Simoniacum non fieri ipso iure inhabilem ad alia: cui assentiri videtur Lessius *dub. 26.* quatenus, loquens de Simonia confidentiali, requirit sententiam declaratoriam criminis ad inhabilitatem pro ulterioribus Beneficijs: & ad obligationem ea dimittendi. Sic etiam Gibalinus *q. 25. n. 6.*

214 Contra Simoniam confidentialem Extrav. Pij Quarti, pœnæ sunt. Prima, excommunicatio reservata Papæ contra dantes, & accipientes. Secundò, interdictum contra Episcopos, & Collatores. Tertio, nullitas resignationum, & collationum. Quarto, inhabilitas ad illud, & ad alia in posterum Beneficia. Quintò, reservatio Beneficij tali Simonia labefactati ad Papam. Sextò, applicatio fructuum sic malè perceptorum ad Cameram Apostolicam. Septimò, privatio Beneficiorum ritè antea obtentorum, & inhabilitas ad ulteriora. Quæ pœnæ incurruntur ipso iure, præter septimam: quæ, ut ex Suar. & Lessio tenet Palaus *num. 8.* requirit sententiam declaratoriam criminis iuxta receptum usum. Sic etiam Gibalinus *q. 26. num. 2.* animadvertens *num. 1.* has pœnas incurrere etiam à mediatoribus.

215 Nora, ut pœnæ iuris incurrantur, non sufficere peccatum Simonia purè mētale, seu merâ intentionè cōmittendi Simoniam, nallatenus prodeūtè in actum externum: ut ex Lessio, Suarez, & communi supponit Palaus *pun. 22. n. 1.* Imò nec ferri pro cōventionali, ex neutrà parte cōpleta: quando scilicet, quamvis dans, & accipiens Beneficium, iam convenerint de pretio, nō dum tamen unus dedit pretium, nec alter resignavit Beneficium. Imò, & quamvis dederit te ipsa pretium, si nondum accipit Beneficium. Palaus cum communi *num. 2.*

216 Quid verò, si è contra unus post conventionem Simoniacam iam obtinuit re ipsa Beneficium; alter autem nondum recepit pretium? Affirmant plures; hoc iam sufficere ad incurrendas pœnas iuris: & in

Pius V.

Navarr.

Lessius.

Gibal.

Pius 4.

Suar.

Lessius.

Palaus.

Gibal.

Lessio.

Suar.

Palaus.

Ddd

hanc

Suar. Felin.

Suar.

Sotus.

Extrav.

Suar.

Barb.

Palaus.

Less. Suar.

Palaus.

Piring.

Palaus.

Suar. Garc. Rodr.

Suar.

C. Inqu.

Lessius. Suar. Ugol. Felin. Palaus. Gibal.

Suar.

Pius V. Clem. 8.

Palaus.

Lessi.

Suar.

Palau.

hanc partem inclinat Palau num 5. multos citans. At plures etiam alij, quos citat n 4. id negant: existimantes, ad incurrendas pœnas iuris requiri contractum Simoniacum esse utrinque opere completum: scilicet, & Beneficium obtentum, & pretium re ipsa solutum. Aut saltem partem pretij, vt rectè præmonuerat ex Suarez ipse Palau num. 3. quem omnino sequitur Gibalinus q 24.

Suar.

Palau.

Gibal.

217 Excipe Simoniacos confidentiales. Contra hos enim, ex specialibus Bullis procedunt pœnæ iuris, quamuis simonia confidentialis non sit opere completa ex utraque parte. Vnde qui obtinuit Beneficium in confidentiam, ut iterum renunciet, vel alteri resignet, aut fructus solvat: eo ipso quod sic obtinuerit Beneficium, quamuis nondum renunciaverit, resignaverit, aut fructus re ipsa solverit, iam incurrit pœnas iuris. Palau punct. 25. num 8.

Gibal.

Palau.

Navar.

Gibal.

218 Contra Mediatore, & Intervenitores in simonijs est excommunicatio in Extravag. 2. de Simonia, ut explicat Gibalinus q 21 num. 1. Quod similiter intelligitur, completâ Simoniâ. In alijs Bullis nihil expressè cavetur contra ipsos. Palau ibidem. Circa obligationem restituendi ijs incumbentem casu quo Beneficiarius non restituat, vide Navarum lib. 5. Consil. 57. & Gibalinum q. 23. consuet. 15. Qui Auctor recens, & gravis q. 14. Consuet. 12. favet etiam resolutioni nostræ sectionis 13. de pactioibus permutantium præcedentibus consentum, & notitiam Ordinariorum.

SECTIO XXVI.

Methodus curandi Simoniacos animi morbos.

219 HOC speciale non est Personatum Tarraconensium; inde tamen datur nobis oportune specialis occasio aliqua ex bonis Auctoribus admonendi pro Confessarijs, & Consulentibus ad remedium spirituale practicum eorum, qui forte Simoniacos aliquos stimulos in conscientia sentiunt, & dolentes desiderant ab illis liberari.

220 Quatuor animadvertat, necesse est, prudens Confessarius, vel Theologus, præter peccatum sacrilegij, in Simoniacis respectivè. Primò, obligationem restituendi

di pretium acceptum pro Beneficio. Secundò, obligationem restituendi fructus perceptos ex Beneficio simoniacè obtento. Tertio, excommunicationem. Quarto, privationem ipso iure retinendi dictum Beneficium, & inhabilitatem ad ulteriora obtinenda. Primum spectat ad eum, qui dedit pro pretio Beneficium. Secundum, & quartum ad eum, qui dato pretio obtinuit Beneficium. Tertium ad utrumque.

221 Circa primum: constat, tale pretium restituendum esse etiam ante sententiam Iudicis. At cui restituendum? Respondetur, dato ex vna parte pretio, nondum tamen Simoniâ utrinque completâ, restitui debere pretium illi qui dedit Palau punct. 26. num. 3. Si iam est utrinque completâ; de iure communi restituendum esse, non illi qui dedit: nam sacri Canonès illum hoc pretio privant in pœnam; sed Ecclesiæ, in qua est Beneficium: aut etiâ pauperibus. Palau punct. 26. num. 5. Diana p. 4. tr. 4. resolut. 167. Lumbier Observat. 12. num. 417. ex S. Tho. 2. 2. q. 32. art. 7. Quod si ipse qui accepit pruper est, posset id sibi titulo elemosinæ retinere. Sanchez apud Dian. ibi.

Palau.

Dian.

Lumb.

S. Tho.

Sanch.

Dian.

Palau.

Less.

222 Addunt Palau ibidem, & Lessius dub. 31. debere restitui ei, cui Iudex adiudicaret, ante sententiam verò Iudicis, ac proinde, dum res occultè geritur, probabile sibi esse, quod docent Sous, Bañez, Aragon, & Rodriguez, tale pretium posse, addit Diana, & debere, restitui illi, qui dedit, allegans Molinam, Sanchez, & alios: nam qui dedit pretium non privatur iure illud recuperandi, nisi in pœnam à Jure Ecclesiastico: quam pœnam non incurrit ante sententiam Iudicis. Ex ijs omnibus pro foro conscientie citra Iudicis sententiam, Simoniacus restituens pretium sive Ecclesiæ, sive Pauperibus, sive illi à quo pretium pro Beneficio recepit, habebit pro se bonos Auctores, quod in hac parte satisfecerit.

Sot.

Bañez.

Arag.

Rodr.

Dian.

Molin.

Sanch.

223 Circa secundum; fructus percepti ex Beneficio simoniacè obtento restitui debent Cameræ Apostolicæ, ad quâ spectant: & potest agi de compositione cum ipsa. Lumbier num. 416. An verò in his locum habeat Bulla compositionis Cruciatæ collige ex Trullench lib. 3. dub. 4. casu 2. à nu. 8. De Lugo tom. 1. de Inst. disp. 21. sect. 7. §. 1. & Bardi in Bull. p. 3. tr. 5. c. 3. sec. 3. utriusque id disputantibus, Quodsi

Lumb.

Lug.

Trull.

Bard.

Quodsi quis eos fructus bona fide percepit, & consumpsit ignorans simoniam commissam à tertio in obtentione Beneficij, vt in casu sectionis præcedentis n. 183. eatenus tenetur illos restituere, quatenus ex illis factus est ditior: iuxta doctrinas communes de possessore, seu consumptore bona fide rei alienæ. Lumbier num. 417. Bardi cit.

Lumb.

Bardi.

224 Quodsi quis per Simoniam à se ignoratam obtinuit Beneficium, si per triennium illud possedit illo titulo colorato, & bonâ fide, non solum id postea resciscens non tenetur dimittere Beneficium iure triennalis possessionis; sed nec tenetur restituere fructus illius triennij, nisi in quantum factus est ditior. Fructus autem perceptos post triennalem possessionem non tenetur restituere: quia illos iam fecit suos beneficio triennalis possessionis. Mendo in Epit. verb. Simonia, num. 13.

Mendo.

Trident.

Suar.

Palau.

Lumb.

225 Circa tertium quoad excommunicationem, ex iure communi solus Papa potest absolvere Simoniacos. Ex speciali privilegio per Trid. sess. 24. c. 6. de Ref. p. sunt Episcopi, si non est publica, & ad forum contentiosum deducta. Suarez c. 61. Possunt iuxta sua privilegia Regulares: & est recursus ad privilegium Cruciatæ. Palau punct. ult. num. 2. Lumbier n. 416.

226 Circa quartum, & quintum; illius privationis, & inhabilitatis remedium petendum est à Sede Apostolica, vel à Nuncio Legato respectivè potente dare ius ad retinendum licitè Beneficium simoniacè præobtentum, & ad obtinenda ulteriora. Quoad hoc enim nihil potest Confessarius ordinarius, nec prodest privilegium Cruciatæ. Quid possit Episcopus, dicam inferius. Modum practicum recurrenti pro ijs ad Sedem Apostolicam præscribit Lumbier ad calcem suarum Noticiarum ad sexagintaquingue propositiones ab Innoc. II. prohibitas, primò Hispanicè editarum. Sed hoc Curialium Romanorum erit negotium.

Lumb.

227 Quid si accedat Simoniacus occultus verè pœnitens, petens absolvi à sua excommunicatione, & à peccatis, non tamen re ipsa cedens Beneficio, quod Simoniacè obtinuit, quia si illud dimitteret publicaretur crimen occultum suæ simoniæ: & ex aliâ parte non posset sine nota omittere celebrationem, ne sic etiam proderet crimen suum occultum: & inte-

rim quâ potest diligentia procurat à Sede Apostolica remedium, vt licitè possit retinere dictum Beneficium? Queritur, inquam, in prædictis circumstantijs, quid faciat Confessarius, potens præscriptum aliunde ex aliquo privilegio absolvere ab excommunicatione?

228 Respondet Mag. Lumbier Observat. 12. latinâ, num. 416. posse in prædictis circumstantijs Confessarium, servatis cautè servandis iuxta Reginaldum in auro suo Opere de Prud. Conf. cap. 21. num. 18. & 19. absolvere ab excommunicatione, & à peccatis, eiusmodi simoniacû, sub onere recurrenti ad habentem legitimas potestates: & posse hunc sic absolutum, retento interim Beneficio, celebrare, dum serio, enixè, & fidenter suum remedium à Sede Apostolica sollicitat. Quia sic præsumitur de benignitate sanctæ Martis Ecclesiæ. Quod procedit à fertiori ex ijs, quæ tradit Diana p. 1. tract. 5. resolut. 4. ex Navar. & Fagundez: faventque Reginaldus ubi supra, ex ijs, quæ latius habet in sua Praxi tom. 1. lib. 8. c. 7. & Tambur. in Method. Commun. cap. 1. §. 6. id expressè ampliatis num. 27. ad eum, qui ob celebrationes antecedentes incurtisset occultam irregularitatem, cum Gasp. Hurt. & Layman ob easdem rationes.

Lumb.

Reginald.

Dian.

Navar.

Fagund.

Tambur.

Hurt.

Laym.

229 Dixi: ob celebrationes: scilicet factas in statu excommunicationis incurtæ. Nam simoniæ secundum se non est annexa irregularitas: cum ex nullo iure id consistet: ut ex Leandro resumit rectè amicissimus Doctor Joannes Tholleuda cum Suar. Bonac. & alijs contra Maiol. & alios in exactissimâ suâ Summâ p. 5. tract. 2. disp. 26. n. 3.

Leand.

Tholl.

Suar.

Bonac.

230 Disputat doctè Palau punct. ult. num. 3. an inhabilitas, quam contrahit obtinens simoniacè Beneficium, tolli possit ab Episcopo. Respondet, si obtinuit bonâ fide per simoniam à se ignoratam, posse Episcopum post liberam Beneficij resignationem, illud eidem conferre: dummodò Beneficium sit simplex. Si maius sit, non posse pro illa vice; posse tamen pro alia: si nempe, collato primitim alteri, iterum vacet: ex cap. penult. de elect.

Maiol.

Palau.

231 Si verò obtinuit per simoniâ à se scienter commissam, ait, Episcopum id non posse; sed simoniacum manere inhabilem ad tale Beneficium, (imò, & ad ulteriora, si simonia fuit confidentialis) nisi Papa habilitet: & hoc quidem quamvis simonis



fuerit occulta: Nam ea inhabilitas, cum non sit censura, non venit sub casibus occultis concessis Episcopis per Tridentinū. Quam sententiam ait tenendam esse in praxi: pro qua affert decisiones Rotæ: & declarationem sacræ Congreg. Card. Cū enim dubitatum fuisset: an Episcopus potuisset absolvere subditum à simonia occultā & rehabilitare ad Ordines, & Beneficia; Congregatio censuit: potuisse absolvere, & ad Ordines rehabilitare, & ad Beneficia tam obtenta, quam obtinendas, sed non ad Beneficia, quibus propter simoniā privatus fuisset, vel ad obtinenda: Alia scilicet, à quibus per sententiam fuisset inhabilitatus: ne posteriora hæc verba prioribus contradicant.

232 His non obstantibus probabilem iudicat num. 4. aliquorum sententiā, quam tenet Henriquez, posse Episcopum ante sententiam Iudicis dispensare cum Simoniaco occulto in inhabilitate contracta per simoniam. Id etiam probabile putat Lelsius cap. 35. dub. 25. qui pro multis mihi est, & non improbable Gibalinus 9. 31.

233 Iuxta quam doctrinam Simoniaco dispensatus ab Episcopo in censuris, & in hac inhabilitate, poterit sine alia collatione retinere Beneficium. Palauus num. 5. Quod aliqui limitant quoad Beneficia, quæ alioquin essent de collatione Episcopi. Tunc enim, aiunt, dispensatio Episcopi in impedimento, propter quod collatio irrita fuit, æquivaleret collationi. Alij limitationem istam respuunt. Alij aliter limitant, ut Sanchez lib. 8. de Matr. disp. 7. allegatus à Palao num. 7. Nobis pro praxi fori conscientiæ dicta sint satis, ad insinuanda Confessarijs, & Theologis miris versatjs obiter remedia, quibus se, & alios expedire valeant in huiusmodi casibus satis frequentibus, aut saltē dubitare ad inquirendum. Et recolere oportebit, quid prohiberit circa doctrinas de simonia Ss. D.N.

Innoc. II Innocentius Papa II. anno 1677. Prop. 45. & 46. & super eas Observationem

Lumbier. 12. Magister Lumbier.

## SECTIO XXVII.

Paradigma Institutionum, Collationum, Resignationum, & Permutationum Personatum Provinciae Tarraconensis.

234 **A**D præsentis Opusculi complementum pro praxi, & uberiori intelligentiā aliquarum difficultatum, & doctrinarum præcedentium subijcio sequens paradigma, iuxta stylum Curie Metropolitanæ Tarraconen. Quamvis enim pro varietate Diocesium aliqua reperiat in ijs varietas accidentalis, substantialiter tamen non discrepant: fuitque rationi consonum ponere ob oculos exemplar Curie Metropolitanæ ad me transmissum: quod est huiusmodi.

Institutio Personatus.

Die \*\* mensis \*\* anni \*\*.

235 **I**N illius Nomine, quem venisse credimus, venturumque cum maiestate magnā fideliter speramus. qui Deus, & homo est, Deus ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia Matris in seculo natus. Noverim universi, quod Ego. N. attendens, quod de bonis temporalibus solum retinentur, qua amore, & nomine Domini Nostri Iesu Christi, & eius Purissimæ semper Virginis Matris Mariæ elargimur, Idcirco ad laudem, gloriam, & honorem Santissimæ, & indivisæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & ob fervorem, & devotionem specialem, quam gero erga Beatissimam, & Immaculatam Virginem Mariam: Agens tamen hæc cum auctoritate, & decreto Illustris, & Admodum Reverendi Domini Vicarij Generalis, & Officialis inferius auctorizantis, & decretantis: gratis, & ex mea certa scientiā instituo, erigo, & fundo quendam Personatum, seu Personale Beneficiū sub invocatione Beatae Mariæ in Altari Ecclesie N. ad vitam trium possessorum tantum duraturum.

236 Quod quidem Personale Beneficium volo & ordino, et incontinenti factā per me huiusmodi Institutione, mihi conferatur, & assignetur per dictum, & infra scriptum Dominum Vicarium Generalem, & Officialem pro hac prima vi-

ce: illudque, vitā meā durante, obtinere possim, redditusque per me inferius assignandos, quādiu illud obtinero petere & recipere valeam, & in meos proprios usus convertere: & dictum Personale Beneficiū quovis alio Beneficio Ecclesiastico tam Curato, quā simpliciter permutare possim, & valeam: & secundus similiter Possessor possit idem Beneficium permutare cum alio quovis, Curato, vel non Curato Beneficio, redditisque eiusdem infra scriptos, quādiu illud obtinuerit, petere: & recipere: & suos ad usus proprios convertere: tertius autem minimō possit hanc permutationem exercere: liceat tamen primo, secundo aut tertio dicti Personatus Obientori, & alteri eorum, cui videbitur dum vixerit, & dictum Personatum obtinebit, & non aliās, disponere de illius redditibus inferius assignandis in aliqua pia causa pro puellis maritandis, & studentibus edocendis, M. sis, vel Anniversarijs, & alijs pijs causis dicti, disponenti bene visis.

237 Si autē dictus primus secundus tertius possessor, si foris extiterint dicti Beneficij Personatus, absq. tali dispositione decesserint, tunc possit, & valeat Illustrissimus Dominus Tarraconens. Archiepiscopus, seu eius Illustris Dominus Vicarius Generalis, & Officialis, qui tunc fuerit, disponere, applicare, & convertere fructus eiusdem Beneficij infra assignandos ad causas pijs sibi bene visis. Volo insuper, quod dictum Personale Beneficiū non sit incompatibile, quinimō illud obtinens aliud, seu alia Beneficia Ecclesiastica cum Cura, vel sine Cura obtinere possit, & valeat: nec aliquod servitium personale facere cogatur, neque in aliquibus oneribus contribuere teneatur.

238 Et quia optat premium quisque labor, & qualibet pia institutio sua meretur competenti dote dotari, idcirco gratis, & dono de presenti, offero, assigno, & consigno Domino Deo, & dicto Personati, seu Personali Beneficio, & illud obtinenti, & suis loco & tempore, dicta causa pia instituenda, totum illud censuale mortuum iam creatum pretij, sive proprietatis mille librarum monetae Barchinon. & personis annue totidem solidorum, quod annis singulis die \*. Petrus N. mihi facit, & præstat, facereque, & præstare teneatur vigore venditionis, & originalis creationis per eum mihi factæ. Instrumento recepto penes Not. N. die \*. mensis \*.

239 Et est sciendum, quod supradictum censuale, quod in presenti dono, offero, assigno, & consigno, est submissum, & subiectum instrumento, seu pacto gratia red. mendi: quod quidem pactum dictum Beneficium obtinens, & sui in his successores sequi habeant, & teneantur. Et in casu luitionis volo, & ordino, quod pretium deponatur in thecaſto depositorum Venerabilis & devota Confratria Beatae Mariæ Presbyterorum Sedis Tarraconen. de quo levari nequeat, nisi per viam reſmerij in parte turā, & securā ad cognitionē dicti Illustris Domini Vicarij Generalis, & Officialis, obtinentis dictum Personatum, & suo tempore Administratoris dicta causa pia instituenda.

240 Has itaque Institutionem, donationem, oblationem, assignationem, & consignationem facio Ego dictus N. Domino Deo, dictoque Personati, seu Personali Beneficio, & suo tempore dicta causa pia instituenda, & suis in his successoribus, sicut melius, & c. Extrahens, & c. Eademque, & c. Promittens, tradere possessionem, & c. & in ea, & c. vel dictum Personatum, obtinens, & sui successores, & c. Ego enim, & c.

241 Præterea cedo iura, & c. quibus iuribus, & c. possit obtinens dictum Personatum, seu Personale Beneficium, & suo tempore Administrator dicta causa pia instituenda, & sui in his successores possint, annuas pensiones dicti censualis, suis statutis terminis, nec non pretium in casu luitionis eiusdem petere, exigere, & c. Et de receptis, & c. Apocarum, & apocas facere, & firmare, & c. clama, & retroclama ponere, & c. executiones instare, & c. Ego enim, & c. constituens, & c. dicens, & intimans, & c.

242 Insuper promitto teneri de evitione in omni casu, & c. Et pro his complendis & c. obligo omnia, & singula bona mea mobilia, & immobilia, & c. Renuncians omni & cuiuscunque iuri, & c. & foro, & c. submitens, & supponens me, & bona mea, quo ad hæc foro, & c. Magnificorum Vicariorum, aut Curia Regia Tarraconen. Barchinonæ, vel alterius, & c. In quem, & c. Cum facultate variandi, & c. Et ut prædicta, & c. iuro, & c. Hac igitur, & c. Actum, & c. Testes, & c.

243 In aliquibus Diocesium, ut observavi in exemplari Cellonenſi, additur in clausula num. 236. sic: Iuxta Constitutio-

tionem Concilij Provincialis Parraconensis, & Ordinationum sacrorum Canonum. ut meminibus sec. 11. nu. 90.

Decretum Ordinarij.

244 **N**OS .N. in spiritualibus, & temporalibus pro Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Tarraconen. Archiepiscopo, Vicarius Generalis, & Officialis; supradicta Institutionis Personatus instrumento, nec non donationi illius nostram interponimus auctoritatem. & Decretum in manu, & posse Notarij, & Scribae Curiae Ecclesiasticae Tarraconen. supradictis die & anno: praesentibus pro testibus N. & N. ad praemissa vocatis, & assumptis, &c.

Collatio Personatus.

245 **N**OS .N. in spiritualibus, & temporalibus pro Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Tarraconen. Archiepiscopo, Vicarius Generalis, & Officialis. Dilecto Nobis in Christo .N. salutem in Domino. Virtute, ac morum honestas, atque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Beneficium igitur Personale sub vocabulo, & invocatione Beatae Mariae in Ecclesia, seu Capella \*. per te noviter institutum, tibi tanquam habili, & idoneo ad illud obtinendum conferimus, & collamus: & per birreti appositionem capiti tuo per nos factam corporaliter te investimus de eodem, iuribusque, & pertinentiis illius universis: sine tamen praevudicio iuris alieni. Sis insuper dicto Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Tarraconen. Archiepiscopo, suisque successoribus canonicè intrantibus humilis, obediens, & fidelis: eius, & Officialium suorum monitiones, & mandata humiliter adimplendo: iuraque dicti Personalis Beneficij manuteneas, & defendas, ac illibata pro posse conserves: pro ut hac in manibus, & posse nostris in animam ipsam ad Dominum Deum, & eius Sancti quatuor Evangelia manibus tuis corporaliter tacta iurasti. Et ut nostra praesens Collatio suum debitum sortiatur

effectum; Dilectis nobis in Christo universis, & singulis Presbyteris, Curatis, & non Curatis per Civitatem, & Decem Tarraconen. constitutis, atque in solidum, tenore praesentium dicimus, committimus, & mandamus, quatenus ipsi, seu eorum quilibet, qui à te, seu ex parte tua fuerit requisitus, ponat, & inducat te, seu procuratorem tuum nomine tuo in corporalem, realem, & actualem possessionem seu quasi, dicti Personalis Beneficij, & iurium suorum universorum: & defendat te inductum, amoto exinde quolibet illicito dementore, faciundo te ad dictum Beneficium, ut iuris, & moris est, admitti, tibi que, vel cui volueris de illius iuribus, obventionibus, & pertinentiis integre responderi: contradictores quoslibet, & dementores auctoritate nostra censuris Ecclesiasticis firmiter coepescendo, &c.

RESIGNATIO PERSONATUS, ET Beneficij causâ Permutationis ad stylum Curiarum Barcinonensis, & Celsonensis.

Die \*\* mensis \*\* Ann. \*\*.

246 **R**everendus .N. obtinens Parrochiale Ecclesiam \*. & N. obtinens Personatum, seu Personale Beneficium sub invocatione Sancti .N. ad Altare Capellae Sancti Michaelis Palatii Episcopalis Celsonen. institutum, & fundatum; constituti personaliter coram Illustri, admodumque Reverendo Domino .N. Presbytero V. I. D. & Illustrissimo, ac Reverendissimi D. D. N. Episcopi, Regique Consiliarij, in spiritualibus, & temporalibus Vic. Generali, & Officiali, in quadam Aula Palatii Episcopalis \*. existenti; renuntiaverunt, renuntiareque se dixerunt Parrochiale Ecclesiam, & Personatum, seu Personale Beneficium huiusmodi, ex causis licitis, & honestis, causâ tamen permutationis, & non aliâ, de eisdem Parochiali Ecclesia, & Personatu seu Personali Beneficio per eos respectivè possessis, inter se fieri inita, & concordata: & iurarunt in animas respectivè suas, apud dictum D. V. G. & Off. ad Dominum Deum, & eius Sancta quatuor Evangelia, quod in huiusmodi permutatione non intererunt, neque in futurum

turum intervenire speratur dolus, fraus, simoniacus labes, neque a aliqua alia illicita pacto, seu etiam corruptela, qua inducant, seu inducere possint simoniacâ pravitate; & suppl. carum. eundem D. V. G. & Off. quatenus dictas renuntiationes, & resignationes admittere, & dictam Ecclesiam dicto .N. dictam verò Personatum, seu Personale Beneficium dicto .N. conferre, & assignare, & in eorum possessionem cum iurium plenitudine induci mandare dignaretur. Et dictus D. V. G. & Off. admissis dictis renuntiationibus, & resignationibus, & quantum de iure sint admitrendae, literas collationis, & alias oportunas iuxta stylum fieri, & expediri mandavit: de quibus, &c. qua fuerit, &c. praesentibus me Not. &c. & .N. & .N. pro testibus, &c.


247 Notanda venit hæc nova circum-

stantia iuramenti, declaranda in confessione huiusmodi simoniacorum, pro periculo, quod commiserunt sic iurantes, & simoniacè contrahentes: & addenda ad ea, quae diximus sec. 12. si fortè cum animo extrahendi subdole, & radicitus consumendi, pro ut ibi dicitur, Dotem, seu Proprietatè Personatus propterea nunquam futuri, facta fuit permutatio cum Beneficio. Quia reverà fuit voluntas permutandi pro pecunia illa, quae est pretium temporale, ac proinde permutandi simoniacè contra veritatem iuramenti, quod à sic permutantibus praestatur.

248 Sequuntur ad praedictos Actus; Actus collationum respectivè, & Actus possessionum permutantium: quos hic excerpere necesse non fuit: sunt enim iuxta morem aliorum Beneficiorum, mutatis mutandis.



ERU-



# ERVDITISSIMI THEOLOGI PATRIS THEOPHILI RAYNAVDI

EX ECCLESIAE PATRIBVS CONTRA  
Simoniacos

ANIMADVERSI OBIURGATORIA.



*VM* varia omnino sint via, quibus ad Bona Eccle-  
siastica per Beneficia irrepitur cum scelere; nulla tamē  
est, vel tetrior, vel perniciosior, vel multiplicior, quā  
quae ominofo, & infausto Simonie nomine insignitur.  
Retineo autem vocem vulgatam Simoniae, quā

*Armac* *Armacanus* lib. 10. de Quæstionibus Armenorum in Baalamiam,  
& Gieziam transmouit: quia Simon Magus, potius quā Balaam,  
& Giezi huius impietatis primatum tulit. Cuius virulentia, & ma-  
lignitas in eo sita est, quod res spiritualis commutetur pro temporalis. De  
*Conc.* *Tolet.* qua Concil. Tolet. 8. cap. 5. usitatum malum, maiorum frequenter  
mucrone succisum: & rem, quæ tot excisa decretis arefcere potuit,  
ad vicem Lernæi capitis truncata virefcit: quare tanquam vulne-  
ri cancrofo ignitum ferrum injicere magni illi Patres se velle de-  
nunciāt. Est igitur Simonia nequitia, non Fidei, sed Religioni contraria:  
quippè quæ in rei religiofa, ac sacra profanationem fertur, eiusque vili-  
pensionem magnam, & depreciationem continet: quæ est iniquitas ma-  
xima, & atrox, ut inde facile est æstimare, quod per religionem, & cultū  
ab ea delatum Deo, tributum per nos debitum rependimus, eumque, ho-  
noramus: quo honore nihil nobis salubrius potest contingere. Tanti itaque

com-

commodi virtutem impetit Simonia, quæ in Deum quoque iniuriam re-  
fundit, venale faciens quod Deus dispensatum voluit gratuito, ut S.  
*Ambros.* *Ambrosius* lib. de Dignit. Sacerdot. c. 5. late prosequitur agens de Si-  
monia in Ordine. Speciale verò est simonia circa Beneficia, quod malis  
Ministris contaminat Ecclesiam: & ut *Rupertus* lib. in Iosue, cap. 21.  
ratiocinatur, turbat eam turbatione magnâ, eique consimili, quæ Achan  
auri capi dios turbavit Israelern, accipiens de anathemate, cui est persimi-  
le aurum mundi, quod in Baptismo anathematizauimus. Ecce autem,  
exclamat *Rupertus*, de nobis exierunt quamplurimi imitatores  
Achan de Tribu Iudâ: qui videlicet Fidem profitentes Catholicâ,  
quod est esse, vel dici de Tribu Iudâ (*Iuda* quippe confessio inter-  
pretatur); tulerunt de isto anathemate, & furati sunt, atque men-  
titi: & absconderunt, atque inter vasa sua reposuerunt. Dum enim  
sub specie pietatis pulchri incedētes, atque religiosi, avaritiæ stu-  
dent, quæ est simulacrorum seruitus, & cuncta militiæ spiritualis  
arma faciunt venalia; quid aliud, quā anathema furantur, & mē-  
tiuntur, & abscondunt inter vasa sua; imò inter conscientias suas?  
Merito S. *Gregorius* cladem uniuersæ Prouinciæ, ac Regno ab hac nequi-  
tia timebat. Nam quid aliud manet Prouinciæ, ac Regnum, cui Deus  
pro quotidianis culpis non placatur, præter exitium præsentissimum, cer-  
tamque ruinam? Non placatur autem, ubi tales erunt sacri homines, qui  
ius ad sacra ministeria placatiua comparent pecunijs, & vendituri mox  
quod emerint, ut S. *Gregorius* bene aduertit, & de Simone Mago dixit  
*Augustinus* trac. 10. in Ioannem. Tanti est per sacrilegam, & irreligio-  
sam profanitatem pessimam dedisse, & in vilitatem, ac nihilum deiicisse  
cultum Dei, eique addictam religionem, transmouendo sacros homines,  
& plebis; ac Dei destinatos mediatores in fædos nundinatores, ac turpis  
lucri cupiditati res sacras miserè postponentes mercatores, qui semper sūt  
ex indignioribus, ac deterioribus eligendi, cum ferè abundent pecunijs  
qui minus sunt à virtute, & condignitate sanctorū munerum constitu-  
ti. Ita planè fit per simoniam circa Beneficia.

Hæc, & alia pleraque sparsim Theophilus, Vir inexhaustæ eru-  
ditionis, & doctrinæ, in Opere, quæ inscripsit: Mala è Bonis Eccle-  
sia, lib. 2. in limine Sectionis primæ, & cap. 3. n. 9. & 10. & habetur  
rom. 12. suorū Operū inter Miscella sacra: vbi plura, & pulchra de  
Simonij recolligens ex multis eruditè cap. 6. n. 17. minatur cum  
Petro *Blesensi* Epist. 229. Deterreat te, quæso, lapidatio Achan, incēdiū  
Chore, lepra Giezi, pecunia Simonis, reprobatio Saulis, subuersio Domūs

Ece

Iero.

1. Theſ. 5. Ieroboã, ruina Dathan, & Abirõ, extinctio ignis sub Iasone. Ignis hic ex-  
 tinctus Spiritus Sãctus est, qui per malitiam in nobis exstinguitur: ideòq;  
 scriptum est: Spiritum nolite extinguere: Cedat tibi ad documentum  
 discrimen alterius, & non tuum: aliorum pœna te instruat, ne similiter  
 puniaris: Quandoquidem:

NON HABET EVENTVS SORDIDA PRÆDA BONOS.

LAUS DEO.



INDEX

# INDEX NOTABILIVM RERVM.

A

**A**BSOLVTA Dei prædicata distin-  
 guntur virtualiter à Relativis. Disp. 7.  
 à nu. 91.  
 Non formaliter, ex natura rei à n. 70.  
 Neque obiectivè per intellectum à nu.  
 137.  
 Actio eadem numero transit ab educa-  
 va ad creativam: & posset è contra, si  
 aliunde actiones instantaneæ non suat.  
 Disp. 9. n. 129.  
 Actio, Vbicatio, & Duratio rerum crea-  
 tarum sunt idem realiter modus phy-  
 sicus. D. 12. à n. 37.  
 Actus primus, & secundus. realis forma-  
 lis vivendi est in Notionalibus Dei. D. 4.  
 n. 12.  
 Non in Absolutis à n. 16.  
 Nec virtualis intelligendi, aut volendi à  
 n. 37. & 63.  
 Nec in linea liberè volendi à n. 59.  
 Nec per rationem cum fundamento à  
 n. 77.  
 Actibus primis, & secundis omninò ab-  
 legatis, vivit Deus vitam absolutam in-  
 tellectivam, & volitivam per modum  
 actus omninò purissimi: à n. 35.  
 Actus purus, quid sit? D. 15. nu. 42.  
 Quibus modis Deo conveniat? n. 44.  
 Eternitas definitur, & explicatur. D. 13.  
 à n. 2.  
 Quomodo sit tota simul? à n. 17.  
 Quomodo propria solius Dei: à num.  
 106.  
 Non est mensura durationis creaturarum  
 potius quàm Immenſitas ubicationis: n.  
 36. & 70.  
 Non facit futura esse Deo physicè præ-  
 sentia ab æterno: à n. 28.

Nec Deum esse physicè præsentem ab  
 æterno creaturis: à n. 21.  
 Nec tollit, quia r. spectu Dei sint res  
 creatæ præteritæ, & futuræ: à n. 72.  
 Eternitas essentialis competere nequit  
 actui creato supernaturali afferenti se du-  
 rare ab æterno, & in æternum: à n. 112.  
 Eternitatis discrimen ab indestructibili-  
 tate: n. 125.  
 Ipsius discrimen ab Eternitate, & à  
 Tempore: n. 3.  
 Eternitas Divinorum Decretorum non  
 patitur virtualem illorum futuritionem:  
 à n. 85.  
 Eternitas temporis imaginarij à Deo  
 distincti, imaginaria, & chimerica: à  
 nu. 5.  
 Eternitas Dei est indivisibilis virtualitas:  
 D. 7. à n. 159.  
 Amor amicabilis, sicut, & odium inimica-  
 bile Dei erga creaturas, incipit, & desi-  
 nit virtualiter quoad denominationem in  
 tempore, absque ulla Dei mutatione. D.  
 14. à n. 33.  
 Amor creatus Dei propter se super  
 omnia an possit esse naturalis, Disp. 18.  
 num. 96.  
 Appetitus innatus, in quo differat ab Exi-  
 gentia, & Indigentia. D. 18. n. 114. per er-  
 rorem 104.  
 Est in naturalibus ad supernaturalia: ibi-  
 dem.  
 Appetitus propriæ conservationis, quo  
 discrimine competat rebus creatis. D. 9.  
 n. 121.  
 Applicatio Omnipotentie: alia in actu 1.  
 alia in actu 2. D. 9. à n. 135.  
 Alia extrinseca, sive activa, & libera: alia  
 intrin-

intrinsicæ, & essentialis, seu quasi passiva n.180.

Activa importat decretum, vel actum liberum Dei n.181.

Applicatio Omnipotentæ non semper esse potest volitio effectus, pro quo applicatur a n.182.

Applicatio Omnipotentæ cuius rei debeat esse volitio à n.192.

Applicatio Omnipotentæ non subiicit Omnipotentiam creaturis a n.187.

Applicatio præparativa Omnipotentæ nequit esse volitio adhuc inefficax, seu conditionata peccati, nec concursus divini in actu secundo ad peccatum, à nu. 143.

Nec volitio disiunctiva peccati: à num. 166.

Vide: *Decretum*.

*Attributum*. Quid sit in Deo. Disp. 7. num. 14.

Quid latet? quid stridet? nu. 2.

Quæ Dei prædicata sint Attributa, à nu. 9.

Attributa Dei constituunt essentialiter Essentiam metaphysicam Dei. D. 5. à nu. 73.

Quomodo distinguatur ab Essentia, n. 51.

Quo sensu dicantur essentialia, & extra essentialia. D. 5. nu. 89. & D. 7. à n. 6.

Non emanant virtualiter ab Essentia. D. 7. à n. 11.

Non distinguuntur virtualiter inter se, nec ab Essentia. D. 8. n. 2.

## B

*Beneficium Ecclesiasticum*: quid sit. Disp. sing. n. 50.

Beneficium Personale, quid in Provincia Tarraconen? n. 8.

Quo iure, & quo pacto requiratur perpetuitatem, n. 52.

An sit sæculare, an regulare à n. 74.

Obligat per se loquendo ad Horas Canonicas à n. 61.

*Benignitas*: quid sit. D. 11. n. 40.

Eius discrimen à Misericordia, Clementia, & Mansuetudine: n. 41.

Qua ratione differentiali sit propria solius Dei, n. 45.

*Bilocatio* corporis non est theologice supernaturalis, quævis sit miraculosa. D. 18. n. 98.

Vide: *Corpus*.

*Bonitas* in triplici differentia. Disp. 16. à n. 20.

Summè competit Deo in quolibet sensu, n. 19. & 23.

Bonitas moralis non est formaliter inæqualis in actibus liberis divinis: à nu. 35.

Nec per rationem nostram non fingentem, n. 43.

Vide: *Perfectio*.

P. M. *Borull* laudatus. Disp. 1. n. 15.

P. I. P. *Boxassa* laudatus. Disp. sing. in Proœmio, & alibi.

## C

*Apellania*, quæ sint materia simoniæ; quæ non ita. Disp. sing. num. 183. & 197.

*Carentie*: ineptæ prorsus ad spatium imaginarium. D. 12. à n. 26.

Et ad tempus. D. 13. à n. 5.

Et ad Dei Unitatem constituendam. D. 16. à n. 3.

Contra veram philosophiam invecatæ in scholas per abulum, ut entia distincta ab omni positivo. D. 2. à n. 35.

Caritativistarum innane dissidium: ibidem.

*Causa pia*: Tripliciter usurpata. Disp. sing. num. 15.

Varie species causæ piæ proprie dictæ, à num. 19.

Causa pia, in quam convertitur Personatus, debet esse perpetua. Disp. sing. à num. 376.

Ius illam administrandi est materia simoniæ. Disp. sing. n. 196.

Non tamen simoniæ subiactentis pœnis Ecclesiasticis ipso facto, à n. 198.

*Christus*: Non est perfectior solo Verbo; vel Deo. Disp. 3. n. 115.

Nec minus perfectus, n. 117.

*Clavis*: Eius animadvertio pro Theologis, & Philosophis super propositionem Euclidianam. D. 18. nu. 56.

*Compositio*: Quid sit. D. 15. n. 7.

Passiva repugnat Deo, à n. 3.

Quomodo etiam activa, à n. 11.

Compositio rationis in quo stet, n. 28.

Quo pacto importet potentialitatem, à nu. 41.

Compositio ex genere, & differentia non dedecet Deum, à n. 26.

Virtualis repugnat, à n. 16.

Com-

*Comprehensio*: Varie illius explicationes: D. 17. à n. 20.

Non requirit æqualitatem entitativam cum comprehensio, n. 22.

Dividitur in extensivam, & intensivam ex Augustino, à n. 23.

Comprehensio extensiva Dei non arguit infinitam vim cognoscitivam in comprehendente, à n. 44.

Ad intensivam quid requiratur, à num. 48.

Comprehensio intensiva Dei repugnat creaturæ, à n. 31.

Etiam particularis Attributi divini, n. 33.

Ex cognitione creata omnium possibilem nihil arguitur contra dogma divini incomprehensibilitatis, à n. 85.

*Communicabilitatis*: Triplex species. D. 5. nu. 15.

Quænam repugnet rationi Suppositi? à n. 17.

*Concretum*: Deus, & concretum Personæ, quo differunt significent? D. 6. nu. 83.

Vide: *Deus*.

*Concursus*: Qualis sit Dei ad habitus vitiosos, transactis actibus. D. 9. n. 124.

Concursus in actu secundo ad actionem peccaminosam non est moraliter bonus, nec à Deo volibilis, à nu. 162. & à num. 204.

Quo pacto sit Deo malus, à n. 209.

Concursus in actu 1. & 2. discriminatur, à n. 135.

Ad concurrentium non subicitur Omnipotentia creaturis, à n. 187.

*Congregatio Cardinalium*: respondet circa permutationem cum Personatu Vicenti. Disp. sing. à n. 135.

Eiusdem responsio ad dubium de rehabilitatione simoniaci, nu. 231.

*Conservatio*: quid sit ex S. Thoma. Disp. 9. n. 108.

Quo pacto creaturæ iuvare possint ad sui conservationem, à n. 111.

Quo sensu facilius sit rem conservare, quam primò producere, n. 118.

Conservatio non requirit minorem virtutem, & influxum, quam prima productio, à n. 101.

*Continentia eminentialis* creaturarum in Deo, in quo stet. D. 3. n. 101.

Vnius prædicati divini in alio, in quo? à n. 26.

Non continet eminenter peccata, divina virtus. D. 3. n. 109.

Continentiæ Eminentialis simul nobis

hor, idemitas inter se, vel in uno tertio, à n. 27. & 47.

*Constitutivum*: respicit condiciones communiter requisitas ad constitutionem metaphysicam rerum. D. 5. à n. 24.

*Constitutio* Tarraconensis de Personatibus. Disp. sing. à n. 1.

*Contradictoria*: quænam contradictoria verificari debeant ad distinctionem virtutalem. D. 8. à n. 96.

Quomodo verum sit, ex duobus contradictorijs alteri debere existere. Disp. 16. à n. 11.

Contradictio physica rerum, & logica propositionum, sedulo discernenda. n. 11.

*Corpus bilocatum* non suscipit contradictoria ratione diversarum præsentiarum. D. 7. n. 162.

*Creationis* duplex celebrior usurpatio. D. 9. n. 128.

Quo sensu creare competere possit creaturis. D. 9. à n. 129.

Quo sensu sit solius Dei proprium: ibidem.

Quo sensu dicatur, quod est producere ex nihilo: n. 128. & 130.

Creatio accidentium in Eucharistia qualiter sit supernaturalis. D. 18. n. 98.

Creatio accidentaliter tantum, & penes extrinsecum differt ab educatione, d. 9. nu. 129.

## D

*Debitum* ex iustitia quo pacto repugnet Deo; quo non. D. 10. n. 38.

Non detogat supremo Dei Dominio, à n. 39.

Non minus decet Deum, quam debitum ex fidelitate. D. 10. à n. 28.

*Decretum* unitum etiam virtualiter indivisibile exercet divinam libertatem erga omnia, nec potest esse aliter in Deo. D. 8. à n. 58. & a n. 61.

Decreta præcisiva repugnant, n. 72.

Decreta sunt Deo adæquate intrinsicæ; n. 56. remissivè.

Decretum conditionatum concurrenti, si creatura velit, repugnat Deo ex duplici capite. D. 9. à num. 144.

Decretum præparativum. Vide *applicatio Omnipotentia*.

Decretum Dei disiunctivè volens fieri opus malum, aut non malum, ostenditur impossibile. D. 9. à n. 168.

Decretum Episcopi pro Personatibus Tar-

Tar-



INDEX

Tarraconensibus. Disp. sing. num. 90. & num. 244.  
*Defectibilitas virtualis* quid sit. Disp. 8. nu. 92.  
 Quænam Dei prædicata sint virtualiter defectibilia, à n. 87.  
 Defectibilitas virtualis non arguit distinctionem virtuales: ibid. n. 91.  
 Defectibilitas realis liberorū Dei, quoad denominationem adæquatè intrinsecam, nimis ardua, & omnino respuenda. D. 3. n. 51. & D. 8. n. 77. & 86.  
*Denominationes*: aliæ præcisè requirunt existentiam subiecti; aliæ solius formæ: disp. 9. à n. 75.  
*Determinatio*, Dei negativè tantum ad causas liberæ quoad individuum, disp. 9. n. 217.  
*Dei* existètia ab omnibus, etiam doctis, strictà fide credenda: disp. 1. à n. 5.  
 Dei perfectio est omnium excogitabiliū maxima: d. 3. n. 7.  
 Deus, quid ex Augustino: d. 1. n. 1.  
 Eius definitio metaphysica: disp. 5. num. 73.  
 Concretum *Deus* quid dicit constitutivè: d. 6. à n. 81.  
 Quid in recto: d. 6. n. 83.  
 Quid expressius, ibidem.  
 Cur non multiplicetur, multiplicatà subsistentiâ, quam dicit constitutivè: n. 83.  
 Quo pacto Deus dicatur Auctor naturalis: d. 18. n. 153.  
 Omnes eius perfectiones sunt supernaturales: à n. 146.  
 Deus est Supernatura per essentiam: d. 18. à n. 84.  
 Omnino inconnexus cum creaturis, & cum illarum intrinseca possibilitate: d. 9. à n. 50.  
 Quamvis non esset, si creaturæ non essent possibile: à n. 28.  
 Vide: *Essentia Dei*.  
*Directio* cognitionis ad volitionem in Deo non requirit antecedentiam virtuales illius ad istam: d. 8. n. 13 & 19.  
*Distinctio virtualis* discriminatur à formali Scotica: d. 7. n. 62. & 77.  
 Tripliciter usurpatur: à n. 63.  
 Strictè sumpta in quo consistat: n. 68.  
 Prima principia metaphysica non evertit: n. 130.  
 Nullibi admittenda, nisi Fide, aut ratione cogente: d. 8. n. 64.  
 Paris est difficultatis, ac Trinitatis My-

sterium: d. 7. n. 133.  
 Rebus creatis minime ingerenda: ibidem.  
 Non infert præcisionem obiectivam: nu. 138. & à 146.  
 Non consistit in reali distinctione in aliquo tercio, quævis sine hac minime reperitur: d. 7. n. 97 & 109.  
 Platelij placitum circa illam: n. 95.  
*Distinctio formalis ex natura rei* rejicitur: à n. 70.  
 Magistri Lumbier novi conatus pro illa: à n. 83.  
*Dominium* eiusdem rei in solidum potest simul esse penes duos: d. 10. à n. 45.  
 Dominus unus Deus, & non tres Domini, quo sensu: d. 7. n. 177.  
 Dominium Dei non tollit obligationem strictæ iustitiæ commutativæ erga homines: d. 10. à n. 33.  
*Dotes* claritatis, agilitatis, &c. corporis gloriosi, non sunt excitativè supernaturales: d. 18. n. 101.  
 Dotes Personatum Tarraconensium debent effectivè reddituare ad illorum institutionem: disp. sing. à n. 78.  
 Illas extrahere ex Bincho, & radicibus consumere, quod peccatum? à num. 105. & nu. 247.

E

**E***NS* à se dupliciter usurpatur; & qualiter Deo conveniat: d. 2. à n. 56.  
 Qualiter Deo repugnet, n. 58.  
 Quo sensu ens à se dicatur essentia metaphysica Dei: d. 5. à n. 12.  
 Entis à se, sive Assèitatis ratio, an sit transcendens: d. 7. n. 179.  
 Est in Symbolo prædicatum *Increati*: ibidem.  
 Quomodo Personis divinis procedentibus conveniat, & repugnet ratio entis à se, & ab alio: d. 2. n. 60.  
 Imbibitur formaliter in conceptu necessitatis essendi, n. 64.  
*Ens naturale*: Quid sit? d. 18. n. 25.  
 Non est contra illius conceptum connexio cum supernaturali: à n. 12. & à nu. 127.  
 Nec appetitus ad illud: n. 104.  
*Ens per essentiam*: quid sit? d. 2. n. 14.  
 Solus Deus: à nu. 23.  
*Ens supernaturale*: Unde dictum? disp. 18. num. 2.

Non:

RERVM NOTABILIVM.

Non constituitur per inconnexionem cū naturali: à n. 7.  
 Nec per connexionem physicam, vel intentionalem cum sola Gratia: à n. 73.  
 Est ens ordinis divini: n. 82.  
 Quare, & quo sensu? à n. 84.  
 Superat exigentiam naturæ; non verò appetitum, nec elicatum, nec innatum: n. 114.  
 Eus supernaturale est evidentè naturaliter cognoscibile: à n. 129.  
*Essentia* creaturarum non sunt æternæ, nec indefectibiles: d. 9. à n. 53.  
 Oppositum traxit originem ab errore Aristotelico: d. 2. à n. 8.  
 Vide *Constitutivum*.  
*Essentia Dei*: tripliciter usurpatur: disp. 5. nu. 3.  
 Essentia Dei physica qualiter differat à metaphysica: à n. 79.  
 Neutra includit Relationes: à n. 55.  
 Utraque includit formaliter omnes perfectiones absolutas necessarias: d. 5. n. 53. & à n. 73. & d. 7. n. 39.  
 Non ita liberæ: num. 74.  
*Exigentia*: qualiter differat ab appetitu innato, & ab indigentia: d. 18. n. 114.  
*Existètia* qualiter creata differat, vel conveniat cum divina: d. 2. à n. 2.  
 Quo pacto existètia sit essentialis creaturæ: à n. 15.  
 Existentiæ Dei demonstrationes: disp. 1. à num. 17.  
 Existètia per essentiam est propria solius Dei: à n. 23.  
 Existètia Dei est demonstrabilis à priori: d. 1. n. 15.  
 Est de formali constitutivo divinæ Essentiæ: à n. 40.  
 Existètia Dei absolute non est per se nota: d. 1. n. 29.  
 Prædicatum *Existens* accidentalitèr logicè dicitur de quacumque creatura: à nu. 20.  
 Nullibi distinguitur existètia ab essentia: n. 4.  
 Existètia in Deo est prædicatum transcendens: d. 7. n. 180.  
 Admittitur in Deo triplex existètia relativa: ibidem.

F

**F***ides*: Quam obscuritatem importet essentialitèr: d. 1. n. 4.  
 Fides stricta de existètia Dei est necess-

aria necessitate mediæ ad justificationem adulti, quamvis de illa habeat evidentiam: à n. 5.  
 Lata non sufficit ad justificationem: nu. 6.  
 Fidei actus, credens se esse æternum, non esset essentialitèr æternus: d. 13. à num. 112.  
 Fides Philosophos hos fecit: d. 8. n. 44.  
*Filius Divinus* cur secunda Trinitatis Persona præ Tertia: d. 8. n. 35.  
 Quo pacto procedat, quo non, per voluntatem: à nu. 24.  
 Cur sit Verbum: à n. 32.  
*Filiatio* dicit essentialitèr virtutem ulterius propagativam naturæ: n. 38.  
*Futura*, quomodo sint Deo ab æterno præsentia: d. 13. à n. 44.  
 Non physicè, & realitèr, à n. 28.  
 Mens S. Thomæ explorata: à num. 44.  
 Sunt verè futura respectu Dei: à n. 77.

G

**G***eneratio* Viventium explicatur: d. 8. à n. 35.  
 Quomodo in similitudinem naturæ? ibidem.  
 Eius discrimen à nutritione: n. 38.  
 Tendit in perpetuitatem, per ulteriorem propagationem: à n. 37.  
*Gratia* sanctificans, indebita omni substantiæ entitativæ creatæ, & creabili: disp. 18. à n. 31.  
 Est una è Supernaturis per participationem: à n. 84.  
 Eius consortium cum Divinitate innaturæ: n. 85.  
 Influeret, sartà tectà libertate, in actum præceptum pro instati determinato: d. 4. n. 82. remissivè.  
 Gratia non esset gratia respectu substantiæ creatæ supernaturalis: d. 18. à n. 32.

H

**H***abitus* vitiosi quomodo conserventur à Deo: d. 9. n. 124.  
*Hypostasis* dubiæ fuit significationis: d. 6. n. 6. & 25.  
 Quid olim? quid jam? n. 6.  
 Triplex iam, & non unica Deo tribuenda: n. 27.  
*Hipostatica* unio non omnino realitèr distincta

## INDEX

uncta ab unione humana in Christo: n. 13. remissive.  
 Est altera ex Supernaturalis: d. 18. n. 86.  
*Hodie Dei* quo sensu sit, *heri, cras, & semper* Dei: d. 13. à n. 65.  
*Hora Canonica* recitanda à Personarijs Tarraconensibus: disp. sing. à n. 61.

## I

**I**gnorantia invincibilis explicatur: disp. 1. num. 38.  
 Qualiter haberi possit de existencia Dei: à n. 35.  
 Ignorans simoniam in suo Beneficio commissam an subiaceat aliquibus pœnis simoniæ: d. sing. n. 208.  
*Immensitas* proprium solius Dei Attributum, quid sit? d. 12. n. 3. & 45.  
 Eius discrimen ab Ubiquitate: n. 4.  
 Est universalissimus omnium locus: à n. 20.  
 Extenditur extra cœlos: à n. 17.  
 Non tamen ad spacia imaginaria realia ab omni positivo distincta: à n. 12.  
 Non est prædicatum transcendens: d. 7. n. 178.  
 Nec virtualiter divisibilis: à n. 159.  
 Nec potest reddere creaturam immensam: d. 12. à n. 45.  
*Immortalitas*, quo sensu solius Dei propria? d. 14. n. 33.  
 Dicit essentialiter necessitatem semper vivendi: n. 55.  
 Nec actus supernaturalis creaturæ, de se asserens se semper extitisse, & extitutum, esset essentialiter immortalis: n. 55.  
*Immutabilitas* Dei quadruplex explicatur: d. 14. à n. 2.  
 Solius est Dei: n. 13.  
 In quo consistat? n. 12.  
 Immutabilitas, & irrevocabilitas decretorum non obstat ipsorum libertati: à nu. 8.  
 Immutabilitati Dei physice, aut morali non obstat virtualis inceptio aliquorum effectuum Dei: à n. 36.  
*Impeccabilitas* essentialis repugnat creaturæ rationali: d. 18. à n. 39.  
 Competere deberet substantiæ entitati- væ creatæ supernaturali: à n. 41.  
*Impossibilitas* intrinseca Chymæræ non est: d. 9. n. 86.  
 Quo sensu sit necessaria, & impossibilis: n. 87.

*Incomprehensibilitas* Dei variè exponitur: d. 17. à n. 16.  
 Convenit cuilibet seorsim perfectioni divinæ: 34.  
 Incomprehensibilitatis divinæ vera ratio: n. 31.  
 Alia nova ratio deseritur: n. 60.  
 Vide: *Comprehensio*.  
*Incommunicabilitas* quod duplex? disp. 6. n. 16.  
 Quænam sit de ratione Suppositi? à nu. 17.  
*Ineffabilitas* Dei propria in quo stet? disp. 17. n. 3.  
*Infinitudo* Dei explicatur: d. 3. n. 4.  
 Est Deo essentialissima: n. 15.  
 Transcendit omnes Dei perfectiones: d. 7. n. 184.  
 Infinitudo in omni genere cõpetit omnibus, & singulis Dei perfectionibus: d. 3. à n. 23.  
 Infiniti simpliciter, & secundum quid, discrimen: à n. 2.  
 Infinitissimus in omni genere perfectionis Deus: à n. 5.  
 Infinita obiecta potest creatura distinctè cognoscere in Omnipotentia non comprehensâ: d. 17. à n. 85.  
 Infinita, & infinite cognoscere, valde differunt: n. 95.  
*Iniustitia* est omne peccatum contra Deum: d. 10. n. 59.  
*Innocentij XI.* prohibitio novissima duarum propositionum: d. 9. n. 187.  
 Quam rectè cohæreant eiusdem prohibitiones propositionis 4. & 21. in Decreto anni 1679: d. 1. à n. 43.  
*Intellectio* divina necessaria non distinguitur virtualiter à Volitione: d. 8. à n. 7.  
 Nec est virtualiter ab intellectu: d. 4. à n. 37.  
 Quo sensu sit proprietas procedens in phrasi Concilij Constantinopolitani: à n. 51.  
 Vide: *Directio*.  
*Intellectivum* an perfectius volitivo? d. 5. n. 20.  
 Non est in Deo per modum actus primi, adhuc virtualis, nec per rationem non fingentem: d. 4. à n. 75.  
 Vide: *Actus primus*.  
*Intelligibilitas* Dei par omnino ipsius Intelligibilitati: d. 17. n. 31.  
*Intellectus* nihil cognoscit distinctum ab ente reali: d. 3. n. 7.  
 Nihil distinctum ab Ente possibili: à num. 10.

num. 10.  
 Nihil distinctum ab Ente positivo: d. 14. num. 23.  
 Non est prior voluntate, adhuc dato, quod Intellectio esset prior volitione, d. 8. n. 10.  
 An perfectior voluntate? d. 5. n. 30.  
*Invisibilitas* Dei propria: d. 17. à n. 2.  
*Ira* non est proprie in Deo, d. 11. n. 18.  
*Iuramentum*, quod exigitur in permutationibus Personatum, disp. sing. num. 147.  
*Ius* strictum in rem aliquam versus Deum potest competere creaturis citra imperfectionem divini Iuris supremi, d. 10. à n. 17.  
 Ius etiam suum absolutissimum obligat Deus ex iustitia creaturis, à n. 20.  
 Ius, quasi Patronatus administrandi causas pias ex Personatibus remanentes, est materia simoniæ, disp. sing. à n. 196.  
 Non tamen simoniæ subiecta pœnis ab Ecclesia latis, à n. 198.  
*Iustitia* legis, Distributiva, & Vindicativa discernuntur, d. 10. à n. 2.  
 Triplex ista iustitia residet perfectissimè in Deo: *ibidem*, & à n. 12.  
 Quæ perfectione sit propria solius Dei, d. 11. n. 45.  
 Iustitiæ strictæ commutativæ obligatio cadere potest in Deum, d. 10. à n. 27.  
 Etiam versus potestatem Dei absolutam, & sup remam, à n. 20.  
 Quæ iuris alteritas requiratur, & sufficiat ad exercitium iustitiæ commutativæ, nu. 51.  
 Quomodo exercitium iustitiæ dicat contrapositionem, n. 48.

## L

**L**eonardi Lessij Recollectio præcatoris, d. 18 post n. 158.  
*Libertas* inter actus æquales sufficit in Deo ad laudabilitatem moralem, & in nobis ad meritum, disp. 16. num. 47. remissive.  
 Libertas immediatissima actus imperati stat cum imperio efficaci prævio, à quo essentialiter dependet, disp. 8. nu. 82. remissive.  
 Et sine dubio libertas actus præcepti pro instanti determinato cum influxu effectivo Gratiæ sanctificantis in ipsam: *ibidem* remissive.

Libertas Dei permanens; nostra transiens: & quid inde? d. 9. nu. 89. & d. 10. n. 46.  
 Libertati divinatorum Decretorum non efficit eorum, immutabilitas, & irrevocabilitas, d. 14. à n. 36.  
*Locus* physicus, & metaphysicus explicantur: d. 12. à n. 10.  
 Imaginarius realis distinctus ab omni positivo, immensa Chimera: à n. 22.  
 Nec imaginarius iste potuit esse locus Aristotelicus, nisi Aristoteles inceptisset: n. 10.  
 Extra Cœlos nullus omnino locus, præter positivam Dei immensitatem: à num. 23.  
 Deus qua ratione sit, & non sit in loco: à n. 10.  
 Qua ratione Deus sit rerum omnium locus: n. 20.  
 Locus generalis extrinsecus, & specialis intrinsecus rerum discernuntur: n. 35.  
 Locus intrinsecus Dei est eius immensitas; creaturarum, est ipsarum ubi: quod est modus physicus intrinsecus indistinctus ab ipsarum productione: à n. 37.  
 Hic modus ubicationis non est cur effigat rem locatam loco extrinseco, aut positivo, aut conditionali: *ibidem*.  
 Locus difficilis S. Thomæ facile expeditus: n. 4.

## M

**M**aginus Passivus laudatus: disp. 8. n. 46. & d. 13. n. 86.  
*Manuetudo* quid sit: d. 11. n. 43.  
 In quo differat à Benignitate, & Clementia: *ibidem*.  
 Est species Misericordiæ: *ibidem*.  
 Quæ ratione sit solius Dei propria: n. 45.  
*P. Martini de Esparza* ingenuum ingenium: d. 8. n. 75.  
*Misericordia*: quid Etimologicè? disp. 11. n. 2. & 15.  
 Quid essentialiter? n. 16.  
 Est species Charitatis proximi: à n. 9.  
 Eius discrimen à Benignitate, Clementia, & Manuetudine: à n. 41.  
 Est proprie in Dec: n. 16.  
 Qua ratione sit propria solius Dei: n. 45.  
 Quo sensu: *Via domini Misericordia, & Veritas?* à n. 25.  
 Quo sensu: *Miserationes eius super omnia opera eius?* à n. 21.  
 Fff Suble.



Sublevationem mali etiam voluntarij  
repticat: à n.34.  
*Modus* substantialis supernaturalis, cur  
non repugnet? d. 18 à n.57.  
Modus duplex physicus Actionis, &  
Unionis sufficit ad universam Philoso-  
phiam: d.12. n.40.  
*Mutationis* quadruplex genus: disp. 14.  
nu.2.  
Quadruplici opponitur divina Immuta-  
bilitas: a n.3.

## N

*Natura*: idem in Deo, ac Essentia; d.  
5. n.1.  
Multiplex acceptio Naturæ declaratur:  
d.18. n.2.  
Natura Theologicè sumpta, quam supe-  
rant entia supernaturalia, quid sit? à n.17.  
& 25.  
Naturalia, quæ dicantur? n.25.  
*Necessitas* essendi nulli creaturæ, aut enti  
distincto à Deo, qui solus est ens neces-  
sarium, competere potest: d.7. à n.23.  
Necessitas absoluta, & respectiva prædi-  
catorum observanda, d.9. n.79.  
*P. Nicolaus Martinez* laudatus: d.2. nu.  
28. & d.9. n.50 & sæpè alibi.  
*Nomina Dei*: quæ dicantur? disp. 17.  
nu.4.  
Nomen Dei *Iehova*, cur specialiter in-  
effabile: n.7.  
Nomina brevissimæ definitiones rerum,  
d.5. n.83.  
Nominis Dei Ethymon: num. 81. 37.  
& 41.  
*Nunc, heri, & cras Dei*, est *semper Dei*,  
& omnino simul: d.13. n.26. & 67.

## O

*Obligatio* restituendi ex simonijs: disp.  
sing. à n.221.  
Obligatio fidelitatis: d.10. n.28.  
Obligatio iustitiæ. Vide: *Iustitia*.  
*Odiu* inimicabile Dei erga peccato-  
rè incipit, & definit virtualiter, & quoad  
denominationem: d.14. à n.33.  
Odiu quodlibet est volitio sui ipsius:  
d.16. n.40.  
*Omnipotentia*, quid essentialiter sit? disp. 9.  
num. 2.  
Nihil increatum habet pro termino:

num. 5.  
Nequit denominare creaturam ullam  
Omnipotentem, quantumvis illi imme-  
diatissime uniatur: n.9.  
Benè verò aliquid potentem: n.12.  
Ad sola possibilia potens: n.28.  
Nihil posset omnibus impossibilibus: à  
n.28.  
Cum nullo tamen possibili connexa: à  
num. 50.  
Quo sensu necessarium Omnipotentia sit  
possibilia esse possibilia, aut non esse im-  
possibilia: à n.61.  
Stat, non stante possibilitate intrinsecà  
creaturarum: à n.62.  
Differt formaliter ab intellectione, & vo-  
luntate etiam efficaci Dei, à n.17.  
Potest facere quod præterita non fue-  
rint: à n.90.  
Non minus est de Essentia metaphysica  
Deitatis, quàm Intellectio, & Intellectus:  
d.5. à n.42.  
Necessitas conditionata concurrenti ad  
operationes etiam malas creaturæ, est  
maxima ipsius perfectio: d.9. à n.212.  
Omnipotentia applicatio. Vide: *Appli-  
catio: Decretum*.  
Non est prædicatum transcendens: d.7.  
n.177.  
Omnipotentia inane obsequium, pos-  
se omne id, cuius repugnantiam non  
assignamus: d.18. n.47.  
Incomprehensibilis à creatura, quantum-  
vis omnes creaturas posibles in ea cog-  
noscente, imò, & comprehendente; d.17.  
à n.85.  
Eius eminentia non distinguuntur vir-  
tualiter; sed sola ratione: disp. 7. à  
nu.153.  
Omnes sunt supernaturalissimæ, disp. 18.  
à nu.151. & d.7. n.157.  
Omnipotentia perfectio est non esse po-  
tentiam ad impossibilia: d.9. n.49.  
*Operatio* physica verè appellatur vita divi-  
na: d.4. n.10.  
Non dicit egressionem ab operante,  
quod exercet: n.53.  
In liberis sonat moralitatem: ideòque  
Deus non operatur, nec cooperatur ma-  
la, quamvis ad illa physicè concurrat: d.  
9. n.203.  
*Oppositio* physica rerum, & logica propo-  
sitionum accuratè discernenda: disp. 16. à  
nu.11.  
*Ordo* naturalium, & supernaturalium: d. 18.  
n.86. & 88.

Or-

Ordo transcendentalis diversum quid est:  
à physica connexione: d.9. n.59.  
*P. P. de Ovea* laudatus: d.8. n.82.

## P

*Pactiones* ante Institutionem, & Permu-  
tationem Personatum, quomodo  
liceant? disp. sing. à n.105.  
*Paradigma* Institutionum, & Permutatio-  
num Personatum: disp. sing. à nu.235.  
*Peccatum* omne est iniustitia stricta contra  
Deum: d.10. à n.56.  
Non continetur eminenter in Omnipoten-  
tia: d.3. n.100 & 109.  
Peccati volitio etiam inefficax conditio-  
nata dedecet Deum: d.9. à n.155.  
Etiam disiunctiva: à n.168.  
Etiam interpretativa: à n.215.  
Peccati etiam quoad materiale: à num.  
159.  
Non est à Deo per se, sed per accidens: &  
quo sensu? à n.186.  
Omnino involubile à Deo: n.116.  
Non propterea extra omnem spheram  
divina voluntatis: n.201.  
*Penetratio* corporum in quo stet? disp. 12.  
nu.35.  
*Perfectio* strictè sumpta, quid sit? disp. 3.  
nu.6.  
Omnis perfectio absoluta necessaria est  
de Essentia physica Dei: d.5. à n.53.  
Et de metaphysicà: n.73.  
Perfectio in Deo prædicatum transcen-  
dens: d.7. n.180.  
Tres Relationes tres Perfectiones spe-  
ciales relativæ: d.3. n.43.  
Libera etiam Dei dicunt specialem ra-  
tionem perfectionis: à n.37.  
Quid Perfectio simplex? n.81.  
Quid simpliciter simplex? à n.85.  
Perfectiones Dei omnes formaliter equa-  
les: à n.64.  
Etiam in bonitate morali: d.16. à n.35.  
Plenitudo omnis perfectionis necessaria  
simpliciter simplicis, adæquatus concep-  
tus Essentia Dei metaphysicæ: disp. 5.  
à n.73.  
*Persona* quid sit? & quid addat ad Suppo-  
situm? d.6. n.4.  
Personæ divinæ cur dicantur tres? n.83.  
*Personalitas*: qua ratione differat à Subsist-  
entia? n.4.  
Personalitates divinæ. Vide: *Relatio-  
nes*.

*Personatus Tarraconenses*: quid sint? disp.  
sing. n.8.  
Cur sic vocentur? n.9.  
Eorum consuetudo laudabilis: à n.10.  
Habetque vim privilegij: n.14.  
In quo differant à Beneficijs Iuris com-  
munis: n.9. & 92.  
Institui non debent, nisi super dotem  
iam reddituantem, aut fructificantem: à  
n.87.  
*P. Platelij* insufficiens discursus contra dis-  
tinctionem virtualem: d.7. n.95.  
*Pœna* non est, decretum divinum de inflig-  
enda pœna: d.14. à n.42.  
Pœnæ in Iure latae, contra Simoniacos:  
disp. sing. à n.207.  
Pœna irregularitatis non est contra illos  
lata: n.229.  
Pœnæ specialiter latae contra confiden-  
tiales: n.214.  
Pœnæ contra Mediatore: n.218.  
*Polibeiſta* perstringuntur: d.1. à n.47.  
*Possibilitas* intrinseca creaturarum quid sit?  
d.2. n.25.  
Non est ens necessarium: à n.25.  
Non aliter necessaria, nisi respectivè, si-  
cut rerum existentia: num. 28. & d.9. à  
nu.46. & 74.  
Non fuit ab aeterno, sicut nec existentia:  
d.2. n.29.  
Nō est, nisi quādo res existit: d.9. à n.56.  
Connectitur cum Omnipotentia Dei: d.  
non è contra: d.9. à n.50.  
Rei purè possibilis, nec datur possibili-  
tas, nec impossibilitatis: n.81.  
*Potentia* non datur ad impossibile: disp.9. à  
nu.34.  
Nec obediens: d.18. à n.119.  
Potentia obediens est eodem modo  
connexa, vel inconnexa cum effectibus,  
ac aliæ potentie: *ibidem*.  
Non est in qualibet re ad quoscumque  
effectus posibles: n.125.  
Non maneret, effectu facto impossibili:  
nu.123.  
*Praxis* pro Confessarijs, & Theologis erga  
Simoniacos pœnitentes: disp. sing. à  
n.219.  
*Præcisio* obiectiva, nec locum habet inter  
virtualiter distincta: d.7. a n.137.  
*Prædicatorum* Dei varietas: d.5. n.5.  
Prædicata libera Dei sunt speciales per-  
fectiones: d.3. à n.37.  
Et quidem simpliciter simplices: à nu.  
93.  
Qualiter perficiant essentiam Dei: à n.61.

Eff 2

Non

Non procedunt, nec emanant virtualiter: d. 4. à n. 64.  
 Nec per rationem: à num. 67. & disp. 7. à n. 18.  
 Non distinguuntur virtualiter inter se: d. 8. à n. 58. & 68.  
 Nec à necessarijs: à n. 96.  
 Non sunt virtualiter futuræ respectu necessariorum: d. 13. à n. 93.  
 Libera, & purè contingentiæ, quo cura discrimine? d. 8. n. 54.  
*Prædicationes* Essentiæ, & Attributorum inter se concretè, & abstractè: disp. 7. à nu. 187.  
*Prædicatio: Deus est sapiens, iustus, omnipotens, &c.* est metaphysicè essentialis in primo modo dicendi per se: d. 5. n. 85.  
*Prædicationes sensûs substantivi, & adiectivi* sedulo discernendæ: d. 8. à n. 97. & d. 7. à n. 124.  
*Præsentia* creaturarum est modus intrinsicus ubicationis ab ipsarum productione, & duratione realiter indistinctus: disp. 12. à nu. 37.  
*Præsentia* physica futurorum ab æterno in propriâ, ac in aliena mensura pariter implicat: d. 13. à n. 29.  
 Quam procul absit à mente Sancti Thomæ: à n. 44.  
*Præterita* sunt verè præterita respectu Dei: d. 13. à n. 72.  
 Non eodem modo, ac respectu nostri: n. 79.  
 Quomodo cognoscantur à Deo præterita, & futura: d. 14. n. 21.  
 Præterita, ne fuerint, quomodo fieri possit: d. 9. à nu. 90.  
 Ad præterita non dari potentiam, quomodo intelligendum? n. 95.  
*Prioritas* à quo, & in quo: d. 8. n. 95. & 100. & d. 13. n. 95. & à n. 97.  
*Productio* rerum est earundem duratio, & ubicatio: d. 12. à n. 37.  
*Proloquium* Aristotelicum: *Essentia rerum sunt æternæ: ingenerabiles, &c.* duxit originem ab ipsius errore de æternitate mundi: d. 9. n. 56. & d. 2. n. 9.  
 Proloquium: *Res dum est ex suppositio- ne quod est, necessario est:* quo sale con- diendum? d. 13. n. 101.  
*Propositio vera, vel falsa ex eo quod res est, vel non est:* quomodo intelligendum? d. 13. n. 101.  
 Affirmativa, an negativa discernendum sæpè non à sono, sed à sensu: d. 2. n. 30 &

d. 9. num. 65. & 78. & d. 7. n. 120. & d. 16. nu. 13.  
 Propositiones æternæ veritatis, quo sensu intelligendæ? disp. 2. n. 10. & disp. 13. n. 122.  
 Abstrahunt à tempore: d. 14. n. 23.  
 Propositiones exponibiles accuratè ob- servandæ: d. 9. n. 73. & d. 16. n. 13.  
 In propositionibus, aliud subiectum at- tingentiæ; aliud verificationis: d. 7. num. 148. & d. 9. n. 173.  
*Proprium* dicitur interdum prædicatum differentiale essentialissimum, d. 5. n. 94.  
 Quo sensu usurpetur à Concilio Con- stantinop: d. 4. à n. 52. & d. 5. à n. 92.  
 Quo sensu Attributa Dei dicantur pro- prietates Essentiæ Dei: d. 5. à n. 87.  
 Proprietas Personatum Tarraconensium nequit licitè una vice consumi in opus- pium: disp. sing. à n. 37.  
*Punitiva* Iustitia propriè in Deo: disp. 10. num. 6.  
 Punitiois decretum non est punitio: d. 14. n. 45.

## R

**R**ationale hominis æquè dicit essentia- liter volitivum, ac intellectivum: d. 5. n. 98. & 109.  
*P. M. Raymundi Lombier* elogium: disp. 18. nu. 8.  
*Relationes* divinæ, procedentes à suo principio, quomodo sint Ens à se: d. 2. à num. 61.  
 Sunt speciales Dei perfectiones: d. 3. n. 36.  
 Et quidem formaliter æquales: à num. 67.  
 Vna æquè perfecta, ac omnes simul: num. 73.  
 Non sunt perfectiones simpliciter sim- plices: n. 87.  
 Sunt formaliter vitales: d. 4. n. 4.  
 Quo sensu sint essentia Dei; quo non? d. 5. n. 69.  
 Non includit formaliter essentiam Dei- tatis: d. 7. n. 42.  
 Nec ab illa distinguuntur formaliter ex natura rei: à n. 70.  
 Nec formaliter obiectivè: à n. 134.  
 Sed tantum virtualiter: à n. 91.  
*Restitutio*, ad quam obligantur simoniaci in re beneficiaria: disp. sing. à n. 221.  
*Resurrectio* semel miraculosè facta est evi- denter naturaliter cognoscibilis: disp. 18. nu. 138.

P. de

*P. de Rivo*, in quo erraverit, & correctus fuerit à Sixto IV. d. 9. à n. 99.  
*Rota sacra* pro Personatibus Tarraconensi- bus: disp. sing. à nu. 164.

## S

**S**anctitas, tam physica, quam moralis explicatur: d. 16. n. 29.  
 Vtræque supereminet Deus Opt. Max. nu. 31.  
 Sanctitas physica transcendit omnia præ- dicata Dei: à n. 33.  
 Moralitatis par est in singulis actibus divinæ voluntatis: à nu. 35.  
 Nec potest esse maior in Deo, quam de facto est: n. 44.  
 Sanctitas excellens, excellentior, & excel- lentissima: n. 29.  
*Scientia Dei* quo ad nullam notitiam inci- pit, aut definit virtualiter in tempore adhuc quo ad denominationem: disp. 14. à n. 15.  
 Quomodo res temporaneas cognoscat independentè à differentijs temporum in modo suo cognoscendi: à n. 21.  
 Scientia Visionis non distinguitur virtua- liter à decreto libero de suo obiecto: d. 8. à n. 78.  
 Attingit omnia obiecta scientiæ simpli- cis intelligentiæ: d. 17. n. 100.  
 Scientia compatibilis cum Fide de eodem obiecto: d. 1. n. 4.  
*Similitudo* naturæ requiritur, sed non suf- ficie, ut terminus procedens sit Filius: d. 8. n. 47.  
 Similitudinis physiciæ, & intentionalis discrimen: d. 17. à n. 64.  
*Simoniaci* malitia: disp. sing. à n. 101.  
 Pœnæ: à n. 206.  
 Remedia: à n. 219.  
 In eam animadversio obiurgatoria: post n. 248.  
*Simplicitas Dei* propria exponitur quadri- fariam: d. 15. à n. 2.  
 Excludit compositionem etiam virtua- lem: à n. 16.  
 Vide: *Compositio*.  
*Spatium* imaginariæ inutiliter, & impli- canter ponitur in ente rationis: disp. 12. num. 25.  
 Nec nisi chymericè in caritionibus rea- libus ab omni positivo distinctis: à num. 26.

Vide: *Locus*.  
*Spiritus Sanctus* cur non sit Verbum: d. 8. num. 32.  
 Cur non sit Filius, & cur eius processio non sit generatio: à n. 35.  
 Habet ex vi processiois suæ Naturam divinam: n. 39. & d. 5. n. 38.  
 Non definit esse Filius ex defectu simili- tudinis in natura: d. 8. n. 39.  
 Nec ex defectu Imaginis: n. 36.  
 Sed ex defectu virtutis propagatiæ: nus- 40.  
*Subsistentia* conceptus, & effectus exponi- tur ex Mysterijs Trinitatis, & Incarna- tionis: d. 6. à n. 13.  
 Non est reddere naturam incommunica- bilem alieno supposito; à n. 35.  
 Subsistentia absoluta procul à Deo: à n. 21.  
 Subsistentiæ parciales repugnant pro sub- stantijs incompletis: n. 54.  
 In substantijs completis purè creatis sub- sistencia est unio partium: num. 13.  
 Cur non in Christo: *ibidem*.  
 Subsistentia quid sit: n. 7.  
*Substantia* multipliciter usurpatur: d. 7. nu. 183. & disp. 15. n. 33.  
 Entitativa supernaturalis creata repugnati- d. 18. à n. 28.  
 Cur non modalis? n. 61.  
 Substantiarum entitativarum creaturarum, & creabilium complexio est natura theo- logicè sumpta: à n. 17.  
 Substantiæ prædicamentum Aristoteli- cum non admittit Deum: rectè tamen collocatum in prædicamento substantiæ essentialiter potius quàm ethimologicè sumptæ: d. 15. n. 33.  
*Supernatura* per essentiam Deus: disp. 18. à n. 84.  
 Per participationem variæ formæ sancti- ficantes: n. 85.  
*Supernaturalitas* alia absoluta, & Theolo- gica; alia respectiva, & Philosophica: nu. 98.  
*Supernaturalium* ordo: n. 86.  
 Vide: *Ens supernaturale*.  
*Suppositum*: quid sit: d. 6. n. 5.  
 Semitur interdum abstractè pro suppositi- talitate: *ibidem*.  
 Quis differat à Persona? *ibidem*.  
 Semisuppositum in Deo parit causæ, ac subsistentia absoluta: nu. 8.  
 Suppositum quam dicat incommunica- bilitatem: à n. 17.

Vnde

Vnde illam dicat? n.55.

T

**T** *Empus* imaginariū caritative pura  
puta imaginatio: d. 13. n. 5.  
*Tetragrammaton* Dei Nomen: disp. 17.  
num. 7.  
*P. Theodorus Mauris* laudatus: d. 9. n. 30.  
& d. 8. n. 44.  
*P. Theophili Raynaudī* animadversio cō-  
tra Simoniacos: disp. sing. post n. 248.  
*Transcendentia*, metaphysicē, & theologi-  
cē explicata: d. 7. n. 165.  
Quę divina prædicata præ alijs sint, & di-  
cantur transcendentia: à n. 177.  
*P. Thyrsus Gonzales* laudatus: d. 3. nu. 12.  
& d. 17. n. 47.

V

**V** *ubi* intrinsecum, seu ubicatio creatu-  
rarum, est idem realiter modus phy-  
sicus productionis, & præsentia: d. 12. à  
nu. 37.  
*Vbi* Dei est eius immensitas: d. 13. n. 21.  
*Vbiquitas* quomodo differat ab Immen-  
sitate: d. 12. n. 4.  
Quomodo possit creaturæ convenire: nu.  
46. & 48.  
Locus S. Thomæ circa vbiquitatem expe-  
ditus: n. 4.  
Vbiquitas Dei non infertur ex eo utcum-  
que, quod Deus operetur ubique: à  
num. 6.  
*Verbum* non eadem ratione formali Ver-  
bum, qua Filius: d. 8. n. 51.  
Aliqua tamen ratio sumitur à ratione  
Verbi ad rationem Filij Divini: num.  
52.  
Cur secunda Persona Verbum? à num.  
32.  
Non quò plura videt in Verbo eo bea-  
tior creatura mens: d. 17. à n. 77.  
Vide: *Filius*.  
*Veritas* per se nota quid sit: disp. 1. à num.  
29.  
Veritas in essendo, cognoscendo, & di-  
cendo insinuantur: d. 16. à n. 14.  
Veritas propositionis disiunctivæ, non  
tam volitionis; quàm frustrationi decre-  
ti disiunctivi æquiparanda: disp. 9. à nu.  
173.  
*Widere* infinita, & videre infinité distant

infinité: d. 17. n. 95.  
*Viso* beata est una ex Supernaturis: d. 18.  
num. 86.  
Non tamen est adæquatus Scopus totius  
Ordinis Supernaturalis: n. 77.  
*Virtualis* distinctio non est formalis nega-  
tio idemtitatis virtualis; sed virtualis ne-  
gatio idemtitatis formalis: & quanti hoc  
interfit? d. 7. n. 119.  
Virtualis idemtitas non stat, nisi inter  
realiter distincta: n. 116.  
Virtualis emanatio minimé probatur: à  
n. 19.  
Nec virtualis fatuitio decretorum: d. 13. à  
n. 93.  
Bene verò aliquorum affectuum Dei:  
n. 105.  
Nec virtualis compositio: disp. 15. à  
num. 20.  
*Vita* physica intellectiva, aut volitiva non  
requirit productionem intellectiois, aut  
volitionis: d. 4. n. 4.  
*Vita* Dei quomodo ab intrinsecò?  
num. 21.  
Est propriè operatio actualissima: n. 10.  
*Vita* Dei notionalis, est per modum actūs  
primi, & secundi realis: d. 4. n. 12.  
Absoluta, actūs purissimus à primo, & se-  
cundo etiam virtualibus: à num. 16. & à  
num. 37.  
Imò etiam, & ratione nostra non fingen-  
te: à n. 75.  
*Quod factum est in ipso vita erat*, quo-  
modo intelligendum, & fortè etiam le-  
gendum: n. 8.  
*Vivens*, quid sit? d. 4. n. 2.  
Vide: *Actus primus*.  
*Vnico* decreto attingit Deus indivisibiliter  
omnia: d. 8. à n. 58.  
*Vnio* partium substantialium in unam na-  
turam completam est in purè creatis mo-  
dus subsistentia: d. 6. n. 13.  
Cur non in Christo? *ibidem remissivè*.  
Hypostatica est una ex supernaturis: d. 18.  
num. 86.  
*Vivocè* convenit Deus cum creaturis in  
ratione entis, substantia, &c. d. 5. à n. 29.  
*Vnitas*, sive Vnicitas Dei, naturaliter de-  
monstratur: d. 1. à n. 48.  
Non stat in carentia aliorum deorum di-  
stincta ab omni positivo; sed in ipso esse  
positivo huius Dei: d. 16. à n. 3.  
*Volitio*, quomodo supponat cognitionem  
ex illo proloquio: *nihil volitum quin præ-  
cognitum*: d. 8. à n. 13.  
Velle obiectum, quia cognoscitur, &  
non

R E R V M N O T A B I L I V M.

non è contra quam prioritatem signifi-  
cet, aut distinctionem: à n. 11.  
Volitio disiunctiva est equivalenter con-  
ditionata: d. 9. à n. 172.  
Deum posse velle quidquid potest ope-  
rari, quousque verum? n. 202.  
*Voluntas*, an minis perfecta, quàm intel-  
lectus? d. 5. n. 30.  
Non radicator in intellectu, quavis vo-  
litiones radicaentur in intellectioibus:  
d. 8. n. 10.

Est Attributum ratione distinctum ab  
Omnipotentia: d. 9. à n. 21.  
Æquè de constitutivo hominis, ac intel-  
lectus: d. 5. n. 109.  
Nec minis de essentiali constitutivo Dei,  
quàm intellectio: à n. 21.  
Quo sensu dicatur proprietas Naturæ à  
Concilio Constantinopolitano: d. 4. à n.  
51. & d. 5. à n. 92.  
Voluntatis, & Omnipotentia divina  
exercitia utiliter discernenda: d. 9. n. 206.

F I N I S.

